APOCALYPSIS REVELATA

IN QUA

DETEGUNTUR ARCANA QUÆ IBI PRÆDICTA SUNT, ET HACTENUS RECONDITA LATUERUNT.



AMSTELODAMI:

MDCCLXVI.

Apocalypsis Revelata, *Amsterdam*, 1766. — References: *Arcana Cœlestia,* in n. 5, 41, 43, &c. *De Telluribus,* in n. 716. *De Cœlo et Inferno,* in n. 20, 45, 89, &c. *De Equo Albo,* in n. 298, 716, 820. *De Nova Hierosolyma,* in n. 5, 19, 215, &c. *De Ultimo Judicio,* in n. 24, 186, 330, &c. *Doctrina de Domino,* in n. 6, 8, 13, &c. *Doctrina de Scriptura Sacra,* in n. 1, 11, 24, &c. *Doctrina Vitæ,* in n. 67, 218, &c. *Doctrina de Fide,* in n. 17, 67, 668. *Continuatio de Ultimo Judicio,* in n. 17, 24, 186, &c. *Sapientia Angelica de Conjugio,* in n. 434. *Opusculum de Conjugio,* in n. 797. *De Divino Amore et de Divina Sapientia,* in n. 5, 14, 29, &c. *De Divina Providentia,* in n. 14, 17, 31, &c. *Doctrina Novæ Hierosolymæ de Charitate* is referred to in n. 67, as if it were already written; but, in n. 915, it is referred to *prospectively.* The posthumous work, *De Charitate,* may have been in course of preparation. The *Summary Expositions* given in n. 43, 239, 707, and 859, may also be found in the posthumous work, *Summary Exposition of the Prophets and Psalms.*

Apocalypsis Revelata. — Referred to as follows: *Diarii partis tertiæ volumen secundum,* p. 214. *Dicta Probantia,* p. 12. *De Amore Conjugiali,* n. 27, 39, 54, &c.; in n. 522, we are told of the command from heaven to finish it. ^ *Summaria Expositio Doctrinæ,* n. 1, 62, 67, &c. *Canones Novæ Ecclesiæ,* pp. 8, 55. *De Commercio Animæ et Corporis,* n. 20. *Appendix ad Codicillum de Equo Albo. Vera Christiana Religio,* n. 86, 116, 196, &c. *Coronis ad Veram Christianam Religionem,* n. 2, 14, 17. *Questiones Novem,* (Hartley's), Fifth Answer. *Swedenborg's Bible,* probably: see *Notes,* Apoc. xiii. 1; xviii. 16. ^ Index to A.C. under Babel.

PRÆFATIO.



Unt plures qui ſudarunt in Explicatione Apocalypſeos, ſed quia Senſus ſpiritualis Verbi hactenus ignotus fuerat, non potuerunt videre Arcana, quæ inibi latent recondita, hæc enim Senſus ſpiritualis ſolum retegit, quare Explicatores conjecturarunt varia, & plerique applicuerunt illa quæ ibi ſunt, ad ſtatus Imperiorum, commiſcendo etiam aliqua de Eccleſiaſticis. Sed Apocolypſis, ſicut totum Verbum, in Senſu ſuo ſpirituali ne hilum agit de Mundanis, ſed de Cæleſtibus, ita non de Imperiis & Regnis, ſed de Cælo & Eccleſia. Sciendum eſt, quod poſt Ultimum Judicium, quod Anno 1757 in Mundo ſpirituali peractum eſt, de quo in peculiari Opuſculo Londini 1758 edito, formatum ſit novum Cælum ex Chriſtianis, ſed ex illis ſolis qui recipere potuerunt quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, ſecundum Ipſius verba apud Matthæum Cap. XXVIII: 18, & ſimul pænitentiam a malis operibus in mundo egerunt; ex hoc Cælo deſcendit & deſcenſura eſt Nova Eccleſia in terris, quæ eſt Nova Hieroſolyma. Quod hæc Eccleſia agnitura ſit ſolum Dominum, patet ex his in Apocalypſi „ *Venit ad me unus ex ſeptem Angelis, & loquutus eſt mecum, dicens, veni oſtendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM, *& oſtendit mihi Urbem magnam ſanctam Hieroſolymam deſcendentem e Cælo a Deo*, Cap: XXI, 9 10. Et alibi, „ *Gaudeamus & exultemus, quia venit tempus* NUPTIARUM AGNI, & UXOR IPSIUS *paravit ſe: beati qui ad Cænam* NUPTIARUM AGNI *vocati ſunt* „ Cap: XIX: 7. 9. Quod Cælum Novum futurum ſit, & quod inde deſcenſura ſit Nova Eccleſia in terris, patet ex his ibi „ *Vidi Cælum Novum & Terram novam, & vidi Urbem ſanctam Hieroſolymam deſcendentem a Deo e Cælo, paratam ſicut*

A 2 *Spon-*

Sponſam ornatam Marito ſuo: Dixit Sedens ſuper throno, ecce nova omnia facio; & dixit mihi, ſcribe, quia hæc verba vera & fidelia ſunt„ Cap: XXI: 1. 2. 5: Novum Cælum eſt novum Cælum ex Chriſtianis; nova Hieroſolyma eſt nova Eccleſia in terris, quæ cum novo illo Cælo unum aget, Agnus eſt Dominus quoad Divinum Humanum.

His adjicientur aliqua ad illuſtrationem: Cælum Chriſtianum eſt infra Cælos antiquos; in illud a tempore Domini, cum fuit in Mundo, admiſſi ſunt, qui Deum unum ſub tribus Perſonis coluerunt, & non ſimul ideam trium Deorum habuerunt; & hoc ex cauſa, quia Trinitas Perſonarum recepta eſt in toto Chriſtiano Orbe; at illi, qui de Humano Domini non aliam ideam foverunt, quam ſicut de humano alterius hominis, non potuerunt recipere fidem Novæ Hieroſolymæ, quæ eſt quod Dominus ſit Solus Deus in Quo Trinitas, hi ideo ſeparati ſunt, & emiſſi ad angulos: datum eſt videre ſeparationes poſt Ultimum Judicium, & ablegationes. Nam ſuper juſta idea Dei fundatur univerſum Cælum, & in terris univerſa Eccleſia, & in genere omnis Religio, per illam enim eſt Conjunctio, & per conjunctionem Lux, Sapientia & Felicitas æterna.

Quisque poteſt videre, quod Apocalypſis neutiquam poſſit explicari niſi a Solo Domino, ſingula enim verba ibi continent arcana, quæ abſque ſingulari illuſtratione & ſic revelatione nuſquam ſcirentur; quare placuit Domino aperire mihi viſum ſpiritus mei, & docere. Ne itaque credatis quod aliquid ex me ibi ſumſerim, nec ex aliquo Angelo, ſed ex Domino Solo. Dixit etiam Dominus per Angelum ad Johannem, *Ne obſignes verba prophetiæ Libri hujus*, Cap: XXII: 10, per quod intelligitur, quod manifeſtanda ſint.

DOC-



DOCTRINALIA
ECCLESIÆ ET RELIGIONIS CATHOLICO ROMANÆ
IN COMPENDIO.



Uoniam in Apocalypsi Capp: XVII. XVIII. XIX, etiam agitur de BABYLONIA, quæ est Religiosum Catholico Romanum, aperienda sunt in ingressu Doctrinalia ejus, & quidem in hoc ordine, de Baptismo, de Eucharistia seu Sacra Cæna, de Missis, de Pænitentia, de Justificatione, de Purgatorio, de Septem Sacramentis, de Sanctis, & de Potestate.

,, I. De BAPTISMO, hæc docent; quod totus Adam post prævaricationis ,, offensam, quoad corpus & animam, in deterius commutatus sit: quod peccatum id in omne genus humanum transfusum sit: quod peccatum hoc originale solummodo per meritum Christi tollatur; & quod meritum Christi ,, per Baptismi Sacramentum applicetur; & quod sic totus reatus Peccati orginalis per Baptismum tollatur: quod in Baptizatis usque remaneat concupiscentia sicut fomes ad peccata, non autem peccatum: quod sic induant ,, Christum, fiant nova creatura, & consequantur plenam & integram remissionem peccatorum. Baptismus vocatur Lavacrum regenerationis & fidei. Quod Baptizati, cum adoleverunt, interrogandi sint de sponsionibus ,, factis a patrinis, quod est SACRAMENTUM CONFIRMATIONIS. Quod propter lapsus post Baptismum necessarium sit Sacramentum pænitentiæ.

,, II. DE EUCHARISTIA SEU SACRA CÆNA. Quod statim post Consecrationem verum Jesu Christi Corpus & verus Sanguis sub Panis & Vini specie, ,, una cum Ipsius Anima & Divinitate, realiter & substantialiter contineantur, ,, Corpus sub specie Panis & Sanguis sub specie Vini, ex vi verborum: at ,, ipsum Corpus sub specie Vini & Sanguis sub specie Panis, ac Anima sub ,, utraque; vi naturalis connexionis & concomitantiæ, qua partes Domini Christi inter se copulantur, & Divinitas propter admirabilem ejus cum corpore ,, & anima hypostaticam unionem; ita quod tantundem sub altera specie at-

,, que sub utraque contineatur; verbo, quod totus & integer Christus sub
,, Panis specie & sub quavis istius speciei parte, & totus etiam sub Vini spe-
,, cie & hujus partibus existat; quod ideo binæ species separentur, ac Panis
,, detur Laicis, & Vinum sit Clericis. Quod miscenda sit aqua vino in ca-
,, lice. Quod Laici accipient a Clericis communionem, & quod Clerici
,, seipsos communicent. Quod sit verum Corpus & verus Sanguis Christi
,, post Consecrationem in hostiis in particulis consecratis; & quod ideo ho-
,, stia adoranda sit cum monstratur & circumfertur. Quod mirabilis & sin-
,, gularis illa conversio totius substantiæ Panis in Corpus & totius substantiæ
,, Vini in Sanguinem dicatur Transsubstantiatio. Quod communicatio sub
,, utraque specie concedi queat sub certis conditionibus a Pontifice. Vocatur
,, Panis supersubstantialis, & Panis Angelorum, quem hi edunt absque vela-
,, minibus; vocatur etiam spiritualis cibus; tum antidotum quo liberantur a
,, peccatis.

,, III. De Missis. Dicitur Sacrificium Missæ, quoniam sacrificium, quo
,, Christus se obtulit Deo Patri, repræsentatur in hoc sub specie Panis & Vi-
,, ni; quod inde sit Sacrificium vere propitiatorium, purum, & non nisi
,, sanctum in eo. Quod si populus non sacramentaliter communicat, sed
,, solus Minister, tunc populus spiritualiter communicet, quia Ministri non
,, pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi perti-
,, tinent, id obeunt. Quod Missæ non fieri debeant lingua vulgari, quia
,, magnam continent populi fidelis eruditionem, sed ut Ministri aliquid de-
,, clarent diebus dominicis: quod institutum sit, ut quædam, quæ mystica
,, sunt, voce submissa, & quædam elatiore, pronuntientur; & quod ut sit
,, majestas tanti sacrificii quod offertur Deo, sint Lumina, Thymiamata,
,, Vestes, & id genus alia. Quod offerendum sit pro Vivorum peccatis,
,, pænis, satisfactionibus, & quibusvis necessitatibus; & pro Defunctis. Quod
,, Missæ in honorem Sanctorum sint gratiarum actiones propter quod interce-
,, dant dum implorantur.

,, IV. De Pænitentia. Quod præter Baptismum sit Sacramentum Pæni-
,, tentiæ, quo lapsis post Baptismum beneficium mortis & meriti Christi ap-
,, plicatur, quare vocatur laboriosus quidam Baptismus. Quod partes Pæniten-
,, tiæ sint Contritio, Confessio & Satisfactio; quod Contritio sit donum
,, Dei, & impulsus Spiritus Sancti non adhuc inhabitantis, sed tantum mo-
,, ventis, ita quod sit dispositio. Quod Confessio debeat esse omnium morta-
,, lium peccatorum, etiam occultissimorum, ac intentionum: quod peccata,
,, quæ retinentur non remittantur, at quod illa, quæ post scrutationem non
,, occurrunt, inclusa sint Confessioni: quod fieri debeat ad minimum semel in
,, anno: quod peccata absolvenda sint a clavium Ministris, & quod remittan-
,, tur cum dicunt, Ego absolvo; quod Absolutio sit sicut actus judicis, cum
,, sententia pronuntiatur: quod graviora peccata absolvenda sint ab Episcopis,
,, & adhuc graviora a Pontifice. Satisfactio, quod fiat per pænas satis-
,, factorias a Ministro ex arbitrio pro mensura delicti imponendas: quod cum
,, Pæna æterna etiam Pæna temporalis remittatur. Quod Indulgentiarum
,, potestas

,, poteſtas a Chriſto relicta ſit Eccleſiæ, & quod uſus illarum maxime ſaluta-
,, ris ſit.

,, V. De Justificatione. Quod tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo
,, naſcitur filius Adami in ſtatum gratiæ per ſecundum Adamum Salvatorem,
,, ſine Lavacro regenerationis & fidei, ſeu Baptiſmo, non fiat. Quod exor-
,, dium juſtificationis ſecundum ſit a gratia præveniente, quæ eſt Vocatio,
,, cum qua homo coperatur convertendo ſemet. Quod diſpoſitio fiat per Fi-
,, dem, cum credit vera eſſe quæ revelata ſunt, ad quam libere movetur:
,, tum per Spem, dum credit quod Deus propter Chriſtum propitius ſit: &
,, per Charitatem, qua incipit proximum diligere, & odio habere pecca-
,, tum. Quod Juſtificatio, quæ ſequitur, non ſolum ſit peccatorum remiſ-
,, ſio, ſed ſanctificatio & interioris hominis renovatio; quod tunc non repu-
,, tentur juſti, ſed quod ſint juſti, juſtitiam in ſe recipientes; & quia acci-
,, piunt meritum paſſionis Chriſti, quod ita inſeratur Juſtificatio per Fidem,
,, Spem & Charitatem. Quod Fides ſit humanæ ſalutis initium, fundamen-
,, tum & radix Juſtificationis, & quod hoc ſit per fidem juſtificari: & quia
,, nihil eorum, quæ Juſtificationem præcedunt, ſive fides ſive opera, juſti-
,, ficationis gratiam promerentur, quod hoc ſit juſtificari gratis, eſt enim
,, gratia præveniens: & quod uſque homo ex operibus juſtificetur, & non ex
,, fide tantum: quod juſti in levia & venialia peccata cadant, & quod uſque
,, ſint juſti: & quod juſti ideo continue laborare debeant per orationes, ob-
,, lationes, eleemoſynas, jejunia, ne cadant, quia renati ſunt in ſpem
,, gloriæ, & non in gloriam. Quod Juſti, ſi exciderint juſtificationis gra-
,, tia, rurſus juſtificari poſſint per Pænitentiæ ſacramentum: quod per quod-
,, libet mortale peccatum amittatur gratia, ſed non fides, at quod per infi-
,, delitatem, quæ eſt receſſio a Religione, etiam fides. Quod Opera ho-
,, minis juſtificati ſint merita, & quod juſtificati per illa, quæ ab illis per
,, Dei gratiam & meritum Chriſti, fiunt, promereantur vitam æternam.
,, Quod Liberum Arbitrium poſt Adami peccatum non amiſſum & ex-
,, ſtinctum ſit, & quod homo cooperetur aſſentiendo vocanti Deo, & quod
,, alioquin foret inanimatum corpus. Prædestinationem ſtatuunt, dicen-
,, do, quod nemo ſciat, num ſit in numero prædeſtinatorum, & inter illos
,, quos Deus ſibi elegerat, niſi ex ſpeciali revelatione.

,, VI. De Purgatorio. Quod per Juſtificationem non deleatur omnis
,, reatus pænæ temporalis exſolvendæ, quod ideo omnes in Purgatorium ve-
,, niant ut exſolvantur, antequam in Cælum patet aditus. Quod Animæ ibi
,, detentæ fidelium ſuffragiis juventur, & præcipue per ſacrificium Miſſæ; &
,, quod hoc diligenter docendum & prædicandum ſit. Tormina ibi deſcribun-
,, buntur varie, ſed ſunt inventa, in ſe figmenta.

,, VII. De Septem Sacramentis. Quod Sacramenta ſeptem ſint, Bap-
,, tiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pænitentia, Extrema Unctio, Ordo
,, & Matrimonium: quod non plura nec pauciora ſint: quod unum altero dig-
,, nius ſit: quod contineant gratiam; & quod ex Opere operato per illa
,, conferatur gratia: quod totidem fuerint Sacramenta Antiquæ Legis. De
Bap-

„ Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Pœnitentia, supra actum est.
„ De Sacramento extremæ Unctionis; quod sit ex Jacobo Cap V: 14. 15:
„ quod fiat ægrotis circa finem vitæ, unde vocatur Sacramentum exeuntium:
„ quod si convaluerint, possit iterum applicari: quod fiat per oleum ab E-
„ piscopo benedictum, & per hæc verba, „ Indulgeat tibi Deus quiquid o-
„ culorum, sive narium, sive tactus vitio deliquisti. De Sacramento Or-
„ dinis; quod septem Ordines sint in Ministerio Sacerdotii, qui differunt di-
„ gnitate, & vocantur simul Hierarchia Ecclesiastica, quæ est sicut castro-
„ rumt acies ordinata: quod inaugurationes in Ministerium fiant per unctio-
„ nes, & per translationes Spiritus Sancti in illos. Quod ad ordinationes
„ Episcoporum & Sacerdotum non requiratur sæcularis potestas, aut Magi-
„ stratus consensus, aut vocatio aut auctoritas; quod qui ab illis vocatione
„ instituti ad ministerium tantummodo ascendunt, non sint ministri, sed fu-
„ res & latrones, qui per ostium non ingrediuntur. De Sacramento Ma-
„ trimonii: quod dispensatio graduum & divortiorum sit Ecclesiæ: quod
„ Clerici non contrahent matrimonium: quod omnes illi possint habere casti-
„ tatis donum, & si quis dicit se non posse, cum tamen voverat, sit anathe-
„ ma, quia Deus id rite petentibus non denegat, & non patitur aliquem
„ supra id quod potest tentari. Quod status virginitatis & cælibatus antepo-
„ nendus sit statui conjugiali: præter plura.

„ VIII. De Sanctis: quod Sancti una cum Christo regnantes orationes
„ suas pro hominibus Deo offerant: quod Christus adorandus sit, & quod
„ Sancti invocandi; quod invocatio Sanctorum non sit idololatrica, nec ad-
„ versetur honori unius Mediatoris Dei & hominum; vocatur Latria: quod
„ imagines Christi, Deiparæ Mariæ, & Sanctorum, sint venerandæ & ho-
„ norandæ, non quod credendum quod in illis Divinitas & virtus sit, sed
„ quod honor, qui illis exhibetur, referatur ad prototypa, quæ illæ repræ-
„ sentant; & quod per imagines, quas osculantur, & coram quibus pro-
„ cumbunt ac caput nudant, Christum adorent, & Sanctos venerentur: quod
„ miracula Dei per Sanctos fiant.

„ IX. De Potestate: quod Papa Romanus sit Petri Apostoli successor,
„ & Jesu Christi Vicarius, Caput Ecclesiæ, & Episcopus universalis; quod
„ sit supra Concilia: quod Illi sint claves aperiendi & claudendi cælum, ita
„ potestas remittendi & retinendi peccata; quod ideo Illi sicut vitæ æternæ
„ Clavigero, terreni simul & cælestis imperii jura sint: quod etiam ab Illo
„ sit talis potestas Episcopis & Sacerdotibus, quia etiam data est reliquis
„ Apostolis, & quod ideo dicantur Ministri clavium. Quod Ecclesiæ sit
„ judicare de vero sensu & interpretatione Scripturæ sacræ, & quod qui con-
„ traveniunt, pœnis ex jure statutis puniendi sint: quod non conveniat ut Laici
„ legant Scripturam Sacram, quoniam sensum ejus non scit nisi Ecclesia; in-
„ de Ministri ejus venditant quod illum sciant.

X. Hæc sunt ex Conciliis & Bullis, imprimis ex Concilio Tridentino &
Bulla Papali confirmante, ubi omnes, qui contra illa quæ decreta sunt, quæ
in genere sunt supra allata, sentiunt, credunt, & faciunt, anathemate con-
demnant.

DOC-

DOCTRINALIA

Eccleſiæ & Religionis Reformatorum, in compendio.

QUoniam in Apocalypſi in ſenſu ejus ſpirituali multum agitur de Reformatis, ideo etiam in ingreſſu ad Explicationes, aperienda ſunt Doctrinalia illorum, & quidem in hoc ordine; de Deo, de Chriſto Domino, de Juſtificatione per fidem & de bonis Operibus, de Lege & Evangelio, de Pænitentia & Confeſſione, de Peccato Originali, de Baptiſmo, de Sacra Cæna, de Libero Arbitrio, & de Eccleſia.

„ I. De Deo: de Deo creditur ſecundum fidem ſymbolicam Athanaſia„ nam, quæ quia in cujuſvis manu eſt, non hic aſſumitur: quod credatur in „ Deum Patrem ut Creatorem & Conſervatorem, in Deum Filium ut Salva„ torem & Redemptorem, & in Spiritum Sanctum ut Illuſtratorem & Sanc„ tificatorem, etiam notum eſt.

„ II. De Christo Domino: De Perſona Chriſti non docetur ſimiliter ab „ omnibus Reformatis; a Lutheranis, ita; quod Virgo Maria non verum „ Hominem duntaxat, ſed & verum Dei Filium conceperit & genuerit, un„ de recte Mater Dei appellatur & revera eſt: quod in Chriſto duæ naturæ „ ſint, Divina & Humana, Divina ab æterno, & Humana in tempore; „ quod duæ illæ naturæ perſonaliter unitæ ſint, ita prorſus ut non ſint duo „ Chriſti, unus Filius Dei, alter Filius hominis, ſed ut unus & idem ſit Fi„ lius Dei & Filius hominis, non quod duæ illæ naturæ in unam ſubſtantiam „ commixtæ ſint, nec quod una in alteram mutata ſit, ſed quod utraque „ natura retineat ſuas proprietates eſſentiales, quæ quales ſunt, etiam de„ ſcribitur: quod unio illarum ſit hypoſtatica, & quod hæc ſit ſumma com„ munio, qualis eſt animæ & corporis; quod ſic recte dicatur, quod in „ Chriſto Deus ſit Homo & Homo Deus. Quod non ut nudus Homo tantum „ pro nobis paſſus ſit, ſed talis Homo, cujus Humana natura cum Filio Dei „ tam arctam ineffabilem unionem & communionem habet, ut cum eo una „ facta ſit Perſona: quod vere Filius Dei pro nobis paſſus ſit, ſed uſque ſecun„ dum proprietates Humanæ naturæ: quod Filius hominis, per quem intelligi„ tur Chriſtus quoad Humanam naturam, ad dextram Dei realiter exaltatus „ ſit, cum Ille in Deum aſſumtus fuit, quod factum eſt, ut primum in utero „ matris a Spiritu Sancto conceptus eſt: quod Chriſtus illam Majeſtatem „ ratione unionis perſonalis ſemper habuerit, ſed quod in ſtatu exinanitionis, „ non niſi quantum ei viſum fuit, exercuerit; at quod formam ſervi poſt re„ ſurrectionem plene & prorſus depoſuerit, & Humanam naturam ſeu eſ„ ſentiam in plenariam uſurpationem Divinæ Majeſtatis collocaverit; & quod

,, quod hoc modo in gloriam ingreſſus ſit: verbo, Chriſtus verus Deus &
,, Homo in una indiviſa Perſona eſt & permanet in æternum; ac verus, om-
,, nipotens, ac æternus Deus, etiam quoad Humanum ad dextram Dei præſens
,, gubernat omnia in cælis & in terris, & quoque implet omnia, nobiſcum
,, eſt, in nobis habitat & operatur: quod non ſit adorationis differentia,
,, quia per naturam quæ cernitur adoratur Divinitas quæ non cernitur: quod
,, Divina Eſſentia proprias ſuas excellentias Humanæ naturæ communicet &
,, impertiat; & quod Divinas ſuas operationes per corpus ſicut per Organum
,, perficiat; quod ſic omnis plenitudo Divinitatis in Chriſto habitet corpora-
,, liter, ſecundum Paulum. Quod incarnatio facta ſit, ut reconciliaret no-
,, bis Patrem, ac hoſtia fieret pro totius Mundi peccatis, tam originalibus
,, quam actualibus; quod incarnatus ſit ex ſubſtantia Spiritus Sancti, ſed
,, quod Humana natura a Virgine Maria producta ſit, quam ut Verbum aſ-
,, ſumſit & ſibi univit: quod ſanctificet credentes in Ipſum, miſſo in corda
,, illorum Spiritu Sancto, qui regat, conſoletur & vivificet illos, ac defen-
,, dat contra diabolum & vim peccati. Quod Chriſtus ad inferos deſcende-
,, rit, & infernum pro omnibus credentibus deſtruxerit; quo autem modo hæc
,, fuerunt effecta, non curioſe vult ut ſcrutentur, ſed hujus rei cognitio alteri
,, ſæculo reſervetur, quando non modo hoc myſterium, ſed etiam alia
,, multa revelabuntur. Hæc ſunt ex Luthero, Auguſtana Confeſſione, &
,, Concilio Niceno, Articulis Smalcaldicis, videatur Formula Concordiæ.

,, Ab aliqua parte ex REFORMATIS, de quibus etiam in Formula concor-
,, diæ, creditur, quod Chriſtus ſecundum Humanam naturam per exaltatio-
,, nem tantum creata dona & finitam potentiam acceperit, ita quod ſit Ho-
,, mo ſicut alius, retinens proprietates carnis; quod ideo quoad Humanam
,, naturam non ſit Omnipræſens & Omniſciens; quod tamen abſens regat
,, tanquam Rex diſſita a ſe: quod ut Deus ab æterno ſit apud Patrem, ac
,, ut Homo natus in tempore ſit apud Angelos in Cælo; quodque in Chriſto
,, Deus ſit Homo & Homo Deus, ſit loquutio figurata; præter ſimilia alia.

,, At diſſenſionem hanc dirimit ſymbolum Athanaſii, quod ab omnibus in
,, Chriſtiano Orbe receptum eſt, ubi hæc ſunt ,, Vera fides eſt, ut creda-
,, mus & confiteamur, quod noſter Dominus Jeſus Chriſtus Filius Dei ſit
,, Deus & Homo, Deus ex ſubſtantia Patris natus ante mundum, & Homo
,, ex ſubſtantia matris natus in mundo; perfectus Deus & perfectus Homo:
,, Qui tametſi eſt Deus & Homo, non tamen ſunt duo, ſed unus Chriſtus;
,, unus non per converſionem Eſſentiæ Divinæ in corpus, ſed per aſſumtio-
,, nem Humani ſui in Deum; unus prorſus, non per confuſionem ſubſtantiæ,
,, ſed per Unitatem Perſonæ; quoniam ſicut rationalis anima & corpus eſt
,, unus homo, ita Deus & Homo eſt unus Chriſtus".

,, II. DE JUSTIFICATIONE PER FIDEM, ET DE BONIS OPERIBUS: Fides Cleri-
,, corum juſtificans & ſalvans hæc eſt, quod Deus Pater averterit ſe a Gene-
,, re humano propter iniquitates ejus, & ſic ex juſtitia damnaverit illud mor-
,, ti æternæ, & quod ideo miſerit Filium in mundum, qui expiaret & redi-
,, meret, ac ſatisfaceret & reconciliaret, & quod Filius hoc fecerit per quod

in

" in se susceperit damnationem legis, & passus se crucifigi, & quod sic &
" per obedientiam impleverit omnem justitiam Dei, usque ut Ipse factus sit
" Justitia, & quod Deus Pater hanc ut Ipsius meritum credentibus imputet &
" applicet, & ad illos mittat Spiritum sanctum, qui operatur charitatem, bona
" opera, pænitentiam, ut bona arbor bonos fructus, ac justificet, renovet, re-
" generet & sanctificet, & quod hæc fides sit unicum medium salutis, & quod
" per illam solam remittantur homini peccata. Distingvunt inter Justificationis
" actum & statum; per Justificationis actum intelligunt initium justificationis,
" quod fit momento cum homo per solam illam fidem cum fiducia apprehendit
" meritum Christi; per justificationis statum intelligunt progressum illius fidei,
" qui fit per operationem Spiritus Sancti interiorem, quæ se non manifestat
" nisi per quædam signa, de quibus varia docent; tradunt etiam bona opera
" manifesta, quæ fiunt ab homine & ejus voluntate, & sequuntur illam fi-
" dem, sed illa excludunt a justificatione, quia proprium & sic meritum ho-
" minis est in illis: hæc est fides hodierna in summario, verum confirmatio-
" nes ejus & traditiones de illa sunt plures & multiplices, ex quibus aliquæ
" etiam adducentur, quæ sunt, quod homines non possint justificari coram
" Deo propriis viribus, meritis & operibus, sed gratis propter Christum,
" per fidem, per hanc quod credant se in gratiam recipi & peccata remitti
" propter Ipsum, qui sua morte pro nobis satisfecit, & quod Deus Pater
" hoc credentibus imputet propter justitiam coram Ipso: quod fides hæc
" non tantum sit notitia historica, quod Christus pro nobis passus &
" mortuus sit, sed etiam assensus corde, confidentia & fiducia, quod gratis
" propter Christum remittantur peccata & justificentur; & quod tunc hæc
" tria concurrant, Promissio gratuita, Meritum Christi tanquam pretium,
" & Propitiatio: quod fides sit justitia, qua coram Deo justi reputamur prop-
" ter promissionem: & quod justificari sit absolvi a peccatis, & quod etiam
" quodammodo dici possit vivificari & regenerari: quod fides nobis ad justi-
" tiam reputetur, non quia illa tam bonum opus est, sed quia meritum Chri-
" sti apprehendit: quod meritum Christi sit Ipsius Obedientia, Passio, Mors
" & Resurrectio: quod necessum sit, ut aliquid sit, per quod Deus adiri po-
" test, & quod id non aliud sit, quam fides per quam sit receptio. Quod fi-
" des in actu justificationis intret per Verbum & auditum, & quod non sit
" actus hominis, sed quod sit operatio Spiritus Sancti, & quod tunc homo
" non cooperetur plus quam statua salis, truncus aut lapis, nihil ex se agens,
" & de eo nihil sciens, sed quod post actum cooperetur, verum non cum
" aliqua voluntate propria in spiritualibus; aliter in naturalibus, civilibus &
" moralibus; attamen quod tunc in spiritualibus eo usque possint progredi,
" ut bonum velint, eoque delectentur, sed hoc ipsum non a sua voluntate,
" sed a Spiritu Sancto, & quod sic cooperentur non a suis viribus, sed a no-
" vis viribus & donis, quæ Spiritus Sanctus in conversione inchoavit; quod-
" que in vera conversione immutatio, renovatio & motus fiant in hominis in-
" tellectu & corde: quod charitas, bona opera & pœnitentia non ingredian-
" tur actum justificationis, sed quod in statu justificationis necessaria sint,

 " im-

„ imprimis propter mandatum Dei, & quod per illa mereantur præmia hu-
„ jus vitæ corporalia, sed non remissionem peccatorum & vitæ æternæ glo-
„ riam, quia sola fides absque operibus legis justificat, & salvat: quod fides
„ actu hominem justificet, sed fides statu renovet: quod in renovatione
„ propter mandatum Dei, necessario facienda sint honesta opera, quæ Deca-
„ logus præcipit, quia vult Deus ut carnales cupiditates coerceantur civili dis-
„ ciplina, quare dedit doctrinam, leges, magistratus & pœnas: quod ideo se-
„ quatur falsum esse, quod per opera mereamur remissionem peccatorum
„ & salutem, tum quod opera aliquid faciant ad fidem conservandam; &
„ quoque falsum esse, quod homo reputetur justus propter justitiam rationis
„ suæ, & quod ratio possit propriis viribus Deum super omnia amare, ac
„ legem Ipsius facere: verbo, quod fides & salus in hominibus conserventur
„ & retineantur non per bona opera, sed tantum per Spiritum Dei & per Fi-
„ dem; sed usque quod bona opera testimonia sint, quod Spiritus Sanctus
„ præsens sit, & in illis habitet: damnatur, ut perniciosa, phrasis, quod
„ bona opera noxia sint ad salutem, quia intelligenda sunt opera Spiritus San-
„ cti interiora, quæ bona sunt, non exteriora procedentia a propria voluntate
„ hominis, quæ non bona sunt sed mala, quia meritoria. Tradunt præte-
„ rea, quod Christus Ultimo Judicio laturus sit sententiam de operibus bonis
„ & malis tanquam effectis propriis & non propriis fidei hominis. Hæc fi-
„ des hodie regnat in toto Christiano Reformato Orbe apud Clericos, sed non
„ apud Laicos nisi perpaucos; Laici enim non aliud intelligunt per fidem,
„ quam credere in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, & quod qui
„ bene vivit & bene credit, salvetur; & de Domino quod sit salvator; igno-
„ rant enim arcana justificationis Prædicatorum suorum, qui tametsi illa præ-
„ dicant, usque apud auditores Laicos intrant per unam aurem & exeunt
„ per alteram; imo ipsi Doctores se reputant eruditos ex scientia illorum, ac
„ in Gymnasiis & Lyceis multum laborant ut illa capiant; quare supra di-
„ ctum est, quod illa fides sit fides Clericorum. Sed usque Doctores ean-
„ dem hanc fidem in Regnis, ubi Reformati sunt, diversimode docent, in
„ GERMANIA, SUECIA & DANIA, quod Spiritus Sanctus per illam fidem ope-
„ retur, ac homines justificet & sanctificet, ac postea successive renovet &
„ regeneret, sed absque operibus legis; & qui in illa fide ex fiducia & con-
„ fidentia sunt, in gratia apud Deum Patrem sint; & quod tunc mala quæ
„ faciunt, quidem appareant, sed jugiter remittantur. In ANGLIA, quod
„ illa fides operetur charitatem inscio homine, & quod id etiam bonum cha-
„ ritatis sit, quod homo interius sentit Spiritum Sanctum apud se operari;
„ & si non sentit, & usque propter salutem facit bonum, quod id possit dici
„ bonum, sed quod usque trahat ex homine quod in eo sit meritum: tum
„ quod illa fides id possit in ultima mortis hora operari, tamen non scitur
„ quomodo. In HOLLANDIA; Quod Deus Pater propter Filium per Spiritum
„ Sanctum justificet & purificet hominem interius per illam fidem, sed usque
„ ad propriam voluntatem ejus, a qua se deflectit, nec illam tangit, quidam
„ quod leviter tangat, & quod sic mala voluntatis hominis non appareant co-

ram

„ ram Deo: sed de his illorum arcanis pauci ex Laicis norunt, nec volunt il-
„ la, sicut sunt, propalare, quia sciunt quod illa non sapiant.

„ III. De Lege et Evangelio: quod Lex a Deo data sit, ut sciatur
„ quid peccatum, & sic ut id comminatione & metu, & dein promissione &
„ annuntiatione gratiæ, arceatur; quare præcipuum officium Legis est, ut
„ peccatum originale & omnes fructus ejus revelentur, ac sciatur quam hor-
„ rendum in modum natura hominis lapsa & funditus depravata est; hac ra-
„ tione hominem perterrefacit, humiliat, prosternit, usque ut desperet de
„ seipso, & anxie desideret auxilium; hic effectus Legis vocatur Contritio,
„ quæ non est activa seu factitia, sed passiva & conscientiæ cruciatus: Evan-
„ gelium autem est tota Doctrina de Christo & de fide, & sic de remissio-
„ ne peccatorum, ita lætissimus nuntius non arguens & terrens, sed conso-
„ lans: per Legem ira Dei revelatur super omnem impietatem, & homo
„ damnatur, quare facit ut homo ad Christum respiciat, & ad Evangelium;
„ prædicatio de utraque erit, quia conjuncta sunt: Evangelium docet, quod
„ Christus in se susceperit omnem maledictionem Legis, & omnia peccata
„ expiaverit, & quod remissionem per fidem consequamur. Quod Spiritus
„ Sanctus non per Legis sed per Evangelii prædicationem detur & accipia-
„ tur, & cor hominis renovetur, & quod Spiritus dein ministerio Legis uta-
„ tur, ut doceat & in decalogo monstret, quæ sit voluntas Dei bona & pla-
„ cens, sic Spiritus mortificat & vivificat. Quod discrimen faciendum sit
„ inter opera Legis & inter opera Spiritus, quare fideles non sunt sub Lege
„ sed sub gratia, nempe illa ratione. Quod justitia Legis non justificet,
„ hoc est, non reconciliet, neque regeneret, neque per se faciat acceptos
„ Deo, sed donato Spiritu Sancto sequitur Legis impletio: quod opera secun-
„ dæ Tabulæ Decalogi non justificent, quia per illam agimus cum homini-
„ bus, & non proprie cum Deo, & tamen in justificatione agendum est cum
„ Deo. Quod Christus, quia sine peccato subiit pœnam peccati, & victima
„ pro nobis factus est, sustulerit illud jus Legis, ne damnet credentes, quia
„ Ille est propitiatio pro illis, propter quam justi reputantur.

IV. De Pœnitentia et Confessione: quod Pœnitentia constet ex duabus
„ partibus, una quæ est contritio seu terror incussus conscientiæ propter pec-
„ cata; altera quæ est fides quæ concipitur ex Evangelio, & per remissionem
„ peccatorum consolatur conscientiam, & ex terroribus liberat. Qui confi-
„ tetur totum se esse peccatum, is comprehendit omnia peccata, nullum ex-
„ cludit, & nullius obliviscitur, sic purgantur peccata, homo purificatur, recti-
„ ficatur, sanctificatur, quoniam Spiritus Sanctus non sinit peccatum dominari,
„ sed reprimit & coercet. Quod enumeratio peccatorum debeat esse libera,
„ si velit aut non velit; & quod confessio & absolutio privata magnificienda
„ sit; quare si quis vult, potest confiteri peccata, & absolutionem a Confes-
„ sionario accipere, & quod peccata tunc remissa sint; verba, quæ Minister
„ tunc responsurus est, sint, Deus tibi sit propitius, & confirmet fidem tuam,
„ fiat tibi sicut credis, & ego ex mandato Domini remitto tibi peccata, at
„ alii, annuntio tibi remissionem peccatorum; quod tamen usque non per pæ-

„ nitentiam, ſicut nec per opera, ſed per fidem peccata remittantur. Quare „ pænitentia Clericorum eſt modo confeſſio coram Deo quod peccatores ſint, „ & oratio ut in fide perſeverent. Quod expiationes & ſatisfactiones non „ ſint neceſſariæ, quia Chriſtus eſt Expiatio & Satisfactio.

V. De Peccato originali docent, quod poſt lapſum Adami omnes homi-„ nes ſecundum naturam propagati naſcantur cum peccato, hoc eſt, ſine metu „ Dei, & cum concupiſcentiis, quodque hoc damnet & afferat nunc quo-„ que mortem æternam illis qui non renaſcuntur per baptiſmum & per Spiri-„ tum ſanctum: quod ſit privatio originalis juſtitiæ, & cum hac inordinata „ diſpoſitio partium animæ, & habitus corruptus. Quod ſit diſcrimen inter „ ipſam naturam, in quam homo creatus eſt, quæ etiam poſt lapſum eſt & „ permanet Dei Creatura, & inter peccatum originale; ita quod ſit diſcrimen „ inter corruptam naturam, & inter corruptionem quæ naturæ infixa eſt, & „ per quam natura eſt corrupta; quod naturæ corruptionem ab ipſa natura „ nemo niſi ſolus Deus ſeparare poſſit; id quod in beata reſurrectione plane „ fiet, quia tunc ipſa natura, quam in mundo homo circumfert, abſque pec-„ cato originali, reſurrectura eſt, ac æterna felicitate fruitura; quod ſit diſ-„ crimen ſicut inter opus Dei & opus diaboli; quod peccatum hoc non eo „ modo naturam invaſerit, quaſi Satan aliquod malum ſubſtantialiter creave-„ rit, & illud cum natura commiſcuerit, ſed quod juſtitia concreata & ori-„ ginalis amiſſa ſit: quod peccatum originis ſit accidens; & quod homo ra-„ tione ejus coram Deo ſpiritualiter quaſi mortuus ſit. Quod hoc malum per „ ſolum Chriſtum contegatur & condonetur: quod ipſum ſemen, ex quo ho-„ mo formatur, peccato illo contaminatum ſit: quod inde etiam ſit, quod „ homo a parentibus accipiat pravas inclinationes ac internam immunditiem „ cordis.

VI. De Baptismo: quod Baptiſmus non ſit ſimpliciter aquà, ſed quod ſit „ aqua Divino mandato comprehenſa, & Verbo Dei obſignata, & ſic ſanc-„ tificata: quod Baptiſmi virtus, opus, fructus & finis ſit, ut homines ſalven-„ tur, & in Chriſtianam Communionem cooptentur: quod per Baptiſmum offe-„ ratur victoria ſuper mortem & diabolum, remiſſio peccatorum, gratia „ Dei, Chriſtus cum omnibus ſuis operibus, & Spiritus Sanctus cum omni-„ bus ſuis dotibus, ac æterna beatitudo omnibus & ſingulis qui credunt; „ num fides etiam per Baptiſmum detur infantibus, eſt altius quam ut ſolli-„ cite inquirendum ſit. Quod immerſio in aquam ſignificet mortificationem „ veteris hominis, & reſurrectionem novi, quod ideo vocari poſſit lavacrum „ regenerationis, ac vere lavacrum in Verbo, tum in morte & ſepultura „ Chriſti: quod Chriſtiani vita ſit quotidianus Baptiſmus ſemel ſic inceptus: „ quod aqua non id efficiat, ſed Verbum Dei, quod in & cum aqua eſt, „ & fides Verbi Dei aquæ addita; quod inde ſequatur, quod baptizatio in „ Nomine Dei, quidem ab hominibus fiat, ſed non ſit, verum ab ipſo Deo: „ quod Baptiſmus non tollat peccatum originale, exſtincta prava concupiſ-„ centia, ſed reatum.

„ Alii vero ex Reformatis credunt, quod Baptiſmus ſit externum Lava-

„ crum

„ crum aquæ, per quod interna ablutio a peccatis ſignificatur: quod non conferat regenerationem, fidem, gratiam Dei & ſalutem, ſed tantum ſignificet & obſignet illa; & quod illa non conferantur in & cum baptiſmo, ſed poſtea increſcente ætate; quodque ſolum electi conſequantur gratiam Chriſti & donum fidei: & quia ſalus non dependet a baptiſmo, quod ideo permittatur fieri ab alio in defectu ordinarii miniſtri.

VII. De Sacra Cæna: Reformati, qui vocantur Lutherani, docent, quod „ in Sacra Cæna ſeu Sacramento Altaris, Corpus & Sanguis Chriſti vere & ſubſtantialiter ſint præſentia, & quod una cum pane & vino vere diſtribuantur & accipiantur; & quod ideo verum Corpus & verus Sanguis Chriſti in, cum, & ſub Pane & Vino ſint, ac Chriſtianis ad manducandum & bibendum dentur; & quod ideo non ſimpliciter panis & vinum ſint, ſed Verbo Dei incluſa & alligata, & quod hoc faciat quod Chriſti corpus & ſanguis ſint; nam cum accedit Verbum ad elementum, fit Sacramentum: quod tamen non ſit transſubſtantiatio, qualis eſt Pontificiis: quod ſit cibus animæ, novum hominem alens & fortificans: quod inſtituta ſit, ut fides vires ſuas reparet atque recipiat, detur remiſſio peccatorum, & nova vita, quam Chriſtus nobis meruit: quod ſic corpus & ſanguis Chriſti non tantum ſpiritualiter per fidem, ſed etiam ore, ſupernaturali modo, ratione Sacramentalis unionis cum pane & vino, ſumantur: quod dignitas iſtius Cænæ conſiſtat in ſola obedientia, & in Chriſti merito, quod vera fide applicatur: verbo, quod Sacramenta, Cæna Domini & Baptiſmus, ſint teſtimonia voluntatis & gratiæ Dei erga homines; & quod Sacramentum Cænæ ſit promiſſio remiſſionis peccatorum per fidem; quod moveat corda ad credendum; & quod Spiritus Sanctus per Verbum & Sacramenta operetur: quod conſecratio Miniſtri illa non producat, ſed quod ſoli Omnipotenti virtuti Domini id tribuendum ſit: quod tam digni quam indigni verum Corpus & verum Sanguinem Chriſti, ſicut ſuper cruce pependit, accipiant, ſed digni ad ſalutem, indigni ad condemnationem; quod digni ſint qui fidem habent; quod nemo ad Cænam illam adigendus ſit, ſed quisque cum ſpiritualis fames urget, accedat.

„ Alii vero Reformati docent, quod in Sacra Cæna Corpus & Sanguis Chriſti tantum ſpiritualiter ſumantur, & quod Panis & Vinum ibi ſint modo ſigna, typi, ſymbola, teſſeræ, figuræ & ſimilitudines; quod Chriſtus non corpore præſens ſit, ſed ſolum virtute & operatione ex Divina ſua eſſentia; at quod in Cælo ſit conjunctio ſecundum communicationem idiomatum: quod dignitas hujus Cænæ non modo a fide, ſed etiam a præparatione pendeat: quod ſolum digni virtutem ejus accipiant, at indigni modo panem & vinum. Tametſi hi diſſenſus ſunt, uſque conveniunt omnes Reformati in eo, quod omnino Pænitentiam acturi ſint, qui digne volunt Sanctam illam Cænam obire, Lutherani quod niſi pænitentiam ab operibus malis egerint, & uſque accedant, in æternum damnati ſint: & Angli, quod alioquin diabolus in illos intraturus ſit ſicut in Judam; hoc conſtat ex Orationibus prælectis ante Communionem.

VIII „ De

VIII. „ De Libero Arbitrio: Distingunt inter statum ante lapsum, „ post lapsum, post acceptam fidem & renovationem, & post resurrectionem. Quod homo post lapsum in rebus spiritualibus & Divinis ex propriis viribus prorsus nihil possit inchoare, cogitare, intelligere, credere, „ velle, operari ac cooperari, nec se ad gratiam applicare aut accommodare, sed quod naturale arbitrium sit solum ad illa quæ contra Deum sunt, „ & Deo displicent; ita quod homo in spiritualibus sit sicut stipes, sed quod „ usque ei sit capacitas, non activa sed passiva, qua verti potest ad bonum „ per gratiam Dei; quod tamen liberum arbitrium homini post lapsum reliquum sit, posse & non posse audire Verbum Dei, & quod sic scintillula „ fidei in corde accendatur, quæ remissionem peccatorum propter Christum „ amplectitur, & consolatur. Quod tamen humana voluntas habeat libertatem ad faciendum civilem justitiam, & ad deligendum res rationi subjectas.

IX. De Ecclesia: quod Ecclesia sit congregatio & communio sanctorum, „ & quod sit sparsa per Universum Orbem apud illos qui habent eundem „ Christum & eundem Spiritum Sanctum, ac eadem Sacramenta, sive habeant similes aut dissimiles traditiones: & quod principaliter sit Societas fidei; & quod hæc Ecclesia sola sit Corpus Christi, & quod boni sint re „ & nomine Ecclesia, sed mali solum nomine: quod mali & hypocritæ, quia „ commixti, sint membra Ecclesiæ secundum externa signa ejus, modo non „ sint excommunicati, sed quod non sint membra Corporis Christi. Quod „ Ritus Ecclesiastici, qui Ceremoniæ vocantur, sint adiaphori, & quod non „ sint cultus Dei, nec pars cultus Dei; quod ideo in libertate Ecclesiæ sit „ talia instituere, mutare & abrogare, ut discrimina vestium, temporum, „ dierum, ciborum, & alia; & quod ideo nulla Ecclesia aliam propter talia „ condemnare debeat.

X. Hæc sunt Doctrinalia Ecclesiæ & Religionis Reformatorum in compendio: illa autem, quæ tradunt Schwengfeldiani, Pelagiani, Manichæi, Donatistæ, Anabaptistæ, Armeniani, Cingliani, Antetrinitarii, Sociniani, Ariani, ac hodie Quaqueri & Heerenhuteri, præterita sunt, quia illi ut Hæretici ab Ecclesia Reformatorum reprobati & rejecti sunt.



APO-

APOCALYPSIS

CAPUT PRIMUM.

1. Revelatio Jesu Christi, quam dedit illi Deus indicare ſervis ſuis, quæ oportet fieri cito, & ſignificavit, mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni.
2. Qui teſtatus eſt Verbum Dei, & teſtimonium Jesu Christi, quæcunque vidit.
3. Beatus legens, & audientes verba prophetiæ, & ſervantes quæ in ea ſcripta, quia tempus prope.
4. Johannes ſeptem Eccleſiis quæ in Aſia, gratia vobis & pax ab Ipſo, Qui Eſt, & Qui Fuit, & Qui Venturus; & a ſeptem Spiritibus, qui ſunt in conſpectu Throni Ipſius.
5. Et a Jesu Christo, Ipſe Teſtis fidelis, Ipſe Primogenitus ex mortuis, & Ipſe Princeps regum terræ, amante nos & lavante nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo.
6. Et facit nos reges & ſacerdotes Deo et Patri ſuo; Ipſi gloria & robur in ſæcula ſæculorum.
7. Ecce venit cum nubibus, & videbit Ipſum omnis oculus, & qui Ipſum transfixerunt, & plangent ſuper Ipſum omnes Tribus terræ, etiam, Amen.
8. Ego ſum Alpha & Omega, Principium & Finis, dicit Dominus, Qui Eſt, & Qui Fuit, & Qui Venturus, Qui Omnipotens.
9. Ego Johannes, qui & frater veſter, & conſocius in afflictione, & in regno, & patiente exſpectatione Jesu Christi, Eram in Inſula vocata Pamos propter verbum Dei, & propter teſtimonium Jesu Christi.
10. Factus ſum in ſpiritu in Dominica die, & audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ.
11. Dicentem, Ego ſum Alpha & Omega, Primus & Ultimus; quod vides ſcribe in libro, & mitte Eccleſiis, illis in Aſia, Epheſum & Smyrnam, & Pergamum & Thyatira, & Sardes, & Philadelphiam & Laodiceam.
12. Et converſus videre vocem quæ loquebatur mecum, & converſus vidi ſeptem Candelabra aurea.
13. Et in medio ſeptem Candelabrorum ſimilem Filio hominis, indut-

indutum talari, & præcinctum ad mamillas zona aurea.
14. Et Caput Ipsius, & Capilli candidi, tanquam lana candida, tanquam nix, & Oculi Ipsius tanquam flamma ignis.
15. Et Pedes Ipsius similes chalcolibano, tanquam in camino igniti, & vox Ipsius tanquam vox aquarum multarum.
16. Et habens in dextra sua manu Stellas septem, & ex ore Ipsius romphæa anceps acuta exiens; & Facies Ipsius tanquam Sol lucet in potentia sua.
17. Et cum vidi Ipsum, cecidi ad pedes Ipsius tanquam mortuus, & imposuit dextram suam manum super me, dicens mihi, ne time, Ego sum Primus & Ultimus.
18. Et Qui Vivens; & factus sum mortuus, & ecce Vivens sum in sæcula sæculorum, amen: & habeo claves inferni & mortis.
19. Scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ futura sunt posthac.
20. Mysterium septem Stellarum quas vidisti in dextra mea, & septem Candelabra aurea: septem Stellæ, Angeli septem Ecclesiarum sunt, & septem Candelabra quæ vidisti, septem Ecclesiæ sunt.

SENSUS SPIRITUALIS.

CONTENTUM TOTIUS CAPITIS. Quod Revelatio hæc sit a Solo Domino, & quod illa recipiatur ab illis, qui in Nova Ipsius Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, erunt, & Dominum pro Deo Cæli & Terræ agnoscunt: describitur etiam Dominus quoad Verbum.

„ CONTENTA SINGULORUM VERSUUM. Revelatio Jesu Christi, *significat* „ prædictiones a Domino de Ipso deque Ipsius Ecclesia, qualis hæc erit in „ fine suo, & qualis postea futura est: quam dedit illi Deus indicare servis suis; „ *significat* pro illis qui in fide ex charitate sunt: quæ oportet fieri cito, „ *significat* quod certe futura sint ne pereat Ecclesia: & significavit mittens „ per Angelum suum servo suo Johanni, *significat* quæ a Domino revelata „ sunt per Cælum illis qui in bono vitæ sunt ex charitate & ejus fide: qui „ testatus est Verbum Dei & testimonium Jesu Christi, *significat* qui ex corde & sic in luce recipiunt Divinum Verum ex Verbo, & agnoscunt Humanum Domini esse Divinum: quæcunque vidit, *significat* illustrationem illorum „ in omnibus quæ in hac Revelatione sunt: beatus legens, & audientes verba prophetiæ, & servantes quæ in ea scripta sunt, *significat* communionem illorum „ cum

,, cum Angelis Cæli, qui vivunt secundum doctrinam Novæ Hierosolymæ:
,, quia tempus prope, *significat* quod status Ecclesiæ sit, ut diutius non possit
,, persistere, ut ejus conjunctio sit cum Domino: Johannes septem Eccle-
,, siis, *significat* ad omnes qui in Christiano Orbe sunt, ubi Verbum & per
,, id Dominus notus est, & accedunt ad Ecclesiam: quæ in Asia, *significat*
,, ad illos qui ex Verbo in luce veritatis sunt: gratia vobis & pax, *significat*
,, salutationem Divinam: ab Ipso Qui est & Qui Fuit & Qui venturus, *significat*
,, a Domino Qui est Æternus ac Infinitus, & Jehovah: & a septem spiriti-
,, bus, qui sunt in conspectu Throni, *significat* ab universo Cælo, ubi Domi-
,, nus in Divino suo Vero est: a Jesu Christo, *significat* Divinum Humanum: Ipse
,, Testis fidelis, *significat* quod est Ipsum Divinum Verum: Primogenitus ex
,, mortuis, *significat* & quod est Ipsum Divinum Bonum: & Ipse Princeps
,, terræ, *significat* ex Quo omne verum ex bono in Ecclesia: amante nos &
,, lavante nos a peccatis nostris, *significat* Qui ex Amore & Misericordia
,, reformat & regenerat homines per sua Divina vera ex Verbo: & facit nos
,, reges & sacerdotes, *significat* Qui dat ut illi qui nati sunt ab Ipso, hoc
,, est, regenerati, in sapientia ex Divinis veris, & in amore ex Divinis bo-
,, nis sint: Deo & Patri suo, *significat* ita imagines Divinæ suæ Sapientiæ &
,, Divini sui amoris: Ipsi gloria & robur in sæcula sæculorum, *significat* Cui
,, Soli Divina Majestas & Divina Omnipotentia in æternum: amen, *signifi-*
,, *cat* confirmationem Divinam ex Veritate, ita ex SeIpso: & venit cum
,, nubibus cæli, *significat* quod Dominus se revelaturus sit in sensu literæ Ver-
,, bi, & aperiturus sensum spiritualem ejus in fine Ecclesiæ: & videbit Ip-
,, sum omnis oculus, *significat* quod agnituri omnes qui ex affectione in in-
,, tellectu Divini Veri sunt: & qui Ipsum transfixerunt, *significat* quod etiam
,, visuri qui in Ecclesia in falsis sunt: & plangent omnes Tribus terræ, *signi-*
,, *ficat* quod hoc erit quando nulla bona & vera in Ecclesia amplius sunt:
,, etiam amen, *sign*: confirmationem Divinam quod ita futurum sit: & Ego
,, sum Alpha & Omega, Principium & Finis, *sign*: Qui est Ipsum & Uni-
,, cum a Primis ad Ultima, ex Quo omnia; ita Qui est Ipse & Unicus A-
,, mor, Ipsa & Unica Sapientia, & Ipsa & Unica Vita in Se, & sic Ipse &
,, Unicus Creator, Salvator & Illustrator a Se, & inde omne in omnibus Cæ-
,, li & Ecclesiæ: dicit Dominus, Qui Est & Qui Fuit & Qui Venturus, *sign*:
,, Qui est Æternus & Infinitus, ac Jehovah: & Omnipotens, *sign*: Qui est,
,, vivit & potest ex SeIpso, & Qui regit omnia ex primis per ultima: Ego
,, Johannes qui est frater vester & consocius, *sign*: illos qui in bono charitatis
,, & inde veris fidei sunt: in afflictione, & in regno, & patiente exspe-
,, ctatione Jesu Christi, *sign*: quæ in Ecclesia sunt infestata a malis & falsis,
,, at quæ a Domino, cum venturus est, removenda sunt: eram in insula vo-
,, cata Patmos, *sign*: statum & locum in quo illustrari potuit: propter Ver-
,, bum Dei & testimonium Jesu Christi, *sign*: ut ex corde & sic in luce reci-
,, piatur Divinum Verum ex Verbo, & agnoscatur Humanum Domini esse
,, Divinum: factus sum in spiritu Dominica die, *sign*: statum spiritualem tunc
,, ex Divino influxu: & audivi post me vocem magnam tanquam tubæ, *sign*:

„ perceptionem manifestam Divini Veri e Cælo revelati: dicentem, Ego
„ sum Alpha & Omega, Primus & Ultimus, *sign:* Qui est Ipsum & Unicum
„ a primis ad ultima ex quo omnia, *& plura ut supra:* & mitte Ecclesiis illis
„ in Asia, *sign:* pro illis in Christiano Orbe qui in luce veritatis ex Verbo
„ sunt: Ephesum & Smyrnam, & Pergamum & Thyatira, & Sardes & Phi-
„ ladelphiam & Laodiceam, *sign:* in specie secundum statum receptionis cu-
„ jusvis: & conversus videre vocem quæ mecum loquetur, *sign:* inversionem
„ status eorum, qui in bono vitæ sunt, quoad perceptionem veri in Verbo,
„ dum se convertunt ad Dominum: & conversus vidi septem Candelabra au-
„ rea, *sign:* Novam Ecclesiam, quæ in illustratione a Domino ex Verbo
„ erit: & in medio septem Candelabrorum similem Filio hominis, *sign:* Do-
„ minum quoad Verbum, a Quo illa: indutum talari, *sign:* Divinum proce-
„ dens quod est Divinum Verum: & præcinctum ad mammillas Zona aurea,
„ significat Divinum procedens & simul conjungens, quod est Divinum Bo-
„ num: & Caput Ipsius, & Capilli candidi tanquam lana tanquam nix, *sign:*
„ Divinum amorem Divinæ Sapientiæ in primis & in ultimis: & Oculi Ipsius
„ tanquam flamma ignis, *sign:* Divinam Sapientiam Divini Amoris: & Pedes
„ Ipsius similes chalcolibano tanquam in camino igniti, *sign:* Divinum Bo-
„ num naturale: & Vox Ipsius tanquam vox aquarum multarum, *sign:* Divi-
„ num Verum naturale: & habens in dextra sua manu stellas septem, *sign:*
„ omnes cognitiones boni & veri in Verbo ex Ipso: & ex ore Ipsius rom-
„ phæa anceps acuta exiens, *sign:* dispersionem falsorum per Verbum & per
„ doctrinam inde a Domino: & Facies Ipsius tanquam sol lucens in potentia,
„ *sign:* Divinum Amorem & Divinam Sapientiam, quæ sunt Ipse, & proce-
„ dunt ab Ipso: & cum vidi Ipsum, cecidi ad pedes Ipsius tanquam mor-
„ tuus, *sign:* ex tali præsentia Domini defectum vitæ propriæ: & imposuit
„ dextram suam manum super me, *sign:* vitam ab Ipso tunc inspiratam: di-
„ cens mihi, ne time, *sign:* resuscitationem, & tunc ex summa humiliatione
„ adorationem: Ego sum Primus & Ultimus, *sign:* quod sit Æternus ac Infi-
„ nitus, ita Solus Deus: & Qui sum Vivens, *sign:* Qui Solus est Vita, &
„ a Quo Solo Vita: & factus mortuus, *sign:* quod in Ecclesia neglectus, &
„ Divinum Humanum Ipsius non agnitum: & ecce Vivens sum in sæcula sæ-
„ culorum, *sign:* quod sit Vita æterna: amen, *sign:* confirmationem Divi-
„ nam quod sit veritas: & habeo claves inferni & mortis, *sign:* quod Solus
„ salvare possit: scribe quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ futura posthac,
„ *sign:* ut omnia quæ nunc revelantur sint posteritati: mysterium septem stel-
„ larum quas vidisti in dextra mea, & septem candelabra aurea, *sign:* arca-
„ na in visionibus de novo Cælo, & de nova Ecclesia: septem stellæ Angeli
„ septem Ecclesiarum sunt, *sign:* novam Ecclesiam in Cælis, quæ est novum
„ Cælum: & septem candelabra quæ vidisti, septem Ecclesiæ sunt, *sign:*
„ novam Ecclesiam in terris, quæ est nova Hierosolyma descendens a Do-
„ mino e novo Cælo.

EX-

EXPLICATIO.

1. Quid Sensus Spiritualis, hactenus ignotum fuit; quod ille sit in singulis Verbi, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA n: 5 ad 26, ostensum est, & quod Verbum absque illo in multis locis non possit intelligi: ille Sensus non apparet in sensu literæ, inest enim ei sicut anima corpori. Notum est, quod sit Spirituale & Naturale, & quod Spirituale influat in Naturale, & se sistat videndum & sentiendum in formis, quæ cadunt in visum & tactum, & quod Spirituale absque illis non percipiatur aliter, quam sicut affectio & cogitatio, aut sicut Amor & Sapientia, quæ sunt mentis; quod affectio & cogitatio, seu Amor cujus est affici, & Sapientia cujus est cogitare, sint spirituales, agnoscitur; quod illæ binæ animæ facultates se sistant in formis in corpore, quæ vocantur organa sensoria & motoria, notum est; tum etiam quod unum faciant, ac ita unum, ut dum mens cogitat, id os in instanti eloquatur, & dum mens vult, id corpus in instanti agat; inde patet, quod sit perfecta unio spiritualium & naturalium apud hominem. Simile est in omnibus & singulis mundi; est ibi spirituale, quod est intimum causæ, & est naturale, quod est ejus effectus, & illa duo unum faciunt, & in Naturali non apparet Spirituale, quia hoc illi inest sicut anima corpori, ac sicut intimum causæ effectui, ut dictum est. Simile est cum Verbo; quod hoc sit spirituale in suo sinu, quia est Divinum, a nemine negari potest; sed quia spirituale non apparet in sensu literæ, qui est naturalis, ideo Sensus Spiritualis hactenus ignotus fuit; nec potuit notus fieri prius, quam dum genuina vera a Domino revelata sunt, nam in his est ille sensus. Inde est, quod Apocalypsis hactenus non intellecta fuerit. Verum ne dubium sit, quin talia insint, explicanda sunt singula, & demonstranda per similia alibi in Verbo. Explicatio & demonstratio nunc sequitur.

2. *Revelatio Jesu Christi, significat prædictiones a Domino de Ipso deque Ipsius Ecclesia, qualis hæc erit in fine suo, & qualis postea futura est, tam in Cælis quam in Terris.* Per Revelationem Jesu Christi, significantur omnes prædictiones, quæ quia sunt a Domino, dicitur Revelatio Jesu Christi; quod sint de Domino deque Ipsius Ecclesia, ab Explicationibus patebit. In Apocalypsi non agitur de successivis statibus Ecclesiæ, minus de successivis statibus Regnorum, ut quidam hactenus crediderunt, sed ibi a principio ad finem agitur de ultimo statu Ecclesiæ in Cælis & in Terris, & tunc de ultimo Judicio, & post hoc de Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma: quod Nova hæc Ecclesia sit finis hujus operis, patet, quare illa quæ præcedunt, agunt de Ecclesiæ statu, qualis est proxime ante illam: sed in quanam serie de illis agitur, videri potest a Contentis singulorum Capitum, & distinctius ab Explicatione singulorum Versuum.

3. *Quam dedit illi Deus indicare servis suis, significat pro illis qui in fide ex charitate sunt, seu in veris sapientiæ ex bono amoris.* Per indicare significatur manifestare, & per servos significantur hic qui in fide ex charitate sunt, illis hæc manifestantur, quia intelligunt & recipiunt: per Servos in spirituali sensu intelliguntur qui in veris

sunt,

ſunt, & quia vera ſunt ex bono, per ſervos intelliguntur qui in veris ex bono ſunt, ita quoque qui in ſapientia ex amore, quia ſapientia eſt veri & amor eſt boni; tum qui in fide ex charitate, quia fides etiam eſt veri & charitas eſt boni; & quia genuinus ſenſus ſpiritualis eſt abſtractus a perſona, ideo in illo per ſervos ſignificantur vera: nunc quia vera inſerviunt bono, docendo illud, ideo in genere & proprie per ſervum in Verbo intelligitur inſerviens, ſeu qui aut quod inſervit; in hoc ſenſu non modo Prophetæ vocabantur ſervi Dei, ſed etiam Dominus quoad Humanum ſuum: quod Prophetæ vocati ſint ſervi Dei, conſtat ex his locis „ *Miſit Jehovah ad vos omnes Servos ſuos Prophetas*, Jerem. XXV: 4. *Revelavit arcanum ſuum Servis ſuis Prophetis*, Amos III: 7. *Dedit coram vobis per manum Servorum ſuorum Prophetarum*, Dan. IX: 10: & Moſes vocatur *Servus Jehovæ*, Malach. III: 22; cauſa eſt, quia per Prophetam in ſenſu ſpirituali intelligitur Verum doctrinæ, de quo infra. Et quia Dominus erat ipſum Divinum Verum, quod etiam eſt Verbum, & ex eo dictus eſt Ipſe Propheta, & in mundo inſerviebat, ac in æternum inſervit omnibus docendo, ideo etiam Ipſe paſſim vocatur Servus Jehovæ, ut in ſequentibus locis „ *Ex labore animæ ſuæ videbit, ſaturabitur, per ſcientiam ſuam juſtificabit juſtus Servus meus multos* „ Eſaj. LIII: 11. *Ecce prudenter aget Servus meus; extolletur & exaltabitur & evehetur valde* „ Eſaj. LII: 13. *Ecce Servus meus, in quem incumbo, Electus meus, beneplacitum habet anima mea, dedi Spiritum ſuper Ipſum*, Eſaj. XLII: 1. 19, hæc de Domino; ſimiliter David, ubi per illum intelligitur Dominus, ut in his „ *Ego Jehovah ero illis in Deum, & Servus meus David Princeps in medio illorum* „ Ezech. XXXIV: 24. *Servus meus David erit Rex ſuper illos, ut Paſtor unus ſit omnibus illis* „ Ezech. XXXVII: 24. *Protegam urbem hanc ad ſervandum eam, propter Me & Davidem Servum meum* „ Eſaj. XXXVII: 35; pariter Pſalm LXXVIII: 70. 71. 72. Pſalm: LXXXIX: 4. 5. 21; quod per Davidem in his locis intelligatur Dominus, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n: 43. 44. Ipſe Dominus de Se ſimiliter dicit „ *Quiſquis voluerit inter vos magnus fieri, eſſe debebit veſter Miniſter, & quiſquis voluerit eſſe primus, debebit eſſe veſter Servus, ſicut Filius hominis non venit ut Ipſi miniſtretur, ſed ut miniſtret* „ Matth: XX: 25 ad 28. Marc. X: 42 ad 44. Luc. XXII: 27: pariter Luc. XII: 37; hoc dicit Dominus, quia per ſervum & miniſtrum intelligitur qui inſervit & miniſtrat docendo, & abſtracte a perſona Divinum Verum, quod fuit Ipſe. Cum itaque per ſervum intelligitur qui docet Divinum Verum, patet quod per ſervos in hoc loco Apocalypſeos intelligantur qui in veris ex bono ſunt, ſeu in fide ex charitate, quia hi poſſunt docere ex Domino, hoc eſt, poteſt Dominus docere & miniſtrare per illos: in hoc ſenſu dicuntur ſervi apud Matthæum „ *In conſummatione ſæculi, qui eſt fidelis Servus & prudens, quem conſtituet Dominus ejus ſuper famulitium ſuum, ut det illis cibum in tempore ſuo: beatus Servus hic quem invenerit Dominus facientem ita*, XXIV: 45: & apud Lucam „ *Beati Servi hi, quos veniens Dominus invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod cincturus ſit Se, & accumbere facturus eos, Ipſeque accedens miniſtraturus illis* „ XII: 37. In Cælo vocantur omnes ſervi Domini, qui in Regno ſpiri-

ſpirituali Ipſius ſunt, at Miniſtri qui in Regno Cæleſti Ipſius ſunt; Cauſa eſt, quia illi qui in Regno Ipſius ſpirituali ſunt, in Sapientia ex Divino Vero ſunt, & qui in Regno Cæleſti in Amore ex Divino Bono; ac Bonum miniſtrat, & Verum inſervit. In oppoſito autem ſenſu per ſervos intelliguntur qui ſerviunt Diabolo, hi in ipſo ſtatu ſervitutis ſunt; illi autem qui ſerviunt Domino, in ſtatu libertatis ſunt; ut quoque docet Dominus Joh. VIII: 32 ad 36.

4. *Quæ oportet fieri cito, ſignificat quod certe futura ſint, ne pereat Eccleſia.* Per oportet fieri cito, non intelligitur quod illa quæ in Apocalypſi prædicta ſunt, ſtatim & cito futura ſint, ſed quod certe, & niſi fiant pereat Eccleſia: in idea Divina, & inde in ſenſu Spirituali non eſt tempus, ſed pro tempore eſt ſtatus; & quia cito eſt temporis, per id ſignificatur certum, & quod ante ſuum tempus futurum ſit; Apocalypſis enim data eſt Primo ſæculo, & nunc præterierunt ſeptendecim ſæcula, ex quo patet, quod per cito ſignificetur id quod correſpondet, quod eſt certum. Conſimilia etiam involvunt hæc verba Domini „ *Niſi abbreviarentur dies illi, non conſervaretur ulla caro, ſed propter electos abbreviabuntur dies illi*, Matth. XXIV: 22, per quæ etiam intelligitur, quod Eccleſia niſi finiretur ante ſuum tempus, prorſus periret; agitur in eo Capite de Conſummatione ſæculi & de Adventu Domini, & per Conſummationem ſæculi intelligitur ultimus ſtatus Eccleſiæ veteris, & per Adventum Domini primus ſtatus Eccleſiæ novæ. Dictum eſt, quod in idea Divina non ſit tempus, ſed præſentia omnium quæ fuerunt & futura ſunt, quare dicitur apud Davidem „ *Mille anni in oculis tuis ſicut dies heſternus*„ Pſalm. XC: 4. & apud Eundem „ *Annuntiabo de ſtatuto, Jehovah dixit ad me, Filius meus Tu, hodie genui Te*, Pſalm. II: 7; hodie eſt præſentia adventus Domini. Inde etiam eſt, quod integra Periodus in Verbo dicatur Dies, ac primus ejus ſtatus Diluculum & Mane, ac ultimus Veſpera & Nox.

5. *Et ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni, ſignificat quæ a Domino revelata ſunt per Cælum illis qui in bono vitæ ſunt ex charitate & ejus fide.* Per ſignificavit mittens per Angelum ſuum, in ſenſu Spirituali intelligitur quæ revelata ſunt e Cælo, ſeu per Cælum a Domino: per Angelum enim in Verbo paſſim intelligitur Cælum angelicum, & in ſupremo ſenſu Ipſe Dominus; cauſa eſt, quia nuſquam aliquis Angelus ſeparatus a Cælo loquitur cum homine, eſt enim cujusvis talis conjunctio cum omnibus ibi, ut quiſque loquatur ex communione, tametſi angelus id non conſcit: Cælum enim in conſpectu Domini eſt ſicut Unus Homo, cujus Anima eſt Ipſe Dominus; quare Dominus loquitur per Cælum cum homine, ſicut homo ex anima ſua per corpus cum alio, & hoc fit in conjunctione cum omnibus & ſingulis ejus mentis, in quorum medio ſunt illa quæ loquitur; ſed hoc arcanum non poteſt paucis evolvi, eſt quoad partem evolutum in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA: inde patet, quod per Angelum ſignificetur Cælum, & in ſupremo ſenſu Dominus: quod Dominus per Angelum in ſupremo ſenſu intelligatur, eſt quia Cælum non eſt Cælum ex propriis Angelorum, ſed ex Divino Domini, ex quo eſt illis amor & ſapientia, imo vita; inde eſt, quod Ipſe Dominus in Verbo dicatur Angelus. Ex his patet, quod non Angelus ex ſe loquutus ſit cum Johanne, ſed quod Dominus medio Cælo per illum. Quod per

per illa verba intelligatur, quod revelata ſint illis qui in bono vitæ ſunt ex charitate & ejus fide, eſt quia hi per Johannem intelliguntur; per duodecim enim Diſcipulos Domini ſeu Apoſtolos, intellecti ſunt omnes qui ab Eccleſia in veris ex bono ſunt, & in ſenſu abſtracto omnia Eccleſiæ, & per Petrum omnes qui in fide ſunt, & abſtracte ipſa fides, per Jacobum illi qui in charitate ſunt, & abſtracte ipſa charitas, & per Johannem illi qui in bono vitæ ſunt ex charitate & ejus fide, & abſtracte ipſum bonum vitæ inde; quod hæc per Johannem, Jacobum & Petrum in Verbo Evangeliſtarum intellecta ſint, videatur in Opuſculo de NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA CÆLESTI, Londini Anno 1758 edito, n: 122. Nunc quia bonum vitæ ex charitate & ejus fide facit Eccleſiam, ideo per Johannem Apoſtolum revelata ſunt arcana de ſtatu Eccleſiæ, quæ in viſionibus ejus continentur. Quod per omnia Nomina perſonarum & locorum in Verbo ſignificentur res Cæli & Eccleſiæ, multis oſtenſum eſt in ARCANIS CÆLESTIBUS etiam Londini editis. Ex his conſtare poteſt, quod per ſignificavit mittens per Angelum ſuum ſervo ſuo Johanni, in ſenſu Spirituali intelligatur, quæ a Domino per Cælum revelata ſunt illis qui in bono vitæ ſunt ex charitate & ejus fide: charitas enim per fidem operatur bonum, & non charitas per ſe nec fides per ſe.

6. *Qui teſtatus eſt verbum Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti, ſignificat qui ex corde, & ſic in luce, recipiunt Divinum verum ex Verbo, & agnoſcunt Humanum Domini Divinum eſſe.* Dicitur de Johanne, quod ille teſtatus ſit Verbum Dei; ſed quia per Johannem intelliguntur omnes qui in bono vitæ ex charitate & ejus fide ſunt, ut mox ſupra n. 5 dictum eſt, ideo in ſenſu ſpirituali omnes illi intelliguntur; Angeli, qui in ſenſu Spirituali Verbi ſunt, nuſquam ſciunt aliquod nomen perſonæ in Verbo nominatum, ſed ſolum id quod perſona repræſentat & inde ſignificat, quod pro Johanne eſt bonum vitæ, ſeu bonum actu; conſequenter omnes in complexu qui in illo bono ſunt; hi teſtantur, hoc eſt, vident, agnoſcunt, recipiunt ex corde in luce, & confitentur vera Verbi, imprimis illud verum ibi quod Humanum Domini ſit Divinum, ut conſtare poteſt ex locis e Verbo in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, in copia allatis. Per Jeſum Chriſtum & per Agnum in Apocalypſi intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, & per Deum Dominus quoad Ipſum Divinum a Quo. Quod ſignificationem ſpiritualem TESTARI attinet, prædicatur id de Veritate, ex cauſa quia in mundo veritas teſtanda eſt, & cum teſtata eſt, agnoſcitur; at in Cælo ipſa veritas de ſe teſtatur, quia eſt ipſa Lux cæli; dum enim Angeli audiunt Veritatem, illico cognoſcunt illam & agnoſcunt; & quia Dominus eſt ipſa Veritas, ut Ipſe docet apud Johannem Cap. XIV: 6, eſt Ipſe in Cælo Teſtimonium ſui; inde patet quid per Teſtimonium Jeſu Chriſti intelligitur; quare dicit Dominus „ *Vos miſiſtis ad Johannem, & teſtis ſuit veritati, Ego tamen non ab homine teſtimonium accipio*, Joh. V: 33. & alibi „ *Johannes venit in Teſtimonium ut teſtaretur de Luce, non erat ille Lux: Verbum, quod erat apud Deum & erat Deus, & Caro factum eſt, erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem* „ Joh. I. 1. 2. 7. 8. 14. 34. alibi, *Jeſus dixit, Ego teſtor de MeIpſo, & verum eſt Teſtimonium meum, quia ſcio*

unde

unde veni & quo vado, Joh. VIII: 14. *Cum venerit Paracletus Spiritûs veritatis, ille teſtabitur de Me* ,, Joh. XV: 26; per Paracletum Spiritum veritatis, intelligitur ipſa Veritas procedens a Domino, quare de illo dicitur, quod non loquuturus ſit a ſe ſed ex Domino, Joh. XVI: 13. 14. 15.

7. *Quæcunque vidit, ſignificat illuſtrationem illorum in omnibus quæ in hac Revelatione ſunt.* Per quæcunque vidit, in ſenſu ſpirituali non intelligitur quæ Johannes vidit, illa erant ſolum Viſiones, ſed quæ vident illi qui per Johannem intelliguntur, qui ſunt qui in bono vitæ ex charitate & ejus fide ſunt, ut ſupra dictum eſt; hi vident in Viſionibus Johannis arcana de Eccleſiæ ſtatu, non ita cum ipſi illa legunt, ſed cum vident illa revelata. Præterea videre ſignificat intelligere, quare etiam in communi loquela dicitur, quod videat illam rem, & quod videat quod veritas ſit; eſt enim viſus homini quoad ejus Spiritum, æque ac eſt ei viſus quoad ejus corpus, ſed homo Spiritu ſuo videt ſpiritualia quia ex luce Cæli, at corpore naturalia quia ex luce mundi, & ſpiritualia ſunt res, at naturalia ſunt formæ illarum; viſus Spiritus hominis eſt qui vocatur Intellectus. Ex his patet, quid per quæcunque vidit, in ſpirituali ſenſu intelligitur, ſimiliter in ſequentibus, ubi dicitur quod viderit.

8. *Beatus legens, & audientes verba prophetiæ, & ſervantes quæ in ea ſcripta ſunt, ſignificat communionem illorum cum Angelis Cæli, qui vivunt ſecundum doctrinam Novæ Hieroſolymæ.* Per beatum hic intelligitur qui quoad ſpiritum in Cælo eſt; ita dum in mundo vivit, in communione cum Angelis cæli eſt, is enim quoad Spiritum in Cælo eſt; per verba prophetiæ non aliud intelligitur quam doctrina Novæ Hieroſolymæ, nam per Prophetam in ſenſu abſtracto ſignificatur Doctrina Eccleſiæ ex Verbo, ita hic Doctrina novæ Eccleſiæ, quæ eſt Nova Hieroſolyma; ſimile per Prophetiam: per legere, audire & ſervare illa quæ in ea ſcripta ſunt, ſignificatur velle ſcire illam, attendere ad illa quæ ibi, & facere illa quæ ibi, in ſumma vivere ſecundum illam; quod non beati ſint, qui ſolum legunt, audiunt & ſervant ſeu memoria cuſtodiunt illa quæ viſa ſunt Johanni, patet, videatur infra n. 944. Quod per Prophetam ſignificetur Doctrina Eccleſiæ ex Verbo, & ſimile per Prophetiam, eſt quia Verbum ſcriptum eſt per Prophetas, & in Cælo ſpectatur perſona ex eo quod ejus muneris & functionis eſt; ex eo etiam omnis homo, ſpiritus & angelus ibi nominatur, quare cum dicitur Propheta, quia ejus functio fuit ſcribere & docere Verbum, intelligitur Verbum quoad Doctrinam, ſeu Doctrina ex Verbo. Inde eſt quod Dominus, quia eſt Ipſum Verbum, dictus fuerit Propheta, Deut. XVIII: 15 ad 20. Matth. XIII: 57. Cap. XXI: 11. Luc. XIII: 33. Ut ſciatur, quod per Prophetam intelligatur Doctrina Eccleſiæ ex Verbo, adducentur aliqua loca, ex quibus id colligi poteſt; apud Mattheum ,, *In Conſummatione Sæculi multi Pſeudoprophetæ exſurgent, & ſeducent multos: ſurgent falſi Chriſti & falſi Prophetæ, & in errorem inducent, ſi poſſibile, electos*, XXIV: 11. 24; conſummatio ſæculi eſt ultimum tempus Eccleſiæ, quod nunc eſt, quando non falſi Prophetæ, ſed falſa doctrinæ ſunt. Apud Eundem ,, *Quisquis Prophetam ſuſceperit in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & quis-*

D quis

quis juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet, X: 41; ſuſcipere prophetam in nomine prophetæ, eſt recipere doctrinæ verum quia eſt verum, & ſuſcipere juſtum in nomine juſti, eſt recipere bonum propter bonum, & accipere mercedem eſt ſalvari ſecundum receptionem; quod non aliquis mercedem recipiat ſeu ſalvetur, quia prophetam & juſtum in nomine eorum ſuſcipit, patet: illa verba abſque cognitione quid propheta & quid juſtus, a nemine poſſunt intelligi, nec quæ ſequuntur, *Quod quisquis potaverit unum parvorum horum potu frigidæ tantum in nomine diſcipuli, non perdet mercedem*, per Diſcipulum intelligitur charitas & ſimul fides a Domino. Apud Joelem, „ *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, ita ut Prophetent filii veſtri & filiæ veſtræ*, III. 1; hæc de Eccleſia inſtauranda a Domino, in qua non prophetarunt, ſed receperunt doctrinam, quod eſt prophetare. Apud Matthæum, *Jeſus dixit, multi dicent Mihi in die illo, Domine, Domine, nonne per Nomen tuum prophetavimus; ſed tunc confitebor illis non novi vos, diſcedite a Me operarii iniquitatis*, VII: 22. 23; quis non videt, quod non dicturi ſint quod prophetaverint, ſed quod ſciverint Doctrinam Eccleſiæ & docuerint. In Apocalypſi, *Venit tempus mortuos judicandi, & dandi mercedem Prophetis*, XI: 18. & alibi „ *Exulta Cælum, ſancti Apoſtoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium veſtrum*, XVIII: 20; quod merces non danda ſolum prophetis ſit, & quod exultaturi ſolum Apoſtoli & Prophetæ ſint, cum ultimum judicium futurum eſt, patet, ſed quod omnes qui receperunt vera doctrinæ, & vixerunt ſecundum illa; hi itaque intelliguntur per Apoſtolos & Prophetas. Apud Moſen, *Jehovah dixit ad Moſen, conſtitui te Deum Pharaoni, & Aharon frater tuus erit Propheta tibi*", Exod: VII. 1; per Deum intelligitur Divinum Verum quoad receptionem, a Domino, in quo ſenſu etiam Angeli vocantur Dii, & per prophetam intelligitur docens & loquens illud, inde eſt quod Aharon ibi dicatur Propheta. Simile per prophetam ſignificatur alibi, ut in his „ *Non peribit Lex a Sacerdote, nec Verbum a Propheta*, Jerem: XVIII. 18. *A Prophetis Hieroſolymæ exivit hypocriſis in univerſam terram*, Jerem: XXIII: 15. 16. *Prophetæ erunt in ventum, nec verbum in illis*, Jerem: V: 13. *Sacerdos & Propheta errant per ſiceram, abſorbentur a vino, titubant judicio* „ Eſaj: XXVIII: 7. *Occidit ſol ſuper Prophetis, & nigreſcit ſuper iis dies* „ Mich: III: 6. *Propheta uſque ad Sacerdotem, quiſque facit mendacium*, Eſaj: VIII: 10; in his locis per Prophetas & Sacerdotes in ſenſu ſpirituali non intelliguntur prophetæ & ſacerdotes, ſed univerſa Eccleſia, per Prophetas illa quoad verum doctrinæ, & per ſacerdotes illa quoad bonum vitæ, quorum utrumque deperditum fuit; ita intelliguntur illa ab Angelis in cælo, dum ſecundum ſenſum literæ ab hominibus in mundo. Quod Prophetæ repræſentaverint ſtatum Eccleſiæ quoad doctrinam, & quod Dominus illam quoad ipſum Verbum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 15 ad 17.

9. *Quia tempus prope, ſignificat quod ſtatus Eccleſiæ talis ſit, ut diutius non poſſit perſiſtere, ut ejus conjunctio ſit cum Domino.* Sunt duo Eſſentialia, per quæ fit conjunctio cum Domino & inde ſalvatio, AGNITIO UNIUS DEI, & PÆNITENTIA VITÆ; ſed hodie pro agnitione unius Dei eſt agnitio Trium, & pro

pro Pænitentia vitæ eſt pænitentia ſolius oris quod peccator ſit, & per hæc duo non eſt aliqua conjunctio; quare niſi nova Eccleſia, quæ agnoſcit duo illa Eſſentialia, & vivit illa, exſurgat, non poteſt aliquis ſalvari; propter hoc periculum abbreviatum eſt tempus a Domino, ſecundum Ipſius verba apud Matthæum, *Erit tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque nunc, nec erit; imo niſi abbreviarentur dies illi, non conſervaretur ulla caro* ,, XXIV: 21. 22. Quod non intelligatur prope ſeu propinquum temporis, videatur infra n. 947.

10. *Johannes ſeptem Eccleſiis, ſignificat ad omnes qui in Chriſtiano Orbe ſunt, ubi Verbum, & per id Dominus notus eſt, & accedunt ad Eccleſiam.* Per ſeptem Eccleſias non intelliguntur ſeptem Eccleſiæ, ſed omnes qui ab Eccleſia in Chriſtiano Orbe ſunt; nam numeri in Verbo ſignificant res, ac ſeptem omnia & omnes, & inde etiam plenum & perfectum, & dicuntur in Verbo, ubi agitur de re ſancta, & in oppoſito ſenſu de re prophana, quare ille numerus involvit Sanctum, & in oppoſito ſenſu prophanum. Quod numeri ſignificent res, vel potius quod ſint ſicut quædam adjectiva ad ſubſtantiva afferentes aliquod quale rebus, eſt quia numerus in ſe eſt naturalis, naturalia enim determinantur per numeros, ſpiritualia autem per res & earum ſtatus; quare qui non ſcit ſignificationem numerorum in Verbo, & imprimis in Apocalypſi, non ſcire poteſt multa arcana, quæ inibi continentur. Nunc quia per Septem ſignificantur omnia & omnes, patet quod per ſeptem Eccleſias intelligantur omnes qui in Chriſtiano Orbe ſunt, ubi Verbum eſt, & per id Dominus notus eſt; hi-ſi vivunt ſecundum præcepta Domini in Verbo, faciunt ipſam Eccleſiam. Inde eſt quod Sabbathum *Die Septimo* inſtitutum ſit, & quod *Septimus Annus* dictus fuerit Annus Sabbatharius; & quod *ſepties Septimus* Annus Jubilæum, per quæ ſignificabatur omne Sanctum in Eccleſia: inde etiam eſt, quod *Septimana* apud Danielem & alibi, ſignificet integram periodum a principio ad finem, & prædicetur de Eccleſia. Similia per Septem ſignificantur in ſequentibus, ut, *Per Septem Candelabra aurea, in quorum medio Filius hominis*, Apoc. I: 13. per *Septem Stellas in dextra Ipſius*, Apoc. I: 16. 20. per *Septem Spiritus Dei*, Apoc. I: 4. Cap. IV. 5. *per Septem Lampades ignis*, Apoc. IV: 5. per *Septem Angelos, quibus datæ ſunt Septem tubæ*, Apoc. VIII: 2. per *Septem Angelos habentes Septem plagas ultimas*, Apoc. XV: 5. 6. *per Septem phialas plenas Septem plagis ultimis*, Apoc. XVI. 1. Cap. XXI: 9. *per Septem Sigilla quibus Liber obſignatus eſt*, Apoc. V: 1. Similiter in Sequentibus his ,, *Quod Septem diebus implerentur manus*, Exod. XXIX: 35. *quod Septem diebus ſanctificarentur*, Exod. XXIX: 37. *quod cum inaugurabantur Septem diebus incederent induti veſtibus ſanctitatis*, Exod. XXIX: 30. *quod Septem diebus non recederent a Tentorio, cum initiabantur in ſacerdotium*, Levit. VIII: 33. 34. *quod Altare Septies expiaretur ſuper cornua*, Levit. XVI: 18. 19. *quod Altare per oleum Septem vicibus ſanctificaretur*, Levit. VIII: 11. *quod ſanguis Septem vicibus ſpargeretur verſus velum*, Levit. IV: 16. 17. *& quoque Septem vicibus verſus orientem*, Levit. XVI: 12. 13. 14. 15. *quod aqua ſeparationis Septem vicibus ſpargeretur verſus tentorium*, Num. XIX: 4. *quod Paſcha Septem diebus celebraretur; & Septem diebus comederetur azyma*, Exod. XII: 1. Seq. Deutr. XVI:

XVI: 4. ad 7. Pariter ,, *Quod Judæi punirentur Septuplum propter peccata eorum*, Levit. XXVI: 18. 21. 24. 28. quare David dicit, *Retribue vicinis Septuplum in in sinum eorum*, Psalm LXXIX: 12; septuplum est plene. Tum in his locis ,, *Sermones Jehovæ sermones puri, argentum in camino purificatum Septies*, Psalm: XII: 7. *Famelici cessarunt, usque dum sterilis peperit Septem, multiprolis autem defecit*, I Sam. II: 5; sterilis est Ecclesia ex gentibus, quibus non fuit Verbum, multiprolis est Ecclesia ex Judæis, quibus fuit Verbum. *Elanguescet quæ pepererat Septem, exspirabit animam suam* ,, Jerem. XV: 8. 9. similiter. *Habitatores urbium Israëlis incendent & comburent arma, & accendent illis ignem Septem annis: sepelient Gogum, & inundabunt terram Septem mensibus*, Ezech. XXXIX: 9. 12. *Immundus spiritus accipiet Septem spiritus alios pejores seipso*, Matth. XII: 45; describitur ibi prophanatio, & per septem Spiritus cum quibus rediturus est, significantur omnia falsa mali, ita plenaria exstinctio boni & veri. *Per Septem capita draconis, & per Septem diademata super capitibus*, Apoc. XII: 3. significatur prophanatio omnis boni & veri. Ex his patet, quod Septem involvant sanctum aut prophanum, ac significent omnia & plenum.

11. *Quæ in Asia, significat ad illos qui ex Verbo in luce veritatis sunt.* Quoniam per omnia Nomina personarum & locorum in Verbo intelliguntur res Cæli & Ecclesiæ, ut prius dictum est, ita quoque per Asiam, similiter per Nomina septem Ecclesiarum ibi, ut ex sequentibus patebit. Quod per Asiam illi qui in luce veritatis ex Verbo sunt, intelligantur, est quia Antiquissima Ecclesia, & post illam Antiqua, & postea Israëlitica, in Asia fuit, tum quia apud illos Verbum vetustum, & postea Israëliticum; & ex Verbo est omnis Lux veritatis. Quod Ecclesiæ Antiquæ in Asiatico Orbe fuerint, & quod illis fuerit Verbum, quod postea deperditum est, & demum Verbum quod hodie, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 101. 102. 103. Inde nunc est, quod per Asiam hic significentur omnes qui ex Verbo in luce veritatis sunt.

,, De hoc Verbo Vetusto, quod ante Verbum Israëliticum in Asia fuerat, ,, referre meretur hoc novum; quod hoc ibi adhuc reservatum sit apud populos qui in Magna Tartaria habitant; loquutus sum cum Spiritibus & Angelis, qui in Mundo Spirituali inde erant, qui dixerunt quod possideant Verbum, & quod id ab antiquis temporibus possederint, & quod secundum hoc Verbum Divinum suum cultum obeant, & quod id ex meris correspondentiis consistat; dixerunt quod in illo etiam Liber JASCHAR sit, qui memoratur apud Josuam, Cap. X. 12. 13. & in Libro II Samuelis Cap. I: 17. 18. tum etiam quod apud illos sint Libri, BELLA JEHOVÆ & PROPHETICA, qui memorantur a Mose, Num. XXI. Vers: 14. 15. & Vers: 27 ad 30. & cum legi coram illis verba quæ Moses inde desumserat, inquisiverunt num illa ibi exstent, & invenerunt: ex his patuit mihi, quod Verbum Vetustum adhuc apud illos sit: inter loquendum cum illis dixerunt, quod Jehovam colant, quidam ut Deum invisibilem quidam ut visibilem. Porro retulerunt, quod non patiantur ut Extranei ad illos intrent, præter Chinenses, cum quibus pacem colunt, quia Imperator Chinensis est inde; tum etiam, quod tam populo-

,, si

„ si sint, ut non credant aliquam Regionem in universo mundo populosiorem „ esse; quod etiam credibile est ex Muro tot milliarium, quem Chinenses „ pro tutela sua contra invasionem ab illis olim exstruxerant. Quærite de eo „ in China, & forte invenietis illud ibi apud Tartaros.

12. *Gratia vobis & pax*, *significat salutationem Divinam.* Quid in specie per gratiam & per pacem intelligitur, in sequentibus dicetur: quod *Pax vobis* fuerit salutatio Domini ad discipulos, ita salutatio Divina, videatur Luc. XXIV. 36. 37. Joh. XX: 19. 20. 21. & ex mandato Domini salutatio discipulorum ad omnes ad quos ingrederentur, Matth. X: 11 ad 15.

13. *Ab Ipso qui Est & Qui Fuit & Qui Venturus, significat a Domino Qui est Æternus ac Infinitus, & Jehovah.* Quod sit Dominus, patet manifeste a sequentibus in hoc Capite, ubi dicitur quod audiverit vocem ex FILIO HOMINIS dicentem, „ *Ego sum Alpha & Omega*, *Primus & Ultimus*, Vers. 11. 13. & dein, *Ego sum Primus & Ultimus*, Vers. 17. & in sequente Capite Vers. 8. & postea Cap. XXI: 6. Cap. XXII. 12. 13. & apud Esajam „ *Dixit Jehovah Rex Israëlis, & Redemptor ejus Jehovah Zebaoth; Ego Primus & Ego Ultimus, & præter Me non Deus*, XLIV: 6. tum Cap. XLVIII: 12. & Qui Est Primus & Ultimus, est Qui Est Qui Fuit & Qui Venturus. Hoc quoque intelligitur per Jehovam; nomen Jehovæ enim significat Est, & Qui Est, seu Qui est ipsum Esse, est quoque Fuit & Venturus, sunt enim præterita & futura in Ipso præsentia; inde est absque tempore Æternus, & absque loco Infinitus: hoc quoque Ecclesia confitetur ex DOCTRINA TRINITATIS, quæ Athanasiana vocatur, ubi hæc „ *Pater est Æternus & Infinitus*, *Filius est Æternus & Infinitus*, *& Spiritus Sanctus est Æternus & Infinitus*, *sed tamen non sunt tres Æterni & Infiniti*, *sed Unus*; quod Ille Unus sit Dominus, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, demonstratum est.

14. *Et a septem Spiritibus, qui sunt in conspectu Throni, significat ab universo Cælo, ubi Dominus in Divino suo Vero est, & Divinum Ipsius Verum recipitur.* Per septem Spiritus intelliguntur omnes qui in Divino Vero sunt, & in sensu abstracto ipsum Divinum Verum seu ipsa Divina Veritas; quod per Septem in Verbo intelligantur omnes & omnia, videatur supra n. 10. & quod per Thronum intelligatur universum Cælum, mox videbitur; inde per in conspectu Throni, intelligitur ubi Ipsius Divinum Verum est; nam Cælum non est Cælum ex propriis Angelorum, sed ex Divino Domini, ut multis ostensum est in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, ET DE DIVINO AMORE. Quod Thronus Domini significet Cælum, patet ex sequentibus locis „ *Dixit Jehovah*, *Cæli Thronus meus*, Esai LXVI: 5. *Jehovah in Cælis firmavit Thronum suum*, Psalm CIII: 19. *Qui jurat per Cælum, jurat per Thronum Dei, & per Ipsum qui sedet super illo*, Matth. XXIII: 22. *Super Expanso, quod super capite Cheruborum, quasi aspectus lapidis Sapphiri, similitudo Throni, & super illo aspectus Hominis*, Ezech. I: 26. Cap. X: 1. per Expansum super capite Cheruborum, intelligitur Cælum: & in Apocalypsi „ *Vincens, dabo ei sedere in Throno meo*, III: 21, in Throno est in Cælo; in specie, ubi Divinum Ipsius Verum regnat; quare etiam, ubi de Judicio agitur, dicitur,

quod Dominus ſeſſurus ſit ſuper Throno, judicium enim ſit per vera.

5. 15. *Et a Jeſu Chriſto, ſignificat Divinum Humanum.* Quod per Jeſum Chriſtum & per Agnum in Verbo intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, videatur ſupra n. 6.

16. *Ipſe Teſtis fidelis, ſignificat quod eſt ipſum Divinum Verum.* Quod teſtis dicatur de veritate, & quod Veritas teſtetur de ſe, ita Dominus, Qui eſt ipſum Divinum Verum ac Verbum, videatur ſupra n. 6.

ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν.

17, *Ipſe Primogenitus ex mortuis, ſignificat & quod eſt ipſum Divinum Bonum.* Quid Primogenitus ex mortuis, nondum aliquis ſcit; & quid ſignificat, a Veteribus diſceptatum fuit; notum illis fuit, quod per Primogenitum ſignificetur Primum & Primarium ex quo omne Eccleſiæ; & a multis creditum eſt, quod eſſet verum doctrina & fide, ſed a paucis, quod eſſet verum actu & opere, quod eſt bonum vitæ; quod hoc ſit primum & primarium Eccleſiæ, & inde in proprio ſenſu intelligatur per Primogenitum, videbitur: ſed primum dicetur de opinione illorum qui crediderunt, quod verum doctrina & fide ſit primum & primarium Eccleſiæ, ita primogenitum; crediderunt illud, quia id primum diſcitur, & quia Eccleſia ſit Eccleſia per verum, ſed uſque non prius quam dum verum ſit vitæ; prius eſt modo in intellectus cogitatione & memoria, & non in voluntatis actu, ac verum quod non eſt verum actu ſeu opere, non vivit, eſt modo ſicut arbor luxurians ramis & foliis abſque fructu; eſtque ſicut ſcientia abſque applicatione ad uſum; & eſt ſicut fundamentum ſuper quo exſtruitur domus, in quo habitandum eſt; hæc ſunt prima tempore, ſed non ſunt prima fine, & prima fine ſunt primaria; nam primum fine eſt habitatio in domo, & primum tempore eſt fundamentum; primum etiam fine eſt uſus, & primum tempore eſt ſcientia; pariter primum fine, dum plantatur arbor, eſt fructus, ſed primum tempore ſunt rami & folia. Simile eſt cum intellectu, qui primum apud hominem formatur, ſed ob finem, ut homo id quod intellectu videt, faciat; alioquin eſt intellectus ſicut prædicator, qui bene docet, ſed male vivit. Præterea omne Verum ſeminatur in Interno homine, & radicatur in Externo, quare niſi Verum ſeminatum radicatur in Externo homine, quod ſit per agere, ſit ſicut arbor poſita non in humo, ſed ſupra illam, quæ aſpirante æſtu ſolis illico marceſcit: hanc radicem homo ſecum fert poſt mortem, qui veritates fecerat, non autem homo qui ſola fide illas cognoverat & agnoverat. Nunc quia multi ex veteribus id quod primum tempore eſt, fecerunt primum fine, quod eſt primarium, ideo dixerunt, quod Primogenitum ſignificaret verum doctrina & fide in Eccleſia, neſcientes quod hoc apparenter primogenitum ſit, non autem actualiter. Sed omnes illi qui fecerunt Verum doctrina & fide primarium, damnati ſunt, quia nihil facti ſeu operis, ſeu nihil vitæ, iſti Vero ineſt; ideo Cainus, qui fuit Primogenitus Adami & Evæ, damnatus eſt; quod per illum ſignificetur Verum doctrina & fide, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA n. 242. Ideo etiam Ruben, qui erat Primogenitus Jacobi, a Patre damnatus eſt, Geneſ. XLIX: 3. 4. ac primogenitura ei adempta eſt, I Chron. V: 1. quod per Rubenem in ſenſu ſpirituali intelligatur Verum doctrina & fide, in ſequentibus videbitur. Per Primogenita Ægypti, quæ

רְאוּבֵן

בְּכוֹר, der Erstgeborene: 2. Mos. 11,5. 12,12.29. 13,15.

quæ omnia percussa sunt, quia damnata, nec aliud in sensu spirituali intelligitur, quam Verum doctrina & fide separatum a bono vitæ, quod Verum in se mortuum est. Per Hircos apud Danielem & Matthæum, nec alii intelliguntur, quam qui in fide separata a vita sunt, de quibus in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE FIDE, n. 61. ad 68. Quod illi qui in fide separata a vita fuerunt, circa Ultimum Judicium rejecti sint & damnati, videatur in CONTINUATIONE DE ULTIMO JUDICIO, n. 16. seq. Ex his paucis constare potest, quod Verum doctrina & fide non sit primogenitum Ecclesiæ, sed Verum actu seu opere, quod est bonum vitæ; nam non prius Ecclesia est apud hominem, quam dum verum sit vitæ, & cum verum sit vitæ, tunc id est bonum; intellectus enim cogitatio & memoria non influit in voluntatem, & per voluntatem in actum, sed voluntas influit in intellectus cogitationem & memoriam, & facit; & quod ex voluntate per intellectum procedit, hoc ex affectione quæ est amoris per cogitationem quæ est intellectus procedit, & id omne vocatur bonum, ac intrat vitam; quare dicit Dominus, quod *Qui facit veritatem, in Deo faciat*, Joh. III: 21. Quoniam Johannes repræsentabat Bonum vitæ, ac Petrus Verum fidei, videatur supra n. 5. ideo *Johannes cubuit ad pectus Domini, & Sequutus est Jesum, non autem Petrus*, Joh. XXI: 18 ad 23. dixit etiam Dominus de Johanne, quod *Mansurus sit usque dum venit*, Vers. 22. 23. ita ad hodiernum diem, qui est adventus Domini; quare etiam a Domino nunc docetur bonum vitæ pro illis, qui e nova Ipsius Ecclesia, quæ est nova Hierosolyma, erunt. In summa, Primogenitum est, quod Verum ex Bono primum producit, ita quod Intellectus ex Voluntate; quia Verum est Intellectus & Bonum est Voluntatis: hoc Primum, quia est sicut semen, ex quo reliqua procedunt, est Primarium. Quoad Dominum, Ipse est Primogenitus ex Mortuis, quia Ipse etiam quoad Humanum suum, est Ipsum Verum unitum Divino Bono, ex Quo omnes homines, qui in se mortui sunt, vivunt. Simile intelligitur apud Davidem „ *Dabo Ipsum* PRIMOGENITUM, *altum Regibus terræ* „ Psalm LXXXIX: 28. hoc de Humano Domini. Inde est quod Israel dicatur *Primogenitus*, Exod. IV: 22. 23. per Israelem intelligitur Verum actu, & per Jacobum Verum doctrina, & quia ex hoc solo non aliqua Ecclesia fit, ideo Jacob nominatus est Israël: in supremo autem sensu per Israëlem intelligitur Dominus. Propter hanc repræsentationem Primogeniti, sanctificabantur Jehovæ omnes primogeniti & omnia primogenita, Exod. XIII: 2. 12. Cap. XXII: 28. 29. Propter illam repræsentationem Primogeniti assumebantur Levitæ loco omnium Primogenitorum in Ecclesia Israëlitica, & dicitur quod sic essent Jehovæ, Num. III: 12. 13. 40 ad 46. Cap. XVIII: 15 ad 18, per Levim enim significatur verum actu, quod est bonum vitæ, & ideo posteritati ejus datum est sacerdotium, de quare in sequentibus. Propterea etiam Primogenito dabatur duplum hæreditatis, & vocabatur Principium roboris, Deutr. XXI: 15 ad 17. Quod Primogenitum significet primarium Ecclesiæ, est quia in Verbo per Nativitates naturales significantur Nativitates spirituales, & tunc quod primum illas facit apud hominem, intelligitur per Primogenitum ejus; non enim prius Ecclesia est apud illum, quam

dum

dum Verum doctrinæ in Interno homine conceptum in Externo nascitur.

18. *Et Ipse Princeps regum terræ, significat ex Quo omne verum ex bono in Ecclesia.* Hoc sequitur ex antecedentibus, quia per Testem fidelem significatur Dominus quoad Divinum Verum, & per Primogenitum Ipse quoad Divinum Bonum, ita per Principem terræ, significatur ab Ipso omne Verum ex Bono in Ecclesia; quod hoc per Principem regum terræ significetur, est quia per Reges in sensu spirituali Verbi intelliguntur qui in veris ex bono sunt, & abstracte vera ex bono, & per terram intelligitur Ecclesia: quod illi ac illa per reges & terram significentur, videatur infra n. 20. & n. 285.

19. *Amante nos & lavante nos a peccatis nostris, significat qui ex amore & misericordia reformat & regenerat homines per sua Divina Vera ex Verbo.* Quod lavare nos a peccatis, sit purificare a malis, ita reformare & regenerare, patet, nam regeneratio est lavatio spiritualis: quod autem per sanguinem suum, non intelligatur passio crucis, ut a multis creditur, sed Divinum Verum procedens ab Ipso, constare potest a multis locis in Verbo, quæ omnia hic adducere nimis prolixum foret, adducentnr infra n. 379. 654: interea videantur quæ de significatione Sanguinis & Carnis Domini in Sancta Cæna, in NOVA HIEROSOLYMA ET DOCTRINA EJUS CÆLESTI, Londini Anno 1758 edita, n. 210 ad 222, dicta & demonstrata sunt; & de Lavatione Spirituali, quæ est regeneratio, n. 202 ad 209 ibi.

20. *Et facit nos Reges & Sacerdotes, significat qui dat ut illi qui nati sunt ab Ipso, hoc est, regenerati, in sapientia ex Divinis veris & in amore ex Divinis bonis sint.* Notum est, quod Dominus in Verbo dicatur Rex & quoque Sacerdos; Rex dicitur ex Divina Sapientia & Sacerdos ex Divino Amore, quare illi, qui a Domino in sapientia sunt vocantur filii Regis tum Reges, & qui ab Ipso in amore sunt, vocantur Ministri & Sacerdotes; est enim sapientia & amor apud illos non ab illis, ita non est illorum, sed Domini, inde est quod illi intelligantur per reges & per sacerdotes in Verbo; non quod illi sint, sed quod Dominus in illis sit, & faciat ut ita nominentur. Vocantur etiam nati ab Ipso, filii regni, filii patris, & hæredes; *Nati ab Ipso*, Joh. I: 12. 13, hoc est, e novo nati seu regenerati, Joh. III: 1 seq. *Filii regni*, Matth. VIII: 12. Cap. XIII: 38. *Filii Patris in Cælo*, Matth. IV: 45. *Hæredes*, Psalm: CXXVII: 3. I Sam. II: 8. Matth. XXV: 34. & quia hæredes, filii regni, ac nati a Domino ut Patre dicuntur, ideo vocantur Reges & Sacerdotes; tum etiam dicitur, quod *sessuri cum Domino in Throno Ipsius*, Apoc. III: 21. Sunt duo Regna, in quæ universum Cælum distinctum est, Regnum Spirituale & Regnum Cæleste, Regnum Spirituale est quod vocatur Regium Domini, & quia omnes qui ibi sunt, in Sapientia ex veris sunt, ideo intelliguntur per Reges, quos faciet Dominus homines qui in sapientia ab Ipso sunt; & Regnum Cæleste est quod vocatur Sacerdotium Domini, & quia omnes qui ibi sunt, in amore ex bonis sunt, ideo illi intelliguntur per Sacerdotes, quos faciet Dominus homines qui in amore ab Ipso sunt; similiter in duo Regna distinguitur Ecclesia Domini in terris; de duobus illis Regnis, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, Londini Anno 1758, edito; n. 24. 226. Qui non scit signi-

ſignificationem ſpiritualem Regum & Sacerdotum, hallucinari poteſt in multis, quæ apud Prophetas & in Apocalypſi de illis memorantur; ut in his apud Prophetas „ *Ædificabunt filii alienigenæ muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi: ſuges lac gentium, imo ubera Regum ſuges; ut ſcias quod Ego Jehovah Salvator tuus & Redemptor tuus*, Eſaj. LX: 10. 16. *Erunt Reges nutritii tui, & Principes eorum lactatrices tuæ*, Eſaj. XLIX: 23. & alibi, ut Geneſ. XLIX: 20. Pſalm. II: 10. Eſaj. XIV: 9. Cap. XXIV: 21. Cap. LII: 15. Jerem. II: 26. Cap. IV: 9. Cap. XLIX: 8. Thren. II: 6. 9. Ezech. VII: 26. 27. Hoſeh. III: 4. Zeph. I: 8. per Reges ibi non intelliguntur Reges, ſed illi qui in Divinis veris a Domino ſunt, & abſtracte Divina Vera, ex quibus ſapientia. *Per Regem Meridei & per Regem Septentrionis, qui inter ſe bellum geſſerunt*, Dan. XI: 1 ſeq: nec intelliguntur Reges, ſed per Regem meridiei illi qui in veris ſunt, & per Regem ſeptentrionis illi qui in falſis. Similiter in Apocalypſi, ubi multoties nominantur Reges, ut in his locis „ *Sextus Angelus effudit phialam ſuper fluvium magnum Euphratem, & exſiccata eſt aqua ejus, ut pararetur via Regum ab ortu ſolis* „ XVI: 12. *Cum Meretrice magna ſedente ſuper aquis multis ſcortati ſunt Reges terræ*, XVII: 2. *De vino iræ ſcortationis Babylonis biberunt omnes gentes, & Reges terræ cum illa ſcortati ſunt*, XVIII: 3. *Et vidi Beſtiam & Reges terræ, & Exercitus eorum congregatos facere bellum cum Sedente ſuper Equo albo*, XIX: 19. *Et gentes quæ ſervatæ ſunt, in lumine Ipſius ambulabunt, & Reges terræ afferent gloriam ſuam & honorem ſuum in Novam Hieroſolymam*, XXI: 24; & alibi, ut Cap. XVI: 14. Cap. XVII: 2. 9 ad 14. Cap. XVIII: 9. 10; per Reges ibi intelliguntur illi qui in veris ſunt, ac in oppoſito ſenſu qui in falſis, & abſtracte vera aut falſa; per ſcortationem Babylonis cum Regibus terræ intelligitur falſificatio veri Eccleſiæ; quod Babylon ſeu Mulier quæ ſedit ſuper Beſtia coccinea, non ſcortata ſit cum Regibus, ſed quod falſificaverit vera Verbi, conſtat. Ex his patet, quod per Reges, quos Dominus facturus eſt illos, qui ab Ipſo ſapiunt, non intelligatur quod futuri ſint Reges, ſed quod ſapientes; quod ita ſit, etiam ratio illuſtrata videt: ſimiliter in ſequentibus „ *Feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes, ut regnemus ſuper terra*, Apoc. V: 10. Quod Dominus per Regem intellexerit Veritatem, patet ab Ipſius verbis ad Pilatum „ *Dixit Ipſi Pilatus, nonne ergo Rex es Tu, reſpondit Jeſus, tu dixiſti, quia Rex ſum Ego, Ego in hoc natus ſum, & in hoc veni in mundum, ut teſtimonium dem Veritati; omnis qui eſt ex Veritate, audit vocem meam; dixit illi Pilatus, quid Veritas*, Joh. XVIII: 37. 38; teſtimonium ferre Veritati, eſt quod Ipſe Veritas ſit; & quia ex illa ſe vocabat Regem, dixit Pilatus, quid eſt Veritas, hoc eſt, num Veritas ſit Rex. Quod Sacerdotes ſignificent illos qui in bono amoris ſunt, & abſtracte bona amoris, videbitur in ſequentibus.

21. *Deo & Patri ſuo, ſignificat ita imagines Divinæ ſuæ ſapientiæ, & Divini ſui Amoris.* Per Deum & Patrem in ſpirituali ſenſu non intelliguntur duæ Perſonæ, ſed per Deum intelligitur Divinum quoad ſapientiam, & per Patrem Divinum quoad Amorem: ſunt enim duo in Domino, Divina Sapientia & Divinus Amor, ſeu Divinum Verum & Divinum Bonum; hæc duo in Vete-

ri Testamento intelliguntur per Deum & Jehovam, hic per Deum & Patrem. Nunc quia Dominus docet, quod Ipse & Pater unum sint, & quod Ipse in Patre & Pater in Ipso, Joh. X: 30. Cap. XIV: 10. 11. non intelliguntur duæ Personæ per Deum & Patrem, sed solus Dominus; Divinum etiam est unum & individuum, quare per quod Jesus Christus fecerit nos Reges & Sacerdotes Deo & Patri suo, significatur ut appareant coram Ipso imagines Divinæ suæ Sapientiæ & Divini sui Amoris; in illis duobus etiam consistit imago Dei apud homines & angelos. Quod Divinum, quod in se unum est, variis nominibus insigniatur in Verbo, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO. Quod Ipse Dominus etiam sit Pater, constat ex his; apud Esajam „ *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, Cujus Nomen Mirabilis*, DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis* „ IX: 5. Apud Eundem „ *Tu Jehovah Pater noster, Redemptor noster a sæculo Nomen tuum* „ LXIII: 16. & apud Johannem „ *Si cognovistis Me, etiam Patrem meum cognovistis; & abhinc cognovistis Illum, & vidistis Illum: dicit Philippus; Domine, monstra nobis Patrem, dicit illi Jesus, qui vidit Me vidit Patrem, quomodo ergo tu dicis, monstra nobis Patrem: credite Mihi, quod Ego in Patre & Pater in Me* „ XIV: 7. 8. 9. 11. videatur infra n. 960.

22. *Ipsi gloria & robur in sæcula sæculorum, significat Cui Soli Divina Majestas & Divina Omnipotentia in æternum.* Per gloriam in Verbo, ubi de Domino, intelligitur Divina Majestas, & prædicatur de Divina Ipsius Sapientia, & per robur intelligitur Divina Omnipotentia, & prædicatur de Divino Ipsius Amore; & per sæcula sæculorum intelligitur æternum. Quod illa per gloriam, robur & sæcula sæculorum intelligantur, ubi dicuntur de Jehovah seu Domino, ex multis locis in Verbo confirmari potest.

23. *Amen, significat confirmationem Divinam ex Veritate, ita ex Se Ipso.* Amen significat veritatem, & quia Dominus erat ipsa Veritas, ideo toties dixit, *Amen dico vobis*, ut Matth. V: 18. 26. Cap. VI: 16. Cap. X: 23. 42. Cap. XVII: 20. Cap. XVIII: 13. 18. Cap. XXV. 12. Cap. XXVIII: 20. Joh. III: 11. Cap. V: 19. 24. 25. Cap. VI: 27. 32. 47. 53. Cap. VIII: 34. 51. 58. Cap. X: 7. 24. Cap. XIII: 16. 20. 21. Cap. XXI: 18. 25. & in sequentibus in Apocalypsi „ *Hæc dicit Amen, Testis fidelis & verus*, III: 14, hoc est Dominus. Quod Dominus sit ipsa Veritas, docet Ipse Joh. XIV: 6. Cap. XVII: 19.

24. *Et venit cum nubibus cæli, significat quod Dominus Se revelaturus sit in sensu literæ Verbi, & aperiturus Sensum spiritualem ejus in fine Ecclesiæ.* Qui nihil de sensu interno seu spirituali Verbi novit, non scire potest, quid intellectum est a Domino per quod venturus sit in Nubibus Cæli; dixit enim ad Sacerdotem magnum adjurantem Ipsum ut diceret num esset Christus Filius Dei, *Tu dixisti, Ego sum; & videbitis Filium hominis sedentem a dextris potentiæ, & venientem cum Nubibus Cæli* „ Matth. XXVI: 63. 64. Marc. XIV. 61. 62. & ubi Dominus de Consummatione sæculi loquitur ad discipulos, dixit „ *Et tunc apparebit signum Filii hominis, & videbunt Ipsum venientem in Nubibus Cæli cum virtute & gloria* „ Matth. XXIV: 30. Marc. XIII: 26; per Nubem Cæli, in qua

qua venturus est, non aliud intelligitur, quam Verbum in sensu literæ, & per Gloriam, in qua Ipsum visuri sunt, Verbum in Sensu spirituali. Quod ita sit, ægre potest credi ab illis, qui non ultra sensum literæ Verbi cogitant, illis nubes est nubes, & inde fides quod Dominus appariturus sit in nubibus Cæli, dum instat Ultimum Judicium; sed hoc cadit, cum scitur quid Nubes, quod sit Divinum Verum in ultimis, ita Verbum in sensu literæ. In Mundo Spirituali æque apparent Nubes ut in Mundo naturali; sed Nubes in Mundo Spirituali apparent infra Cælos apud illos qui in sensu literæ Verbi sunt, obscuriores & lucidiores secundum intellectum Verbi & simul receptionem; causa est, quia Lux Cæli ibi est Divinum Verum, ac Tenebræ ibi sunt falsa; inde Nubes lucidæ sunt Divinum Verum obvelatum apparentiis veri, quale est Verbum in litera apud illos qui in veris sunt, ac Nubes obscuræ Divinum Verum circumtectum fallaciis ex apparentiis confirmatis, quale est Verbum in litera apud illos qui in falsis sunt; vidi illas Nubes sæpe, & patuit unde & quid sunt. Nunc quia Dominus post glorificationem Humani sui factus est Divinum Verum seu Verbum etiam in ultimis, dixit ad summum Sacerdotem, quod *Ex nunc visuri sint Filium hominis venientem in Nubibus Cæli.* Quod autem dixerit ad Discipulos, quod *in Consummatione sæculi appariturum sit signum Filii hominis, & quod visuri sint Ipsum venientem in Nubibus Cæli cum virtute & gloria*, significat quod in fine Ecclesiæ, quando ultimum Judicium futurum est, appariturus sit in Verbo, & revelaturus Sensum spiritualem, quod etiam hodie factum est, quia nunc est finis Ecclesiæ, ac Ultimum Judicium peractum, ut constare potest ex Opusculis nuper editis: hoc itaque est quod hic in Apocalypsi intelligitur, per *Ecce venit cum Nubibus*; tum in sequentibus, *Vidi & ecce Nubes alba, & super Nube sedens similis Filio Hominis*, Apoc. XIV: 14. ut & apud Danielem „ *Videns fui in visionibus noctis, & ecce cum Nubibus Filius Hominis veniens*, VII: 13; quod per Filium Hominis intelligatur Dominus quoad Verbum, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 19 ad 28. Quod per Nubes etiam alibi in Verbo intelligatur Divinum Verum in ultimis, & inde quoque Verbum in litera, videri potest ex locis ibi, ubi Nubes leguntur, ut in his, „ *Non sicut Deus Jeschurun, equitans in Cælo, & in magnificentia super Nubibus*, Deutr. XXXIII: 26. ~~27.~~ *Cantate Deo, laudate Nomen Ipsius, extollite equitantem super Nubibus*, Psalm: LXVIII: 5, *Jehovah equitans super Nube levi*, Esaj. XIX: 1; equitare super nubibus, significat in sapientia Verbi esse, Equus enim significat intellectum Verbi; quis non videt, quod Deus non equitet super nubibus. *Deus equitavit super Cherubis, & posuit tentorium suum Nubes Cælorum*, Psalm: XVIII: 11 ~~ad 13~~, similiter; etiam Cherubi significant Verbum, videatur infra n. 239. 672, tentorium significat habitationem. *Jehovah contignat aquis triclinia sua, ponit Nubem currum suum*, Pfalm: CIV: 3; aquæ significant vera, triclinia doctrinalia, & currus doctrinam, quæ omnia, quia ex sensu literæ Verbi sunt, dicuntur Nubes. *Ligat aquas in Nubibus suis, & non rumpitur Nubes sub illis; & expandit super solium Nubem suam* „ Hiob. XXVI: 8. 9, similiter. *Deus splendere facit lucem Nubis suæ*, Hiob XXXVII: 15. *Date robur Deo, robur super Nubibus*, Psalm.

LXVIII: 35; lux nubis significat Divinum Verum Verbi, ac robur significat Divinam potentiam ibi. *Lucifer dixisti in corde tuo, ascendam super excelsa Nubis, similis fiam Altissimo*, Esaj. XIV: 14. *Deserite Babelem, quia extulit se usque ad Nubes*, Jerem. LI: 9; per Luciferum & Babelem significantur qui prophanant bona & vera Verbi, quare hæc sunt quæ per Nubes ibi intelliguntur. *Jehovah expandit Nubem in tegumentum*, Psalm. CV: 39. *Creavit Jehovah super omne habitaculum Zionis Nubem interdiu, nam super omni Gloria obtegumentum*, Esaj. IV: 5, per Nubem etiam hic intelligitur Verbum in sensu literæ, qui sensus quia includit & tegit Sensum spiritualem, vocatur tegumentum super gloriam; quod Sensus literæ Verbi sit tegumentum, ne lædatur Sensus spiritualis ejus, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 33, & quod sit custodia, n. 97. Divinum Verum in ultimis, quod simile est Verbo in sensu literæ, etiam repræsentabatur per *Nubem*, *in qua descendit Jehovah super montem Sinai, & promulgavit Legem*, Exod. XIX: 9. Cap. XXXIV: 5. Tum per Nubem, quæ obtexit Petrum, Jacobum & Johannem, cum Jesus transformatus est, de qua hæc, *Petro adhuc loquente, ecce Nubes obumbravit illos, & ecce vox e Nube dicens, Hic est Filius meus dilectus, Ipsum audite*, Matth. XVII: 5. Marc: IX: 7. Luc. IX: 34. 35; Dominus in hac Transformatione se videri fecit ut Verbum, quare Nubes obumbravit illos, & vox e Nube audita est, quod sit Filius Dei; vox e Nube est ex Verbo. Quod per Nubem in opposito sensu intelligatur Verbum quoad sensum literæ falsificatum, alibi videbitur.

25. *Et videbit Ipsum omnis oculus, significat quod agnituri omnes qui ex affectione in intellectu Divini Veri sunt.* In Sensu spirituali per oculum non intelligitur oculus, sed intellectus; quare per videbit omnis oculus, significatur quod agnituri omnes qui ex affectione in intellectu Divini Veri sunt, quoniam illi soli intelligunt & agnoscunt, reliqui quidem vident & quoque intelligunt, sed non agnoscunt: illi significantur, quia sequitur, quod etiam visuri sint, qui Ipsum transfixerunt, per quos intelliguntur qui in falsis sunt. Quod Oculus significet intellectum, videbitur infra n. 48.

26. *Et qui Ipsum transfixerunt, significat quod etiam visuri qui in Ecclesia in falsis sunt.* Per transfigere Jesum Christum, non aliud intelligitur, quam Divinum Ipsius Verum in Verbo destruere; hoc quoque intelligitur per quod *Unus militum latus Ipsius transfixerit, & quod exiverit sanguis & aqua*, Joh. XIX: 34; sanguis & aqua sunt Divinum Verum Spirituale & Naturale, ita Verbum in Sensu spirituali & naturali, & transfigere latus Domini est utrumque per falsa destruere, ut etiam factum est a Judæis; omnia enim Passionis Domini repræsentabant statum Ecclesiæ Judaicæ quoad Verbum, de qua re videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 15 ad 17. Quod per transfigere Ipsum, significetur destruere Verbum per falsa, est quia hoc dicitur de Jesu Christo, qui mox vocatur Filius Hominis, & per Filium Hominis intelligitur Dominus quoad Verbum, quare Filium Hominis transfigere est Verbum.

27. *Et plangent omnes Tribus terræ, significat quod hoc erit, quando nulla bona*

& vera in Ecclesia amplius sunt. Quod Tribus terræ significent bona & vera Ecclesiæ, videbitur in Explicatione Capitis VIImi, ubi de duodecim Tribubus Israelis agitur; per plangere significatur luctus quod mortua sint. Simile per illa intelligitur, quod per Domini verba apud Matthæum „ *Post afflictionem dierum istorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo; & tunc apparebit signum Filii Hominis, & tunc* PLANGENT OMNES TRIBUS TERRÆ „, XXIV: 29. 30; hæc de consummatione sæculi, quæ est finis Ecclesiæ; Sol obscurabitur, significat quod non amor & charitas amplius; Luna non dabit lumen suum, significat quod non intelligentia & fides amplius; Stellæ cadent de Cælo, significat quod non cognitiones boni & veri amplius; plangent omnes tribus terræ, significat quod non bona & vera amplius; afflictio significat statum Ecclesiæ illum.

28. *Etiam Amen, significat confirmationem Divinam quod ita futurum sit*, patet ab explicatis supra n. 19.

29. *Et Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, significat Qui est Ipsum & Unicum a Primis ad Ultima, ex Quo omnia; ita Qui est Ipse & Unicus Amor, Ipsa & Unica Sapientia, & Ipsa & Unica Vita in Se, & sic Ipse & Unicus Creator, Salvator & Illustrator a Se, & inde omne in omnibus Cæli & Ecclesiæ.* Hæc sunt & plura adhuc, quæ continentur in illis vocibus, per quas describitur Dominus; quod illa de Domino, & quidem de Humano Ipsius dicta sint, manifeste patet, nam sequitur, *quod audiverit vocem dicentem, Ego sum Alpha & Omega, Primus & Ultimus; & quod converterit se ad videndum vocem quæ loquuta est secum, & quod viderit* FILIUM HOMINIS *in medio septem candelabrorum*, Cap. I: 10. 11. 12. 13. Qui mox etiam dixit, *Ego sum Primus & Ultimus, & qui vivit, & fui mortuus*, Vers: 17. 18. Cap. II: 8. Quod autem omnia illa, quæ supra dicta sunt, contineantur in illis verbis, non potest paucis confirmari, nam confirmare illa ad captum, plurium membranarum opus foret, sed usque confirmata quoad partem sunt in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA nuper Amstelodami edita, quæ videatur. Quod Dominus Se dicat Alpham & Omegam, Principium & Finem, est quia Alpha & Omega se referunt ad Divinum Ipsius Amorem, ac Principium & Finis ad Divinam Ipsius Sapientiam; est enim in singulis Verbi conjugium amoris & sapientiæ, seu boni & veri, de quo videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 80 ad 90. Dominus vocatur Alpha & Omega, quia Alpha est Prima & Omega est Ultima Sylla-ba in Alphabeto Græco, & inde significant omnia in complexu; causa est, quia unaquævis Litera Alphabetica in Mundo Spirituali significat aliquam rem, & Vocalis, quia inservit sono, aliquod affectionis seu amoris; ex hac origine est Loquela Spiritualis & Angelica, & quoque Scriptura; sed hoc est arcanum hactenus ignotum; est enim Lingua Universalis, in qua sunt omnes Angeli & Spiritus; & hæc nihil commune habet cum aliqua Lingua hominum in Mundo; in hanc Linguam venit omnis homo post mortem, est enim illa cuivis homini ex creatione insita, quare unusquisque alterum in universo Mundo Spirituali intelligere potest; datum est mihi sæpius illam Linguam audire,

dire, tum illam loqui, & contuli illam cum Linguis in Mundo, & compertus ſum, quod ne quidem in aliquo minimo unum faciat cum aliqua Lingua naturali in terris; differt ab his ex primitivo ſuo, quod eſt, quod unaquavis litera cujuſvis vocis ſignificet aliquem ſenſum tam in loquela quam in ſcriptura: inde nunc eſt, quod Dominus dicatur Alpha & Omega, per quod ſignificatur quod ſit omne in omnibus Cæli & Eccleſiæ; & quia ſunt duo Vocales, ſe referunt ad Amorem, ut ſupra dictum eſt. De hac Lingua & ejus Scriptura fluente ex Spirituali cogitatione Angelorum, videantur etiam aliqua in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 295.

ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος

30. *Dicit Dominus, Qui Eſt & Qui Fuit & Qui Venturus, quod ſignificet Qui eſt Æternus & Infinitus ac Jehovah*, videatur ſupra n. 13, ubi hoc explicatum eſt.

ὁ παντοκράτωρ

31. *Et Omnipotens, ſignificat Qui eſt vivit & poteſt ex Se Ipſo, & Qui regit omnia ex primis per ultima.* Quoniam omnia ſunt ex Domino, creata ex Primis quæ ab Ipſo ſunt, & nihil datur, quod inde non exiſtit, ut multis oſtenſum eſt in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, ſequitur quod ſit Omnipotens: pone Unum ex quo omnia ſunt, annon omnia ſunt Unius, a quo pendent in ordine, ſicut unci catenæ a Capitello, aut ſicut vaſa ſanguinea totius corporis a Corde, aut ſicut Univerſi omnia & ſingula a Sole; ita a Domino, Qui eſt Sol Mundi Spiritualis, a Quo eſt omnis Eſſentia, Vita & Potentia, quæ apud illos qui ſub Sole illo ſunt; verbo ab Ipſo ſumus, vivimus & movemur, Act. Apoſt. XVII: 28; hoc Divina Omnipotentia eſt. Quod Dominus regat omnia a Primis per Ultima, eſt Arcanum hactenus non revelatum, at explicatum in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, ET DE SCRIPTURA SACRA, multis in locis; tum in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 124; & de DIVINO AMORE, n. 221. Notum eſt, quod Divinum, quia eſt Infinitum, non cadat in ideas cogitationis alicujus hominis, nec angeli, quia ſunt finitæ, & finitus non eſt capax percipiendi Infinitum; ut tamen aliquo modo percipiatur, placuit Domino Infinitatem ſuam deſcribere per hæc ,, EGO SUM ALPHA ET OMEGA, PRINCIPIUM ET FINIS; QUI EST ET QUI FUIT ET QUI VENTURUS, OMNIPOTENS; quare hæc verba includunt omnia, quæ uſquam angelus & homo de Divino ſpiritualiter & naturaliter cogitare poteſt; quæ in genere ſunt illa, quæ ſupra univerſaliter adducta ſunt.

Ἐγὼ Ἰωάννης ὁ ἀδελφὸς ὑμῶν καὶ συγκοινωνός 9.

32. *Ego Johannes qui eſt frater veſter & conſocius, ſignificat illos qui in bono charitatis & inde veris fidei ſunt.* Quod Johannes Apoſtolus repræſentaverit illos qui in bono charitatis ſunt, ſupra n. 5, dictum eſt, & qui in bono charitatis ſunt, etiam in veris fidei ſunt, quoniam charitas eſt anima & vita fidei: inde eſt, quod Johannes ſe vocet fratrem & conſocium illorum in Eccleſia ad quos ſcribit, ſcripſit enim ad ſeptem Eccleſias; per fratrem in Senſu ſpirituali Verbi intelligitur qui in bono charitatis eſt, & per ſocium qui inde in veris fidei eſt; ſunt enim omnes quaſi conſanguinei per charitatem, at affines per fidem; charitas enim conjungit, non ita fides, niſi hæc ſit ex charitate, dum fides ex charitate eſt, tunc charitas conjungit, & fides conſociat;

&

& quia unum faciunt, ideo Dominus mandavit, ut omnes essent fratres, dicit enim „ *Unus est vester Doctor Christus, omnes autem vos Fratres estis*, Matth: XXIII: 8. etiam Dominus vocat illos fratres, qui in bono charitatis seu in bono vitæ sunt; dixit, *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui audiunt Verbum Dei & faciunt illud*, Luc. VIII: ~~22.~~ Matth. XII: 49. Marc: III: 33 ad 35, per Matrem intelligitur Ecclesia, & per fratres illi qui in charitate sunt: & quia bonum charitatis est frater, ideo Dominus appellat illos qui in eo sunt fratres, etiam Matth. XXV: 40; & ideo quoque discipulos, Matth: XXVIII: 10. Joh. XX: 17; sed non legitur quod discipuli appellaverint Dominum fratrem, quia frater est bonum quod a Domino est; est hoc comparative sicut cum Rege, Principe & Magnate, qui consanguineos & affines vocant fratres, sed usque non hi vicissim, nam dicit Dominus „ *Unus est vester Doctor Christus, vos autem omnes fratres estis*, Matth. XXIII: 8. tum, *Vos vocatis Me Magister & Domine, & recte dicitis, sum namque*, Joh. XIII: 13. Filii Israelis vocabant omnes fratres, qui a Patre eorum Jacobo erant, & latius etiam illos qui ab Esavo, at socios qui non ex illis. Sed quia Verbum in Sensu spirituali agit solum de illis, qui in Ecclesia Domini sunt, ideo in eo sensu per fratres intelliguntur qui in bono charitatis a Domino sunt, & per socios illi qui in veris fidei, ita in sequentibus „ *Sic dicetis quisque ad* SOCIUM *suum, & quisque ad* FRATREM *suum, quid respondit Jehovah*, Jerem. XXIII: 35. *Non proclamastis libertatem quisque* FRATRI *suo & quisque* SOCIO *suo*, Jerem. XXXIV: 17. *Ne quis urgeat* SOCIUM *suum nec* FRATREM, Deutr. XV: 1. 2. *Propter* FRATRES *meos &* SOCIOS *meos loquar*, Psalm. CXXII: 8. *Quisque* SOCIUM *suum adjuvat, &* FRATRI *suo dicit, confirma te*, Esaj. XLI: 6. Et in opposito sensu „ *Quisque a* SOCIO *suo cavete vobis, & super ullo* FRATRE *ne confidite; omnis* FRATER *supplantat, & omnis* SOCIUS *calumniatur*, Jerem. IX. 3. *Commiscebo Ægyptum cum Ægypto, ut pugnet contra* FRATREM *suum, & contra* SOCIUM *suum*, Esaj. XIX: 2; & alibi: hæc allata sunt, ut sciatur cur Johannes se dicit Fratrem & Consocium; & quod per Fratrem in Verbo intelligatur qui in charitate seu bono est, & per Consocium qui in fide seu vero. Sed quia charitas est ex qua fides, ideo a Domino non aliqui vocantur socii, sed fratres vel proximus; quisque etiam proximus est secundum quale boni, Luc: X: 36. 37.

21

[B.A. v.4]

33. *In afflictione, & in regno & in patiente exspectatione Jesu Christi, significat quæ in Ecclesia sunt infestata a malis & falsis, at quæ a Domino, cum venturus est, removenda sunt.* Per afflictionem intelligitur status Ecclesiæ, quando amplius non aliqua bona charitatis & vera fidei sunt, sed loco illorum mala & falsa; per regnum intelligitur Ecclesia; & per patientem exspectationem Jesu Christi, intelligitur adventus Domini; quare hæc „ In afflictione, & in regno, & in patiente exspectatione Jesu Christi „ in unum sensum collata, significant quando bona & vera Ecclesiæ infestata sunt a malis & falsis, at quæ a Domino, cum venturus est, removenda sunt. Quod per Afflictionem intelligatur status Ecclesiæ, quando infestata est a malis & falsis, patet ab his „ *In Consummatione sæculi tradent vos in* AFFLICTIONEM, *& occident vos. Erit* AFFLICTIO *magna, qualis non fuit ab initio Mundi, nec erit. Post* AFFLICTIO-

NEM

NEM *dierum iſtorum Sol obſcurabitur*, *Luna non dabit lumen ſuum*, *& Stellæ cadent de Cælo*,, Matth. XXIV: 9. 21. 29. Marc. XIII: 19. 24. Quod Regnum ſignificet Eccleſiam, in ſequentibus videbitur.

34. *Eram in Inſula vocata Patmos*, *ſignificat ſtatum & locum*, *in quo illuſtrari potuit*. Quod Revelatio Johanni facta ſit in Patmo, fuit quia erat Inſula in Græcia, non procul a terra Canaane, ac inter Aſiam & Europam, & per Inſulas ſignificantur Gentes remotiores a cultu Dei, ſed uſque quæ ad illum acceſſuræ ſunt, quia illuſtrari poſſunt; ſimiliter per Græciam; ipſa autem Eccleſia per terram Canaanem; per Aſiam illi ab Eccleſia qui ex verbo in luce veritatis ſunt, & per Europam illi ad quos Verbum venturum eſt; inde eſt quod per Inſulam Patmos, ſignificetur ſtatus & locus, in quo illuſtrari potuit. Quod per Inſulas in Verbo ſignificentur Gentes remotiores a cultu Dei, ſed quæ uſque ad illum acceſſuræ ſunt, patet ex his locis, *In Urim honorate Jehovam, in* INSULIS *maris Nomen Dei Iſraelis*, Eſaj. XXIV: 15. *Non extinguet*, *neque confringet*, *donec ponat in terra judicium*, *& in Lege Ipſius* INSULÆ *ſperent. Cantate Jehovæ canticum novum*, INSULÆ *& habitatores illarum ponent Jehovæ gloriam; & laudem Ipſius in* INSULIS *annuntiabunt*, Eſaj. XLII. 4. 10. 12. *Attendite* INSULÆ *ad Me*, *& populi e longinquo*, Eſaj. XLIX: 1. *In Me* INSULÆ *ſperabunt*, *& ſuper brachio meo confident*, Eſaj. LI: 5. *Mihi* INSULÆ *confident*, *naveſque Tharſchiſh*, Eſaj. LX: 9. *Audite verba Jehovæ Gentes*, *& annuntiate in* INSULIS *e longinquo*, Jerem. XXXI: 10. *Ut adorent Jehovam quiſque in ſuo loco*, *omnes* INSULÆ *gentium*, Zeph. II: 11; & alibi: quod etiam per Græciam ſimiliter, non ita ex Verbo patet, quia Græcia ſolum nominata eſt Dan. VIII: 21. Cap. X: 20. Cap. XI: 2. ut & Joh. XII: 20. Marc. VII: 26: quod per terram Canaanem intelligatur Eccleſia Domini, quæ inde vocatur Terra ſancta & Canaan cæleſtis, patet a multis locis in Verbo: quod per Aſiam intelligantur illi in Eccleſia, qui ex Verbo in luce veritatis ſunt, videatur ſupra n: 11; & quod per Europam illi ad quos Verbum venturum eſt, conſtat.

35. *Propter Verbum Dei*, *& propter teſtimonium Jeſu Chriſti*, *ſignificat ut ex corde & ſic in luce recipiatur Divinum Verum ex Verbo*, *& agnoſcatur Humanum Domini eſſe Divinum*: hoc explicatum eſt ſupra n. 6.

36. *Factus ſum in Spiritu in Dominica die*, *ſignificat ſtatum ſpiritualem tunc ex Divino influxu*. Factus ſum in Spiritu, ſignificat ſtatum ſpiritualem, in quo fuit dum in viſionibus, de quo ſtatu ſequitur; in Dominica die, ſignificat a Domino tunc influxum, in die enim illa eſt præſentia Domini, quia dies ſanctus eſt: ex quibus patet, quod factus ſim in Spiritu in Dominica die, ſignificet ſtatum ſpiritualem tunc ex Divino influxu. De Prophetis legitur, quod fuerint in Spiritu aut in Viſione, tum quod Verbum factum ſit ad illos a Jehovah: cum fuerunt in Spiritu ſeu Viſione, non fuerunt in corpore, ſed in ſuo Spiritu, in quo ſtatu viderunt talia quæ in Cælo ſunt; cum autem Verbum factum eſt ad illos, tunc fuerunt in corpore, & audiverunt Jehovam loquentem: hi bini ſtatus Prophetarum probe diſtinguendi ſunt; in ſtatu Viſionis aperti ſunt oculi Spiritus eorum, & clauſi oculi corporis eorum, & tunc audiverunt

ſunt quæ Angeli loquuti ſunt, ſeu quæ Jehovah per Angelos, & quoque viderunt quæ ſibi repræſentata ſunt in Cælo; & tunc quandoque ſibi viſi ſunt auferri e loco in locum, corpore manente in ſuo: in hoc ſtatu fuit Johannes, cum ſcripſit Apocalypſin; & quandoque etiam Ezechiel, Sacharias & Daniel; & tunc dicitur quod eſſent in VISIONE aut in SPIRITU; dicit enim Ezechiel, *Spiritus ſuſtulit me, & reduxit me in Chaldæam ad captivitatem in* VISIONE DEI, *in* SPIRITU DEI: *ita aſcendit ſuper me* VISIO *quam vidi*, Cap. XI: 1. 24: dicit etiam, *Quod ſuſtulerit illum* SPIRITUS, *& audiverit poſt ſe terræ motum, & alia*, Cap. III: 12. 24. tum, *Quod ſuſtulerit illum* SPIRITUS *inter terram & cælum, abduxerit in Hieroſolymam in* VISIONIBUS DEI, *& viderit abominationes*, VIII: 3 ſeq. Similiter fuit in VISIONE DEI ſeu in SPIRITU, cum vidit quatuor Animalia, quæ erant Cherubi, Cap. I, & Cap. X: ut & cum vidit Novam Terram & Novum Templum, & Angelum metientem illa, Cap. XL ad XLVIII; quod fuerit in VISIONIBUS DEI, dicit Cap. XL: 2; & quod ſuſtulerit illum SPIRITUS, Cap. XLIII: 5. Simile factum eſt cum Sacharia, in quo tunc Angelus fuit, *Cum vidit Virum equitantem inter myrtos*, Cap. I: 8. ſeq. *Cum vidit quatuor Cornua, & dein Virum, in cujus manu funiculus menſuræ*, Cap. II: 1. 5 ſeq. *Cum vidit Joſchuam Sacerdotem magnum*, Cap. III: 1 ſeq. *Cum vidit Candelabrum & duas Oleas*, Cap. IV: 1 ſeq. *Cum vidit Volumen volans, & Epham*, Cap. V: 1. 6: *Et cum vidit quatuor Currus exeuntes inter duos montes, & Equos*, Cap. VI: 1 ſeq. In ſimili ſtatu fuit Daniel, *Cum vidit quatuor Beſtias aſcendentes ex mari*, Dan: ~~VI~~: 1 ſeq. VII. *Et cum vidit pugnas Arietis & Hirci*, Cap. VIII: 1 ſeq. quod viderit illa in VISIONIBUS, dicit Ipſe Cap VII: 1. 2. 7. 13. Cap. VIII: 2. Cap. X: 1. 7. 8: & quod Angelus Gabriel ei viſus ſit in VISIONE, Cap. IX: 21. Simile factum eſt cum JOHANNE; ut *Cum vidit Filium* HOMINIS *in medio Septem Candelabrorum*, Apoc. Cap. I. *Cum vidit Thronum in Cælo, & Sedentem ſuper illo & circum Thronum quatuor Animalia*, Cap. IV: *Cum vidit Librum obſignatum ſeptem ſigillis*, Cap. V. *Cum vidit quatuor Equos ex Libro aperto exeuntes*, Cap. VI. *Cum vidit quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulis terræ*, Cap. ~~VIII~~. VII. *Cum vidit Locuſtas exeuntes ex puteo abyſſi*, Cap. IX. *Cum vidit Angelum in cujus Manu Libellus, quem dedit illi ad edendum*, Cap. X. *Cum audivit Septem Angelos clangentes tubis*, Cap. XI. *Cum vidit Draconem & Mulierem quam draco perſequutus; & hujus pugnam cum Michaele*, Cap. XII: & poſtea, *duas Beſtias unam e mari, alteram e terra, aſcendentes*, Cap. XIII. *Cum vidit Septem Angelos habentes ſeptem plagas ultimas*, Cap. XV. XVI. *Cum vidit Meretricem ſedentem ſuper Beſtia Coccinea*, Cap. XVII: 18; ac poſtea, *Equum album & Sedentem ſuper illo*, Cap. XIX: & demum, *Novum Cælum & Novam Terram, & tunc Novam Hieroſolymam e Cælo deſcendentem*, Cap. XXI, XXII. Quod Johannes hæc viderit in SPIRITU & VISIONE, dicit ipſe Cap. I: 10. Cap. IV. 2. Cap. IX: 17. Cap. XXI: 10; hoc etiam intelligitur per VIDI ubivis apud illum. Ex his manifeſte patet, quod eſſe in ſpiritu ſit eſſe in viſione, quæ fit per aperitionem viſus ſpiritus hominis, qui cum aperitur, apparent illa quæ in Mundo ſpirituali ſunt, tam clare, quemadmodum coram viſu corporis illa quæ in Mundo naturali ſunt. Quod

ita ſit, ab experientia multorum annorum teſtari poſſum. In hoc ſtatu fuerunt Diſcipuli cum viderunt Dominum poſt reſurrectionem, quare dicitur quod aperti ſint oculi illorum, Luc. XXIV: 30. 31. In ſimili ſtatu fuit Abraham, cum vidit tres Angelos, & loquutus eſt cum illis. Similiter Hagar, Guideon, Joſchua, & alii, cum viderunt Angelos Jehovæ: ſimiliter cum puer Eliſæi vidit Montem plenum curribus & equis igneis circum Eliſæum, *Oravit enim Eliſæus, & dixit, Jehovah* APERI *quæſo oculos ejus ut videat, &* APERUIT *Jehovah oculos pueri, & vidit*, II Reg. VI: 17. Quod autem Verbum attinet, id non revelatum eſt in ſtatu Spiritus ſeu in Viſione, ſed a Domino viva voce dictatum eſt Prophetis; quare nullibi dicitur, quod loquuti ſint illud ex Spiritu Sancto, ſed ex Jehovah; videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n: 53.

37. *Et audivi poſt me vocem magnam tanquam tubæ, ſignificat perceptionem manifeſtam Divini Veri e Cælo revelati.* Vox magna, dum e Cælo auditur, ſignificat Divinum Verum, de qua ſequitur; quod audita ſit tanquam tubæ, eſt quia cum Divinum Verum e Cælo delabitur, quandoque ita auditur ab Angelis Ultimi Cæli, & tunc manifeſte percipitur; inde eſt, quod per vocem tanquam tubæ, ſignificetur manifeſta perceptio: præterea de ſignificatione tubæ videbitur infra n. 397. 519. Quod Vox magna, dum e Cælo auditur, ſignificet Divinum Verum, patet ex his locis „ Vox JEHOVÆ *ſuper aquis*: Vox JEHOVÆ *in virtute*, Vox JEHOVÆ *cum honore*: Vox JEHOVÆ *frangens cedros*: Vox JEHOVÆ *incidens ut flamma ignis*: Vox JEHOVÆ *trepidare facit deſertum*: Vox JEHOVÆ *parturire facit cervas*, Pſalm. XXIX: 3. ad 9. *Regna terræ pſallite Domino, ecce dabit in* VOCE *ſua* VOCEM *roboris*, Pſalm. LXVIII: 33. 34. *Jehovah edidit* VOCEM *ſuam coram Exercitu, quia innumerus facit Verbum Ipſius*, Joel II: 11. *Jehovah ex Hieroſolyma dabit* VOCEM *ſuam* „ Joel IV: 16. & quia Vox ſignificat Divinum Verum ex Domino, ideo Dominus dixit, *Quod Oves* VOCEM IPSIUS *audiant*: *quod ſciant* VOCEM IPSIUS: *etiam alias Oves habeo, quas oportet Me adducere, &* VOCEM *meam audient*: *Oves meæ* VOCEM *meam audiunt, & Ego cognoſco illas, & ſequuntur Me*, JOH. X: 3. 4. 16. 27. Et alibi „ *Venit hora, quando mortui audient* VOCEM *Filii hominis, & qui audiunt, vivent* „ Joh. V: 25; Vox hic eſt Divinum Verum Domini ex Verbo Ipſius.

38. *Dicentem, Ego ſum Alpha & Omega, Primus & Ultimus, ſignificat Qui eſt Ipſum & Unicum a Primis ad Ultima, ex Quo omnia; ita Qui eſt Ipſe & Unicus Amor, Ipſa & Unica Sapientia, & Ipſa & Unica Vita in Se, & ſic Ipſe & Unicus Creator, Salvator & Illuſtrator a Se, & inde omne in omnibus Cæli & Eccleſiæ: Qui Solus eſt Infinitus & Æternus, ac Jehovah; & quod Ille ſit Dominus.* Quod hæc omnia contineantur in illis vocibus, ac infinite plura; videatur ſupra n. 13. 29. Dictum ibi eſt, quod omnes ſyllabæ aut literæ in Alphabetho in Mundo Spirituali ſignificent res; & quod inde ſit loquela & ſcriptura illorum ibi, & quod ideo Dominus Divinitatem & Infinitatem ſuam deſcribat per Alpha & Omega, per quod ſignificatur, quod ſit omne in omnibus Cæli & Eccleſiæ. Quoniam unaquævis litera ſignificat rem in Mundo ſpirituali, & inde in Lingua Angelica, ideo David conſcripſit Pſalmum CXIX.

in

in ordine secundum Alphabethi literas, incipiendo ab Aleph, & finiendo per Thau, ut constare potest ex initiis Versuum ibi: simile quid apparet in Psalm. CXI, sed non ita exstanter. Propterea etiam Abram vocatus est Abraham, & Sarai vocata est Sarah, quod factum est propter causam, ut in Cælo per Abraham & per Sarah non intelligerentur illi, sed Divinum, ut quoque intelligitur, (H) enim involvit infinitatem, quia est solum aspiratio: plura de his videantur supra n. 29.

39. *Quod vides, scribe in Libro, quod significet ut revelata sint posteritati*, patet absque explicatione.

40. *Et mitte Ecclesiis, illis in Asia, significat pro illis in Christiano Orbe qui in luce veritatis ex Verbo sunt.* Quod illi per Ecclesias in Asia intelligantur, videatur supra n. 10. 11.

41. *Ephesum & Smyrnam, & Pergamum & Thyatira, & Sardes & Philadelphiam, & Laodiceam, significat in specie secundum statum receptionis cujusvis.* Quod omnes status receptionis Domini & Ipsius Ecclesiæ per Septem illa Nomina in Sensu spirituali significentur, videbitur infra: fuit enim Johannes, cum hoc illi mandatum est, in statu spirituali, & in illo statu non aliquid vocatur nomine, quod non significat rem aut statum: quare nec a Johanne hæc quæ scripta sunt, ad aliquam Ecclesiam in illis locis missa sunt, sed dicta illarum Angelis, per quos intelliguntur qui recipiunt. Quod per omnia Nomina Locorum & Personarum in toto Verbo intelligantur res spirituales, multis ostensum est in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, ut quid per Abrahamum, Isacum & Jacobum, tum per Israelem, & per Nomina duodecim ejus filiorum; ut & quid per varia loca Terræ Canaanis, & per loca vicina Terræ isti, ut quid per Ægyptum, Syriam, Assyriam, & plura. Simile est cum Septem his Nominibus. Sed qui vult manere in sensu literæ, maneat, quia ille sensus conjungit; sciat modo, quod Angeli per illa Nomina res & status Ecclesiæ percipiant.

42. *Et conversus videre vocem quæ mecum loquebatur, significat inversionem status illorum, qui in bono vitæ sunt, quoad perceptionem veri in Verbo, dum se convertunt ad Dominum.* Dicit Johannes, quod audiverit vocem *post se*, Vers: 10; & nunc quod *conversus sit* videre vocem; ac iterum, quod *conversus* viderit Septem Candelabra; ex quibus patet, quod audiverit vocem a tergo, & quod converterit se, ut videret unde illa; quod in hoc sit arcanum, patet; arcanum est, quod antequam homo convertit se ad Dominum, & Ipsum agnoscit pro Deo Cæli & Terræ, non possit videre Divinum Verum in Verbo; causa est, quia Deus Unus est & Persona & Essentia, in Quo Trinitas, & Ille Deus est Dominus; quare qui Trinitatem Personarum agnoscunt, spectant primario ad Patrem, & quidam ad Spiritum Sanctum, & raro ad Dominum, & si ad Dominum, cogitant de Humano Ipsius sicut de vulgari homine; cum homo hoc facit, nequicquam illustrari potest in Verbo, est enim Dominus Verbum, ab Ipso enim est, & de Ipso; idcirco qui non solum Dominum adeunt, illi spectant Ipsum & Verbum Ipsius post se, & non ante se, seu a tergo & non a facie. Hoc arcanum est quod latet in his „ Quod Johannes au-

audiverit vocem *poſt ſe*, & quod *converſus ſit* videre vocem, & *converſus* viderit Septem Candelabra aurea, & in medio illorum FILIUM HOMINIS; vox enim, quam audivit, a FILIO HOMINIS, Qui eſt Dominus, venit. Quod Dominus Solus ſit Deus Cæli & Terræ, docet nunc manifeſta voce, dicit enim „ *Ego ſum Alpha & Omega, Principium & Finis, dicit Dominus Qui Eſt & Qui Fuit & Qui Venturus*, Verſ: 8; & hic „ *Ego ſum Alpha & Omega, Primus & Ultimus*, Verſ: 11. & poſtea „ *Ego ſum Primus & Ultimus*; Verſ: 17. & Cap. II: 8. Quod per vocem, cum a Domino, intelligatur Divinum Verum, videatur ſupra n. 37. & quod per Johannem intelligantur illi ab Eccleſia, qui in bono vitæ ſunt, ſupra n. 5. 6. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per hæc verba, Et converſus videre vocem quæ loquebatur mecum, ſignificetur inverſio ſtatus illorum, qui in bono vitæ ſunt, quoad perceptionem veri in Verbo, cum ſe convertunt ad Dominum.

43. *Et converſus vidi Septem Candelabra aurea, ſignificat Novam Eccleſiam, quæ in illuſtratione a Domino ex Verbo erit.* Quod Septem Candelabra ſint Septem Eccleſiæ, dicitur in Verſu Ultimo hujus Capitis; & quod per Septem Eccleſias intelligantur omnes qui in Chriſtiano Orbe ſunt, & accedunt ad Eccleſiam, videatur ſupra n. 10; & in ſpecie ſecundum ſtatum receptionis cujusvis, n. 41. Quod per Septem Candelabra intelligatur Nova Eccleſia, eſt quia in illa & in illius medio eſt Dominus, dicitur enim quod in medio Septem Candelabrorum viderit ſimilem FILIO HOMINIS, & per Filium Hominis intelligitur Dominus quoad Verbum. Candelabra illa viſa ſunt aurea, quia aurum ſignificat bonum, & omnis Eccleſia eſt Eccleſia ex bono quod formatur per vera; quod aurum ſignificet bonum, videbitur in ſequentibus. Candelabra illa non erant unum juxta alterum, ſeu ad contactum poſita, ſed ad diſtantias facientia quendam circum, ut patet ab his in ſequente Capite „ *Hæc dixit, qui ambulat in medio Septem Candelabrorum aureorum*, Verſ: 1. Non dicitur aliquid de Lucernis Candelabrorum iſtorum, ſed in ſequentibus dicitur, *quod ſancta Hieroſolyma*, hoc eſt, Nova Eccleſia, *non opus habeat Sole, nec Luna, quia* LUCERNA EJUS AGNUS, *& gentes quæ ſalvantur, in* LUCE IPSIUS *ambulabunt*, Apoc. XXI: 23. 24: & porro „ *Non opus habent* LUCERNA, *quia Dominus Deus illuſtrat illos*, Cap. XXII: 5; ſunt enim illi, qui e Nova Eccleſia Domini erunt, ſolum Candelabra, qui lucebunt a Domino. Per Candelabrum aureum in Tabernaculo nec aliud repræſentatum eſt, quam Eccleſia quoad illuſtrationem a Domino, de quo Candelabro videatur Exod. XXV. 31 ad fin: Cap. ~~XXXVIII: 17 ad 20. 35.~~ Levit. XXIV: 3. 4. Num. VIII: 2. 3. 4. quod illud Eccleſiam Domini quoad Divinum amorem Spiritualem, qui eſt amor erga proximum, repræſentaverit, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, n. 9548. 9555. 9558. 9561. 9572. 9783: tum infra n: 493. Per Candelabrum etiam ſignificatur Nova Eccleſia a Domino inſtauranda, apud Sachariam Cap. IV, quoniam ſignificat Novam Domum Dei ſeu Novum Templum, ut patet a ſequentibus ibi, ac per Domum Dei ſeu Templum ſignificatur Eccleſia, & in ſupremo ſenſu Divinum Humanum Domini, ut Ipſe docet Joh. II: 19. 20. 21, & alibi: ſed dicetur, quid in ordine ſigni-

gnificatur in Capite IV, apud Sachariam, dum ei visum est Candelabrum: „ Per illa quæ continentur a Vers: 1 ad 7. significatur illustratio Novæ Ecclesiæ a Domino ex bono amoris per verum, Oleæ ibi significant Ecclesiam „ quoad bonum amoris: per illa a Vers: 8 ad 10 ibi, significatur quod hæc „ a Domino; per Serubabelem ibi, qui ædificaturus est Domum, ita Ecclesiam, repræsentatur Dominus: per illa a Vers: 11 ad 14, significatur, „ quod in illa Ecclesia etiam erunt vera ex origine Cælesti: hæc illius Capitis „ explicatio per Cælum a Domino mihi data est.

44. *Et in medio Septem Candelabrorum similem* FILIO HOMINIS, *significat Dominum quoad Verbum, a Quo illa.* Notum est ex Verbo, quod Dominus se vocaverit FILIUM DEI, & quoque FILIUM HOMINIS; quod per Filium Dei intellexerit Se quoad Divinum Humanum, & per Filium Hominis Se quoad Verbum, plene demonstratum est in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO n: 19 ad 28, & quia ibi plene ex Verbo id confirmatum est, supersedetur hic illud ulterius confirmare. Nunc quia Dominus coram Johanne se repræsentavit ut Verbum, ideo visus illi vocatur FILIUS HOMINIS. Repræsentavit Se ut Verbum, quia agitur de Nova Ecclesia, quæ est Ecclesia ex Verbo, & secundum intellectum ejus; quod Ecclesia sit ex Verbo, & quod talis sit qualis ei est intellectus Verbi, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n: 76 ad 79. Quoniam Ecclesia est Ecclesia a Domino per Verbum, ideo visus est FILIUS HOMINIS in medio Candelabrorum; in Medio significat in Intimo, ex quo illa quæ circum sunt aut quæ extra sunt, trahunt suam essentiam, hic suam lucem seu intelligentiam: quod Intimum sit omne in illis quæ circum aut extra sunt, multis ostensum est in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA; est sicut Lux & Flamma in medio, ex quibus omnes peripheriæ lucent & calent. Simile significat *in medio* in sequentibus locis in Verbo „ *Exclama & jubila habitatrix Zionis, quia magnus in Medio tui Sanctus Israelis*, Esaj: XII: 6. *Deus Rex meus operans salutes in Medio terræ*, Psalm. LXXIV: 12. *Deus operans Misericordiam in Medio Templi*, Psalm. ~~XXXVIII: 10.~~ 11. *Deus constitit in cætu Dei, in Medio deorum judicabit*, Psalm: LXXXII: 1. Dii vocantur qui in Divinis veris a Domino sunt, & abstracte ipsa Vera. *Ecce mitto Angelum coram te, caveto tibi a faciebus Ipsius, quoniam Nomen meum in Medio Ipsius*, Exod. XXIII: 20. 21; Nomen Jehovæ est omne Divinum, in Medio est in Intimo & inde in omni ejus. Medium etiam significat Intimum, & inde Omne, in pluribus aliis locis in Verbo, etiam ubi agitur de malis, ut Esaj: XXIV: 13. Jerem: XXIII: 9. Psalm. V: 10. Psalm. IX: 4. 5. Psalm. XXXVI: 2. Psalm: LIV: 7. Psalm. LXII: 5. Hæc loca allata sunt, ut sciatur quod in Medio Candelabrorum significet in Intimo a quo Ecclesia & omne ejus, nam Ecclesia & omne ejus est a Domino per Verbum. Quod Candelabra significent Novam Ecclesiam, videatur mox supra n: 43.

45. *Indutum talari, significat Divinum procedens quod est Divinum Verum.* Quod Talaris significet Divinum procedens, quod est Divinum Verum, est quia Vestimenta in Verbo significant vera, inde Talaris, quæ est vestimentum com-

commune, cum de Domino, ſignificat Divinum Verum procedens. Quod Veſtimenta ſignificent vera in Verbo, eſt quia in Cælo veſtiuntur ſecundum vera procedentia ex bono illorum, de qua re videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO An: 1758, Londini edito, n: 177 ad 182. In ſequentibus etiam videbitur, quod non aliud per Veſtimenta in Verbo in ejus ſenſu ſpirituali intelligatur; proinde quod non aliud per Veſtimenta Domini, cum transformatus fuit, quæ apparuerunt candida ſicut Lux, Matth. XVII: 1 ad 4. Marc. IX: 2 ad 8. Luc. IX: 28 ad 36: tum nec aliud per Veſtimenta Domini, quæ milites diviſerunt, Joh. XIX: 23. 24. Quod ſimilia repræſentata & inde ſignificata ſint per Veſtes Aharonis, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, n. 9814. 10068: in ſpecie quid per Ephodum, n. 9477. 9824. 10005: quid per Pallium, n. 9825. 10005: quid per Tunicam, n. 9826. 9942: & quid per Cidarim, n. 9827; Aharon enim repræſentabat munus ſacerdotale Domini. De ſignificatione Veſtium ex Verbo, videatur infra n. 166. 328.

46. *Et præcinctum ad mamillas Zona aurea, ſignificat Divinum procedens & ſimul conjungens, quod eſt Divinum Bonum.* Quod Zona aurea id ſignificet, eſt quia per pectus Domini, & in ſpecie per mamillas ibi, ſignificatur Divinus Ipſius amor; inde per Zonam auream, quæ cinxit, Divinum procedens & ſimul conjungens, quod eſt Divinum Bonum Divini Amoris; aurum etiam ſignificat bonum, videatur infra n. 913. Etiam Zona ſeu Cingulum in Verbo ſignificat commune Vinculum, quo omnia in ordine & in nexu continentur, ut apud Eſajam „ *Exibit virga e trunco Iſchaii, erit Juſtitia cingulum lumborum Ipſius, & Veritas cingulum feminum Ipſius* „ XI: 5; virga exiens e trunco Jiſchaji eſt Dominus. Quod Cingulum Ephodi, & Baltheus Tunicæ Aharonis ſignificaverint conjunctionem, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, n. 9837. 9944. Quoniam Cingulum ſignificat vinculum conjungens bona & vera Eccleſiæ, ideo cum Eccleſia apud Filios Iſraelis deſtructa fuit, mandatum eſt Jeremiæ Prophetæ, *ut emeret ſibi Cingulum, & poneret ſuper lumbos ſuos; & dein abſconderet illud in foramine petræ juxta Euphratem; & in fine dierum, cum recepit illud, ecce corruptum erat, & non proderat ad quicquam*, Jerem. XIII: 1 ad 12; per quæ repræſentatum eſt, quod bonum Eccleſiæ tunc nullum eſſet, & inde vera diſſipata. Simile per Cingulum ſignificatur apud Eſajam „ *Loco Cinguli erit diſciſſio*, III: 24; & quoque alibi. Quod per Mamillas ſeu Ubera ſignificetur Divinus Amor, patet a locis in Verbo, ubi nominantur, tum a correſpondentia illorum cum amore.

47. *Et Caput Ipſius, & Capilli candidi tanquam lana, tanquam nix, ſignificat Divinum Amorem Divinæ Sapientiæ in Primis & in Ultimis.* Per Caput hominis ſignificatur omne vitæ ejus, & omne vitæ hominis ſe refert ad Amorem & Sapientiam, quare per Caput ſignificatur Sapientia & ſimul Amor; ſed quia non datur amor abſque ſua ſapientia, nec ſapientia abſque ſuo amore, ideo eſt amor ſapientiæ, qui per Caput intelligitur, & cum de Domino, eſt Divinus Amor Divinæ Sapientiæ: verum de ſignificatione Capitis ex Verbo, videbitur infra n. 538. 565. Cum itaque per Caput intelligitur amor & ſimul ſapientia in ſuis primis, ſequitur quod per Capillos intelligatur amor & ſapientia

in

568

in ſuis ultimis; & quia Capilli hic dicuntur de Filio Hominis, qui eſt Dominus quoad Verbum, per Capillos Ipſius ſignificatur Divinum Bonum quod eſt amoris, & Divinum Verum quod eſt ſapientiæ, in ultimis Verbi, ac ultima Verbi ſunt quæ continentur in ſenſu literæ ejus: quod Verbum in hoc ſenſu ſignificetur per Capillos Filii Hominis ſeu Domini, apparet paradoxon, ſed uſque eſt Verum; hoc conſtare poteſt ex locis in Verbo allatis in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 35 & 49; ubi etiam oſtenſum eſt, quod Naziræi in Eccleſia Iſraelitica repræſentaverint Dominum quoad Verbum in ultimis, quod eſt ſenſus literæ ejus; Naziræus enim in Lingua Hebræa eſt Capillus ſeu Coma; inde erat Simſoni, qui erat Naziræus ex utero, potentia in Crinibus; quod ſimiliter Divinum Verum in ſenſu literæ Verbi ſit in potentia, videatur in citata DOCTRINA DE SCRIPTURA SACRA n. 37 ad 49: ideo etiam Summo Sacerdoti & ejus filiis ſevere prohibitum fuit radere Caput: ideo etiam 42 pueri diſcerpti ſunt a duabus Urſis, quia vocabant Eliſæum CALVUM; Eliſæus ſicut Elias repræſentabat Dominum quoad Verbum, Calvus ſignificat id abſque ultimo ejus, quod, ut dictum, eſt ſenſus literæ; ac Urſæ ſignificant hunc ſenſum Verbi ſeparatum a ſenſu interno ejus; qui ſeparant, apparent etiam in Mundo Spirituali ut Urſi, ſed e longinquo, inde patet cur ita factum eſt cum pueris: ideo etiam ſummum dedecus & extremus luctus fuit inducere Calvitiem. Quare cum Gens Iſraelitica perverterat omnem ſenſum literæ Verbi, fit hæc lamentatio ſuper illos, *Albi erant Naziræi præ nive, candidi præ lacte, obſcurata eſt præ nigredine forma illorum, non cognoſcuntur in plateis*, Thren. IV: 7. 8: tum, *Omne Caput decalvatum, & omnis humerus depilatus*, Ezech. XXIX: 18: *Super omnibus faciebus pudor, & in omnibus Capitibus Calvities*, Ezech: VII: 18: ſimiliter Eſaj. XV: 2. Jerem. XLVIII: 37. Amos VIII: 10. Quia filii Iſraelis per falſa diſperſerunt omnem ſenſum literæ Verbi, ideo mandatum eſt Prophetæ Ezechieli, ut hoc repræſentaret per quod *Novacula raderet Caput, & Crinium tertiam partem combureret igne, tertiam percuteret gladio, & tertiam diſpergeret in ventum, & quod colligaret aliquid in alis, quod poſtea etiam projiceret in ignem*, Ezech. V: 1 ad 4 ſeq. Propterea etiam dicitur apud Micham, *Calvitiem indue & tonde te propter filios delitiarum tuarum, dilata Calvitiem ſicut aquila, quia migrarunt a te*, I: 17; filii delitiarum ſunt genuina vera Eccleſiæ ex Verbo. Et quia Nebuchadnezar Rex Babelis repræſentavit Babelicam falſificationem Verbi & deſtructionem omnis Veri ibi, inde factum eſt *quod Crinis ejus creverit ſicut aquilarum*, Dan. IV: 30. Quoniam Capilli ſignificabant illud ſanctum Verbi, ideo de Naziræis dicitur, *Quod non raderent Comam capitis ſui, quia illa eſt Naziræatus Dei ſuper capite eorum*, Num. VI: 1 ad 21: & ideo ſtatutum eſt, *Quod ſummus Sacerdos ac filii ejus non raderent Caput ſuum, ne morerentur, ac univerſa domus Iſraelis iraſceretur*, Levit: X: 6. Nunc quia per Capillos ſignificatur Divinum Verum in ultimis, quod in Eccleſia eſt Verbum in ſenſu literæ, idcirco etiam de Antiquo dierum ſimile dicitur apud Danielem, *Vidi uſque dum Throni projecti ſunt, & Antiquus dierum ſedit, Veſtis Ejus ſicut nix alba, & Capillus capitis Ejus ſicut lana munda*, VII: 9; quod Antiquus dierum ſit Dominus, patet manifeſte apud Micham

„ Tu

„ *Tu Bethlechem Ephratæa, parum est ut sis inter millenas Jehudæ, ex te Mihi exibit, Qui erit Dominator in Israele,* & CUJUS EXITUS AB ANTIQUO, *a diebus æternitatis,* V: 1: & apud Esajam, ubi vocatur PATER ÆTERNITATIS, IX: 5. Ex his locis, & ex multis aliis, quæ ob copiam non adducuntur, constare potest, quod per Caput & Capillos Filii hominis, qui candidi tanquam lana tanquam nix, intelligatur Divinum Amoris & Sapientiæ in primis & in ultimis, & quia per Filium Hominis intelligitur Dominus quoad Verbum, sequitur quod etiam Hoc in primis & in ultimis intelligatur: quid alioquin foret, quod Dominus hic in Apocalypsi, & Antiquus dierum apud Danielem, etiam quoad Capillos describeretur. Quod per Capillos sensus literæ Verbi significetur, patet manifeste ab illis qui in Mundo spirituali sunt, illi qui contemserunt sensum literæ Verbi, ibi apparent Calvi, & vicissim illi qui amaverunt sensum literæ Verbi, ibi apparent in decentibus Comis. Tanquam lana & tanquam nix dicitur, quia Lana significat bonum in ultimis, & Nix verum in ultimis, ut quoque apud Esajam Cap. I: 18, Lana enim est ex ovibus, per quas significatur bonum charitatis, & Nix est ex aquis, per quas significantur vera fidei.

48. *Et Oculi Ipsius tanquam flamma ignis, significat Divinam Sapientiam Divini Amoris.* Per Oculos in Verbo intelligitur Intellectus, ac inde per visum oculorum Intelligentia, quare cum de Domino, intelligitur Divina Sapientia; per Flammam ignis autem significatur Amor spiritualis qui est Charitas, quare cum de Domino, intelligitur Divinus Amor; inde nunc per quod Oculi Ipsius essent tanquam Flamma ignis, significatur Divina Sapientia Divini Amoris. Quod Oculus significet Intellectum, est quia correspondent, nam sicut Oculus videt ex luce naturali, ita Intellectus ex luce Spirituali, quare Videre prædicatur de utroque. Quod per Oculum in Verbo significetur Intellectus, patet a sequentibus his locis „ *Educ populum cæcum cui Oculi sunt, & surdos quibus Aures,* Esaj. XLIII. 8. *Audient in die illo surdi verba Libri, & ex caligine Oculi cæcorum videbunt,* Esaj. XXIX. 18. *Tunc aperientur Oculi cæcorum, & Aures surdorum,* Esaj. XXXV: 5. 6. *Dabo Te in lucem gentium ad aperiendum Oculos cæcorum,* Esaj. XLII: 7; hæc de Domino, qui, dum venturus est, aperiet Intellectum apud illos qui in ignorantia veri sunt. Quod hoc intelligatur per aperire Oculos, patet porro ex his „ *Impingua Cor populi hujus, & Oculos ejus obline, ne forte videant Oculis suis,* Esaj. VI: 9. 10. Joh. XII: 40. *Effudit Jehovah super vos spiritum somnolentiæ, & occlusit Oculos vestros, Prophetas & Capita vestra; Videntes obtexit,* Esaj. XXIX: 10. Cap. XXX. 10. *Qui occludit Oculos suos, ne videat malum,* Esaj. XXXIII: 15. *Audite hæc, Populе stulte, quibus Oculi & non vident,* Ezech. XII: 2. *Pœna Pastoris deserentis gregem, gladius super Oculo dextro, & Oculus dexter caligando caligabit,* Sach. XI: 17. *Plaga, qua percutiet Jehovah omnes populos, qui pugnabunt contra Hierosolymam, Oculi eorum contabescent in foraminibus suis* „ Sach. XIV: 12. *Percutiam omnem Equum stupore, & omnem Equum populorum Cæcitate,* Sach. XII: 4, Equus in sensu spirituali est intellectus Verbi, n. 298. *Exaudi me, Jehovah Deus Mi, illumina Oculos meos, ne forte dormiam mortem,* Psalm. XIII: 4: quod in illis locis per Oculos significetur Intellectus, quisque videt. Inde patet, quid a Domino

per

per Oculum intelligitur in his locis ,, *Lucerna corporis eſt Oculus, ſi Oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit, ſi Oculus tuus malus fuerit, totum corpus obtenebratum erit, ſi ergo lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, tenebræ quantæ* ,, Matth. VI: 22. 23. Luc. XI: 34. ,, *Si Oculus dexter ſcandalizaverit te, erue eum, & abjice abs te, nam præſtat ut luſcus intres in vitam, quam duos habens Oculos mitti in gehennam ignis*, Matth. V: 29. Cap XVIII: 9; per Oculum in his locis non intelligitur Oculus, ſed intellectus veri. Quoniam per Oculum ſignificatur intellectus veri, ideo inter ſtatuta apud filios Iſraelis fuit, quod *Cæcus aut confuſus oculo ex ſemine Aharonis non accederet ad offerendum ſacrificium, nec intraret intra velum*, Levit. XXI; 18. 20. tum, *quod Cæcum non offerretur in ſacrificium*, Levit. XXII: 22. Malach. I: 8. Ex his patet, quid per Oculum intelligitur, cum de homine: inde ſequitur quod per Oculum, cum de Domino, intelligatur Divina Ipſius Sapientia, tum Omniſcientia & Providentia, ut in his locis, *Aperi Jehovah Oculos tuos, & vide*, Eſaj. XXXVII: 17. *Ponam Oculum meum ſuper illos in bonum, & ædificabo illos*, Jerem. XXXIV: 6. *Ecce Oculus Jehovæ ſuper timentibus Ipſum* ,, Pſalm. XXXIII: 18. *Jehovah in Templo ſanctitatis, Oculi Ipſius vident, & Palpebræ Ipſius probant filios hominis*, Pſalm. XI: 4. Quoniam per Cherubos ſignificatur Cuſtodia & Providentia Domini ne ſpiritualis ſenſus Verbi lædatur, ideo de quatuor Animalibus, quæ erant Cherubi, dicitur, *Quod eſſent plena Oculis ante & retro, & quod alæ illorum ſimiliter eſſent plenæ Oculis* ,, Apoc. IV: 6. 8: tum *quod rotæ, ſuper quibus vehebantur Cherubi, eſſent plenæ Oculis circumcirca* ,, Ezech. X: 12. Quod per flammam ignis intelligatur Divinus Ipſius Amor, videbitur in ſequentibus, ubi flamma & ignis nominantur; & quia dicitur, quod Oculi Ipſius eſſent tanquam flamma ignis, ſignificatur Divina Sapientia Divini Amoris. Quod in Domino ſit Divinus Amor Divinæ Sapientiæ ac Divina Sapientia Divini Amoris, ſic utriuſque Unio reciproca, eſt Arcanum detectum in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 34 ad 39, & alibi

49. *Et Pedes Ipſius ſimiles chalcolibano in camino igniti, ſignificat Divinum Bonum Naturale.* Pedes Domini ſignificant Divinum Ipſius Naturale; Ignis ſeu Ignitum ſignificat Bonum; ac chalcolibanum ſignificat bonum veri naturale; quare per Pedes Filii hominis ſimiles chalcolibano tanquam in camino ignitos, ſignificatur Divinum Bonum Naturale. Quod Pedes Ipſius hoc ſignificent eſt ex correſpondentia. Eſt in Domino, & inde a Domino, DIVINUM CÆLESTE, DIVINUM SPIRITUALE, & DIVINUM NATURALE; Divinum Cæleſte intelligitur per Caput Filii Hominis, Divinum Spirituale per Ipſius Oculos & per Pectus quod Zona aurea cinctum erat, & Divinum Naturale per Ipſius Pedes: quia hæc Tria in Domino ſunt, ideo etiam illa tria in Cælo Angelico ſunt; Tertium ſeu ſupremum Cælum eſt in Divino Cæleſti, ſecundum ſeu medium Cælum eſt in Divino Spirituali, ac Primum ſeu Ultimum Cælum in Divino Naturali; ſimiliter Eccleſia in terris: Univerſum enim Cælum coram Domino eſt ſicut Unus Homo, in quo illi qui in Divino Cæleſti Domini ſunt, faciunt Caput, qui in Divino Spirituali faciunt Corpus, & qui in Divino Naturali faciunt Pedes: inde etiam in unoquovis homine, quia creatus eſt ad imaginem

Dei, tres illi gradus sunt, qui sicut aperiuntur, sit ille Angelus Cæli vel tertii, vel secundi, vel ultimi: inde quoque est, quod in Verbo tres Sensus sint, Cælestis, Spiritualis & Naturalis: quod ita sit, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, in specie in Parte Tertia, in qua de Tribus illis Gradibus actum est. Quod Pedes, Plantæ & Calcanei correspondeant Naturalibus apud hominem, & ideo in Verbo significent Naturalia, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, n. 2162. 4938 ad 4952. Divinum Bonum Naturale etiam significatur per Pedes in sequentibus locis; apud Danielem „ *Sustuli Oculos meos, & vidi, ecce vir indutus linteis, cujus lumbi cincti auro uphasi, corpus ejus sicut tharschisch, & oculi ejus sicut faces ignis, brachia ejus &* PEDES *ejus sicut* SPLENDOR ÆRIS LÆVIGATI, X: 5. 6. In Apocalypsi „ *Vidi Angelum descendentem e Cælo*, PEDES *ejus tanquam columnæ ignis*, X: 1: & apud Ezechielem „ PEDES *Cheruborum erant micantes sicut* SPLENDOR *æris lævigati*, I: 7; quod Angeli & Cherubi ita visi fuerint, erat quia Divinum Domini in illis repræsentabatur. Quoniam Ecclesia Domini est sub Cælis, ita sub pedibus Domini, ideo vocatur illa Scabellum pedum Ipsius, in his locis „ *Gloria Libani ad te veniet ad decorandum locum Sanctuarii mei, locum* PEDUM *meorum honorabilem reddam, & incurvabunt se ad* VOLAS PEDUM *tuorum* „ Esaj. LX: 13. 14. *Cælum Thronus meus, ac Terra* SCABELLUM PEDUM *meorum*, Esaj. LXVI: 1. *Deus non recordatur* SCABELLI PEDUM *suorum in die iræ* „ Thren. II: 1. *Adorate Jehovam versus* SCABELLUM PEDUM *Ipsius*, Psalm. XCIX: 5. *Ecce audivimus de Eo in Ephrata*, Bethlechem; *intrabimus in Habitacula Ipsius, incurvabimus nos* SCABELLO PEDUM *Ipsius*, Psalm. CXXXII: 6. 7. Inde est, quod *adorantes ceciderint ad Pedes Domini*, Matth. XXVIII: 9. Marc. V: 22. Luc. VIII: 41. Joh. XI: 32: tum, *quod osculati Pedes Ipsius, & absterserint capillis suis*, Luc. VII: 37. 38. 44. 46. Joh. XI: 2. Cap. XII: 3. Quia per Pedes significatur Naturale, ideo dixit Dominus ad Petrum, cum lavit ejus pedes „ *Qui lotus est, non opus habet, nisi quoad pedes lavetur, & mundus est totus*, Joh. XIII: 10; lavare pedes est purificare Naturalem hominem, qui cum purificatus est, etiam totus homo purificatus est, ut multis ostensum est in ARCANIS CÆLESTIBUS, & in DOCTRINIS NOVÆ HIEROSOLYMÆ; Naturalis homo, qui etiam est Externus homo, purificatur, dum ille fugit mala, quæ Spiritualis seu Internus homo videt quod mala sint & fugienda. Nunc quia Naturale hominis per Pedes intelligitur, & hoc pervertit omnia, si non lotum seu purificatum est, ideo dicit Dominus „ *Si* PES TUUS *Scandalizaverit te, abscinde eum; melius est tibi claudum ingredi vitam, quam duos pedes habere, & conjici in gehennam in ignem inexstinguibilem*, Marc. IX: 45; hic non intelligitur Pes, sed Naturalis homo. Simile intelligitur per *Proculcare Pedibus bonum pascuum; & per turbare Pedibus aquas*, Ezech. XXXII: 2. Cap. XXXIV: 18. 19 Dan. VII: 7. 19, & alibi. Quoniam per Filium Hominis intelligitur Dominus quoad Verbum, patet quod per Pedes Ipsius etiam intelligatur Verbum in sensu naturali, de quo multum actum est in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA; ut &, quod Dominus in Mundum venerit, ut impleret omnia Verbi, & per id fieret Verbum etiam in ultimis, n. 98 ad 100;

sed

sed hoc arcanum est pro illis qui in Nova Hierosolyma erunt. Divinum Naturale Domini etiam significatum est per Serpentem æneum ex mandato a Mose in deserto erectum, a cujus inspectione omnes qui a serpentibus morsi erant, sanati sunt, Num. XXI: 6. 8. 9; quod significaverit Divinum Naturale Domini, & quod salventur qui spectant ad illud, docet Ipse Dominus apud Johannem „ *Sicut Moses exaltavit Serpentem in Deserto, ita oportet exaltari* Filium Hominis, *ut omnis qui credit in Ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam*, III: 14. 15: quod serpens ille ex ære factus sit, est quia Æs ut Chalcolibanum significat Naturale quoad bonum, videatur infra n. 775.

50. *Et vox Ipsius tanquam vox aquarum multarum*, *significat Divinum Verum Naturale.* Quod Vox cum a Domino, significet Divinum Verum, videatur supra n. 37; quod Aquæ significent vera, & in specie vera naturalia, quæ sunt cognitiones ex Verbo, constat ex multis locis in Verbo, ex quibus sequentia solum adducentur „ *Plena est Terra scientia Jehovæ, sicut Aquæ mare contegunt* „ Esaj. XI: 9. *Tunc haurietis Aquas cum lætitia ex fontibus salutis* Esaj. XII: 3. *Qui ambulat in justitiis, & loquitur rectitutidines, Panis dabitur & Aqua fidelis*, Esaj. XXXIII: 15. 16. *Pauperes & egeni quærentes Aquam, sed non, lingua eorum siti defecit; aperiam super clivis fluvios, & in medio vallium fontes ponam, desertum in stagnum Aquarum, & terram siccam in scaturigines Aquarum, ut videant, agnoscant, attendant & intelligant*, Esaj. XLI. 17. 19. 21. *Effundam Aquas super sitientem, & fluenta super aridam, effundam spiritum meum*, Esaj. XLIV: 3. *Exorietur in tenebris lux tua, ut sis sicut hortus irriguus, & sicut exitus Aquarum, cujus Aquæ non mentientur*, Esaj. LVIII: 10. *Duo mala fecit populus meus, Me deseruerunt, Fontem Aquarum vivarum, ad excidendum sibi foveas, quæ non continent Aquas*, Jerem. II: 13. *Magnates miserunt minorennes Aquæ causa, venerunt ad foveas, nec invenerunt Aquas, reversa sunt vasa eorum vacua*, Jerem. XIV: 3. *Deseruerunt fontem Aquarum vivarum Jehovam*, Jerem. XVII: 13. *Cum fletu venient, & cum fletu adducam eos, ducam eos ad fontem Aquarum in via recti*, Jerem. XXXI: 9. *Frangam baculum Panis, & Aquas in mensura & stupore bibent, ut contabescant propter iniquitates*, Ezech. IV: 16. 17. Cap. XII: 18. 19. Esaj. LI: 14. *Ecce dies venient, quibus immittam famem in terram, non famem ad panem, nec sitim ad Aquas, sed ad audiendum verbum Jehovæ, vagabuntur a mari ad mare, & discurrent ad audiendum Verbum Jehovæ, nec invenient: in die illo deficient virgines & juvenes siti*, Amos VIII: 11. 12. 13. *In die illo exibunt Aquæ vivæ ex Hierosolyma*, Sach. XIV: 8. *Jehovah Pastor meus, ad Aquas quietum deducet me*, Psalm. XXIII: 2. *Non sitient, Aquas e Petra effluere faciet illis, & findet Petram ut effluant Aquæ*, Psalm. XLVIII: 21. *Deus mane quæro Te, sitit anima mea, lassus sine Aquis*, Psalm. LXIII: 2. *Jehovah mittit Verbum, spirare facit ventum, ut fluant Aquæ*, Psalm. CXLVII: 18. 19. *Laudate Jehovam Cæli cælorum, & Aquæ quæ desuper Cælis*, Psalm. CXLVIII: 4. *Jesus ad fontem Jacobi sedens dixit mulieri, omnis qui biberit ex hac qua, sitiet iterum, qui vero biberit ex Aqua, quam Ego dabo, non sitiet in æternum, & Aqua quam Ego dabo, fiet in eo fons Aquæ salientis in vitam æternam* „ Joh. IV: 7 ad 15. *Jesus dixit, si quis sitiverit, venito ad Me, & bibito, quisquis credit in Me,*

ſicut dicit Scriptura, flumina ex ventre illius fluent Aquæ viventis, Joh. VII: 27. 28. *Sitienti dabitur ex fonte Aquæ vitæ gratis*, Apoc. XXI: 6. *Oſtendit illi fluvium Aquæ vitæ exeuntem e throno Dei & Agni*, Apoc. XXII: 1. *Spiritus & Sponſa dicunt, & qui audit, dicat veni, & qui ſitit, veniet, & qui vult, accipiet Aquam vitæ gratis*, Apoc. XXII: 17; per Aquas in his locis intelliguntur vera; unde patet quod per vocem aquarum multarum intelligatur Divinum Verum Domini in Verbo, pariter in his locis ,, *Ecce gloria Dei Iſraelis venit ex via Orientis, & vox Ipſius ſicut* Vox Aquarum Multarum, *& Terra illuſtrata eſt a Gloria Ipſius*, Ezech. XLIII: 5. Audivi vocem e Cælo, tanquam Vocem Aquarum Multarum, Apoc. XIV: 2. *Vox Jehovæ ſuper* Aquis, *Jehovah ſuper* Aquis Multis, Pſalm. XXIX: 23. Cum ſcitur, quod per Aquas in Verbo intelligantur Vera in naturali homine, conſtare poteſt quid ſignificatum eſt per Lavationes in Eccleſia Iſraelitica; & quoque quid ſignificatur per Baptiſmum; & quoque per hæc Domini verba apud Johannem,, *Niſi homo generatus fuerit ex Aqua & Spiritu, non poteſt ingredi in Regnum Dei*, III: 5; ex Aqua, ſignificat per Vera, & ex Spiritu ſignificat per Vitam ſecundum illa. Quod Aquæ in oppoſito ſenſu ſignificent falſa, videbitur in ſequentibus.

51. *Et habens in dextra ſua manu ſtellas Septem, ſignificat omnes cognitiones boni & veri in Verbo, quæ inde apud angelos Cæli & apud homines Eccleſiæ ſunt.* Circum Angelos, cum infra Cælos ſunt, apparent ſicut ſtellulæ in multa copia, ſimiliter circum Spiritus, qui, dum in Mundo vixerunt, cognitiones boni & veri, ſeu vera vitæ & doctrinæ ſibi ex Verbo acquiſiverunt: at ſtellulæ illæ apparent fixæ apud illos qui in genuinis veris ex Verbo ſunt, ſed erraticæ apud illos qui in veris falſificatis ſunt. De his ſtellulis, tum de ſtellis apparentibus in Expanſo ibi, mirabilia poſſum referre, ſed hoc non hujus operis eſt: ex his patet, quod per ſtellas ſignificentur cognitiones boni & veri ex Verbo. Quod Filius Hominis haberet illas in dextra ſua manu, ſignificat quod ſint a Solo Domino per Verbum: quod Septem ſignificent omnes, videatur ſupra n: 10. Quod cognitiones boni & veri ex Verbo per Stellas ſignificentur, videri etiam poteſt ex his locis,, *Ponam terram in vaſtitatem; Stellæ cælorum & Sidera illorum non lucebunt luce ſua*, Eſaj. XIII: 10; Terra, quæ ponetur in vaſtitatem, eſt Eccleſia, qua vaſtata cognitiones boni & veri in Verbo non apparent. *Obtegam cum exſtinxero te, & atrabo Stellas; omnia Luminaria lucis atrabo ſuper te, & dabo tenebras ſuper Terra*, Ezech. XXXII: 7. 8; tenebræ ſuper terra, ſunt falſa in Eccleſia. *Sol & Luna atrati ſunt, & Stellæ contraxerunt ſplendorem*, Joel II: 10. 11. Cap. IV: 15. *Poſt afflictionem dierum iſtorum Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo*, Matth. XXIV: 29. Marc: XIII: 23. *Stellæ Cæli ceciderunt in terram, ſicut ficus abjicit groſſos ſuos*, Apoc. VI: 13. *Stella e Cælo lapſa eſt in terram*, Apoc. IX: 1; per ſtellas cadentes e cælo non intelliguntur ſtellæ, ſed quod perituræ cognitiones boni & veri ſint: hoc patet adhuc ex eo, quod *Draco detraxerit tertiam partem Stellarum de cælo*, Apoc. XII: 4: tum, quod *Hircus caprarum dejecerit de Stellis, & conculcaverit illas*, Dan. VIII: 9. 10. 11; quare in Verſu ſequente apud Danielem etiam dicitur, Quod *projecerit Veritatem in terram*,

Verſ:

Vers: 12. Cognitiones boni & veri per stellas etiam significantur in his locis *Jehovah numerat Stellas, omnibus nomina vocat*, Psalm. CXLVII: 4. *Laudate Jehovam omnes Stellæ lucis* „ Psalm. CXLVIII: 3. *Pugnarunt Stellæ de viis suis*, Judic. V: 20 Ex his patet, quid intelligitur per hæc apud Danielem „ *Intelligentes splendebunt sicut splendor expansi, justificantes multos sicut Stellæ in sæcula sæculorum*, XII: 3; intelligentes sunt qui in veris, & justificantes qui in bonis.

52. *Et ex ore Ipsius romphæa anceps acuta exiens, significat dispersionem falsorum per Verbum & per doctrinam inde a Domino.* In Verbo sæpius dicitur Gladius, Machæra, & Romphæa, & per illa non aliud significatur quam Verum pugnans contra falsa & destruens illa, & quoque in opposito sensu falsum pugnans contra vera; per Bella enim in Verbo significantur Bella spiritualia, quæ sunt veri contra falsum, ac falsi contra verum, quare per Arma belli significantur talia, per quæ in his bellis pugnatur. Quod dispersio falsorum a Domino per Romphæam hic intelligatur, patet, quia visa est exire ex ore Ipsius, & exire ex ore Domini est ex Verbo, Hoc enim ore loquutus est Dominus: & quia Verbum per Doctrinam inde intelligitur, ejam hæc significatur: dicitur romphæa anceps acuta, quia penetrat cor & animam. Ut sciatur, quod per Romphæam hic intelligatur dispersio falsorum per Verbum a Domino, adducentur aliqua loca, ubi Gladius nominatur, ex quibus hoc videri potest; quæ sunt „ GLADIE *contra Babelem, principes & sapientes ejus*: GLADIE *contra mendaces ut stultescant*: GLADIE *contra fortes ut consternentur*: *Gladie contra equos ejus & currus ejus.* GLADIE *contra thesauros ejus ut diripiantur*; *siccitas super aquis ejus ut exarescant* „ Jerem: L: 35 ad 38; hæc de Babele, per quam intelliguntur qui falsificant & adulterant Verbum, inde per Mendaces qui stultescent, per Equos & Currus super quos gladius, & per Thesauros qui diripientur, significantur falsa doctrinæ eorum; quod Aquæ, super quibus siccitas ut exarescant, significentur vera, videatur mox supra n: 50. *Propheta, & dic*, GLADIUS *exacutus, etiamque expolitus, ut mactet mactationem exacutus; iteretur* GLADIUS *tertio*; GLADIUS *confossorum*; GLADIUS *confossionis magnæ, penetralia penetrans, ut multiplicentur offendicula*, Ezech: XXI: 14 ad 20. 25; per Gladium etiam hic intelligitur devastatio veri in Ecclesia. *Jehovah disceptabit in* GLADIO *suo super omni carne, & multiplicabuntur confossi Jehovæ*, Esaj: LXVI: 16, confossi Jehovæ hic & alibi in Verbo dicuntur qui pereunt per falsa. *Super omnes colles in deserto venerunt vastatores*; GLADIUS JEHOVÆ *devorans a fine terræ usque ad finem terræ*, Jerem: XII: 12. *Cum periculo animarum nostrarum adducimus panem nostrum propter* GLADIUM *deserti* „ Thren: V: 9. *Væ pastori nihili deserenti gregem*, GLADIUS *super brachio ejus, & super oculo dextro ejus*, Sach: XI: 17, Gladius super oculo dextro pastoris est falsum intellectus ejus. *Inflammantur filii hominis; lingua eorum* GLADIUS *acutus*, Psalm: LVII: 5. *Ecce eructant ore suo*, GLADIUS *in labiis eorum*, Psalm: LIX: 8. *Operantes iniquitatem acuunt sicut* GLADIUM *linguam suam*, Psalm: LXIV: 4. Similia per Gladium significantur alibi, ut Esaj: XIII: 13. 15. Cap: XXI: 14. 15. Cap: XXVII: 6. 7. 38. Cap: XXXI: 7. 8. Jerem: II: 30. Cap. V: 12. Cap. XI: 22. Cap. XIV:

13 ad 18. Ezech. VII: 15. Cap. XXXII: 10. 11. 12. Ex his conſtare poteſt, quid per Gladium a Domino intellectum eſt in his locis „ *Jeſus dixit, Se non veniſſe mittere pacem ſuper terram, ſed* GLADIUM, Matth. X: 34. Jeſus dixit, *qui non habet crumenam & peram, vendat veſtimenta ſua, & emat* GLADIUM: *diſcipuli dixerunt, Domine, ecce* GLADII *duo, & Ipſe dixit, ſufficit*, Luc. XXII: 36. 38. *Omnes accipientes* GLADIUM, *per* GLADIUM peribunt, Matth. XXVI: 51. 52. Jeſus de Conſummatione ſæculi dicit, *Cadent ore* GLADII, *& captivabuntur inter omnes gentes, & tandem Hieroſolyma erit conculcata*, Luc. XXI: 24; conſummatio ſæculi eſt ultimum tempus Eccleſiæ, Gladius eſt falſum deſtruens verum, gentes ſunt mala, Hieroſolyma quæ erit conculcata eſt Eccleſia. Ex his nunc patet, quod per machæram acutam ex ore Filii hominis exeuntem, ſignificetur diſperſio falſorum per Verbum a Domino: ſimiliter in ſequentibus in Apocalypſi, *Data eſt* MACHÆRA *magna Sedenti ſuper Equo rufo*, VI: 4. *Ex ore Sedentis ſuper Equo albo, exibat* ROMPHÆA *acuta, ut per eam percutiat gentes: reliqui occiſi ſunt* ROMPHÆA *Sedentis ſuper Equo*, XIX: 15. 22; per Sedentem ſuper Equo albo, intelligitur Dominus quoad Verbum, quod aperte ibi dicitur Verſ: 13. 16. Simile intelligitur apud Davidem „ *Accinge* GLADIUM *ſuper femur tuum, Potens; equita ſuper verbo veritatis, tela tua acuta ſunt*, Pſalm. XLV: 4. 5. 6; hæc de Domino: & alibi, *Exultabunt ſancti, &* GLADIUS ORIUM in manu *eorum*, Pſalm. CXLIX. 5. 6: &apud Eſajam „ *Jehovah poſuit os meum* GLADIUM *acutum*, XLIX. 2.

53. *Et Facies Ipſius tanquam Sol lucens in potentia ſua, ſignificat Divinum Amorem & Divinam Sapientiam, quæ ſunt Ipſe, & procedunt ab Ipſo.* Quod per faciem Jehovæ ſeu Domini, intelligatur Ipſum Divinum in ſua eſſentia, quod eſt Divinus Amor & Divina Sapientia, ita Ipſe, videbitur in Explicationibus infra, ubi Facies Dei nominatur: ſimile ſignificatur per Solem lucentem in ſua potentia. Quod Dominus ut Sol videatur in Cælo coram angelis, & quod Divinus Ipſius Amor una cum Divina Ipſius Sapientia ita appareant, videatur in Opere de CÆLO & INFERNO Londini 1758 edito, n: 116 ad 125; & in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE & DIVINA SAPIENTIA, n: 83 ad 172: ſupereſt hic modo, ut confirmetur ex Verbo, quod Sol, cum de Domino, ſit Divinus Ipſius Amor & ſimul Divina Ipſius Sapientia; hoc conſtare poteſt ex ſequentibus his locis „ *In die illo erit lux Lunæ ſicut lux* SOLIS, *erit ſeptupla, ſicut lux ſeptem dierum*, Eſaj. XXX: 25. 26; dies ille eſt adventus Domini, cum vetus Eccleſia deſtructa eſt, & nova inſtauranda; lux Lunæ eſt fides ex charitate, & lux Solis eſt intelligentia ac ſapientia ex amore tunc a Domino. *Non occidet amplius* SOL *tuus, & Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit in lucem æternitatis*, Eſaj. LX: 20; ſol qui non occidet, eſt amor & ſapientia a Domino. *Mihi loquuta eſt Petra Iraelis, ſicut lux matutæ cum oritur* SOL „ II Sam. XXIII: 3. 4; Petra Iſraelis eſt Dominus. *Thronus Ipſius erit ſicut* SOL, Pſalm. LXXXIX: 37. 38; hoc dicitur de Davide, ſed per Davidem ibi intelligitur Dominus. *Timebunt Te cum* SOLE, *& florebit in diebus Ipſius juſtus, & multa pax usque dum non Luna: coram* SOLE *nomen Filii habebit, & benedicentur in Ipſo omnes gentes*, Pſalm. LXXII: 5. 7. 17; hæc quoque de Domino. Quia Dominus ut Sol apparet in Cælo coram angelis, ideo *Cum tansformatus eſt, ſplenduit facies Ip-*

Ipsius sicut Sol, *vestimenta Ipsius facta sunt sicut Lux*, Matth. XVII: 1. 2: ac dicitur de Angelo forti descendente e Cælo, quod *circumdatus esset nube, & facies Ejus sicut* Sol, Apoc. X: 1. & de muliere, quod *visa sit circumdata* Sole, Apoc. XII: 1, Sol etiam ibi est Amor & sapientia a Domino; Mulier ibi est Ecclesia, quæ vocatur Nova Hierosolyma. Quoniam per solem intelligitur Dominus quoad Amorem & Sapientiam, patet quid per Solem in sequentibus locis significatur „ *Ecce dies Jehovæ venit sævus, obtenebrabitur* Sol *in ortu suo, & Luna non splendere faciet lumen suum: visitabo super orbem malitiam, & super impios iniquitatem eorum*, Esaj. XXIV: 21. 23. *Obtegam, cum exstinxero te, cælos, & atrabo stellas eorum;* Solem *nube obtegam, & Luna non lucere faciet lumen suum, & dabo tenebras super terra tua*, Ezech. XXXII: 7. 8. *Venit dies Jehovæ, dies tenebrarum*, Sol *& Luna non lucere facient lucem suam, & stellæ contraxerunt splendorem suum*, Joel II: 10. Sol *vertetur in tenebras, & Luna in sangvinem, antequam venit dies Jehovæ magnus*, Joel III: 4. *Propinquus est dies Jehovæ in valle decisa, Sol & Luna atrati sunt*, Joel IV: 15. *Quartus Angelus clanxit, & percussa est tertia pars* Solis, *tertia pars stellarum, & dies non lucebat tertia sui parte*, Apoc. VII: 12. Sol *factus est niger sicut saccus cilicinus, & Luna facta est tanquam sanguis*, Apoc. VI: 12. *Obscuratus est Sol a fumo abyssi*, Apoc. IX: 2; in his locis per Solem non intelligitur Sol mundi, sed Sol cæli angelici, qui est Divinus Amor & Divina Sapientia Domini, hæc dicuntur obscurari, obtenebrari, obtegi, & atrari, cum apud hominem falsa & mala sunt: inde patet, quod simile intelligatur per Domini verba, ubi loquitur de Consummatione sæculi, quæ est ultimum tempus Ecclesiæ, „ *Statim post afflictionem dierum istorum* Sol *obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo*, Matth. XXIV: 29. Marc XIII: 24. 25. similiter in his „ *Occidet* Sol *super Prophetas, & nigrescet super illis dies*, Mich. III: 5. 6. *In die illo occidere faciam* Solem *in meridie, & obtenebrabo terram in die lucis* „ Amos VIII: 9. *Exspirabit animam quæ pepererat septem, occidet* Sol *ejus cum adhuc dies*, Jerem. XV: 9; hæc de Ecclesia judaica, quæ exspirabit animam, hoc est, peribit; occidet Sol, est quod non amplius amor & charitas. Quod dicitur apud Josuam, *Quod* Sol *steterit in Gibeone, & Luna in valle Ajalonis*, X: 12. 13, apparet ut Historicum, sed est Propheticum, est enim ex libro Jaschar, qui fuit Liber propheticus, dicit enim, *Nonne hoc scriptum est in Libro Jaschar*, Vers. 13, idem Liber ut propheticus etiam nominatur a Davide II Sam. I: 17. 18; simile etiam dicitur apud Habakuk. „ *Commoti sunt montes, Sol & Luna stetit sede*, III: 10: *Non occidet amplius Sol tuus, & Luna tua non colligetur*, LX: X; nam facere stare Solem & Lunam, foret destruere universum. Quoniam Dominus quoad Divinum Amorem & Divinam Sapientiam per Solem intelligitur, ideo Antiqui in sancto cultu verterunt faciem ad Orientem Solis; & quoque Templa sua, qui Ritus adhuc perstat. Quod non sol mundi per Solem in illis locis intelligatur, constat ex eo, quod prophanum & abominabile fuerit adorare Solem & Lunam mundi, videatur Num. XXV: 1. 2. 3. 4. Deut. IV. 19. Cap. XVII. 3. 5. Jerem. VIII. 1. 2. Cap. XLIII. 10. 13. Cap XLIV. 17. 18. 19. 25. Ezech. VIII. 16; per Solem

Solem mundi enim intelligitur amor sui & fastus propriæ intelligentiæ, ac amor sui est e diametro oppositus Divino Amori, ac fastus propriæ intelligentiæ oppositus Divinæ sapientiæ: adorare solem mundi est quoque agnoscere Naturam creatricem & propriam prudentiam effectricem omnium, quod involvit negationem Dei & negationem Divinæ Providentiæ.

54. *Et cum vidi Ipsum, cecidi ad pedes Ipsius tanquam mortuus, significat quod ex tali præsentia Domini defectum vitæ propriæ.* Vita propria hominis non sustinet præsentiam Domini, qualis Dominus est in Se, imo qualis est in intimis Verbi sui; nam Divinus Ipsius Amor est prorsus sicut Solis, qui qualis est in se, nemo sustinere potest, consumeretur enim: hoc intelligitur per *quod nemo possit videre Deum & vivere*, Exod: XXXIII: 20. Judic. XIII: 22. Quia ita est, ideo Dominus apparet Angelis in Cælo ut Sol distans ab illis, sicut Sol mundi ab hominibus; causa est, quia Dominus in Sole illo est in Se. Sed usque Dominus moderatur ac temperat Divinum suum ita, ut homo præsentiam Ipsius sustinere possit, hoc fit per obvelationes; ita factum est cum se revelavit multis in Verbo: imo per obvelationes præsens est apud unumquemvis, qui Ipsum colit; ut Ipse dicit apud Johannem „ *Qui facit præcepta mea, apud illum faciam mansionem*, XIV: 21. 23. *Quod Ipse erit in illis & illi in Ipso* „ XV: 4. 5. Ex his patet, cur Johannes, cum vidit Dominum in tali Gloria, ceciderit ad pedes Ipsius sicut mortuus: tum etiam, cum tres discipuli viderunt Dominum in gloria, gravati sint somno, & nubes obvelaverit illos, Luc: IX: 32. 34.

55. *Et imposuit dextram suam manum super me, significat vitam ab Ipso tunc inspiratam.* Quod Dominus imposuerit dextram manum super illum, est quia communicatio fit per tactum manuum; causa est, quia vita mentis & inde corporis se exserit in brachia, & per illa in manus; ex eo est quod Dominus illos quos in vitam resuscitavit & sanavit, manu tetigerit, Marc: I: 31. 41. Cap. VII: 32. 33. Cap. VIII: 22 ad 27. Cap. X: 13. 16. Luc: V: 12. 13. Cap. VII: 14. Cap. XVIII: 15. Cap. XXII: 51; & quod similiter *Discipulos, postquam viderunt Jesum transformatum, & super faciem ceciderunt*, Matth: XVII: 6. 7. Ipsa origo est, quia præsentia Domini apud hominem est adjunctio, ita conjunctio per contiguum, & hæc contiguitas fit propior & plenior, sicut homo amat Dominum, hoc est, facit præcepta Ipsius. Ex his paucis constare potest, quod per imponere dextram suam manum super illum, significetur vitam suam ei inspirare.

56. *Dicens mihi, ne time, significat resuscitationem, & tunc ex summa humiliatione adorationem.* Quod fit resuscitatio in vitam, a mox præcedentibus n. 55, sequitur; & quod fit adoratio ex summa humiliatione, patet, nam ceciderat ad pedes Domini; & quia cum resuscitatus est, sanctus timor illum occupavit, dixit Dominus, ne time: sanctus timor, qui quandoque conjunctus est cum sacro tremore interiorum quæ mentis sunt, & quandoque cum horripilatione, supervenit, quando vita a Domino loco vitæ propriæ intrat; vita propria est spectare a se ad Dominum, vita autem a Domino, est spectare a Domino ad Dominum, & usque tanquam a se; dum homo in hac vita est, videt

videt se non esse aliquid, sed solum Dominum. In sancto hoc timore fuit etiam Daniel, cum vidit Virum indutum linteis, cujus lumbi cincti erant auro uphasi, corpus sicut tharschish, facies sicut fulgur, oculi sicut faces ignis, brachia & pedes sicut splendor æris lævigati, quo viso etiam Daniel factus est sicut mortuus, ac illum *Tetigit Manus*, & dictum est, NE TIME, Daniel, Dan. X: 5 ad 12. Simile etiam factum est cum Petro, Jacobo & Johanne, cum Dominus transformatus est, & visus quoad faciem ut Sol, & quoad vestimenta ut Lux, ex quo etiam illi ceciderunt super facies, & timuerunt sibi valde, & tunc accedens Jesus *Tetigit illos*, dicens, NE TIMETE VOBIS, Matth. XVII: 6. 7. Dixit etiam Dominus ad mulieres, quæ ad sepulchrum viderunt Ipsum, NE TIMETE, Matth. XXVIII: 10. Et quoque Angelus, cujus facies visa est sicut fulgur, & vestis sicut nix, dixit ad mulieres illas, NE TIMETE VOBIS, Matth. XXVIII: 3. 4. 5. Angelus ad Sachariam etiam dixit, NE TIME, Luc. I: 12. 13. Similiter Angelus ad Mariam, NE TIME, Luc. I: 30. Angelus quoque ad pastores, quos gloria Domini circumfulsit, NE TIMETE, Luc. II: 9. 10. Similis timor sanctus cepit Simonem propter capturam piscium, quare dixit, exi a me, quia vir peccator sum, Domine, sed Jesus dixit ad illum, NE TIME, Luc. V: 8. 9. 10, præter alibi. Hæc allata sunt, ut sciatur cur Dominus dixit ad Johannem, Ne Time, & quod per id intelligatur resuscitatio, & tunc ex summa humiliatione adoratio.

57. *Ego sum Primus & Ultimus, quod significet quod sit Solus Infinitus ac Æternus, ita Solus Deus*, constare potest ex illis quæ supra n. 13. 29. 38, explicata sunt.

58. *Et Qui sum Vivens, significat Qui Solus est Vita, & a Quo Solo Vita.* Jehovah in Verbo Veteris Testamenti vocat Se VIVUM & VIVENTEM, quia Solus Vivit; est enim Ipse Amor & Ipsa Sapientia, & hæc sunt Vita: quod Unica Vita sit, quæ Deus, & quod angeli & homines recipientes vitæ sint ab Ipso, multis ostensum est in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE & DIVINA SAPIENTIA. Jehovah Se vocat VIVUM & VIVENTEM, Esaj. XXXVIII. 18. 19. Jerem. V: 2. Cap. XII: 16. Cap. XVI: 14. 15. Cap. XXIII. 7. 8. Cap, XLVI: 18. Ezech. V: 11. Dominus etiam quoad Divinum Humanum est Vita, quia Pater & Ipse unum sunt; quare dicit „ QUEMADMODUM PATER HABET VITAM IN SE IPSO, ITA DEDIT FILIO VITAM HABERE IN SE IPSO. Joh. V: 26. JESUS DIXIT; EGO SUM RESRRECTIO & VITA, Joh. XI. 25. JESUS DIXIT, EGO SUM VIA, VERITAS & VITA, Joh. XIV: 6. IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, & DEUS ERAT VERBUM; IN IPSO VITA ERAT: & VERBUM CARO FACTUM EST, Joh. I: 1 ad 4. 14. Quia Dominus est Solus Vita, sequitur quod ab Ipso Solo sit Vita, quare dicit, QUIA EGO VIVO, ETIAM VOS VIVETIS, Joh. XIV: 19.

59. *Et factus mortuus, significat quod neglectus, ac Divinum Humanum Ipsius non agnitum.* Per factus mortuus non intelligitur quod crucifixus sit, & sic mortuus, sed quod neglectus in Ecclesia, ac Divinum Humanum Ipsius non agnitum, sic enim apud homines mortuus est: agnoscitur quidem Divinum Ipsius ab æterno, sed hoc est Ipse Jehovah; at non agnoscitur Humanum

Ipſius eſſe Divinum, tametſi Divinum & Humanum in Ipſo eſt ſicut Anima & Corpus, & ſic non ſunt duo ſed unum, imo una Perſona, ſecundum Doctrinam in univerſo Chriſtiano Orbe receptam, quæ ab Athanaſio nomen habet: cum itaque ſeparatur Divinum ab Humano Ipſius, dicendo Humanum non Divinum, ſed ſimile Humano alterius hominis, tunc apud homines eſt mortuus: ſed de hac ſeparatione, & ſic mortificatione Domini, videantur plura in DOCTRINA NOVÆ HIEROSLYMÆ DE DOMINO; & in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n: 262. 263.

60. *Et ecce Vivens ſum in ſæcula ſæculorum, ſignificat quod ſit Vita æterna.* Quoniam Qui ſum Vivens, ſignificat quod Solus ſit Vita, & ab Ipſo Solo vita, ſupra n: 58, ſequitur, quod ecce Vivens ſum in ſæcula ſæculorum, ſignificet quod Solus ſit Vita in æternum, & ſic ab Ipſo Solo vita æterna, eſt enim Vita æterna in Ipſo, & inde ab Ipſo: ſæcula ſæculorum ſignificant æternum. Quod a Solo Domino ſit Vita æterna, conſtat ex ſequentibus his locis „ *Jeſus dixit, omnis qui credit in Me, non peribit, ſed habebit Vitam æternam,* Joh. III: 16. *Qui credit in Filium, habet Vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit Vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo,* Joh. VI: 40. 47. 48. *Amen dico vobis, qui credit in Me, habet Vitam æternam,* Joh. VI: 47. *Ego ſum Reſurrectio & Vita, qui credit in Me, etſi moriatur, vivet: omnis qui credit in Me, non morietur in æternum,* Joh. XI: 24. 26; & alibi. Inde nunc Dominus vocatur Vivens in ſæcula ſæculorum etiam in ſequentibus in Apocalypſi, Cap. IV: 9. 10. Cap. V: 14. Cap. X: 6. Dan. IV: 31.

61. *Amen, ſignificat confirmationem Divinam quod ſit veritas.* Quod amen ſit Veritas, quæ eſt Dominus, videatur ſupra n: 23.

62. *Et habeo claves inferni & mortis, ſignificat quod Solus ſalvare poſſit.* Per Claves ſignificatur potentia aperiendi & claudendi, hic potentia aperiendi Infernum, ut homo educi poſſit, & claudendi, ne dum eductus eſt, reintret; homo enim natus eſt in mala omnis generis, ita in inferno, nam mala ſunt infernum, ex eo educitur a Domino, Cui potentia eſt aperiendi illud. Quod per habere claves inferni & mortis, non intelligatur potentia conjiciendi in infernum, ſed potentia ſalvandi, eſt quia ſequitur ſtatim poſt hæc, *Ecce Vivens ſum in ſæcula ſæculorum,* per quæ ſignificatur quod Solus ſit Vita æterna. n: 60, & Dominus nusquam aliquem in infernum conjicit, ſed ipſe homo ſemet. Per Claves ſignificatur potentia aperiendi & claudendi etiam in Apocalypſi Cap. III: 7. Cap. IX: 1. Cap. XX: 1: tum apud Eſajam Cap. XXII: 21. 22: apud Matthæum Cap. XVI: 19: & apud Lucam Cap. XI: 52. Potentia Domini non ſolum eſt ſuper Cælum ſed etiam ſuper Infernum, nam Infernum tenetur in ordine & connexu per oppoſitiones contra Cælum, quare qui regit unum neceſſario reget alterum; alioquin non potuiſſet homo ſalvari; ſalvari eſt educi ab inferno.

63. *Scribe quæ vidiſti, & quæ futura ſunt poſt hæc, quod ſignificet ut omnia quæ nunc revelantur ſint poſteritati,* conſtat absque explicatione.

64. *Myſterium ſeptem ſtellarum quas vidiſti in dextra mea, & ſeptem candelabra aurea, ſignificat arcana in Viſionibus de novo Cælo & de nova Eccleſia.* Quod per ſep-

septem Stellas significetur Ecclesia in Cælis, & per septem Candelabra Ecclesia in terris, videbitur in nunc sequentibus.

65. *Septem Stellæ Angeli septem Ecclesiarum sunt, significat novam Ecclesiam in Cælis, quæ est Novum Cælum.* In Cælis æque est Ecclesia ut in terris, nam in Cælis æque est Verbum ut in terris, suntque doctrinæ ex illo, & sunt prædicationes ex illo, de qua re videatur in NOVA HIEROSOLYMA DE SCRIPTURA SACRA, n: 70 ad 75. & n: 104 ad 113: illa Ecclesia est Novum Cælum, de quo in Præfatione aliquid dictum est. Quod Ecclesia in Cælis, seu Novum Cælum, intelligatur per septem Stellas, est quia dicitur, quod septem Stellæ Angeli septem Ecclesiarum sint, & per Angelum significatur Societas cælestis. Apparet in Mundo Spirituali Expansum stellis plenum sicut in Mundo naturali, & id apparet ex Societatibus Angelicis in Cælo, unaquævis Societas ibi coram illis qui infra sunt, lucet ut Stella; inde sciunt ibi, in quo situ Societates Angelicæ sunt. Quod septem non significent septem, sed omnes qui ab Ecclesia ibi sunt, secundum receptionem cujusvis, videatur supra n: 10. 14. 41; ita per Angelos septem Ecclesiarum, intelligitur universa Ecclesia in Cælis, ita Novum Cælum in toto complexu.

66. *Et septem Candelabra, quæ vidisti, septem Ecclesiæ sunt, significat Novam Ecclesiam in terris, quæ est Nova Hierosolyma descendens a Domino e Novo Cælo.* Quod Candelabra sint Ecclesia, videatur supra n: 43; & quia septem significant omnes, n: 10, per septem Candelabra non intelliguntur septem Ecclesiæ, sed Ecclesia in toto complexu, quæ in se una est, sed varia secundum receptionem; varietates illæ comparari possunt variis diadematibus in Corona Regis; & quoque comparari possunt variis Membris & Organis in perfecto Corpore, quæ usque unum faciunt; perfectio cujusvis formæ ex variis convenienter in suo ordine positis, existit; inde est, quod Universa Nova Ecclesia cum suis variis in nunc sequentibus per septem Ecclesias describatur.



67. FIDES NOVI CÆLI & NOVÆ ECCLESIÆ IN UNIVERSALI IDEA, hæc est; Quod Dominus ab æterno, Qui est Jehovah, in Mundum venerit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum suum; & quod absque eo nemo mortalium salvari potuerit; & quod salventur qui credunt in Ipsum.

Dicitur in universali idea, quia hoc est universale fidei, ac universale fidei est quod in omnibus & singulis erit. Universale fidei est, quod Deus sit unus Persona & Essentia in Quo Trinitas, & quod Dominus sit ille Deus. Universale fidei est, quod nullus mortalium salvari potuerit nisi Dominus in Mundum venerit. Universale fidei est, quod in Mundum venerit, ut removeret Infernum ab homine, & removit illud per Pugnas contra illud,

& per Victorias ſuper illud; ita ſubjugavit illud; & redegit illud in ordinem, & ſub ſuam obedientiam. Univerſale fidei etiam eſt, quod in Mundum venerit, ut Humanum, quod in Mundo ſuſcepit, glorificaret, hoc eſt, uniret Divino a Quo; ſic Infernum ab Ipſo ſubjugatum in ordine & ſub obedientia ſua in æternum tenet. Quoniam utrumque hoc non potuit fieri quam per Tentationes uſque ad ultimam illarum, ac ultima illarum fuit Paſſio crucis, ideo illam ſubivit. Hæc ſunt Univerſalia fidei de Domino.

Univerſale fidei Chriſtianæ a parte hominis eſt; ut credat in Dominum, nam per credere in Ipſum fit conjunctio cum Ipſo, per quam ſalvatio: credere in Ipſum eſt fiduciam habere quod Ipſe ſalvet: & quia fiduciam habere non poteſt niſi qui bene vivit, ideo etiam hoc per credere in Ipſum intelligitur.

De binis his Fidei Chriſtianæ Univerſalibus actum eſt in ſpecie; de Primo, quod Dominum ſpectat, in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino: & de Altero, quod Hominem ſpectat, in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Charitate, & de Fide, ac in Doctrina vitæ pro illa: & de utroque nunc in Explicationibus ſuper Apocalypſin.



C A-

1. ANgelo Ephesinæ Ecclesiæ Scribe; hæc dicit tenens septem Stellas in dextra sua, ambulans in medio septem Candelabrorum aureorum.

2. Novi opera tua, & laborem tuum, & tolerantiam tuam, & quod non possis ferre malos, & exploraveris dicentes se esse Apostolos, & non sunt, & inveneris eos mendaces.

3. Et sustinuisti, & tolerantiam habes, & propter Nomen meum laborasti, & non defecisti.

4. Sed habeo adversus te, quod charitatem tuam primam reliqueris.

5. Memor esto itaque unde excideris, & resipisce, & prima opera fac, sin minus veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum e loco suo si non resipueris.

6. Sed hoc habes quod odisti opera Nicolaitarum, quæ & Ego odi.

7. Habens aurem audiat quid spiritus dicit Ecclesiis: vincenti dabo illi edere de arbore vitæ, quæ in medio paradisi Dei.

8. Et Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribe; hæc dicit Primus & Ultimus, Qui fuit mortuus & vivit.

9. Novi tua opera, & afflictionem, & egestatem, & blasphemiam dicentium Judæos esse se, & non sunt, sed synagoga Satanæ.

10. Nihil timeas quæ futurus es pati, ecce futurum ut conjiciat ex vobis diabolus in custodiam, ut tentemini, & habebitis afflictionem diebus decem: esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.

11. Habens aurem audiat quid spiritus dicit Ecclesiis; vincens non lædetur a morte secunda.

12. Et Angelo in Pergamo Ecclesiæ scribe; hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam.

13. Novi opera tua, & ubi habitas, ubi thronus satanæ; & tenes Nomen meum, & non negasti fidem meam, & in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis, qui occisus apud vos ubi habitat satanas.

14. Sed habeo adversus te pauca, quod habeas ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balacum objicere scandalum coram filiis Israelis edere idolothyta & scortari.

15. Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, quod odi.

16. Resipisce, sin minus, veniam tibi cito, & pugnabo cum illis romphæa oris mei.

17. Habens aurem audiat, quid spiritus dicit Ecclesiis; vincenti dabo illi edere de manne abscondito; & dabo illi calculum album, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit.

18. Et Angelo in Thyatiris Ecclesiæ scribe: hæc dicit Filius Dei habens oculos suos tanquam flammam ignis, & pedes suos similes chalcolibano.

19. Novi tua opera, & charitatem, & ministerium, & fidem, & tolerantiam tuam, & opera tua, & ultima plura prioribus.

20. Sed habeo adversus te pauca, quod permittas mulierem Jezabel, dicentem se prophetissam, docere & seducere meos servos scortari, & idolothyta edere.

21. Et dedi illi tempus ut resipisceret a scortatione sua, & non resipuit.

22. Ecce Ego conjicio illam in lectum, & mæchantes cum illa in afflictionem magnam, si non resipuerit ab operibus suis.

23. Et filios ejus occidam morte, & cognoscent omnes Ecclesiæ, quod Ego sim scrutans renes & corda; & dabo unicuique vestrum secundum opera sua.

24. Vobis autem dico, & reliquis in Thyatiris, quicunque non habent doctrinam hanc, & qui non cognoverunt profunda satanæ, sicut dicunt; non impono super vos aliud opus.

25. Attamen quod habetis, retinete donec venio.

26. Et vincens & custodiens usque ad finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes.

27. Et reget eas virga ferrea, tanquam vasa figulina confringentur; sicut & Ego accepi a Patre meo.

28. Et dabo illi Stellam matutinam.

29. Habens aurem audiat quid Spiritus dicit Ecclesiis.

SENSUS SPIRITUALIS.

68. Contentum totius Capitis. Ad Ecclesias in Christiano Orbe: ad illos ibi, qui primario spectant vera doctrinæ & non bona vitæ, qui intelliguntur per Ecclesiam Ephesinam, n. 72 ad 90.

90. Ad illos ibi, qui in bonis quoad vitam sunt & in falsis quoad Doctrinam, qui intelliguntur per Ecclesiam Smyrnæorum, n. 91 ad 106. Ad illos ibi, qui omne Ecclesiæ ponunt in bonis operibus, & non aliquid in veris, qui intelliguntur per Ecclesiam in Pergamo, n. 107 ad 123. Et ad illos ibi, qui in fide ex charitate sunt, ut & ad illos qui in fide separata a charitate sunt, qui intelliguntur per Ecclesiam in Thyatiris, n. 124 ad 152. Omnes illi vocantur ad Ecclesiam Novam, quæ est Nova Hierosolyma.

Contenta Singulorum Versuum. Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe, *significat* ad illos & de illis, qui primario spectant vera doctrinæ, & non bona vitæ: hæc dicit tenens septem stellas in dextra sua, *significat* Dominum a Quo per Verbum omnia vera: ambulans in medio septem candelabrorum aureorum, *significat* a Quo omnis illustratio illis qui ab Ecclesia Ipsius sunt: novi opera tua, *sign:* quod Ipse videat omnia interiora & exteriora hominis simul: & laborem tuum & tolerantiam tuam, *sign:* studium & patientiam illorum: & quod non possis ferre malos, *sign:* quod non sustineant mala dici bona, & vicissim: & exploraveris dicentes se esse Apostolos, & non sunt, & inveneris eos mendaces, *sign:* quod scrutentur illa quæ in Ecclesia dicuntur esse bona & vera, quæ tamen sunt mala & falsa: & sustinuisti & tolerantiam habes; *sign:* patientiam cum illis; & propter Nomen meum laborasti & non defecisti, *sign:* studium & operam comparandi sibi illa quæ religionis & ejus doctrinæ sunt: sed habeo adversus te, quod charitatem tuam primam reliqueris, *sign:* quod hoc sit contra illos, quod primo loco non habeant bona vitæ: memor esto itaque unde excideris, *sign:* recordationem aberrationis: & resipisce, & prima opera fac, *sign:* ut invertant statum vitæ suæ: sin minus, veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum e loco suo, si non resipueris, *sign:* quod alioquin certum sit non dari illustrationem ut videant vera amplius: sed hoc habes, quod odisti opera Nicolaitarum, quæ & Ego odi, *sign:* quod hoc ex veris suis sciant, & inde non velint ut opera sint meritoria: habens aurem audiat quid spiritus dicit Ecclesiis, *sign:* quod qui illa intelligit, obediat, quæ Divinum Verum Verbi docet illos, qui e nova Ecclesia, quæ est nova Hierosolyma, erunt: vincenti, *sign:* qui pugnat contra mala & falsa & reformatur: dabo edere de arbore vitæ, *sign:* appropriationem boni amoris & charitatis a Domino: quæ in medio paradisi Dei, *sign:* interius in veris sapientiæ & fidei.

Et Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribe, *significat* ad illos & de illis, qui in bonis quoad vitam sunt sed in falsis quoad doctrinam: hæc dicit Primus & Ultimus, *sign:* Dominum, quod sit Solus Deus: Qui fuit mortuus & vivit, *sign:* quod in Ecclesia neglectus sit, & Humanum Ipsius non agnitum Divinum cum tamen quoad illud etiam Solus est Vita, & ab Ipso Solo Vita æterna: novi opera tua, *sign:* quod Dominus videat omnia interiora & exteriora illorum

simul:

ſimul: & afflictionem & egeſtatem, *ſign:* quod in falſis ſint, & inde non in bonis: & blaſphemiam dicentium Judæos eſſe ſe & non ſunt, *ſign:* falſiloquium quod apud illos ſint bona amoris, cum tamen non ſunt: ſed ſynagoga ſatanæ, *ſign:* quia ſunt in falſis quoad doctrinam: nihil timeas quæ futurus es pati, *ſign:* ne deſperetis cum infeſtamini a malis & impugnamini a falſis: ecce futurum ut conjiciat ex vobis diabolus in cuſtodiam, *ſign:* quod bonum vitæ eorum a malis, quæ ab inferno, infeſtabitur: & tentemini, *ſign:* per falſa pugnantia contra illos: & habebitis afflictionem diebus decem, *ſign:* quod duraturum ſit tempore pleno: eſto fidelis uſque ad mortem, *ſign:* receptionem veritatum uſque dum falſa remota ſunt: & dabo tibi coronam vitæ, *ſign:* quod illis tunc vita æterna victoriæ præmium: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, *ſign:* hic ut prius: vincens, *ſign:* qui pugnat contra mala & falſa & reformatur: non lædetur a morte ſecunda, *ſign:* quod poſtea non ſuccumbent a malis & falſis ab inferno.

Et Angelo in Pergamo Eccleſiæ ſcribe, *ſignificat* ad illos & de illis, qui omne Eccleſiæ ponunt in bonis operibus, & non aliquid in veris doctrinæ: hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam, *ſign:* Dominum quoad vera doctrinæ ex Verbo, per quæ diſperguntur mala & falſa: novi opera tua, *ſign:* hic ut prius: & ubi habitas, *ſign:* vitam eorum in caligine: & tenes Nomen meum, & non negaſti fidem meam, *ſign:* cum tamen illis eſt Religio & ſecundum illam cultus: & in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis, qui occiſus apud vos ubi habitat ſatanas, *ſign:* quando omnis veritas per falſa in Eccleſia exſtincta eſt: ſed habeo adverſus te pauca, *ſign:* quod contra illos hæc quæ ſequuntur: quod habeas ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balacum objicere ſcandalum coram filiis Iſraelis edere idolothyta & ſcortari, *ſign:* quod inter illos ſint qui faciunt opera hypocritica, per quæ cultus Dei in Eccleſia conſpurcatur & adulteratur: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum quod odi, *ſign:* quod inter illos etiam ſint qui faciunt opera meritoria: reſipiſce, *ſign:* ut caveant ſibi ab illis operibus; ſin minus, veniam tibi cito, & pugnabo cum illis romphæa oris mei, *ſign:* ſi non, quod Dominus contendet cum illis ex Verbo: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, *ſign:* hic quod prius: Vincenti, *ſign-* hic quod prius: dabo illi edere de manne abſcondito, *ſign:* tunc appropriationem boni amoris cæleſtis, & ſic conjunctionem Domini cum illis qui operantur: & dabo illi calculum album, *ſign:* vera ſuffragantia & unita bono: & in calculo nomen novum ſcriptum, *ſign:* quod ſic illis quale boni quod non prius: quod nemo novit niſi qui recipit *ſign:* quod non apparet alicui quia vitæ eorum inſcriptum.

Et Angelo in Thyatiris Eccleſiæ ſcribe, *ſignificat* ad illos & de illis, qui in fide ex charitate ſunt, & inde in bonis operibus; & quoque ad illos & de illis, qui in fide ſeparata a charitate ſunt, & inde in malis operibus: hæc dicit Filius Dei habens oculos ſicut flammam ignis, *ſign:* Dominum quoad Divinam Sapientiam Divini Amoris: & pedes ſuos ſimiles chalcolibano, *ſign:* Divinum Bonum naturale: novi tua opera, *ſign:* hic quod prius: & charitatem & miniſterium, *ſign:* affectionem ſpiritualem, quæ vocatur charitas, & ejus operationem;

tionem; & fidem & tolerantiam tuam, ſignificat veritatem & ſtudium comparandi & docendi illam: & ultima plura prioribus, *ſign:* incrementa illarum ex affectione veri ſpirituali: ſed habeo adverſus te pauca, *ſign:* hæc quæ ſequuntur: quod permittas mulierem Jeſabel, *ſign:* quod in Eccleſia apud illos ſint qui fidem ſeparant a charitate: dicentem ſe prophetiſſam, *ſign:* & qui fidem faciunt ſolam doctrinam Eccleſiæ: docere & ſeducere meos ſervos ſcortari, *ſign:* ex qua fit quod vera Verbi falſificentur: ac edere idolothyta, *ſign:* conſpurcationem cultus, & prophanationes: & dedi illi tempus ut reſipiſceret a ſcortatione ſua, & non reſipuit, *ſign:* quod qui confirmaverunt ſe in illa doctrina, non recedant, tametſi vident contraria in Verbo: & Ego conjiciam illam in lectum, & mæchantes cum illa in afflictionem magnam, *ſign:* quod ſic relinquendi ſint in ſuâ doctrina cum falſificationibus, & quod graviter infeſtandi ſint a falſis; ſi non reſipuerit, *ſign:* ſi non volunt recedere a ſeparando fidem a charitate: & filios ejus occidam morte, *ſign:* quod omnia vera ex Verbo vertentur in falſa: ut cognoſcant Eccleſiæ quod Ego ſim ſcrutans renes & corda, *ſign:* ut Eccleſia ſciat quod Dominus videat quale verum & quale bonum eſt cuivis: & dabo unicuique ſecundum opera ejus, *ſign:* quod det cuivis ſecundum charitatem & ejus fidem, quæ in operibus: vobis autem dico, & reliquis in Thyatiris, quicunque non habent doctrinam hanc, *ſign:* ad illos apud quos doctrina fidei ſeparatæ a charitate, & apud quos doctrina fidei conjunctæ charitati eſt: & qui non cognoverunt profunda ſatanæ, *ſign:* qui non interiora illorum, quæ mere falſa ſunt, intelligunt: non impono vobis aliud onus, *ſign:* ſolum ut ſibi caveant ab illis: attamen quod habetis, retinete donec venio, *ſign:* ut pauca illa quæ ſciunt de charitate & inde fide ex Verbo, retineant & ſecundum illa vivant, uſque ad adventum Domini: & vincens & cuſtodiens uſque ad finem opera mea, *ſign:* qui in charitate & inde fide actualiter ſunt, & in illis permanent uſque ad finem vitæ: dabo illi poteſtatem ſuper gentes, *ſign:* quod apud ſe vincent mala quæ ab inferno: & reget eas virga ferrea, *ſign:* per vera ex ſenſu literæ Verbi, & ſimul per rationalia ex naturali lumine: tanquam vaſa figulina confringentur, *ſign:* ſicut parvi & nihili: ſicut & Ego accepi a Patre meo, *ſign:* hoc a Domino, qui Sibi omnem potentiam ſuper inferna, dum fuit Mundo, ex Divino ſuo quod in Ipſo, comparavit: & dabo illi ſtellam matutinam, *ſign:* intelligentiam & ſapientiam tunc: habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, *ſign:* hic quod prius.

EXPLICATIO.

69. AGitur in hoc Capite & in ſequente de Septem Eccleſiis, per quas deſcribuntur omnes qui in Eccleſia Chriſtiana ſunt, quibus eſt Religio, & ex quibus Nova Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma, formari poteſt, & ab illis formatur, qui SOLUM DOMINUM ADEUNT, ET SIMUL PÆNITENTIAM A MALIS OPERIBUS AGUNT; reliqui, qui non adeunt Solum Dominum, ex negatione confirmata quod Humanum Ipſius non ſit Divinum, & qui

qui non pœnitentiam a malis operibus agunt, quidem in Ecclesia sunt, sed non aliquid Ecclesiæ in se habent.

70. Quoniam Dominus Solus pro Deo Cæli & Terræ agnoscitur ab illis, qui e Nova Ipsius Ecclesia in Cælis sunt & in Terris erunt, ideo in Primo Capite Apocalypseos de Solo Domino agitur, & in Binis his sequentibus est Solus qui loquitur ad Ecclesias, & Solus qui dabit felicia vitæ æternæ. Quod Solus sit qui loquitur ad Ecclesias, patet ex his; Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe, *Hæc dicit qui tenet septem Stellas in dextra sua; qui ambulat in medio septem Candelabrorum aureorum*, Cap. II: 1. Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribe, *Hæc dicit Primus & Ultimus*, Cap. II: 8. Angelo Ecclesiæ quæ in Pergamo scribe, *Hæc dicit qui habet romphæam ancipitem acutam*, Cap. II: 12. Angelo Ecclesiæ in Thyatiris scribe, *Hæc dicit Filius Dei, qui habet oculos sicut flammam ignis, & pedes similes chalcolibano*, Cap. II: 18. Angelo Ecclesiæ quæ in Sardibus scribe, *Hæc dicit qui habet septem Spiritus Dei & septem Stellas*, Cap. III: 1. Angelo Ecclesiæ quæ in Philadelphia scribe, *Hæc dicit Sanctus Verus qui habet clavem Davidis*, Cap. III: 7. Et Angelo Ecclesiæ in Laodicea scribe, *Hæc dicit Amen, Testis fidelis & verus, Principium creaturæ Dei*, Cap. III: 14. Hæc desumpta sunt ex Capite Primo, in quo de Solo Domino agitur, & Ipse ibi per omnia illa describitur.

71. Quod Dominus Solus daturus sit felicia vitæ æternæ illis qui ab Ecclesia Ipsius sunt & erunt, patet ex his: Dominus dixit ad Ephesinam Ecclesiam, *Vincenti dabo ut comedat de arbore vitæ, quæ in medio paradisi Dei*, Cap. II: 7. Ad Ecclesiam Smyrnæorum, *Dabo tibi coronam vitæ; ac vincens non lædetur a morte secunda*, Cap. II: 10. 11. Ad Ecclesiam in Pergamo, *Vincenti dabo edere ex Manne absconditio; & dabo illi calculum album, & in calculo Nomen meum scriptum, quod nemo novit nisi qui accipit*, Cap. II: 17. Ad Ecclesiam in Thyatiris, *Dabo illi potestatem super gentes, & dabo illi stellam matutinam*, Cap. II: 26. 28. Ad Ecclesiam in Philadelphia, *Vincentem faciam columnam in Templo Dei mei, & scribam super illum nomen Dei mei, nomen Novæ Hierosolymæ, & nomen meum novum*, Cap. III: 12. Ad Ecclesiam in Laodicea „ *Vincenti dabo sedere Mecum in throno meo* „ Cap. III: 21. Ex his etiam patet, quod Dominus Solus in Nova Ecclesia agnoscatur: inde est quod Ecclesia illa dicatur Uxor Agni, Apoc. XIX: 7. 9. Cap. XX: 9. 10.

72. Quod Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, formetur ab illis, qui pœnitentiam a malis operibus agunt, constat etiam a Domini verbis ad Ecclesias; ad Ephesinam, *Novi opera tua; habeo contra te quod charitatem primam reliqueris, age pœnitentiam & priora opera fac, sin minus movebo candelabrum tuum e loco suo, si non pœnitentiam egeris*, Cap. II: 2. 4. 5. Ad Ecclesiam in Pergamo, *Novi Opera tua, pœnitentiam age*, Cap. II: 16. Ad Ecclesiam in Thyatiris „ *Tradam illam in afflictionem, si non pœnitentiam egerit ab operibus suis; dabo vobis, unicuique secundum opera ejus*, Cap. II: 19. 22. 23. Ad Ecclesiam in Sardibus „ *Non inveni opera tua perfecta coram Deo, pœnitentiam age* „ Cap. III: 1. 2. 3. Ad Ecclesiam in Laodicea, *Novi opera tua, zelum exerce, & age pœnitentiam*, Cap. III: 15. 19. Nunc sequitur ipsa Explicatio.

73. An-

73. *Angelo Ephesinæ Ecclesiæ scribe, significat ad illos & de illis, qui primario spectant vera doctrinæ & non bona vitæ.* Supra n. 66, ostensum est, quod per Septem Ecclesias non intelligantur Septem Ecclesiæ, sed Ecclesia in toto complexu; quæ in se una est, sed varia secundum receptionem; & quod varietates illæ comparari possint variis membris & organis in perfecto corpore, quæ tamen unum faciunt; imo quod comparari possint variis diadematibus in Corona Regis; & quod inde sit, quod universa nova Ecclesia cum suis variis in nunc sequentibus per Septem Ecclesias describatur. Quod per Ephesinam Ecclesiam intelligantur illi in Ecclesia, qui primario spectant vera doctrinæ, & non bona vitæ, patet a scriptis ad illam in sensu spirituali intellectis. Quod ad Angelum istius Ecclesiæ scribatur, est quia per Angelum intelligitur Societas Angelica quæ Ecclesiæ ex talibus correspondet, ut supra n. 65.

74. *Hæc dicit tenens septem stellas in dextra sua, significat Dominum, a quo per Verbum omnia vera sunt.* Quod tenens septem stellas in dextra sua, sit Dominus, & quod septem stellæ in dextra manu Ipsius, sint omnes cognitiones boni & veri in Verbo, quæ inde a Domino apud Angelos Cæli & apud homines Ecclesiæ sunt, videatur supra n. 51: cognitiones boni & veri ex Verbo sunt Vera.

75. *Ambulans in medio septem candelabrorum aureorum, significat a Quo omnis illustratio illis qui ab Ecclesia Ipsius sunt.* Quod septem Candelabra, in quorum medio Filius hominis, significent Ecclesiam, quæ in illustratione a Domino est, videatur supra n. 43 & 66. Dicitur hic ambulans, quia ambulare significat vivere, n. 167, ac in medio significat in intimo & inde in omnibus, n. 44. 383.

76. *Novi opera tua, significat quod Ipse videat omnia interiora & exteriora hominis simul.* Opera sæpius leguntur in Apocalypsi, sed quid per opera intelligitur, pauci sciunt; hoc notum est, quod decem homines possint facere opera, quæ in externis apparent similia, sed quæ usque apud omnes dissimilia sunt, quia ex alio fine & ex alia causa procedunt, ac finis & causa faciunt quod opera vel bona vel mala sint; omne enim opus est mentis opus, inde qualis est mens, tale est opus; si mens est charitas, fit opus charitas, si autem mens non est charitas, opus non fit charitas, utrumque usque potest simile apparere in externis. Opera apparent hominibus in externa forma, at vero angelis in interna, & Domino qualia sunt ab intimis ad extrema: Opera in externa forma non aliter apparent quam sicut fructus in superficie, at opera in interna forma apparent sicut fructus intra superficiem, ubi sunt innumerabiles partes edules, & in medio semina in quibus iterum sunt innumerabilia, quæ longe intra omnem oculorum aciem sunt, imo supra intellectualem hominis sphæram: talia sunt omnia opera, quæ qualia sunt intus, Solus Dominus videt, & quoque ex Domino percipiunt angeli, cum homo illa operatur. Sed de his videantur plura in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA n. 209 ad 220, & n. 277 ad 281: & quoque infra n. 141. 641. 868. Ex his constare potest, quod per, Novi opera tua, significetur quod Dominus videat omnia interiora & exteriora hominis simul.

77. *Et laborem tuum & tolerantiam tuam*, *quod significet studium & patientiam illorum*, constat absque explicatione.

78. *Et quod non possis ferre malos*, *significat quod non sustineant mala dici bona & vicissim, quia hoc est contra vera doctrinæ.* Quod hoc per illa verba significetur, patet a mox sequentibus, per quæ significatur, quod scrutentur illa quæ in Ecclesia dicuntur esse bona & vera, cum tamen sunt mala & falsa. Scire bona num sint bona aut mala, est doctrinæ, & inter vera ejus, at facere bona aut mala, est vitæ; quare hoc dicitur de illis qui primario spectant vera doctrinæ, & non bona vitæ, n. 73. Per malos in Sensu spirituali non intelliguntur mali, sed mala, quia ille sensus est abstractus a personis.

79. *Et exploraveris dicentes se esse Apostolos, & non sunt, & inveneris eos mendaces, significat quod scrutentur illa, quæ in Ecclesia dicuntur esse bona & vera, quæ tamen sunt mala & falsa.* Quod hæc significentur, non videri potest nisi per sensum spiritualem, & nisi inde sciatur, quid intelligitur per Apostolos & per Mendaces; per Apostolos non intelliguntur Apostoli, sed omnes qui docent bona & vera Ecclesiæ, & in sensu abstracto ipsa bona & vera Doctrinæ ejus. Quod non Apostoli intelligantur per Apostolos, patet clare ab hoc ad illos, *Quando sedebit Filius Hominis super Throno gloriæ suæ, sedebitis etiam vos super duodecim thronis judicantes duodecim Tribus Israelis*, Matth. XIX: 28 Luc. XXII: 30; quis non videt, quod Apostoli non aliquem judicaturi sint, & quod nec possint, minus duodecim Tribus Israelis, sed quod solus Dominus secundum bona & vera doctrinæ Ecclesiæ ex Verbo. Tum etiam ex his „ *Murus urbis Novæ Hierosolymæ habebat fundamenta duodecim, & in illis nomina duodecim Apostolorum Agni*, Apoc. XXI: 14, quoniam per Novam Hierosolymam significatur Nova Ecclesia, n. 880. 881; & per fundamenta ejus omnia bona & vera doctrinæ ejus, n. 902 seq. Et quoque ex his, *Exulta Cælum, ac sancti Apostoli & Prophetæ*, Apoc. XVIII: 20; quid exultatio Apostolorum & Prophetarum, nisi per illos intelligantur omnes qui in bonis & veris doctrinæ in Ecclesia sunt. Per discipulos Domini intelliguntur qui a Domino instruuntur in bonis & veris doctrinæ, at per Apostolos qui postquam instructi sunt, illa docent, nam dicitur „ *Jesus emisit duodecim* DISCIPULOS *suos prædicare Regnum Dei, & reversi* APOSTOLI *narraverunt Ipsi quæcunque fecerunt*, Luc. IX: 1. 2. 10 Marc. VI: 7. 30. Quod per Mendaces intelligantur illi qui in falsis sunt, & abstracte ipsa falsa, constare potest ex permultis locis in Verbo, ubi Mentientes & Mendacia nominantur, quæ si adducerentur implerent paginas; Mendacia in spirituali sensu nec aliud sunt quam falsa. Ex his nunc constare potest, quod per Exploraveris dicentes se esse Apostolos, & non sunt, & inveneris eos mendaces, significetur quod scrutentur illa, quæ in Ecclesia dicuntur esse bona & vera, quæ tamen sunt mala & falsa.

80. *Et sustinuisti, & tolerantiam habes, quod significet patientiam cum illis*, patet absque explicatione.

81. *Et propter Nomen meum laborasti, & non defecisti, significat studium & operam comparandi sibi & quoque docendi illa, quæ religionis & ejus doctrinæ sunt.* Per Nomen Jehovæ seu Domini in Verbo, non intelligitur Nomen Ipsius, sed

omne

omne per quod colitur; & quia colitur secundum doctrinam in Ecclesia, per Nomen Ipsius intelligitur omne doctrinæ, ac in universali sensu omne Religionis. Causa quod hæc per Nomen Jehovæ intelligantur, est quia in Cælo non dantur alia Nomina, quam quæ involvunt quale alicujus, & quale Dei est omne per quod colitur. Qui non scit hanc significationem Nominis in Verbo, potest solum intelligere Nomen, & in hoc solo nihil cultus & religionis est. Qui itaque tenet ideam in hac significatione NOMINIS JEHOVÆ in Verbo, ubi legitur, ex seipso intellecturus est quid per id significatur in sequentibus locis; *Dicetis in die illo, confitemini Jehovæ, invocate* NOMEN *Ipsius*, Esaj. XII: 4. *Jehovah exspectavimus Te*, ad NOMEN *tuum desiderium animæ nostræ, per Te commemorabimus* NOMEN *tuum*, Esaj XXVI: 8. 13. *Ab ortu solis invocabitur* NOMEN *meum*, Esaj. XLI: 25. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum* NOMEN *meum inter gentes; & in omni loco suffitus allatus* NOMINI *meo; nam magnum* NOMEN *meum inter gentes: vos profanatis* NOMEN *meum, cum dicitis mensa Jehovæ polluta est; atqui exsufflatis* NOMEN *meum, cum adducitis raptum, claudum & ægrotum*, Mal. I: 11. 12. 13. *Omnes populi ambulant in* NOMINE *Dei sui, & nos ambulabimus in* NOMINE *Jehovæ Dei nostri*, Mich. IV: 5. *Omnem vocatum in* NOMINE *meo in gloriam meam creavi, formavi illum*, Esaj. XLIII: 7. *Non feres* NOMEN *Dei tui in vanum; non habebit Jehovah innocentem, qui tulerit* NOMEN *Ipsius in vanum*, Deutr: V: 11. *Colent Jehovam in uno loco, ubi ponet* NOMEN *suum*, Deutr. XII: 5. 11. 13. 14. 18. Cap. XVI: 2. 6. 11. 15. 16; præter multis aliis in locis; quis non videre potest, quod in illis non intelligatur solum Nomen. Similiter in Novo Testamento per Nomen Domini, ut in his „ *Jesus dixit, eritis exosi omnibus propter* NOMEN *meum*, Matth: X: 22. Cap. XXIV: 9. 10. *Ubi sunt duo aut tres congregati in* NOMINE *meo, ibi sum in medio eorum*, Matth. XVIII: 20. *Quisquis reliquerit domos, fratres, sorores propter* NOMEN *meum, centupla accipiet, & vitam æternam*, Matth. XIX: 29. *Quotquot Ipsum receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in* NOMEN *Ipsius*, Joh. I: 12. *Multi crediderunt in* NOMEN *Ipsius*, Joh. II: 23. *Qui non credit, jam judicatus est, quia non credidit in* NOMEN *Unigeniti Filii Dei*, Joh. III: 17. 18. *Credentes vitam habebunt in* NOMINE *Ipsius*, Joh. XX: 31. *Benedictus qui venit in* NOMINE *Domini*, Matth. XXI: 9. Cap. XXIII: 39. Luc. XIII: 25. Cap. XIX: 38. Quod Dominus quoad Humanum sit Nomen Patris, in his „ *Pater, glorifica* NOMEN *tuum*, Joh. ~~X: 3.~~ *Sanctificetur* NOMEN, *& veniat Regnum tuum*, Matth. VI: 9. tum, Exod. XXIII: 20. 21. Jerem. XXIII: 6. Mich. V: 3. Quod Nomen apud alios sit quale cultus, in his, *Pastor ovium proprias oves vocat Nomine suo*, Joh. X: 3. *Habes pauca Nomina in Sardibus*, Apoc. III: 4. *Scribam super illum Nomen Dei mei, & Nomen Urbis Dei mei, Novæ Hierosolymæ, & Nomen meum novum*, Apoc. III: 12; & alibi. Ex his nunc constare potest, quod propter Nomen meum laborasti & non defecisti, significet studium & operam comparandi sibi & quoque docendi illa quæ religionis & ejus doctrinæ sunt.

82. *Sed habeo adversus te, quod charitatem tuam primam reliqueris, significat quod hoc sit contra illos, quod primo loco non habeant bona vitæ, ut tamen factum est.*

ad
35
XII, 28
[B. A. V. 4].
5

[Ephesinam]

est & fit in principio omnis Ecclesiæ. Hoc dicitur ad Ecclesiam, quia per eam intelliguntur illi in Ecclesia, qui primario seu primo loco spectant vera doctrinæ, & non bona vitæ, n. 73; cum tamen bona vitæ primo loco, hoc est, primario spectanda sunt, nam quantum homo in bonis vitæ est, tantum realiter in veris doctrinæ est, non autem vicissim; causa est, quia bona vitæ aperiunt interiora mentis, quibus apertis apparent vera in sua luce, ex qua non solum intelliguntur, sed etiam amantur; aliter cum doctrinalia primario seu primo loco spectantur, tunc quidem sciri possunt vera, sed non interius videri, & ex spirituali affectione amari, sed hoc illustratum videatur supra n: 17. Omnis Ecclesia, dum inchoat, primo loco spectat bona vitæ, & secundo vera doctrinæ, sed sicut Ecclesia declinat, incipit illa spectare vera doctrinæ primo loco, & bona vitæ secundo; & tandem in fine spectat solam fidem, & tunc bona charitatis non solum separat a fide, sed etiam omittit. Ex his nunc constare potest, quod per quod charitatem tuam primam reliqueris, significetur quod primo loco non habeant bona vitæ, ut tamen factum est & fit principio omnis Ecclesiæ.

83. *Memor esto itaque unde excideris, quod significet recordationem aberrationis,* patet a nunc supra dictis,

84. *Et resipisce, & prima opera fac, significat ut invertant statum vitæ suæ.* Omnis homo primo loco spectat vera doctrinæ, sed quamdiu hoc facit, est sicut fructus immaturus; at qui regeneratur, postquam imbuerat illa, spectat bona vitæ primo loco, & quantum hoc facit, sicut fructus maturescit, & quantum maturescit, tantum semen in illo fit prolificum: bini illi status mihi visi sunt apud homines tunc spiritus, & apparuerunt in primo statu conversi ad valles quæ supra infernum, & in secundo ad paradisos qui in cælo: hæc conversio status vitæ est quæ hic intelligitur: quod hoc fiat per pœnitentiam, & post illam per bonum vitæ, intelligitur per resipisce & prima opera fac.

oe

85. *Sin minus, veniam tibi cito, & movebo candelabrum tuum e loco suo, si non resipueris, significat quod alioquin certum sit non dari illustrationem ut videant vera amplius.* Per cito, significatur certum, n: 4. 947, & per candelabrum Ecclesia quoad illustrationem, n: 43. 66, inde per movere e loco suo, significatur removere illustrationem, ut non videant vera in sua luce, & tandem ut non videant illa amplius. Hoc sequitur ex illis quæ supra n: 82. dicta sunt, nempe quod si vera doctrinæ primario seu primo loco spectantur, quidem sciri possint, sed non interius videri, & ex affectione spirituali amari, quare successive pereunt; nam videre vera ex luce sua, est ex interiore hominis mente, quæ Mens spiritualis vocatur, & hæc mens aperitur per charitatem, & cum aperta est, influit lux & affectio intelligendi vera e Cælo a Domino, inde est Illustratio: homo qui in hac illustratione est, agnoscit vera ut primum legit aut audit illa, non autem ille cujus mens spiritualis non aperta est, qui est qui non in bonis charitatis est, utcunque in veris doctrinæ.

86. *Sed hoc habes, quod odisti opera Nicolaitarum, quæ & Ego odi, significat quod ex veris suis sciant & inde non velint, ut opera sint meritoria, quia hoc contra meritum & justitiam Domini.* Quod opera Nicolaitarum sint opera meritoria, ex re-

revelatione datum est scire. Quod dicatur, quod odio habeant illa opera, est quia Ecclesia ex veris doctrinæ suæ hoc scit, & inde nec vult, quare dicitur, *hoc habes*. At usque omnes illi faciunt opera meritoria, qui primo loco ponunt vera fidei, & secundo bona charitatis; non autem illi qui primo loco ponunt bona charitatis; causa est, quia genuina charitas non vult mereri, amat enim bonum facere, in illo enim est, & ex illo facit, & ex bono spectat Dominum, & ex veris quod omne bonum sit ab Ipso, quare aversatur meritum. Nunc quia illi qui primo loco spectant vera fidei, non alia opera possunt facere quam meritoria, & tamen ex suis veris sciunt, quod odio habenda sint, ideo hoc sequitur postquam dictum est, quod si non charitatem primo loco habeant, faciant opera quæ aversanda sunt. Dicitur quod sit contra meritum & justitiam Domini; illi enim qui meritum in operibus ponunt, vindicant sibi justitiam, nam dicunt quod justitia a parte illorum sit, quia meruerunt, cum tamen summa injustitia est, quia Solus Dominus meruit, & Solus facit bonum apud illos: quod Solus Dominus sit Justitia, docetur apud Jeremiam „ *Ecce dies venient, cum suscitabo Davidi germen justum, & hoc Nomen Ipsius, quod vocabunt Ipsum*, JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, XXIII: 5.6. Cap. XXXIII: 15. 16.

87. *Habens aurem audiat quid spiritus dicit Ecclesiis, significat quod qui illa intelligit, obediat, quæ Divinum Verum Verbi docet illos, qui e nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, erunt.* Per audire, significatur & percipere & obedire, quia attendit ut percipiat ac ut obediat; quod utrumque hoc significetur per audire, patet a communi sermone, in quo dicitur audire & auscultare aliquem, tum audire & auscultare alicui, hoc significat obedire ac illud percipere: quod audire illa duo significet, est ex correspondentia, nam in provincia aurium in Cælo sunt illi qui in perceptione & simul obedientia sunt. Quoniam utrumque hoc significatur per audire, ideo Dominus toties dixit, *Qui habet aurem ad audiendum audiat*, Matth XI: 15. Cap. XIII: 43. Marc. IV: 9. 23. Cap. VII: 16. Luc. VIII: 8. Cap. XIV: 35: & quoque simile dicitur ad omnes Ecclesias, ut patet a Versibus 11. 17. 29 hujus Capitis, & a Versibus 6. 13. 22 sequentis. Per spiritum autem, qui dicit Ecclesiis, significatur Divinum Verum Verbi, & per Ecclesias universa Ecclesia in Christiano Orbe: quod per Spiritum Dei, qui etiam est Spiritus Sanctus, intelligatur Divina Veritas procedens a Domino, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSLYMÆ DE DOMINO, n: 51; & quia universa Ecclesia intelligitur, non dicitur quid spiritus dicit Ecclesiæ, sed quid spiritus dicit Ecclesiis.

88. *Vincenti, significat qui pugnat contra mala & falsa sua, & reformatur.* Nunc quia in scriptis ad septem Ecclesias describitur status omnium in Ecclesia Christiana, qui possunt recipere doctrinam Novæ Hierosolymæ, ac vivere secundum illam, ita qui possunt per pugnas contra mala & falsa reformari, ideo ad unamquamvis dicitur, QUI VINCIT; ut hic ad Ecclesiam Ephesinam „ *Vincenti dabo edere de Arbore Vitæ*. Ad Ecclesiam Smyrnæorum, *Vincens non lædetur a morte secunda*, Cap. II: 11. Ad Ecclesiam in Pergamo, *Vincenti dabo edere de manne abscondito*, Cap. II: 17. Ad Ecclesiam in Thyatiris, *Vincens & custodiens usque ad finem opera mea, dabo potestatem super gentes*, Cap. II: 26. Ad Ecclesiam in Sardibus, *Qui vicerit, hic inducetur vestimentis albis*, Cap. III: 5.

Ad

Ad Ecclesiam in Philadelphia, *Qui vicerit, illum faciam Columnam in Templo Dei mei*, Cap. III: 12. Et ad Ecclesiam in Laodicea, *Qui vicerit, illi dabo ut sedeat Mecum in Throno meo*, Cap. III: 21: qui vicerit, in illis locis significat qui pugnat contra mala & falsa & sic reformatur.

89. *Dabo edere de Arbore vitæ, significat appropriationem boni amoris & charitatis a Domino.* Per edere in Verbo significatur appropriare; & per Arborem vitæ, significatur Dominus quoad bonum amoris; inde per edere de Arbore vitæ, significatur appropriatio boni amoris a Domino. Quod per edere significetur appropriare, est quia sicut cibus naturalis, cum editur, appropriatur vitæ corporis hominis, ita cibus spiritualis, cum recipitur, appropriatur vitæ animæ ejus. Quod per Arborem vitæ significetur Dominus quoad bonum amoris, est quia non aliud per ARBOREM VITÆ in Horto Edenis significatur; tum quia vita cælestis & spiritualis homini est ex bono amoris & charitatis quod recipitur a Domino. Multis in locis nominatur Arbor, & per illam intelligitur homo Ecclesiæ, ac in universali sensu ipsa Ecclesia, & per fructum ejus bonum vitæ; causa est, quia Dominus est Arbor vitæ, ex quo omne bonum apud hominem Ecclesiæ & in Ecclesia est; sed de hoc in suo loco. Dicitur bonum amoris & charitatis, quia bonum amoris est bonum cæleste, quod est amoris in Dominum, & bonum charitatis est bonum spirituale, quod est amoris erga proximum; quid & quale unum bonum & alterum, in sequentibus dicetur; videantur aliqua de illis in Opere de CÆLO & INFERNO n: 13 ad 19.

90. *Quæ in medio Paradisi Dei, significat interius in veris sapientiæ & fidei.* In medio significat intimum, n: 44. 383, hic interius; paradisus Dei significat vera sapientiæ & fidei; quare Arbor vitæ, quæ in medio paradisi Dei, significat Dominum cum bono amoris & charitatis interius in veris sapientiæ & fidei; bonum etiam est intus in veris, nam bonum est esse vitæ, ac verum est existere vitæ inde, ut multis ostensum est in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE & DIVINA SAPIENTIA. Quod paradisus Dei sit verum sapientiæ & fidei, patet ex significatione Horti in Verbo; Hortus ibi significat sapientiam & intelligentiam, quia arbores significant homines Ecclesiæ, ac fructus illarum bona vitæ; per Hortum Edenis non aliud significatur, sapientia enim Adami per illum describitur. Simile per Hortum Dei intelligitur apud Ezechielem „ *In sapientia & intelligentia tua feceras tibi opes: in Eden Horto Dei fuisti; omnis Lapis pretiosus tegumentum tuum*, XXVIII: 4. 13; hæc de Tyro, per quam significatur Ecclesia quoad cognitiones veri & boni, ita quoad intelligentiam; quare dicitur in sapientia & intelligentia tua feceras tibi opes; per lapides pretiosos, qui tegumentum, significantur vera intelligentiæ. Apud Eundem „ *Aschur cedrus in Libano, cedri non occultarunt illam in Horto Dei: omnis arbor in Horto Dei non par fuit illi in pulchritudine: æmulatæ sunt illi omnes arbores Edenis in Horto Dei*, XXXI: 3. 8. 9; hoc dicitur de Ægypto & de Aschure, quia per Ægyptum significatur scientia, & per Aschurem rationalitas, per quam intelligentia; similiter per cedrum. Sed quia per rationalitatem suam venit in fastum propriæ intelligentiæ, ideo de eo dicitur „ *Cur similis factus es sic in gloria, & in magnitudine inter arbores Edenis, cum descendere factus fueris cum arboribus Edenis in* ter-

terram inferiorem, & in medio præputiatorum cubueris, Vers. 18, istius Capitis; præputiati sunt qui absque bono charitatis. Apud Esajam ,, *Consolabitur Jehovah Zionem, & ponet desertum ejus in Eden, & solitudinem ejus in Hortum Jehovæ*, LI: 3. Zion ibi est Ecclesia, desertum & solitudo sunt defectus & ignorantia veri, Eden & Hortus Dei sunt sapientia & intelligentia. Sapientia & intelligentia etiam significatur per Hortum, Esaj. LVIII: 11. Cap. LXI: 11. Jerem: XXXI: 12. Amos IX: 14. Num. XXIV: 6. Homo Ecclesiæ est quoque sicut hortus quoad intelligentiam, quando in bono amoris est a Domino, quia calor spiritualis, qui illum vivificat, est amor, & lux spiritualis est intelligentia inde: quod ex duobus illis, calore & luce, floreant horti in mundo, notum est, similiter in Cælo; in Cælo apparent Horti paradisiaci cum arboribus fructiferis secundum sapientiam illorum ex bono amoris a Domino: ac circum illos qui in intelligentia sunt, & non in bono amoris, non apparet hortus, sed gramen; at circum illos qui in fide separata a charitate sunt, ne quidem gramen, sed arena.

91. *Et Angelo Ecclesiæ Smyrnæorum scribe, significat ad illos & de illis qui in bonis quoad vitam sunt, sed in falsis quoad doctrinam.* Quod illi per Ecclesiam Smyrnæorum intelligantur, patet ex scriptis ad illam in sensu spirituali intellectis.

92. *Hæc dicit Primus & Ultimus, significat Dominum, quod sit Solus Deus.* Quod Dominus se dicat Primum & Ultimum, tum Principium & Finem, & Alpham & Omegam, ac Qui Est & Qui Fuit & Qui Venturus, videatur Cap. I: Vers. 4. 8. 11. 17; & quid significant, supra n. 13. 29. 30. 31. 38. 57, ubi patet, quod per illa quoque intelligatur, quod sit Solus Deus.

93. *Qui fuit mortuus & vivit, significat quod in Ecclesia neglectus sit, & Humanum Ipsius non agnitum Divinum, cum tamen quoad Illud etiam Solus est Vita, & ab Ipso Solo Vita æterna.* Quod hæc per illa verba intelligantur, videatur supra n. 58. 59. 60, ubi explicata sunt. Quod hæc & mox priora dicantur, est quia primarium falsum illorum, qui per hanc Ecclesiam describuntur, est, quod non agnoscant Divinum Humanum Domini, & ideo Ipsum non adeunt.

94. *Novi opera tua, quod significet quod Dominus videat omnia interiora & exteriora illorum simul*, constat ex illis quæ supra n. 76 explicata sunt, hic quod videat quod in falsis sint, & tamen quoad vitam in bonis, quæ credunt esse bona vitæ, cum tamen non sunt.

95. *Et afflictionem & egestatem, significat quod in falsis sint, & inde non in bonis.* Nosse afflictionem illorum, significat videre quod in falsis sint, & nosse egestatem significat videre quod non in bonis; afflictio enim in Verbo prædicatur de falsis, ut supra n. 33, & egestas de non bonis, egestas spiritualis nec aliud est; sæpius in Verbo legitur Pauper & Egenus, & in spirituali sensu per pauperem intelligitur qui non in veris est, ac per egenum qui non in bonis. Adjiciuntur quoque hæc verba, *Dives tamen es*, sed in parenthesi, & hoc quia in quibusdam codicibus omissa sunt.

96. *Et blasphemiam dicentium Judæos esse se, & non sunt, significat falsiloquium quod apud illos sint bona amoris, cum tamen non sunt.* Blasphemia hic significat falsiloquium; per Judæos non significantur Judæi, sed illi qui in bono

K amo-

amoris ſunt, & abſtracte bona amoris; inde per blaſphemiam dicentium Judæos eſſe ſe, & non ſunt, ſignificatur falſiloquium quod apud illos bona amoris ſint, cum tamen non ſunt. Quod per Judæos intelligantur qui in bono amoris ſunt, eſt quia per Jehudam in ſupremo ſenſu in Verbo intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum Divini Amoris, & per Iſraelem Dominus quoad Divinum Verum Divinæ Sapientiæ; inde per Judæos ſignificantur qui in bono amoris a Domino ſunt, & per Iſraelem qui in Divinis veris a Domino ſunt: quod illi per Judæos intelligantur, conſtare poteſt a multis locis ibi, quæ adducentur infra n. 350; videantur etiam aliqua in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 51. Quod per Judæos abſtracte intelligantur bona amoris, eſt quia ſenſus ſpiritualis eſt abſtractus a perſonis, videatur ſupra n. 78. 79. Qui non ſcit, quod per Judæos in Verbo intelligantur illi qui ab Eccleſia cæleſti Domini ſunt, qui ſunt qui in amore in Ipſum, multum hallucinari poteſt in lectione Verbi apud Prophetas, ſed videatur infra n. 350.

97. *Sed ſynagoga Satanæ, ſignificat quia ſunt in falſis quoad doctrinam.* Synagoga dicitur, quia Judæi nominati ſunt, qui quia in Synagogis docebant, per ſynagogam ſignificatur doctrina; & quia per Satanam intelligitur Infernum ex illis qui in falſis ſunt, ideo dicitur ſynagoga ſatanæ. Infernum vocatur Diabolus & Satanas, & per Infernum quod vocatur Diabolus, intelliguntur illi ibi qui in malis ſunt, proprie qui in amore ſui ſunt; & per Infernum quod vocatur Satanas, intelliguntur illi ibi qui in falſis ſunt, proprie qui in faſtu propriæ intelligentiæ ſunt: quod Inferna illa dicantur Diabolus & Satanas, eſt quia omnes qui in illis ſunt, vocantur diaboli & ſatanæ. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per quod ſint ſynagoga ſatanæ, ſignificetur quod ſint quoad doctrinam in falſis. Sed quia de illis hic agitur qui in bono quoad vitam ſunt, ſed in falſis quoad doctrinam, & illi non ſciunt aliter quam quod in bono ſint, tum quod falſa illorum ſint vera, dicetur aliquid de illis: omne bonum cultus formatur per vera, & omne verum formatur ex bono, quare bonum abſque vero non eſt bonum, nec verum abſque bono eſt verum; apparent quidem in externa forma quod ſint, ſed uſque non ſunt: conjunctio boni & veri vocatur Conjugium cæleſte, ex hoc eſt Eccleſia apud hominem, & eſt Cælum apud illum: ſi itaque falſa pro veris ſunt apud hominem, tunc ille facit bonum falſi, quod non eſt bonum, eſt enim bonum vel phariſaicum, vel meritorium, vel connatum naturale. Sed ſint Exempla illuſtrationi; Qui in hoc falſo eſt, quod credat ſe bonum facere ex ſe, quia ei facultas bonum faciendi eſt, illius bonum non eſt bonum, quia ipſe eſt in illo & non Dominus. Qui in hoc falſo eſt, quod bonum quod bonum eſt, poſſit facere abſque cognitione quid malum apud ſe, ita abſque pænitentia, is dum bonum, non bonum facit, quia abſque pænitentia eſt in malo. Qui in hoc falſo eſt, quod bonum purificet illum a malis, & non ſcit aliquid de malis in quibus eſt, is non aliud bonum facit quam bonum ſpurium, quod intus ab ejus malis contaminatum eſt. Qui in hoc falſo eſt, quod plures dii ſint, & ſe confirmat in eo, is bonum quod facit, eſt bonum diviſum, & bonum diviſum non eſt bonum. Qui in hoc falſo eſt, quod credat quod Divinum in Humano Domini non ſit ſicut anima

anima in corpore, non potest bonum facere ex Ipso, ac bonum non ex Domino non est bonum, est enim contra hæc Domini verba „ *Nisi quis manserit in Me & Ego in illo, non potest ferre aliquem fructum; nam sine Me non potestis facere quicquam; nisi quis manserit in Me, ejectus est foras, sicut palmes arefactus, & conjicitur in ignem, & comburitur*, Joh. XV: 4. 5. 6: similiter in multis aliis; nam bonum trahit suum quale a veris, & vera trahunt suum esse a bono. Quis non scit, quod Ecclesia non sit Ecclesia absque Doctrina, ac Doctrina docebit, quomodo homo cogitabit de Deo & ex Deo, & quomodo faciet ex Deo & cum Deo, quare Doctrina erit ex veris, secundum quæ facere est quod vocatur bonum; ex quo sequitur quod facere secundum falsa, non sit bonum. Creditur, quod in bono, quod homo facit, non aliquid ex veris aut falsis sit, cum tamen non aliunde est quale boni, cohærent enim sicut amor & sapientia, & quoque sicut amor & stultitia, sapientis amor est qui facit bonum, at stulti amor qui facit simile in externis, sed prorsus dissimile est in internis, quare sapientis bonum est sicut aurum purum, at stulti bonum est sicut aurum circum circa fimum.

98. *Nihil timeas quæ futurus es pati, quod significet ne desperetis cum infestamini a malis & impugnamini a falsis, quoniam qui in bonis quoad vitam sunt, & in falsis quoad doctrinam, non possunt aliter*, patet a nunc sequentibus.

99. *Ecce futurum, ut conjiciat ex vobis diabolus in custodiam, significat quod bonum vitæ eorum a malis quæ ab inferno, infestabitur.* Quod hoc significetur per conjici in custodiam seu carcerem a diabolo, est quia per diabolum intelligitur infernum, ubi illi qui in malis sunt, & sic abstracte malum quod ibi & inde est, n. 97. Quod in custodiam seu carcerem mitti, sit infestari, est quia illi qui a malis ex inferno infestantur, sunt sicut vincti in carcere, non enim possunt quam malum cogitare, cum tamen bonum volunt, inde pugna & anxietas interior, ex qua non possunt exsolvi, vix aliter quam sicut qui in vinculis sunt; causa est, quia bonum eorum non est bonum quantum cohæret falsis, & quantum cohæret falsis, ei inest malum; hoc itaque est quod infestatur. Ast infestatio illa non existit in Mundo naturali, sed in Mundo spirituali, ita post mortem: infestationes illorum datum est mihi sæpius videre; lamentantur dicentes, quod bonum fecerint, ac bonum facere velint, & tamen nunc a malis circum non possunt. Sed usque non omnes similiter infestantur, durius sicut se confirmaverunt in falsis, quare dicitur, diabolus conjiciet *ex vobis* in custodiam; quod confirmatio falsi damnosa sit, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 91 ad 97. In Verbo per VINCTOS simile significatur, quod hic per conjectos in Custodiam, ut in his locis „ *Dabo Te in fœdus populi ad educendum e custodia* VINCTUM, *& e* DOMO CLAUSTRI *sedentes in tenebris*, Esaj. XLII: 6. 7. Cap. XLIX: 8. 9: *Jehovah misit me ad prædicandum* CAPTIVIS *libertatem*, *&* VINCTIS, Esaj. LXI. 1. *Per sanguinem fœderis tui emittam* VINCTOS *e fovea*, Sachar. IX. 11. *Deus eduxit* VINCTOS *compedibus*, Psalm: LXVIII: 7. *Veniet ante Te gemitus* VINCTI, Psalm: LXXIX: 11. *Ad audiendum gemitum* VINCTI, ad *aperiendum filiis mortis*, Psalm: CII: 21. *Jehovah qui solvit* VINCTOS, Psalm. CXLVI: 7; quod per Vinctos in his locis non intelligantur Vincti in mundo, sed Vincti ab inferno, ita a malis & falsis,

patet. Simile significatur per hæc Domini verba, In Custodia *fui*, & *non venistis ad Me*, Matth. XXV: 36. Quoniam Dominus illos educit ex custodia, seu liberat ab infestatione, qui in bono quoad vitam fuerunt, tametsi in falsis quoad doctrinam, dicit, nihil timeas quæ futurus es pati; tum esto fidelis, & dabo tibi coronam vitæ.

100. *Et tentemini, significat per falsa pugnantia contra illos.* Quod hoc significetur, est quia omnis Tentatio spiritualis, est pugna diaboli ac Domini, quis illum possidebit; diabolus seu infernum expromit falsa ejus, ac increpat & condemnat, Dominus autem vera, & e falsis abducit & liberat. Hæc pugna est, quæ apparet homini sicut in illo, quia est ex spiritibus malis, qui apud illum, & vocatur Tentatio. Quod Tentatio spiritualis non aliud sit, ab experientia scio, quia in tentationibus meis vidi infernales qui induxerunt, & percepi influxum a Domino qui liberavit.

101. *Et habebitis afflictionem diebus decem, significat quod hoc duraturum sit tempore pleno, hoc est, quamdiu in falsis volunt permanere.* Afflictio hic significat infestationem, de quo supra n. 33. 95, ita tentationem; ac dies decem significant status illius durationem ad plenum; quare sequitur, *Esto fidelis usque ad mortem*, per quæ significatur receptio & agnitio veritatum, usque dum per illas falsa remota sunt & quasi abolita. Quod Dies decem significent status durationem usque ad plenum, est quia dies significant status, ac decem plenum; tempora enim in Verbo significant status, n. 947, ac numeri addunt quale illorum, n. 18. Quoniam Decem significant plenum, etiam significant multum & multos, tum omne & omnes; ut ex his sequentibus locis constare potest, *Viri qui viderunt gloriam meam, tentarunt Me Decem vicibus*, Num. XIV: 22. *Ignominia affecistis me Decem vicibus*, Hiob XIX: 3. *Deprehensus est Daniel Decem vicibus sapiens super Astrologos*, Dan. I: 20. *Coquent Decem mulieres panem in furno uno*, Levit. XXVI: 26. *Apprehendent Decem viri ex omnibus linguis gentium alam viri Jehudæi*, Sach. VIII: 23. Quia Decem significant multa, & quoque omnia, ideo illa quæ super Tabulis decalogi a Jehovah scripta sunt, vocantur Decem Verba, Deutr. IV: 13. Cap. X: 4; Decem verba sunt omnia vera, includunt enim illa. Et quia Decem significant omnes & omnia, ideo Dominus comparavit Regnum Cælorum *Decem Virginibus*, Matth. XXV: 1: tum in Parabola dixit de homine nobili, quod dederit servis suis *Decem minas* ad negotiandum, Luc. XIX: 12 ad 18. Multa etiam significantur per *Decem cornua bestiæ ascendentis ex mari*, Dan. VII: 7: perque *Decem cornua*, & *per Decem diademata super cornubus, bestiæ etiam ascendentis ex mari*, Apoc. XIII: 1: tum *per Decem cornua draconis*, Apoc. XII: 3. & *per Decem cornua Bestiæ coccineæ, super qua mulier sedebat*, Apoc. XVII: 3. 7. 12; per Decem cornua, significatur multa potentia. Ex significatione numeri Decem, quod sit plenum, multum, & omne, videri potest, cur institutum est, quod Decima pars ex omni proventu daretur Jehovæ, & a Jehovah Aharoni, ac Levitis, Num. XVIII: 24. 28. Deutr. XIV: 22. tum, quod Abram dederit Malchizedecho Decimas de omnibus, Genes. XIV: 18. 19; per id enim significabatur, quod sic omnia illorum a Jehovah essent, & sanctificata, videatur Malach. III: 10. Ex his nunc constare potest, quod per

habere

habere afflictionem diebus decem, significetur quod Tentatio duratura sit tempore pleno, hoc est, quamdiu in falsis volunt permanere: falsa enim nusquam auferuntur ab homine nolente, sed volente.

102. *Esto fidelis usque ad mortem*, *significat receptionem & agnitionem veritatum*, *usque dum falsa remota sunt*, *& quasi abolita.* Per esto fidelis usque ad mortem, in sensu naturali intelligitur, quod a fidelitate non recessuri sint usque ad finem vitæ; sed in sensu spirituali, quod recepturi & agnituri sint veritates, usque dum falsa per illas remota sunt, & quasi abolita, hic enim sensus est proprie pro illis qui in spirituali mundo sunt, quibus non aliqua mors est, quare per mortem hic intelligitur finis tentationis illorum. Dicitur usque dum quasi abolita sunt, quia falsa & mala apud hominem non abolentur, sed removentur, & cum remota sunt apparent tanquam abolita, quia remotis malis & falsis homo tenetur in bonis & veris a Domino.

103. *Et dabo tibi coronam vitæ*, *significat quod illis tunc vita æterna victoriæ præmium.* Quia agitur de tentationibus usque ad mortem, dicitur quod danda illis sit corona vitæ, qualis martyribus, qui fideles usque ad mortem fuerunt: & quia martyres id optabant, ideo post mortem datæ sunt illis coronæ, per quod significabatur victoriæ præmium: apparent illi adhuc in coronis suis in cælo, quod mihi datum est videre.

104. *Habens aurem audiat quid spiritus dicit Ecclesiis*, *quod significet quod qui illa intelligit*, *obediat*, *quæ Divinum Verum Verbi docet illos*, *qui e Nova Ecclesia*, *quæ est Nova Hierosolyma*, *erunt*, patet ex illis, quæ supra n. 87, explicata sunt, ubi similia.

105. *Vincens*, *quod significet qui pugnat contra mala & falsa*, *& reformatur*, patet ab explicatis n. 88, ubi similia.

106. *Non lædetur a morte secunda*, *significat quod postea non succumbent a malis & falsis ab inferno.* Per mortem primam intelligitur mors corporis, & per mortem secundam intelligitur mors animæ, quæ est damnatio, videatur infra n. 853. 873; & quia significatur per *Esto fidelis usque ad mortem*, quod agnituri sint veritates usque dum falsa per illas remota sunt, n. 102, sequitur, quod per *non lædetur a morte secunda*, significetur quod postea non succumbent a malis & falsis ab inferno, per id enim eximuntur a damnatione.

107. *Et Angelo in Pergamo*, *Ecclesiæ scribe*, *significat ad illos & de illis*, *qui omne Ecclesiæ ponunt in bonis operibus*, *& non aliquid in veris doctrinæ.* Quod illi per Ecclesiam in Pergamo intelligantur, patet a scriptis ad illam in sensu spirituali intellectis. Sed de his aliquid præfandum est, ut sciatur, quinam in Ecclesia, & quales, sunt: sunt duo genera hominum, ex quibus Ecclesia Christiana hodie quoad plurimam partem consistit; unum genus faciunt illi, qui in solis operibus, & in nullis veris sunt; alterum qui in solo cultu, & non in operibus nec in veris sunt; de Priori genere agitur hic, de Posteriori in scriptis ad Ecclesiam in Sardibus, n. 154 seq. Illi qui in solis operibus & in nullis veris sunt, sunt sicut qui faciunt & non intelligunt, & facta absque intellectu sunt inanimata, apparent coram Angelis sicut Sculptilia ex ligno, & illi qui meritum in suis operibus posuerunt, sicut sculptilia illa nuda absque velamine

ſuper pudendis: apparent etiam ſicut Oves abſque lana, & qui meritum in illis ponunt, ſicut oves illæ ſtercore obſitæ: omnia enim Opera fiunt a voluntate per intellectum, ac in intellectu accipiunt vitam, & ſimul veſtes, inde eſt, quod, ut dictum eſt, appareant coram Angelis, ut inanimata & nuda.

108. *Hæc dicit habens romphæam ancipitem acutam, ſignificat Dominum quoad vera doctrinæ ex Verbo, per quæ diſperguntur mala & falſa.* In præcedente Capite, ubi deſcribitur FILIUS HOMINIS, qui eſt Dominus quoad Verbum, dicitur, quod ex ore Ipſius romphæa anceps acuta viſa ſit exire, Verſ. 16; quod per id ſignificetur diſperſio falſorum per Verbum & per doctrinam inde a Domino, videatur ſupra n. 52. Hoc dicitur ad illos & de illis, qui omne Eccleſiæ ponunt in ſolis operibus, & non aliquid in veris doctrinæ; qui quia vera doctrinæ omittunt aut vilipendunt, & uſque neceſſaria ſunt, dicitur ad illos in ſequentibus, *Reſipiſce, ſin minus, veniam tibi cito, & pugnabo cum illis romphæa oris mei*, Verſ. 16 hujus Capitis.

109. *Novi opera tua, quod ſignificet quod Dominus videat omnia interiora & exteriora illorum ſimul*, videatur ſupra n. 76, ubi explicata ſunt, hic quod Dominus videat quod in ſolis operibus ſint, & non in doctrinalibus.

110. *Et ubi habitas, ubi thronus ſatanæ eſt, ſignificat vitam eorum in caligine.* Quod per Satanam intelligatur Infernum ex illis qui in falſis ſunt, videatur ſupra n. 97; ac in falſis eſſe, eſt in caligine ſpirituali eſſe; caligo ſpiritualis, umbra mortis, ac tenebræ, non aliud ſunt, quam ſtatus illorum in inferno, qui in falſis mali ſunt, quare falſa in Verbo per illa deſcribuntur; ex quibus conſtare poteſt, quod per Thronum ſatanæ ſignificetur mera caligo. Sed hic per caliginem non intelligitur quod in meris falſis, ſed quod in nullis veris doctrinæ ſint; vera enim doctrinæ, quæ ex Verbo ſunt, in luce ſunt, inde non in veris eſſe, eſt non in luce eſſe, conſequenter in caligine: quod vera ſint in luce cæli, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n 126 ad 140; & in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 73. 104 ad 113. In Verbo multis in locis agitur de illis qui in tenebris, umbra mortis, & in caligine ſunt, quorum oculos Dominus aperiturus eſt, & per illos intelliguntur Gentes, qui in bonis operibus fuerunt, ſed non in aliquibus veris, quia non noverunt Dominum, nec habuerunt Verbum; illis plane ſimiles ſunt illi in Chriſtiano Orbe, qui in ſolis operibus & in nullis veris doctrinæ ſunt, quare non aliter vocandi ſunt quam Gentes, norunt quidem Dominum, ſed uſque Ipſum non adeunt, ac habent Verbum, ſed uſque non vera ibi inquirunt. Per noſſe ubi habitas, ſignificatur ſcire qualis eſt, quoniam in Mundo ſpirituali quiſque habitat ſecundum quale ſuæ affectionis. Ex his conſtare poteſt, quod per quod habitas ubi thronus ſatanæ, ſignificetur vita boni illorum in caligine. Valent etiam ſpiritus ſatanici per illos, qui in ſolis operibus ſunt at abſque illis nihil, in Mundo ſpirituali, adjungunt enim illos ſibi, modo aliquis ex illis dicat, ſum proximus tuus, & quod ideo præſtanda mihi ſint bona officia, quibus auditis accedunt, & opitulantur, nec inquirunt quis & qualis eſt, quia illis vera non ſunt, & per vera ſolum dignoſcitur unus ab altero: hoc quoque ſignificatur per habitas ubi thronus ſatanæ.

III. Et

111. *Et tenes Nomen meum, & non negasti fidem meam, significat cum tamen illis est religio, & secundum illam cultus, & quoque agnoscunt Verbum quod sit Divina Veritas.* Quod per Nomen Jehovæ seu Domini intelligatur omne per quod colitur, ita omne religionis, videatur supra, n 81; hic itaque quod illis religio sit, & secundum religionem cultus: per fidem hic non intelligitur fides quemadmodum fides hodie in Ecclesia, sed Divina veritas, quoniam fides est veri & verum est fidei; non aliud intelligitur per fidem in Cælo, nec aliud per fidem Dei in Verbo, inde est quod fides & veritas in Lingua Hebræa sint una vox, & dicantur Amuna: nunc quia per fidem Dei intelligitur Divina Veritas, & Verbum est ipsum Divinum Verum, patet quod per non negasti fidem meam, intelligatur quod agnoscant quod Verbum sit Divina Veritas.

112. *Et in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis, qui occisus apud vos ubi habitat satanas, significat quando omnis veritas per falsa in Ecclesia exstincta est.* Per martyrem significatur confessio veritatis, simile quod per testem supra n. 6. 16, quia martyr & testis in Lingua Græca una vox sunt: quod nominetur Antipas, est ex lingua spirituali seu angelica. Quoniam per Antipatem martyrem significatur confessor veritatis & abstracte ipsa veritas, patet quod per in diebus in quibus Antipas martyr meus fidelis, qui occisus apud vos ubi habitat satanas, significetur quando veritas per falsa in Ecclesia exstincta est. Quod per Satanam intelligatur Infernum, ubi & unde falsa, videatur supra n. 97.

113. *Sed habeo adversus te pauca, quod significet quod contra illos hæc quæ sequuntur,* patet absque explicatione.

114. *Quod habeas ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balacum objicere scandalum coram filiis Israelis edere idolothyta & scortari, significat quod inter illos sint qui faciunt opera hypocritica, per quæ cultus Dei in Ecclesia conspurcatur & adulteratur.* Quod per hæc intelligantur illi qui faciunt opera, per quæ conspurcatur & adulteratur cultus, patet ex Historicis Verbi de Bileamo & Balaco Rege Moabi; Bileamus enim fuit hypocrita & præstigiator, nam loquutus est ex Jehovah bene de filiis Israelis, & tamen corde fovit perdere illos, & quoque per consilium datum Balaco perdidit, ex quo patet, quod opera illius fuerint hypocritica: quod fuerit præstigiator, legitur Num. XXII. 7. Cap. XXIV: 1. Jos. XIII: 22. quod loquutus pro filiis Israelis, benedicendo illis, Num. XXIII: 7 ad 15. 18 ad 24. Cap. XXIV: 5 ad 9. 16 ad 19; sed quod hoc loquutus sit ex Jehovah, Num. XXIII: 5. 12. 16. Cap. XXIV: 13: quod corde foverit perdere illos, & quoque perdiderit per consilium datum Balaco, Num. XXXI: 16: consilium quod dederat, Num. XXV: 1. 9. 18: hoc fuit scandalum quod objecit filiis Israelis, de quo ita „ *In Schittim cæpit populus scortari cum filiabus Moabi, & vocarunt populum ad sacrificia deorum suorum; comedit populus, & incurvavit se diis eorum, imprimis se adjunxit Baalpeori; ideo occisi sunt ab Israele viginti quatuor millia,* Num. XXV: 1. 9: 18; per filios Israelis significatur Ecclesia; per edere ex sacrificiis suis, significatur appropriatio sancti; quare per edere ex sacrificiis deorum aliorum seu idolothyta, significatur conspurcatio & prophanatio sancti; per scortari significatur adulterare & pervertere cultum; quod per Moabum, & inde per Regem ejus, & per filias ejus,

ejus, etiam ſignificentur qui conſpurcant & adulterant cultum, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, n. 2468. Ex his nunc patet, quod ſenſus ſpiritualis iſtorum verborum ille ſit.

115. *Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, quod odi, ſignificat quod inter illos etiam ſint qui faciunt opera meritoria.* Quod opera Nicolaitarum ſint opera meritoria, videatur ſupra n. 86. Apud illos qui omne Eccleſiæ & ſalutis ponunt in bonis operibus, & non aliquid in veris doctrinæ, qui ſunt qui per Eccleſiam in Pergamo intelliguntur, dantur qui faciunt opera hypocritica, tum opera meritoria, ſed uſque non omnes, quare dicitur, *Quod habeas ibi tenentes doctrinam Balaam;* tum, *Habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum;* & omnia opera cultus ſunt vel bona, vel meritoria, vel hypocritica, quare de his duobus hic dicitur, & de operibus bonis poſt illa in ſequentibus.

116. *Reſipiſce, ſignificat ut caveant ſibi ab illis operibus, & faciant opera quæ bona ſunt.* Quod hæc ſignificentur per reſipiſcere, eſt quia de bonis meritoriis & hypocriticis nunc actum eſt, a quibus ſibi cavebunt illi, qui omne Eccleſiæ & ſalutis in bonis operibus, & non aliquid in veris doctrinæ ponunt, cum tamen vera doctrinæ docent, quomodo & quid volendum & cogitandum, ſeu amandum & credendum eſt, ut opera ſint bona.

117. *Sin minus, veniam tibi cito, & pugnabo cum illis romphæa oris mei, ſignificat ſi non, quod Dominus contendet cum illis ex Verbo, & convincet quod opera illorum mala ſint.* Sed hæc explicata videantur ſupra n. 108.

118. *Habens aurem audiat quid ſpiritus dicit Eccleſiis, quod ſignificet quod qui illa intelligit obediat quæ Divinum Verum Verbi docet illos, qui e Nova Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma, erunt,* patet ab explicatis ſupra n. 87, ubi ſimilia.

119. *Vincenti, quod ſignificet qui pugnat contra mala & falſa ſua & reformatur,* patet etiam ab explicatis ſupra n. 88.

120. *Dabo illi edere de manne abſcondito, ſignificat ſapientiam & tunc appropriationem boni amoris cæleſtis in operibus, & ſic conjunctionem Domini cum illis qui operantur.* Per Man abſconditum, quod illis erit qui in bonis operibus ſunt & ſimul operibus adjungunt vera doctrinæ, intelligitur ſapientia recondita, qualis eſt illis qui in Tertio Cælo ſunt; hi enim quia in bonis operibus & ſimul in veris doctrinæ in Mundo fuerunt, in ſapientia ſunt præ reliquis Angelis, ſed in ſapientia abſcondita, eſt enim inſcripta vitæ illorum, & non ita memoriæ, quare tales ſunt, ut non loquantur de veris doctrinæ ſed faciant illa, & faciunt quia ſciunt, & quoque videant illa quando alii loquuntur illa. Quod approprietur illis bonum amoris, & Dominus conjungat ſe cum illis, qui adjungunt bonis operibus vera doctrinæ, & ſic det illis ſapientiam in bonis illorum, & quod hoc ſit dare edere de manne abſcondito, conſtare poteſt ex his Domini verbis „*Panis Dei eſt Qui e Cælo deſcendit, & dat vitam mundo: Ego ſum Panis vitæ: patres veſtri ederunt Man in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt Panis ille qui e Cælo deſcendit, ut qui edit de eo non moriatur: Ego ſum Panis vivens, Qui e Cælo deſcendi; ſi quis ederit ex hoc Pane, vivet in æternum,* Joh. VI; 31 ad 58; ex quibus patet, quod Ipſe Dominus ſit Man abſconditum, quod in operibus eorum erit, ſi Ipſum ſolum adeunt: ſive dicas Dominum, ſive Bonum amoris cæleſtis,

tis, tum sapientiam illius amoris, idem est. Sed hoc est arcanum, quod ægre cadit in ideam naturalem alicujus, quamdiu illa obvelata est nube a mundanis, sed cadit cum ei serenum & apricum est, ut de his videri potest in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, a principio ad finem.

121. *Et dabo illi calculum album, significat vera suffragantia & unita bono.* Calculus albus id significat, quia in judiciis colligebantur suffragia per calculos, & per albos illa quæ confirmabant; quod sint vera confirmantia quæ significantur, est quia album prædicatur de veris, n. 167. 379; inde est, quod per calculum album, significentur vera suffragantia bono; quod etiam unita bono, est quia bonum arcessit illa, & unit sibi; omne enim bonum amat verum, ac sibi conjungit tale quod sibi convenit, imprimis bonum amoris cælestis, hoc sibi ita unit verum, ut prorsus unum faciant; inde est quod videant vera ex solo bono: hi intelliguntur per illos qui habent legem cordibus suis inscriptam, de quibus apud Jeremiam „ *Dabo legem meam in medio eorum, & super cor eorum scribam eam; neque docebunt amplius quis socium suum, aut quis fratrem suum, dicendo cognoscite Jehovam, omnis enim cognoscet Me* „ XXXI: 34. Tales sunt omnes qui in Tertio Cælo sunt; illi non ex aliqua memoria loquuntur de veris, sed clare vident illa, dum audiunt alios de veris loquentes, imprimis dum legunt Verbum; causa est, quia sunt in ipso conjugio boni & veri: tales fiunt in Mundo, qui adiverunt solum Dominum, & fecerunt bona opera, quia sunt secundum vera Verbi; de quibus videantur aliqua in Opere DE CÆLO ET INFERNO, n. 25. 26. 270. 271.

122. *Et in Calculo nomen novum scriptum, significat quod sic illis quale boni quod non prius.* Quod Nomen significet quale rei, videatur supra n. 81, hic itaque quale boni, omne quale boni est ex veris ei unitis; bonum enim absque veris est sicut panis & cibus absque vino & aqua, qui non nutriunt; & quoque sicut fructus in quo non succus; apparent etiam sicut arbores nudatæ foliis, in quibus pendent poma sicca ex autumno relicta: hoc quoque intelligitur per hæc Domini verba „ *Omnis igne salietur, & omne sacrificium sale salietur: bonum est sal, si autem sal insulsum fiat, quonam illud condietis: habete in vobis salem* „ Marc. IX: 49. 50; sal ibi est desiderium ad verum.

123. *Quod nemo novit nisi qui recipit, significat quod non apparet alicui quia vitæ eorum inscriptum.* Quod vera unita bono, non sint apud illos memoriæ, sed vitæ eorum inscripta, videatur mox supra n. 121. 122, & quod soli vitæ, & non memoriæ, inscriptum est, hoc non apparet alicui, ne quidem illis, nisi ex eo, quod percipiant num verum sit, & quid verum, cum audiunt & legunt; sunt enim interiora mentis eorum aperta usque ad Dominum; & quia Dominus in illis est, & Ipse videt omnia, ideo facit ut illi videant sicut a se; sed usque ex sapientia sua sciunt, quod non videant vera a se, sed a Domino. Ex his nunc constare potest, quid intelligitur per omnia hæc „ *Dabo illi edere de manne abscondito, & dabo illi calculum album, & in calculo nomen novum scriptum, quod nemo novit nisi qui recipit;* per quæ significatur in summa, quod futuri

turi sint Angeli Cæli Tertii, si legunt Verbum, hauriunt inde vera doctrinæ & adeunt Dominum.

124. *Et Angelo in Thyatiris Ecclesiæ scribe, significat ad illos & de illis qui in fide ex charitate sunt, & inde in bonis operibus; & quoque ad illos & de illis, qui in fide separata a charitate sunt, & inde in malis operibus.* Quod hi & illi per Thyatiriensium Ecclesiam describantur, patet a scriptis ad illam in sensu spirituali intellectis.

125. *Hæc dicit Filius Dei habens oculos sicut flammam ignis, significat Dominum quoad Divinam sapientiam Divini Amoris.* Quod hæc significentur, explicatum videatur supra n. 48.

126. *Et pedes suos similes chalcolibano, quod significet Divinum Bonum Naturale,* constat ex illis quæ prius n. 49 explicata sunt.

127. *Novi tua opera, quod significet quod Dominus videat omnia interiora & exteriora illorum simul,* videatur supra n. 76, ubi explicata sunt.

128. *Et charitatem & ministerium, significat affectionem spiritualem, quæ vocatur charitas, & ejus operationem.* Quod charitas sit affectio spiritualis, est quia charitas est amor erga proximum, & amor erga proximum est illa affectio: quod ministerium sit operatio ejus, est quia Ministri in Verbo dicuntur qui operantur illa quæ charitatis sunt: homo cultor Dei nunc vocatur servus, nunc minister, & servus Dei dicitur qui in veris est, ac minister Dei qui in bonis; causa est, quia verum inservit bono, ac bonum ministrat vero; quod servus dicatur qui in veris, videatur supra n. 3; quod autem minister dicatur qui in bono, patet ex his locis, *Vos sacerdotes Jehovæ vocabimini, Ministri Dei vestri,* Esaj. LXI: 6. *Fœdus meum non irritum fiet cum Levitis Ministris meis,* Jerem. XXXIII: 21; vocantur ministri, quia sacerdotes repræsentabant Dominum quoad Divinum bonum. *Benedicite Jehovæ omnes Exercitus Ipsius, Ministri facientes voluntatem Ipsius;* Psalm. CIII: 21. 22. *Jehovah facit Angelos suos Spiritus, Ministros suos ignem flammantem,* Psalm. CIV: 4; angeli spiritus sunt qui in veris, & angeli ministri qui in bonis; ignis flammans etiam significat bonum amoris. *Jesus dixit, quisquis voluerit esse magnus, esse debet vester Minister, & quisquis voluerit esse primus, esse debet vester Servus,* Matth. XX: 26. 27. Cap. XXIII: 11. 12; minister ibi dicitur de bono, & servus de vero. Simile per ministrare & per ministerium significatur apud Esajam Cap. LVI: 6. Joh. XII: 26. Luc. XII: 37, & alibi. Ex his patet, quod per charitatem & ministerium, significetur affectio spiritualis & ejus operatio; bonum enim est charitatis, & verum est fidei.

129. *Et fidem & tolerantiam tuam, significat veritatem & studium sibi comparandi & docendi illam.* Quod fides significet veritatem, videatur supra n. 111; & quod tunc tolerantia significet studium & laborem comparandi & docendi illam, sequitur.

130. *Et ultima plura prioribus, significat incrementa illarum ex affectione veri spirituali, quæ est charitatis.* Per opera ultima plura prioribus, intelliguntur omnia charitatis & fidei eorum, nam hæc sunt interiora, ex quibus opera, n. 73. 76. 94; hæc incrementa capiunt, cum charitas est primo loco, & fides secun-

fecundo, nam charitas eſt affectio ſpiritualis faciendi bonum, & ex illa eſt affectio ſpiritualis ſciendi verum, nam bonum amat verum, ſicut cibus potum, nutriri enim vult, & nutritur per vera; inde eſt, quod illis, qui in genuina charitate ſunt, ſint incrementa veri continua: hæc itaque ſunt, quæ ſignificantur per novi tua opera ultima plura prioribus.

131. *Sed habeo adverſus te pauca, ſignificat quod hæc quæ ſequuntur poſſint illis ſcandalum eſſe.* Sequitur enim nunc de fide ſeprata a charitate, quæ illis qui in fide ex charitate ſunt, poteſt ſcandalum eſſe.

132. *Quod permittas mulierem Jeſabel, ſignificat quod in Eccleſia apud illos ſint, qui fidem ſeparant a charitate, & illam ſolam ſalvificam faciunt.* Quod fides ſeparata a charitate per Mulierem Jeſabel intelligatur, patet a nunc ſequentibus, dum ea per ſenſum ſpiritualem in ſerie evolvuntur, & cum fide illa conferuntur: hæc enim erant malefacta Jeſabelis uxoris Achabi; Quod abiverit & ſerviverit Baali, & ei erexerit altare in Samaria, & fecerit lucum, 1 Reg. XVI: 31. 32. 33. Quod occiderit prophetas Jehovæ, 1 Reg. XVIII: 4. 13. Quod occidere voluerit Eliam, Cap. XIX: 1. 2. Quod per dolum ſubſtituendo falſos teſtes abſtulerit vineam Nabotho, & illum occiderit, Cap. XXI: 6. 7, ſeq. Quod propter illa malefacta prædictum ei ſit ab Elia, quod canes illam comederent, Cap. XXI: 23. Quod dejecta ſit a feneſtra ubi fucata ſteſit, & quod aſperſum ſit de ſanguine ejus ad parietem, & ad equos qui conculcaverunt illam, II Reg. IX. ~~32. 33. 34.~~ Quoniam omnia Hiſtorica æque ac Prophetica Verbi ſignificant Spiritualia Eccleſiæ, ita quoque hæc; quod hæc ſignificent fidem ſeparatam a charitate, conſtat ex ſenſu ſpirituali, & tunc a collatione: nam per abire & ſervire Baali, ac ei erigere altare, & facere lucum, ſignificatur ſervire cupiditatibus omnis generis, ſeu quod idem, diabolo, non cogitando de aliqua mala cupiditate, nec de aliquo peccato, ut faciunt illi quibus nulla doctrina charitatis & vitæ eſt, ſed ſolius fidei: per occidere prophetas, ſignificatur deſtruere vera doctrinæ ex Verbo: per velle occidere Eliam, ſignificatur velle ipſum Verbum ſimiliter: per auferre vineam Nabotho, & illum occidere, ſignificatur ipſam Eccleſiam, nam vinea eſt Eccleſia: per canes qui illam comederent, ſignificantur cupiditates: per dejectionem e feneſtra, aſperſionem ſanguinis ad parietem, & proculcationem ab equis, ſignificatur interitus eorum, nam ſingula illa etiam ſignificant, feneſtra verum in luce, ſanguis falſum, paries verum in ultimis, equus intellectum Verbi: Inde concludi poteſt, quod illa collata cum fide ſeparata a charitate coincidant, ut amplius conſtare poteſt a ſequentibus in Apocalypſi, ubi de fide illa agitur.

t/ 30 ad 33

133. *Dicentem ſe prophetiſſam, ſignificat & qui illam faciunt ipſam doctrinam Eccleſiæ, & ſuper illa condunt omnem Theologiam.* Quod per prophetam in Verbo ſignificetur doctrina Eccleſiæ, videatur ſupra n. 8, ſimiliter itaque per prophetiſſam. Quod in Eccleſia Chriſtiana Reformata acceptata ſit ſola fides pro unico medio ſalvationis, & quod inde opera charitatis ſicut non ſalvifica a fide ſeparata ſint, notum eſt; inde eſt, quod univerſa Doctrina ſalvationis hominis, quæ vocatur Theologia, hodie ſit illa fides, proinde mulier Jeſabel.

134. *Docere & seducere meos servos scortari*, *significat ex qua fit quod vera Verbi falsificentur.* Per docere & seducere servos Domini, est illos qui possunt & volunt instrui in veris ex Verbo; quod servi Domini dicantur qui in veris sunt, videatur supra n. 3. 128; & per scortari, significatur adulterare & falsificare Verbum; quod hoc per scortari significetur, est quia in singulis Verbi est conjugium boni & veri, & hoc conjugium rumpitur, cum bonum separatur & aufertur a vero: quod in singulis Verbi sit conjugium Domini & Ecclesiæ, & inde conjugium boni & veri, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 80 ad 90; ex eo est, quod per scortari significetur adulterare bona & falsificare vera Verbi; & quia hoc est spiritualis scortatio, ideo etiam illi qui ex propria ratione falsificaverunt Verbum, post mortem dum in Mundum spiritualem veniunt, fiunt scortatores: & quod adhuc coram Orbe latuit, quod illi qui confirmaverunt solam fidem usque ad exclusionem operum charitatis, in cupidine adulterii filii cum matre sint; quod illi in cupidine tam nefandi adulterii sint, sæpius in Mundo spirituali perceptum est; memento hujus, & post mortem inquire, & confirmaberis; hoc prius revelare non ausus sum, quia lædit aures. Hoc adulterium significatur per adulterium Rubenis cum Bilha concubina patris sui; Genes. XXXV: 22, nam per Rubenem illa fides significatur, quamobrem maledictus est ab Israele patre suo, & postea ei primogenitura adempta est; dixit enim Israel pater ejus prophetans de filiis, de Rubene „ *Ruben primogenitus meus*, *tu robur meum*, *& principium virium mearum*, *levis sicut aqua*, *ne excellas*, *quia ascendisti cubilia patris tui*, *tunc prophanasti*, *stratum meum ascendit*, Genes. XLIX: 3. 4: quod ideo primogenitura ei adempta sit „ *Ruben primogenitus Israelis*; *sed quia polluit strata patris sui*, *data est primogenitura ejus filiis Josephi*, I Chron. V: 1. quod per Rubenem repræsentatum sit verum ex bono seu fides ex charitate, & postea verum separatum a bono seu fides separata a charitate, in Explicatione ad Cap. VII: Vers. 5, videbitur. Quod per Scortationes significentur adulterationes boni & falsificationes veri in Verbo, constare potest ex his locis, „ *Cum Jehoramus videret Jehu*, *dixit num pax Jehu*, *qui dixit*, *quid pax*, *usque ad* SCORTATIONES *Isabelis matris tuæ*, *& incantationes multas*, II Reg. IX: 22; per scortationes Isabelis non intelliguntur aliquæ scortationes, sed facta ejus, de quibus supra n. 132. *Filii vestri erunt pascentes in deserto 40 annis*, *& portabunt* SCORTATIONES suas, Num. XIV: 33. *Exscindam animam*, *quæ respicit pythones & hariolos ad* SCORTANDUM *post illos*, Levit. XX: 6. *Non pangendum est fœdus cum habitatoribus terræ*, *ne* SCORTENTUR *post deos illorum*, Exod. XXXIV: 15. *Hierosolyma confisa es pulchritudini tuæ*, *&* SCORTATA *es ob famam tuam*, *adeo ut effuderis* SCORTATIONIS *tuas super omnem transeuntem*: SCORTATA *es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnis carne*, *& multiplicasti* SCORTATIONEM *tuam*: SCORTATA es *cum filiis Aschuris*, *cum satietas tibi nulla*, *cum quibus* SCORTATA *es*: *multiplicasti* SCORTATIONEM *tuam usque ad Chaldæam.* *Mulier* ADULTERA *sub viro suo accipit alienos.* *Omnes Meretricibus suis dant mercedem*, *tu vero dedisti mercedes omnibus*, *ut veniant ad te in circuitu in* SCORTATIONIBUS *tuis*: *quare* MERETRIX *audi verbum Jehovæ*, Ezech. XVI: 15. 16. 26. 28. 29. 32. 33.

35.

35, seq: Hierosolyma ibi est Ecclesia Israelitica & Judaica; per scortationes ejus intelliguntur adulterationes & falsificationes Verbi; & quia in Verbo per Ægyptum significatur scientia naturalis hominis, per Aschurem ratiocinatio inde, per Chaldæam prophanatio veri, & per Babelem prophanatio boni, ideo dicitur quod cum illis scortata sit. *Duæ mulieres filiæ unius matris* SCORTATÆ *sunt in Ægypto, in adolescentia sua* SCORTATÆ *sunt:* SCORTATA *est una sub Me, & dilexit amasios Assyrios propinquos, dedit* SCORTATIONES *suas super illis; attamen* SCORTATIONES *suas in Ægypto non deseruit. Altera corrupit amorem suum plus quam illa, &* SCORTATIONES *suas supra* SCORTATIONES *sororis; addidit ad* SCORTATIONES, *amavit Chaldæos; venerunt ad illam filii Babelis ad* CONCUBITUM AMORUM, *& polluerunt eam per* SCORTATIONEM *suam*, Ezech. XXIII: 2. 3. 5. 7. 11. 14. 16. 17 seq: duæ filiæ ejusdem matris etiam sunt Ecclesia Israelitica & Judaica, quarum adulterationes & falsificationes Verbi per scortationes hic ut supra describuntur. Pariter in his „ SCORTATA *es cum sociis multis; prophanasti terram Scortationibus tuis & malitia tua: num vidisti quid fecit aversa Israel, abiens super omnem montem altum &* SCORTABATUR: *etiam perfida Juda abivit &* SCORTATA *est; adeo ut a voce* SCORTATIONIS *suæ prophanaverit terram;* MOECHATA *est cum lapide & ligno*, Jerem. III: 6. 8. Et alibi „ *Discurrite per plateas Hierosolymæ, & quærite si inveniatis virum, qui sit faciens judicium & quærens veritatem, cum saturavi eos,* SCORTATI *sunt, & in domum* MERETRICIS *turmatim venerunt*, Jerem. V: 1. 7. ADULTERIA *tua, hinnitus tuos, scelus* SCORTATIONIS *tuæ, super collibus in agro abominationes tuas vidi; væ tibi Hierosolyma, non mundaberis*, Jerem. XIII: 27. *In prophetis Hierosolymæ vidi obfirmationem horrendam,* ADULTERANDO *& eundo in mendacio*, Jerem. XXIII: 14. *Fecerunt stultitiam in Israele,* SCORTATI *sunt, & loquuti sunt Verbum meum in Nomine meo mendaciter*, Jerem. XXIX: 23. *Peccarunt Mihi, gloriam eorum in ignominiam convertam,* SCORTABANTUR *quia Jehovam dereliquerunt:* SCORTATIO *occupavit cor eorum:* SCORTANTUR *filiæ vestræ, & nurus vestræ* ADULTERANTUR, Hosch. IV: 7. *Ego novi Ephraimum, quod omnino* SCORTATUS *sit, & pollutus sit* Israel, Hosch: V: 3. *In domo Israelis vidi rem fœdam, ibi* SCORTATUS *est Ephraim, & pollutus est Israel*, Hosch. VI: 10; Israel ibi est Ecclesia, ac Ephraim est intellectus Verbi, ex quo & secundum quem est Ecclesia, quare dicitur scortatus est Ephraim & pollutus est Israel. Quoniam Ecclesia falsificaverat Verbum, mandatum est Prophetæ Hoscheæ ut acciperet sibi Meretricem in uxorem, dicendo, *Accipe tibi mulierem* SCORTATIONUM *& liberos* SCORTATIONUM, *quia* SCORTANDO SCORTATUR *terra post Jehovam*, Hosch. I: 2. denuo „ *Ama mulierem amatam socio, &* ADULTERAM, Hosch: III: 1. Quoniam Ecclesia Judaica talis fuit, ideo Gens Judaica a Domino vocata est GENERATIO ADULTERA, Matth. XII: 39. Cap. XVI: 4. Marc. VIII: 38: & apud Esajam, SEMEN ADULTERI, LVII: 3: & apud Nahum, *Væ urbi sanguinum, tota in mendacio, multitudo confossorum præ multitudine* SCORTATIONUM SCORTI, *vendentes gentes per* SCORTATIONES *suas*, III: 1. 3. 4. Quoniam Babylon præ cæteris in Christiano Orbe adulterat & falsificat Verbum, ideo illa vocatur magna Meretrix, & hæc de illa dicuntur in Apocalypsi „ *Babylon a vino*

vino iræ Scortationis suæ *potavit omnes gentes*, XIV: 8. *Babylon a vino furoris* Scortationis *suæ potavit omnes gentes, & reges terræ cum illa* Scortati *sunt*, XVIII: 3. *Angelus dixit, monstrabo tibi judicium* Meretricis *magnæ, cum qua* Scortati *sunt reges terræ*, XVII: 1. 2. *Judicavit* Meretricem *magnam, quæ corrupit terram* Scortatione *sua*, XIX: 2. Ex his nunc manifeste patet, quod adulterari & scortari significent adulterare & falsificare bona & vera Verbi.

135. *Ac edere idolothyta, quod significet inde conspurcationem cultûs, & prophanationes*, patet ab explicatis supra, n. 114; nam qui adulterant bona, appropriant sibi immunda, & per illa conspurcant & prophanant cultum.

136. *Et dedi illi tempus ut resipisceret a scortatione sua, & non resipuit, significat quod qui confirmaverunt se in illa doctrina, non recedant, tametsi vident contraria in Verbo.* Per recedere a scortatione, hic significatur recedere a falsificando Verbum; quod videant contraria doctrinæ suæ, patet a mille locis in Verbo, ubi dicitur quod mala fugienda sint, & bona facienda, tum quod qui bona faciunt, in cælum veniant, & qui mala in infernum, ut & quod fides absque operibus mortua & diabolica sit. Sed quæritur, quid Verbi falsificaverunt, seu ubinam cum Verbo spiritualiter scortati sunt, respondetur, quod falsificaverint totum Verbum; totum enim Verbum non est nisi quam Doctrina amoris in Dominum & amoris erga proximum, nam dicit Dominus, quod *ex mandatis de binis illis amoribus Lex & Prophetæ pendeant*, Matth. XXII: 38; est quoque in Verbo doctrina fidei, sed non talis fidei, verum fidei amoris.

137. *Ecce Ego conjiciam illam in lectum, & mæchantes cum illa in afflictionem magnam, significat quod sic relinquendi sint in sua doctrina cum falsificationibus, & quod graviter infestandi sint a falsis.* Quod per Lectum signicetur doctrina, mox videbitur; quod per mæchantes significentur falsificationes veri, videatur supra n. 134. 136; & quod per afflictionem significetur infestatio a falsis, n. 33, 95. 100, inde per afflictionem magnam, gravis infestatio. Quod Lectus significet doctrinam, est ex correspondentia, nam sicut corpus cubat in suo lecto, ita mens in sua doctrina: sed per Lectum significatur doctrina, quam sibi quisque vel ex Verbo, vel ex propria intelligentia, comparat, nam in ea Mens ejus quiescit & quasi dormit. Lecti, in quibus cubatur in Mundo spirituali, non ex alia origine sunt; est ibi cuivis Lectus secundum quale ejus scientiæ & intelligentiæ, magnifici sapientibus, viles insipientibus, ac sordidi falsariis. Hoc per Lectum significatur apud Lucam, *Dico vobis, in illa nocte erunt duo in* Lecto *uno, unus acceptabitur, alter relinquetur*, XVII: 35. 36; hoc de Ultimo Judicio; duo in uno Lecto, sunt duo in una doctrina, sed non in simili vita. Apud Johannem, *Jesus dixit ægroto, surge, tolle* Lectum *tuum, & ambula, & sustulit* Lectum *suum, & ambulavit*, V: 8 ad 12: & apud Marcum, *Jesus dixit paralytico, fili, remissa sunt tibi peccata; & dixit Scribis, quid facilius est dicere, remissa sunt tibi peccata, an dicere, tolle tuum* Lectum *& ambula; tunc dixit, surge, tolle tuum* Lectum *& ambula; & sustulit* Lectum, *& exivit ab illis*, II: 5. 9. 11. 12, quod hic per Lectum aliquid significetur, patet, quia Jesus dixit, quid facilius est dicere, remissa sunt tibi peccata, an

an dicere tolle tuum lectum & ambula; per portare lectum & ambulare, significatur meditari in doctrina, ita intelligitur in Cælo. Per Lectum etiam significatur doctrina apud Amos ,, *Sicut eripuerit pastor ex ore leonis, ita eripientur filii Israelis habitantes in Samaria in angulo* LECTI *& in extremitate* SPONDÆ, III: 12; in angulo lecti & in extremitate spondæ, est remotius a veris & bonis doctrinæ. Per Lectum & Spondam, ac per Cubile, simile significatur alibi, ut Esaj. XXVIII: 20. Cap. LVII: 2. 7. 8. Ezech. XXIII: 41. Amos VI: 4. Mich. II: 1. Psalm. IV: 4. Psalm. XXXVI: 4. Psalm. XLI: 4. Hiob. VII: 13. Levit. XV: 4. 5. Quoniam per Jacobum in Propheticis Verbi significatur Ecclesia quoad doctrinam, ideo de illo dicitur, *Quod incurvaverit se super caput* LECTI, Genes. XLVII: 31. *Quod cum venit Josephus, sederit super* LECTO, Genes. XLVIII: 2. *Quod collegerit pedes super* LECTO, *& exspiraverit*, Genes. XLIX: 33: quoniam per Jacobum significatur doctrina Ecclesiæ, ideo aliquoties, cum de Jacobo cogitavi, apparuit mihi superius antrorsum vir cubans in lecto. [B. A. v. 3.] [a/]

138. *Si non resipuerit ab operibus suis, quod significet si non volunt recedere a separando fidem a charitate, & a falsificando Verbum*, constare potest absque ulteriore explicatione.

139. *Et filios ejus occidam morte, significat quod omnia vera ex Verbo apud illos vertentur in falsa.* Per filios in Verbo significantur vera, & in opposito sensu falsa, quare occidere filios, significat vertere vera in falsa, sic enim pereunt; per occisos & confossos Jehovæ nec aliud intelligitur: per occidere filios ejus morte, etiam significatur damnare falsa illorum. Quod filii significent vera, & in opposito sensu falsa, est quia in sensu spirituali Verbi per Generationes intelliguntur Generationes spirituales, similiter per Consanguinitates & Affinitates, ita per nomina illarum, ut per Patrem, Matrem, Filios, Filias, Fratres, Sorores, Generos, Nurus, & reliquos; ex Generatione spirituali nec alii filii & aliæ filiæ nascuntur, quam vera & bona: videatur infra n. ~~512. 546.~~ [542, 543.]

140. *Ut cognoscant omnes Ecclesiæ, quod Ego sim scrutans renes & corda, significat ut Ecclesia sciat quod Dominus videat quale verum & quale bonum est cuivis.* Per septem Ecclesias, significatur universa Ecclesia, ut prius; & per scrutari Renes & Corda, significatur videre omnia quæ homo credit & quæ amat, ita quale verum & quale bonum ejus est: quod hoc per scrutari Renes & Corda significetur, est ex correspondentia, Verbum enim in sensu literæ Verbi consistit ex meris correspondentiis; Correspondentia inde est, quod sicut Renes purificant sanguinem ab impuris, quæ vocantur urinosa, & Cor sanguinem ab immundis, quæ vocantur squallida, ita verum fidei hominem a falsis, & bonum amoris a malis. Inde est, quod Antiqui in Corde posuerint Amorem & ejus affectiones, ac in Renibus intelligentiam & ejus perceptiones; ut constare potest ex his in Verbo ,, *Ecce Veritatem desideras in* RENIBUS, *& in occulto sapientiam notam facis mihi*, Psalm. LI: 8. [B. A. v. 6.] *Tu possides* RENES, *non latuit Te os meum, cum factus sum in occulto*, Psalm. CXXXIX: [13.] 15. *Exacerbatur* COR *meum, & RENIBUS meis exacuo me; sed ego stolidus non cognosco*, Psalm. LXXIII: 21. [22.] *Ego Jehovah scrutans* COR, *& probans* RENES, *& ad dandum cuivis juxta vias ejus*,

ejus, Jerem. XVII: 10. *Propinquus Tu in ore eorum, & longinquus a* RENIBUS *eorum; Jehovah videbis me, & probabis* COR *meum*, Jerem. XII: 3. *Jehovah judex justitiæ probans* RENES & COR, Jerem. XI: ~~12~~ 20. Cap. XX: 12. *Confirma justum, nam qui probas* CORDA & RENES, *Deus justus*, Psalm. VII: 10. *Proba me Jehovah, & tenta me, explora* RENES *meos* & COR *meum*, Psalm. XXVI: 2; per Renes in his locis significantur vera intelligentiæ & fidei, & per Cor bonum amoris & charitatis. Quod Cor significet amorem & ejus affectiones, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE ~~DIVINA PROVIDENTIA~~ Divino Amore et Divina Sapientia, n. 371 ad 393.

2/20 [B.A.v.9].

141. *Et dabo unicuique secundum opera ejus, significat quod det cuivis secundum charitatem & ejus fidem, quæ in operibus.* Quod opera sint continentia charitatis & fidei, & quod charitas & fides absque operibus sint modo sicut imagines aereæ, quæ postquam apparuerunt, evanescunt, videatur supra n. 76.

142. *Vobis autem dico; & reliquis in Thyatiris quicunque non habent doctrinam hanc, quod significet ad illos apud quos doctrina fidei separatæ a charitate est, & apud quos doctrina fidei conjunctæ charitati est*, patet a supradictis, ita absque explicatione.

143. *Et qui non cognoverunt profunda satanæ, sicut dicunt, significat qui non interiora illorum, quæ mere falsa sunt, intelligunt.* Quod per Satanam intelligatur infernum ex illis qui in falsis sunt, & abstracte falsa, videatur supra n. 97; inde per profunda ejus significantur interiora doctrinæ separatæ a charitate, quæ mere falsa sunt: profunda ac interiora illius doctrinæ sunt, quæ in Libris eorum, ac in Prælectionibus in Gymnasiis, & inde in Prædicationibus, traduntur, quæ qualia sunt, videatur in Præmissis ad Cap. I, ubi Doctrinalia illorum allata sunt, in specie ibi de JUSTIFICATIONE PER FIDEM ET DE BONIS OPERIBUS; ubi dictum videatur, quod solum Clerici norint arcana istius doctrinæ, non autem Laici, quare hi præcipue intelliguntur per qui non cognoverunt profunda.

144. *Non impono super vos aliud onus, significat solum ut sibi caveant ab illis.* Causa est, quia falsa sua per ratiocinia ex naturali homine confirmant, & per aliqua ex Verbo, quæ falsificant, per hæc enim possunt seducere; sunt sicut serpentes in herbis qui transeuntes mordent; aut sicut venena abscondita quæ ignaros necant.

145. *Attamen quod habetis, retinete donec venio, significat ut pauca illa quæ sciunt ex charitate & inde fide ex Verbo, retineant & secundum illa vivant, usque dum fit Novum Cœlum & Nova Ecclesia, quæ sunt adventus Domini:* hi enim & non alii recipiunt illa, quæ Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino & Charitate docet.

146. *Et vincens & custodiens usque ad finem opera mea, significat qui pugnant contra mala & falsa ac reformantur, & in charitate & inde fide actualiter sunt, & in illis permanent usque ad finem vitæ.* Quod vincere sit pugnare contra mala & falsa, videatur supra n. 88; & quod opera sint charitas & inde fides actu, n. 76. 141; quod custodire usque ad finem, sit in illis esse, & permanere usque ad finem vitæ, patet.

147. *Dabo illi potestatem super gentes, significat quod apud se vincent mala quæ* ab

ab inferno. Quod per gentes in Verbo intelligantur qui in bono ſunt, & in oppoſito ſenſu qui in malo, ita abſtracte bona & mala, videatur infra n. 483: hic itaque per dare poteſtatem ſuper gentes, ſignificatur dare ut apud ſe vincant mala ab inferno.

148. *Et reget eas virga ferrea, ſignificat per vera ex ſenſu literæ Verbi, & ſimul per rationalia ex naturali lumine.* Quod hæc per virgam ſeu baculum ferri ſignificentur, eſt quia per virgam ſeu baculum in Verbo ſignificatur potentia, & per ferrum ſignificatur verum naturale, proinde naturalis ſenſus Verbi, & ſimul naturale lumen hominis; in his duobus conſiſtit potentia veri. Quod Divinum Verum in ſenſu naturali Verbi, qui eſt Senſus literæ ejus, ſit in ſua potentia, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. ~~205 ad 221~~; ex cauſa, quia Senſus literæ eſt baſis, continens & firmamentum Senſus ſpiritualis ejus, n. 27 ad 36: & quod omnis potentia ſit in ultimis, quæ vocantur naturalia, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 205 ad 221; conſequenter in Naturali ſenſu literæ Verbi, & in Naturali lumine hominis; hæc itaque ſunt virga ferrea, qua reget gentes, hoc eſt, vincet mala quæ ab inferno. Similia per Virgam ferream ſignificatur in his locis „ *Conteres gentes* VIRGA FERREA, *ſicut vas figulinum diſperges eas*, Pſalm. II: 9. *Mulier peperit maſculum recturum omnes gentes* VIRGA FERREA, Apoc. XII: ~~15~~. Ex ore *Sedentis ſuper Equo albo prodibat romphæa acuta, ut illa percuteret gentes; Ipſe autem reget illas* VIRGA FERREA, Apoc. XIX: ~~5~~. *Jehovah percutiet impios* VIRGA *oris ſui*, Eſaj. XI: 4.

149. *Tanquam vaſa figulina confringentur, ſignificat ſicut parvi & nihili.* Dicitur vaſa figulina, quia per illa ſignificantur ea quæ propriæ intelligentiæ ſunt, quæ omnia ſunt falſa, & in ſe nihili: ſimiliter apud Davidem „ *Conteres gentes* VIRGA FERREA, *ſicut* VAS FIGULINUM *diſperges eas*, Pſalm. II: 9.

150. *Sicut & Ego accepi a Patre meo, ſignificat quod hoc erit illis a Domino, Qui Sibi omnem potentiam ſuper Inferna, dum fuit in mundo, ex Divino ſuo quod in Ipſo, comparavit.* Quod Dominus, cum in Mundo fuit, per Tentationes in Se admiſſas, ac demum per ultimam illarum, quæ fuit Paſſio crucis, ſubjugaverit Inferna, & glorificaverit Humanum ſuum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 29 ad 36; tum ſupra n. 67; ex quibus conſtare poteſt, quod accipere a Patre ſuo, ſit a Divino quod fuit in Ipſo, dixit enim quod Pater in Ipſo ſit & Ipſe in Patre; quod Pater & Ipſe unum ſint; tum Pater qui in Me eſt; & plura.

151. *Et dabo illi ſtellam matutinam, ſignificat intelligentiam & ſapientiam tunc.* Quod per ſtellas ſignificentur cognitiones boni & veri, videatur ſupra n. 51; & quia per illas eſt intelligentia & ſapientia, ideo hæ per ſtellam matutinam ſignificantur: quod dicatur ſtella matutina, eſt quia intelligentia & ſapientia illis a Domino dabitur, cum venturus eſt ad inſtaurandum Novam Eccleſiam, quæ eſt Nova Hieroſolyma, nam dicit, *Quod habetis retinete donec venio*, Verſ. 25, per quæ ſignificatur, ut retineant pauca illa vera quæ ſciunt de charitate & ejus fide ex Verbo, & ſecundum illa vivant, uſque dum ſit Novum Cælum & Nova Eccleſia, quæ ſunt adventus Domini, n. 145.

Quod dicatur ſtella matutina, eſt quia per matutinum ſeu mane ſignificatur adventus Domini, quando Nova Eccleſia: quod hoc intelligatur per Mane in Verbo, patet a ſequentibus locis „ *Uſque ad Veſperam & Mane bis mille trecenta, tunc juſtificabitur Sanctum: viſio Veſperæ & Mane, veritas eſt*, Dan. VIII: 14. 26. *Ad me clamans e Seir, cuſtos, cuſtos, quid de nocte, dixit cuſtos, venit Mane, etiamque nox*, Eſaj. XXI: 11. 12; per Veſperam & Noctem ſignificatur ultimum tempus Eccleſiæ veteris, & per Mane primum tempus Eccleſiæ novæ. *Venit finis, venit Mane ſuper te, habitator terræ; ecce dies venit, exivit Mane*, Ezech. VII: 6. 7. 10. *Jehovah in Mane, in Mane judicium ſuum dabit in lucem, nec deerit*, Zeph. III: 5. *Deus in medio ejus, adjuvabit eum Deus cum ſpectat Mane*, Pſalm. XLVI: 6. *Exſpectavi Jehovam, exſpectat anima mea Dominum a cuſtodientibus Mane, cuſtodientes Mane, quia plurima cum Ipſo redemptio, & Ille redimet Iſraelem*, Pſalm. CXXX: 5 ad 8, & alibi; per Mane in his locis intelligitur adventus Domini, cum Ipſe in mundum venit, & novam Eccleſiam inſtauravit; ſimiliter nunc: & quia Solus Dominus dat illis, qui e Nova Ipſius Eccleſia erunt, intelligentiam & ſapientiam, & omnia quæ Dominus dat ſunt Ipſe quia ſunt Ipſius, ideo dicit Dominus, quod Ipſe ſit Stella matutina „ *Ego ſum radix & genus Davidis*, Stella illa Splendida et Matutina, Apoc. XXII: 16: vocatur etiam Mane in II Samuelis, *Dixit Deus Iſraelis, mihi loquuta eſt Petra Iſraelis, Ille ſicut Lux Mane*, Mane *ſine nubibus*, XXIII: 3, 4.

152. *Habens aurem audiat, quid Spiritus dicit Eccleſiis, ſignificat quod qui illa intelligit, obediat quæ Divinum Verum Verbi docet illos, qui e Nova Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma, erunt*, ut ſupra n. 87.



153. His adjiciam aliquod Memorabile, de ſorte illorum poſt obitum, qui ſe in Sola Fide uſque ad juſtificationem & doctrina & vita confirmaverunt. I. Quando defuncti ſunt, & quoad ſpiritum revivunt, quod fit communiter tertio die poſtquam cor ceſſavit pulſare, apparent ſibi in ſimili corpore, in quo prius in mundo, uſque adeo ut non ſciant aliter quam quod in priori mundo vivant; verum non in corpore materiali ſunt, ſed in corpore ſpirituali, quod coram ſenſibus illorum, qui etiam ſpirituales ſunt, apparet ſicut materiale, tametſi non eſt. II: Poſt aliquot dies vident quod in Mundo ſint, ubi ſunt variæ Societates inſtitutæ, qui Mundus vocatur Mundus Spirituum, & eſt medius inter Cælum & Infernum; omnes Societates ibi, quæ innumerabiles ſunt, mirabiliter ordinatæ ſunt ſecundum affectiones naturales, bonas & malas; Societates ordinatæ ſecundum affectiones bonas naturales communicant cum Cælo, & Societates ordinatæ ſecundum affectiones malas, communicant cum Inferno. III: Novitius Spiritus ſeu ſpiritualis homo, deducitur & transfertur in varias Societates, tam bonas quam malas, & exploratur num afficitur veris & quomodo, vel num afficitur falſis & quomodo. IV. Si afficitur veris, abducitur a Societatibus malis, ac inducitur in Societates bonas, & quoque

in

in varias, usque dum venit in Societatem suæ affectioni naturali correspondentem, & ibi fruitur bono isti affectioni conveniente; & hoc usque dum naturalem affectionem exuit, & spiritualem induit, & tunc elevatur in Cælum; sed hoc fit cum illis, qui in mundo vixerunt vitam charitatis & sic quoque vitam fidei, quæ est quod crediderint in Dominum, & fugerint mala ut peccata. V: At illi qui se in fide usque ad justificationem per illam solam doctrina & vita confirmaverunt, quia non afficiuntur veris sed falsis, & quia bona charitatis, quæ sunt bona opera, rejecerunt e medio salutis, abducuntur a Societatibus bonis, ac inducuntur in Societates malas, & quoque in varias, usque dum veniunt in Societatem sui amoris concupiscentiis correspondentem; nam qui amat falsa, non potest aliter quam amare mala. VI: Sed quia in Mundo simulaverunt affectiones bonas in externis, tametsi in internis eorum non essent nisi quam affectiones malæ seu concupiscentiæ, tenentur primum per vices in externis; & illi qui in Mundo præfuerunt cætibus, præficiuntur hic & ibi in Mundo Spirituum Societatibus, in communi aut in parte secundum amplitudinem officiorum quibus functi fuerant: sed quia non amant verum, nec amant justum, nec illustrari possunt usque ut sciant quid verum & justum, ideo post aliquot dies abrogantur; vidi tales translatos ab una Societate in alteram, & ubivis datam illis administrationem, sed post breve tempus toties abrogatos. VII: Post frequentes abdicationes quidam ex tædio non volunt, quidam ex timore jacturæ famæ, non audent amplius ambire functiones, quare recedunt, & sedent tristes, & tunc abducuntur in solitudinem, ubi sunt casæ, quas intrant, & ibi datur illis aliquod opus ad faciendum, & sicut faciunt, recipiunt cibum, & si non faciunt, esuriunt & non recipiunt, quare necessitas cogit. Cibi ibi sunt similes cibis in nostro mundo, sed sunt ex origine spirituali, & dantur e Cælo a Domino omnibus secundum usus quos faciunt, otiosis, quia inutiles sunt, non dantur. VIII: Post aliquod tempus fastidiunt opus, & tunc exeunt e casis; & si fuerunt sacerdotes, volunt ædificare; & illico tunc apparent strues lapidum cæsorum, laterum, asserum & tabularum ex ligno, tum acervi ex calamis & juncis, ex argilla, calce & bitumine, quæ cum vident, incenditur libido ædificandi, & incipiunt struere domum, sumendo nunc lapidem, nunc lignum, nunc calamum, nunc lutum, & ponunt unum supra alterum inordinate, at in eorum visu ordinate; sed quod interdiu ædificant, noctu dilabitur; & sequente die colligunt ex ruderibus lapsa, ac iterum ædificant, & hoc tamdiu, usque dum ædificare tædent: hoc fit ex causa, quia congesserunt falsa ad confirmandum salvationem per solam fidem, & falsa illa non ædificant Ecclesiam aliter. IX: Postea abeunt ex tædio, ac sedent solitarii & otiosi, & quia otiosis non datur cibus e Cælo, ut dictum est, incipiunt esurire; & non aliud cogitare, quam quomodo accepturi sint cibum, & sedaturi famem. Cum in hoc statu sunt, veniunt ad illos aliqui, a quibus petunt stipem, & dicunt, cur ita otiosi sedetis, venite nobiscum in nostras domus, & dabimus vobis opera ad faciendum, & cibabimus vos, ac tunc læti surgunt, & abeunt cum illis in domos illorum,

& ibi cuilibet datur suum opus, & propter opus datur cibus: sed quia omnes qui se confirmaverunt in falsis fidei, non facere possunt opera boni usus, sed mali usus, nec faciunt illa fideliter, sed solum ut appareant propter honorem aut lucrum, quare relinquunt sua opera & modo amant conversari, loqui, ambulare & dormire; & tunc quia ab heris non possunt adduci amplius ad opera, ideo sicut inutiles ejiciuntur. X. Quando ejecti sunt, aperitur illis oculus, & vident viam tendentem ad quandam Cavernam; quo cum veniunt, aperitur ostium, & intrant, & quærunt num ibi cibus, & cum respondetur quod ibi cibus, petunt ut ibi liceat manere, & dicitur quod liceat, & introducuntur, & post illos clauditur ostium; & tunc venit præsul illius Cavernæ, & dicit illis, non potestis amplius exire, videte sodales vestros, omnes laborant, & sicut laborant, victus e Cælo illis datur, hoc dico vobis ut sciatis; & quoque dicunt sodales, præsul noster novit ad quod opus quisque idoneus est, & tale cuilibet injungit quotidie; quo die id absolvitis, datur vobis cibus, & si non, non datur cibus, nec vestis; & si quis malum facit alteri conjicitur ad angulum cavernæ, in quendam lectum ex pulvere damnato, ubi misere cruciatur, & hoc usque dum præsul videt signum pænitentiæ apud illum, & tunc eximitur, & mandatur ei ut faciat opus suum: & quoque dicitur ei, quod cuivis liceat post opus suum ambulare, confabulari, & postea dormire; & deducitur interius in cavernam, ubi sunt scorta, ex quibus licet unicuique sibi sumere aliquam in mulierem, & sub pæna interdicitur scortari promiscue. Ex talibus Cavernis, quæ non sunt nisi quam æterna Ergastula, consistit universum Infernum; datum est mihi intrare in aliquas, & videre propter finem ut notum faciam, & visi sunt omnes ut viles, nec unus ex illis scivit, quis & in quo munere fuerat in mundo; sed Angelus, qui mecum erat, dixit mihi, quod hic fuerit in mundo famulus, hic miles, hic præfectus, hic sacerdos, hic in dignitate, hic in opulentia, & tamen omnes non sciunt aliter, quam quod servi & similes sodales fuerint, hoc ex causa, quia interius similes fuerant, tametsi exterius dissimiles, ac interiora consociant omnes in Mundo spirituali. Talis sors est illorum, qui removerunt chacharitatis vitam, & inde illam in Mundo non vixerunt.

Quod Inferna in genere attinet, consistunt illa ex meris talibus Cavernis & Ergastulis, sed ex dissimilibus ubi sunt Satanæ, & ubi sunt Diaboli; Satanæ sunt qui in falsis & inde malis fuerunt, & Diaboli qui in malis & inde falsis: Satanæ apparent in luce Cæli sicut cadavera, & quidam nigri sicut mumia; & Diaboli apparent in luce Cæli furve igniti, & quidam atri sicut fuligo; at omnes quoad facies & corpora monstrosi: sed in sua luce, quæ est instar lucis ex carbonibus ignitis, non ut monstra, sed ut homines; hoc illis datum est, ut consociari possint.

CA-

1. ET Angelo in Sardibus Ecclesiæ scribe; hæc dicit habens septem spiritus Dei, & septem stellas: novi tua opera, quod nomen habeas quod vivas, & mortuus es.

2. Esto vigilans, & confirma reliqua quæ moritura; non enim inveni tua opera plena coram Deo.

3. Memento igitur quomodo acceperis & audiveris, & observa & resipisce; si ergo non vigilaveris, veniam super te tanquam fur, & nescies qua hora veniam super te.

4. Habes pauca nomina etiam in Sardibus, quæ non inquinaverunt vestimenta sua, & ambulabunt Mecum in albis, quia digni sunt.

5. Vincens induetur vestimentis albis; & non delebo nomen ejus e libro vitæ; & confitebor nomen ejus coram Patre meo & coram angelis ejus.

6. Habens aurem audiat quid Spiritus dicit Ecclesiis.

7. Et Angelo in Philadelphia Ecclesiæ scribe: hæc dicit Sanctus Verus, habens clavem Davidis, aperiens & nemo claudit, ac claudens & nemo aperit.

8. Novi tua opera; ecce dedi coram te ostium apertum, & nemo potest claudere illud, quia parvam habes potentiam, & observasti meum Verbum, & non negasti Nomen meum.

9. Ecce dabo ex synagoga satanæ, dicentes seipsos Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur; ecce faciam ut illi veniant & adorent ad pedes tuos, & sciant quod Ego dilexi te.

10. Quia servasti verbum tolerantiæ meæ, & Ego te servabo ab hora tentationis futuræ venire super Orbem universum explorare habitantes super terra.

11. Ecce venio cito, retine quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.

12. Vincentem faciam columnam in Templo Dei mei, & foras non egredietur amplius, & scribam super illum Nomen Dei mei, & nomen Urbis Dei mei, novæ Hierosolymæ, quæ descendit e Cælo a Deo meo, & Nomen meum novum.

13. Habens aurem audiat quid Spiritus dicit Ecclesiis.

14. Et Angelo Ecclesiæ Laodicensium scribe; hæc dicit Amen, Testis fidelis & verus, Principium opificii Dei.

15. Novi tua opera, quod nec frigidus nec calidus; utinam frigidus esses aut calidus.

M 3 16. Ita-

16. Itaque quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, futurum est ut te evomam ex ore meo.

17. Quod dicas quod dives sim, & locupletatus, & nullius opus habeam, & non scis quod tu sis ærumnosus & miser & pauper & cæcus & nudus.

18. Suadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne, ut ditatus sis, & vestimenta alba ut induaris, ne appareat pudor nuditatis tuæ, & collyrio inungas oculos tuos, ut videas.

19. Ego quoscunque amo, arguo & castigo; zelo age ergo, & resipisce.

20. Ecce sto ad januam & pulso, si quis audiverit vocem meam, & aperuerit ostium, intrabo ad illum, & cænabo cum illo & ille Mecum.

21. Vincenti dabo sedere Mecum in throno meo, sicut Ego vici, & sedeo cum Patre in throno Ejus.

22. Habens aurem audiat quid Spiritus dicit Ecclesiis.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis: agitur de illis in Christiano Orbe, qui sunt in cultu mortuo, qui est absque charitate & fide; qui describuntur per Ecclesiam in Sardibus, n. 154 ad 171. De illis qui in veris ex bono a Domino sunt; qui describuntur per Ecclesiam in Philadelphia, n. 172 ad 197. De illis qui alternatim credunt ex se, & alternatim ex Verbo, & sic sancta prophanant; qui describuntur per Ecclesiam in Laodicea, n. 198 ad 223. Etiam hi & illi vocantur ad novam Domini Ecclesiam.

Contenta Singulorum Versuum: Angelo in Sardibus Ecclesiæ scribe, *significat* ad illos & de illis, qui in cultu mortuo sunt, seu in cultu qui absque bonis quæ charitatis sunt & absque veris quæ fidei: hæc dicit habens septem spiritus Dei, & septem stellas, *significat* Dominum a Quo omnes veritates, & omnes cognitiones boni & veri: novi tua opera, *significat* quod Dominus videat omnia interiora & exteriora illorum simul: quod nomen habens quod vivas, & mortuus es, *sign:* quod videatur & credatur ab ipsis & ab aliis, quod spiritualiter vivi sint, cum tamen spiritualiter mortui sunt: esto vigilans, *sign:* ut in veris & in vita secundum illa: confirma reliqua quæ moritura, *sign:* ut illa quæ cultus eorum sunt, vitam accipiant: non enim inveni tua opera plena coram Deo, *sign:* quod interiora cultus eorum non conjuncta sint Domino: memento igitur quomodo acceperis & audiveris, *sign:* ut cogitent quod omnis

cul-

cultus in principio fit naturalis, & poſtea per vera fiat ſpiritualis, præter plura: & obſerva & reſipiſce, *ſign:* ut attendant ad illa, & cultum ſuum mortuum vivificent: ſi ergo non vigilaveris, *ſign: hic ut ſupra:* veniam ſuper te ut fur, & neſcies qua hora veniam ſuper te, *ſign:* quod auferentur illa quæ cultus ſunt, & quod hoc neſcietur quando & quomodo: habes pauca nomina etiam in Sardibus, *ſign:* quod inter illos etiam ſint qui in cultu ſuo vitam habent: qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, *ſign:* qui in veris ſunt, & non per mala vitæ & inde falſa conſpurcaverunt cultum: & ambulabunt Mecum in albis, *ſign:* quod victuri ſint cum Domino, quia in veris ſunt ab Ipſo: vincens induetur veſtimentis albis, *ſign:* quod qui reformatur fiat ſpiritualis: & non delebo nomen ejus ex libro vitæ, *ſign:* quod ſalvabitur: & confitebor nomen ejus coram Patre & coram angelis ejus, *ſign:* quod recipiendi ſint qui in Divino Bono & in Divinis veris a Domino ſunt: habens aurem audiat quid Spiritus dicit Eccleſiis, *ſign: hic* ut prius.

Et Angelo in Philadelphia Eccleſiæ ſcribe, *ſign:* ad illos & de illis qui in veris ex bono a Domino ſunt: hæc dicit Sanctus Verus, *ſign:* Dominum quoad Divinum Verum: habens clavem Davidis, & aperiens & nemo claudit, & claudens & nemo aperit, *ſign:* Cui ſoli eſt Omnipotentia ſalvandi: novi tua opera, *ſign: hic ut ſupra:* ecce dedi coram te oſtium apertum, *ſign:* quod illis qui in veris ex bono a Domino ſunt, cælum apertum ſit: & nemo poteſt claudere illud, *ſign:* quod infernum non prævaleat contra illos: quia parvam habes potentiam, *ſign:* quia ſciunt quod nihil valeant ex ſeipſis: & obſervaſti meum verbum, *ſign:* quia vivunt ſecundum præcepta Domini in Ipſius Verbo: & non negaſti Nomen meum, *ſign:* quod ſint in cultu Domini: & dabo ex ſynagoga ſatanæ, *ſign:* illos qui in falſis quoad doctrinam ſunt: dicentium ſeipſos Judæos eſſe, & non ſunt, ſed mentiuntur, *ſign:* qui dicunt quod apud illos Eccleſia ſit, & tamen non eſt: ecce faciam ut illi veniant & adorent ad pedes tuos, *ſign:* quod multi qui in falſis quoad doctrinam ſunt, recepturi ſint vera Novæ Eccleſiæ: & ſciant quod Ego delexi te, *ſign:* quod viſuri quod amentur & recipiantur in Cælum a Domino: quia ſervaſti verbum tolerantiæ meæ, *ſign:* quia pugnaverunt contra mala: & Ego te ſervabo ab hora tentationis futuræ venire ſuper orbem univerſum, explorare habitantes ſuper terra, *ſign:* quod tutandi & ſervandi die ultimi judicii: ecce venio cito, *ſign:* adventum Domini: retinete quod habes, *ſign:* ut in veris & bonis ſuis interea permaneant: & nemo accipiat coronam tuam, *ſign:* ne pereat ſapientia, ex qua felicitas æterna: vincens, *ſign:* qui in veris ex bono perſiſtunt: faciam illum columnam in templo Dei mei, *ſign:* quod vera ex bono a Domino, apud quos ſunt, ſuſtentent Eccleſiam: & foras non egredietur amplius, *ſign:* quod ibi manſuri ſint in æternum: & ſcribam ſuper illum nomen Dei mei, *ſign:* quod cordibus illorum inſcriptum erit Divinum Verum: & nomen urbis Dei mei, novæ Hieroſolymæ, *ſign:* quod cordibus inſcripta erit doctrina Novæ Eccleſiæ: quæ deſcendit e Cælo a Deo meo, *ſign:* quæ erit ex Divino vero Domini quale eſt in Cælo: & Nomen meum novum, *ſign:* cultum ſolius Domini cum novis quæ in priore Eccleſia non fuerunt: habens au-

aurem audiat quid Spiritus dicit Eccleſiis, *ſign: hic ut prius.*

Et Angelo Eccleſiæ Laodicenſium ſcribe, *ſign:* ad illos & de illis in Eccleſia, qui alternatim credunt ex ſe & alternatim ex Verbo, & ſic ſancta prophanant: hæc dicit Amen Teſtis fidelis & verus, *ſign:* Dominum quoad Verbum, quod eſt Divinum Verum ab Ipſo: principium opificii Dei, *ſign:* Verbum: novi opera tua, *ſign: hic ut prius:* quod nec frigidus ſis nec calidus, *ſign:* quod qui tales ſunt, nunc negent quod Verbum Divinum & Sanctum ſit, & nunc agnoſcant: utinam frigidus eſſes aut calidus, *ſign:* quod præſtet ut vel ex corde negent ſancta Verbi & Eccleſiæ, vel ex corde agnoſcant illa: itaque quia tepidus es, & non frigidus nec calidus, futurum eſt ut te evomam ex ore meo, *ſign:* prophanationem & ſeparationem a Domino: quod dicas quod dives & locupletatus ſim, *ſign:* quod credant ſe cognitiones boni & veri, quæ Cæli & Eccleſiæ ſunt, poſſidere in omni copia: & nullius opus habeam, *ſign:* quod non plus ſapere opus habeant: & non ſcis, quod tu ſis ærumnoſus, *ſign:* quod omnia quæ de illis ſciunt, ne hilum cohæreant: & miſer & pauper, *ſign:* quod abſque intellectu veri & voluntate boni ſint: ſuadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne ut ditatus ſis, *ſign:* admonitionem ut comparent ſibi a Domino per Verbum bonum amoris ut ſapiant: & veſtimenta alba ut induaris, *ſign:* ut comparent ſibi genuina vera ſapientiæ: ne appareat pudor nuditatis tuæ, *ſign:* ne prophanetur & adulteretur bonum amoris cæleſtis: & collyrio inunge oculos ut videas, *ſign:* ut ſanetur intellectus: Ego quoſcunque amo, arguo & caſtigo, *ſign:* quod quia tunc amantur, non poſſunt aliter quam immitti in tentationes: zelo ergo age & reſipiſce, *ſign:* ut fiat hoc ex affectione veri: ecce ſto ad januam & pulſo, *ſign:* quod Dominus unicuique præſens ſit in Verbo, ac ibi inſtet quod recipiendus, ac doceat quomodo: ſi quis audiverit vocem meam & aperuerit, *ſign:* qui credit Verbo & vivit ſecundum illud: intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ille Mecum, *ſign:* quod Dominus conjungat Se illis & illos Sibi: vincenti dabo ſedere Mecum in throno meo, *ſign:* quod illis erit conjunctio Domini in Cælo: ſicut Ego vici & ſedeo cum Patre in Throno Ipſius, *ſign:* ſicut Ipſe & Pater unum ſunt & Cælum ſunt: habens aurem audiat quid Spiritus dicit Eccleſiis, *ſign: hic ut prius.*

EXPLICATIO.

154. *Et Angelo in Sardibus Eccleſiæ ſcribe, ſignificat ad illos & de illis, qui in cultu mortuo ſunt, ſeu in cultu qui eſt abſque bonis quæ charitatis ſunt & abſque veris quæ fidei.* Quod illi qui in eo cultu ſunt, per Eccleſiam in Sardibus intelligantur, patet a ſcriptis ad illam in ſenſu ſpirituali intellectis. Per Cultum mortuum intelligitur ſolus Cultus, qui eſt, quod frequentent templa, audiant prædicationes, obeant ſacram Cœnam, legant Verbum, & libros pietatis, loquantur de Deo, de Cælo & Inferno, de vita poſt mortem, imprimis de pietate, orent mane & veſperi, & uſque non deſiderant ſcire vera fidei, nec volunt

lunt facere bona charitatis, credentes quod illis per solum cultum sit salus; cum tamen Cultus absque veris, & absque vita secundum illa, est modo externum signum charitatis & fidei, intra quod possunt latere omnis generis mala & falsa, si non charitas & fides insunt; harum est genuinus cultus; alioquin est Cultus sicut cutis aut superficies alicujus fructus, intra quam latet caro putris & vermicularis, qui fructus est mortuus. Quod talis Cultus hodie in Ecclesia sit regnans, notum est.

155. *Hæc dicit habens septem spiritus Dei, & septem stellas, significat Dominum ex Quo omnes veritates, & omnes cognitiones boni & veri.* Quod per septem Spiritus Dei, intelligatur Divinum Verum procedens a Domino, seu Divina Veritas, videatur supra n. 14; & quod per septem stellas intelligantur omnes cognitiones boni & veri ex Verbo, n. 51, ex quibus est Ecclesia in Cælo, n. 65. Illa nunc a Domino dicuntur, quia agitur de cultu mortuo & de cultu vivo, & cultus vivit ex veris & ex vita secundum illa.

156. *Novi tua opera, significat quod Dominus videat omnia interiora & exteriora illorum simul,* ut supra n. 76.

157. *Quod nomen habeas quod vivas, & mortuus es, significat quod videatur & credatur ab ipsis & ab aliis, quod spiritualiter vivi sint, cum tamen spiritualiter mortui sunt.* Per nomen habere, significatur videri & credi quod tales sint, hic quod vivi, cum tamen sunt mortui; vita enim spiritualis, quæ proprie est vita, non est solius cultus, sed est intus in cultu, & intus erunt Divina vera ex Verbo, & cum homo vivit illa, est vita in cultu; causa est, quia externum trahit suum quale ab internis, ac interna cultus sunt vera vitæ: hi sunt, qui intelliguntur per hæc Domini verba ,, *Tunc incipietis foris stare, & pulsare januam, dicentes, Domine aperi nobis, sed respondens dicet, non novi vos unde estis: & incipietis dicere, edimus coram Te, & bibimus coram Te, & in plateis nostris docuisti; sed dicam vobis, non novi vos unde estis, discedite a Me omnes operarii iniquitatis,* Luc. XIII: 25. 26. 27. Datum etiam est audire multos in Spirituali Mundo dicentes, quod sæpius Sacram Communionem obiverint, & sic ederint & biberint sanctum, & toties absoluti sint a peccatis; quod quovis die Sabbathi auscultaverint docentes; ac domi mane & vesperi devote oraverint, & plura; sed cum reclusa sunt interiora cultus illorum, apparuerunt illa iniquitatibus plena & infernalia, quare rejecti sunt; & cum dixerunt unde hoc, responsum tulerunt, quod prorsus non solliciti fuerint de Divinis veris; & tamen vita non secundum Divina vera, non est vita, qualis est illis qui in Cælo sunt, & qui non in vita Cæli sunt, non possunt sustinere lucem cæli, quæ est Divinum Verum procedens a Domino ut Sole ibi, minus calorem Cæli, qui est Divinus Amor: at tametsi illa audiverunt, & quoque intellexerunt, usque tamen cum in se & suum cultum remissi sunt, dixerunt, quid opus est veris, & quid vera. Sed quia amplius vera non potuerunt recipere, relicti sunt suis concupiscentiis, quæ intus in cultu eorum fuerunt, & illæ tandem a se rejecerunt omnem cultum Dei illorum; nam interiora accomodant sibi exteriora, ac rejiciunt quæ secum non concordant: apud omnes enim post mortem rediguntur exteriora ut sint interioribus analoga.

158. *Eſto vigilans, ſignificat ut in veris ſint, & in vita ſecundum illa.* Non aliud per vigilare in Verbo ſignificatur; nam qui vera addiſcit & vivit ſecundum illa, eſt ſicut qui e ſomno expergiſcitur & fit vigil; at qui non in veris eſt, ſed ſolum in cultu, eſt ſicut qui dormit & ſomniat: vita naturalis in ſe ſpectata, ſeu abſque vita ſpirituali, nec aliud eſt quam ſomnus; at vita naturalis in qua eſt vita ſpiritualis, eſt vigilia; & hæc non aliunde comparatur quam per vera, quæ in luce ſua & in die ſuo ſunt, quando homo eſt in vita ſecundum illa. Hoc per vigilare ſignificatur in his locis ,, VIGILATE, *quia neſcitis qua hora Dominus venturus eſt*, Matth. XXIV: 42. *Beati ſervi, quos cum Dominus venit, invenerit eos* VIGILANTES: *eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet*, Luc: XII: 34. 40. VIGILATE, *quia neſcitis quando Dominus domus veniet, ne cum repente venerit, inveniet vos* DORMIENTES: *quæ dico vobis, omnibus dico*, VIGILATE, Marc. XIII: 35. 36. 37. *Virgines morante Sponſo* DORMIVERUNT & OBDORMIVERUNT, *& quinque ſtultæ venientes dixerunt, Domine aperi nobis, ſed reſpondebit Dominus, non novi vos*; VIGILATE *ergo, quia neque illum diem, neque illam horam ſcitis, qua Filius hominis veniet*, Matth. XXV: 1 ad 13. Quia adventus Domini vocatur MANE, n. 151, & tunc aperiuntur vera, & fit lux, ideo illud tempus vocatur PRINCIPIUM VIGILIARUM, Thren. II: 19, ac Dominus vocatur VIGIL, Dan. IV: 10; & dicitur apud Eſajam, *Vivent mortui tui*, EVIGILATE *habitatores pulveris*, XXVI: 19. Quod autem ſtatus hominis, qui non in veris eſt, dicatur Dormitio & Somnus, videatur Jerem. LI. 39. 57. Pſalm. XIII: 4. Pſalm. LXXVI: 7. Luc. XIII: 25, & alibi.

159. *Et confirma reliqua quæ moritura, ſignificat ut illa quæ cultus eorum ſunt, vitam accipiant, & non exſtinguantur.* Quomodo hæc intelligenda ſunt, dicetur: Cultus mortuus eſt prorſus ſimilis Cultui vivo in externa forma, nam ſimilia faciunt qui in veris ſunt, audiunt enim prædicationes, obeunt Sacram Cœnam, precantur ſuper genubus mane & veſperi, præter reliqua quæ ſunt communia & ſolennia cultus; quare non plus opus eſt illis qui in Cultu mortuo ſunt, quam ut diſcant veritates & vivant illas; ita confirmantur reliqua quæ moritura ſunt.

160. *Non enim inveni tua opera plena coram Deo, ſignificat quod interiora cultus eorum non conjuncta ſint Domino.* Quod per Opera intelligantur interiora & exteriora, & quod per Novi opera tua, quod Dominus videat omnia interiora & exteriora hominis ſimul, videatur ſupra n. 76; quæ vocantur plena coram Deo, quando conjuncta ſunt Domino. Sciendum eſt, quod Cultus mortuus ſeu Cultus ſolummodo externus, faciat præſentiam Domini, ſed non conjunctionem; at Cultus externus, in quo interiora vivunt, facit & præſentiam & conjunctionem; nam conjunctio Domini eſt cum illis apud hominem, quæ a Domino ſunt, quæ ſunt vera ex bono, quæ niſi in cultu ſunt, opera non ſunt plena coram Deo, ſed ſunt vacua: vacuum in Verbo dicitur de homine, in quo mere ſunt falſa & mala, ut Matth: XII: 44, & alibi, inde plenum dicitur de homine, in quo vera & bona ſunt.

161. *Memento igitur quomodo acceperis & audiveris, ſignificat ut in cogitationem veniat,*

veniat, quod omnis Cultus in suo principio naturalis sit, ac postea per vera ex Verbo & per vitam secundum illa, fiat spiritualis, præter plura. Sunt hæc quæ per illa verba intelliguntur: tum etiam, quod quisque sciat ex Verbo, ex Doctrina Ecclesiæ ex Verbo, & ex Prædicationibus, quod vera addiscenda sint, & quod per vera sint homini fides, charitas, & omnia Ecclesiæ; quod ita sit, multis ostensum est in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis: ut quod per Vera sit Fides, n. 4353. 4997. 7178. 10367. Quod per Vera Amor erga proximum seu Charitas, n. 4368. 7623. 7624. 8034. Quod per Vera Amor in Dominum, n. 10143. 10153. 10310. 10578. 10648. Quod per Vera Intelligentia & Sapientia, n. 3182. 3190. 3387. 10064. Quod per Vera Regeneratio, n. 1555. 1904. 2046. 2189. 9088. 9959. 10028. Quod per Vera Potentia contra mala & falsa, & contra Infernum n. 3091. 4015. 10485. Quod per Vera purificatio a malis & falsis, n. 2799. 5954. 7044. 7918. 10229. 10237. Quod per Vera Ecclesia, n. 1798. 1799. 3963. 4468. 4672. Quod per Vera Cælum, n. 3690. 9832. 9931. 10303. Quod per Vera Innocentia sapientiæ, n. 3183. 3495. 6013. Quod per Vera Conscientia, n. 1077. 2053. 9113. Quod per Vera Ordo, n. 3316. 3417. 3570. 4704. 5339. 5343. 6028. 10303. Quod per Vera Pulchritudo Angelis, & quoque hominibus quoad interiora quæ sunt spiritus eorum, n. 553. 3080. 4985. 5199. Quod per Vera homo sit homo, n. 3175. 3387. 8370. 10298: verum tamen omnia illa per Vera ex Bono, & non per Vera absque bono, & Bonum a Domino, n. 2434. 4070. 4736. 5147. Quod omne Bonum sit a Domino, n. 1614. 2016. 2904. 4151. 9981. 5147. Sed quis hoc cogitat, annon sicut adiaphorum est hodie, sive hæc sive illa vera sciat, modo in Cultu sit; & quia pauci scrutantur Verbum sine discendi & vivendi vera, ideo non scitur aliquid de Cultu, num mortuus sit vel vivus, & tamen secundum Cultus quale est ipse homo mortuus aut vivus: quid alioquin Verbum & Doctrina inde, quid Sabbatha & Prædicationes, tum Libri dogmatici, imo quid alioquin Ecclesia & Religio. Quod omnis Cultus in principio naturalis sit, & postea per vera ex Verbo & per vitam secundum illa fiat spiritualis, notum est, homo enim nascitur naturalis, sed educatur ut fiat civilis & moralis, & postea spiritualis, sic enim renascitur. Hæc itaque & illa significantur per *Memento quomodo acceperis & audiveris.*

162. *Et observa & resipisce, significat ut attendant ad illa, & cultum suum mortuum vivificent.* Quod observare sit attendere ad illa, quæ intelliguntur per Memento quomodo acceperis & audiveris, patet; & quod resipiscere sit cultum mortuum per vera ex Verbo & per vitam secundum illa vivificare, inde sequitur.

163. *Si ergo non vigilaveris, quod significet si non in veris sint & in vita secundum illa,* constat ab explicatis supra n. 158.

164. *Veniam super te sicut fur, & nescies qua hora veniam super te, significat quod auferentur illa quæ cultus sunt, & quod hoc nescietur quando & quomodo.* Dicitur quod Dominus venturus sicut fur, quia homini, qui in cultu mortuo est, aufertur externum bonum cultus: est enim in Cultu mortuo aliquid boni, quia

cogitant de Deo & de vita æterna; at usque bonum absque suis veris non est bonum, nisi meritorium vel hypocriticum, sed mala & falsa auferunt illud sicut fur; hoc fit successive in mundo, & plane post mortem, & quoque homine nesciente quando & quomodo. Tribuitur Domino quod venturus sit sicut fur, sed in sensu spirituali intelligitur quod infernum auferet & furabitur illud: hoc simile est cum eo, quod in Verbo dicatur, quod Deus malum faciat homini, vastet illum, vindicet, excandescat, inducat in tentationem; cum tamen infernum illa facit; ita enim dicitur ex apparentia coram homine. Quod auferetur homini talentum & mina negotiationis ejus, si nihil lucratur, videatur Matth. XXV: 26 ad 30. Luc. XIX: 24 ad 26; negotiari & lucrari, significat comparare sibi vera & bona. Quoniam ablatio boni & veri ab illis qui in cultu mortuo sunt, fit sicut a fure in tenebris, ideo hoc in Verbo aliquoties assimilatur furi, ut in sequentibus ,, *Ecce venio tanquam Fur, beatus qui vigilat & servat vestimenta, ne nudus ambulet*, Apoc. XVI: 15. *Vigilate ergo, nescitis enim qua hora Dominus vester venturus est: illud cognoscite, si sciret Pater familias qua hora Fur venturus est, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam*, Matth: XXIV: 42. 43. *Si Fures venerint tibi, si eversores noctu, quomodo excisus eris, nonne Furabuntur quod illis satis*, Obad. Vers. 5. *In urbe discurrent, in muro current, in domos ascendent, per fenestras ingredientur sicut Fur*, Joel II: 9. *Fecerunt mendacium, & Fur venit, & diffudit se turma foras*, Hosch. VII: 1. *Reponite thesauros non in terra sed in cælo, ubi Fures non veniunt, nec Furabuntur*, Matth. VI: 19. 20. Quod homo vigilaturus sit, & nesciturus horam qua Dominus venit, est ob causam, ut homo sicut ex se cogitet & faciat, ita in libero secundum rationem suam, & ne timor aliquid inferat; timor enim cuivis foret si sciret; & quod homo ex se in libero facit, hoc remanet in æternum, quod autem ex timore, hoc non remanet.

165. *Habes pauca nomina etiam in Sardibus, significat quod inter illos etiam sint, qui in cultu suo vitam habent.* Per pauca nomina significantur aliqui qui tales sunt, ut nunc sequitur; nomen enim significat quale alicujus, causa est, quia unusquisque in Mundo Spirituali nominatur secundum quale suum, n. 81; quale eorum, de quibus nunc, est, quod in cultu suo vitam habeant.

166. *Qui non inquinaverunt vestimenta sua, significat qui in veris sunt, & non per mala vitæ & inde falsa conspurcaverunt cultum.* Per Vestimenta in Verbo significantur Vera quæ investiunt Bonum, & in opposito sensu falsa quæ investiunt malum; homo enim est vel suum bonum vel suum malum, inde vera aut falsa sunt vestimenta ejus: omnes Angeli & Spiritus apparent vestiti secundum vera boni eorum, aut secundum falsa mali eorum, de qua re videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO Londini edito, n. 177 ad 182; ex quibus patet, quod per non inquinare vestimenta sua, significetur in veris esse, & non per mala vitæ & inde falsa conspurcare cultum. Quod Vestimenta in Verbo significent vera, & in opposito sensu falsa, patet ex his locis ,, *Excitare, excitare, indue robur tuum, Zion; indue* VESTES DECORIS tui, Hierosolyma, Esaj. LII: 1. *Hierosolyma*, VESTIVI *te acupicto, calceavi te taxo, accinxi te bysso, & ornavi te ornatu, amicta es auro & argento, &* VESTES *tuæ byssus, sericum,*

conspurco, verunreinigen, besudeln; spurco, idem; spurcus (se-purus; spurius, spuo) unrein, unflätig, garstig.

בגד 1.) Untreue, Abfall; 2.) cav. decken, Decke; daher Kleid, besonders Oberkleid der Morgenländer, welches bloß aus einem umgeworfenen Tuche besteht, und dem Armen zugleich zur Bettdecke dient.

לבש 1.) anziehen mit d. Acc. d. Kleides, ... 2.) trop. dasselbe. Hiph. jemand bekleiden, ihn etw. anziehen lassen, gew. mit doppelt. Acc.

חבש binden, anbinden, umbinden, ואחבשך בשש ich umband dich (dein Haupt) mit Byssus.

& acupictum, unde pulchra facta es valde. Sed sumsisti de VESTIBUS *tuis, & fecisti tibi excelsa variegata, ut scortareris super illis; sumsisti etiam* VESTES *acupicti tui, & fecisti imagines maris, cum quibus scortabaris*, Ezech. XVI: 10 ad 18; describitur ibi Ecclesia Judaica, quod ei data sint vera quia Verbum, at quod falsificaverint illa, scortari est falsificare, n. 134. *Tota gloriosa filia Regis intus, & ex implexis auri* VESTIS *ejus, in acupictis adducetur Regi*, Psalm. XLV: 14. 15, filia Regis est Ecclesia quoad affectionem veri. *Filiæ Israelis super Saule flete, qui amicivit vos dibapho cum delicatis, & imposuit ornatum auri super Vestem vestram*, II Sam. I: 24; hæc dicuntur de Saule, quia per illum ut Regem significatur Divinum Verum, n. 20. *Visitabo super principes & super filios Regis, & super omnes indutos* VESTIMENTIS *alienigenæ*, Zeph. I: 8. *Hostes exuent tibi* VESTES, *& sument vasa ornatus tui*, Ezech. XXIII: 26. *Joschua indutus fuit* VESTIBUS *pollutis, & sic stabat coram Angelo, qui dixit, removete* VESTES *pollutas a super illo, & induite illum* VESTIBUS *aliis*, Sachar. III: 3. 4. 5. *Ingressus Rex & vidit discumbentes, & vidit hominem non indutum* VESTE NUPTIARUM, *& dixit ei, amice, quomodo huc intrasti non habens* VESTEM NUPTIARUM, Matth. XXII: 11. 12. 13, vestis nuptiarum est Divinum Verum ex Verbo. *Cavete vobis a pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in* VESTIBUS *ovium*, Matth. VII: 15. *Nemo panniculum novi* VESTIMENTI *indit in* VESTIMENTUM *vetus, alioquin illud novum findet vetus, & veteri non convenit panniculus e novo*, Luc. V: 36. 37; quia Vestimentum significat verum, ideo Dominus comparat Vera Ecclesiæ prioris, quæ erant externa & repræsentativa spiritualium, panniculo vestimenti veteris, & vera Ecclesiæ novæ, quæ erant interna & spiritualia, panniculo vestimenti novi. *Super thronis viginti quatuor Seniores sedentes, induti* VESTIMENTIS *albis*, Apoc. IV: 4. *Qui ante Thronum in conspectu Agni stabant, erant amicti* STOLIS *albis; qui laverunt* STOLAS *suas, & dealbarunt* STOLAS *suas in sanguine Agni*, Apoc. VII: 9. 13. 14. *Datæ sunt singulis qui sub altari* STOLÆ *albæ*, Apoc. VI: 11. *Exercitus Sedentis super Equo albo, sequebantur Ipsum* VESTITI *byssino albo & mundo*, Apoc. XIX: 14. Quia Angeli significant Divina Vera, ideo *Angeli in sepulchro Domini visi apparuerunt in* VESTIBUS *albis & splendentibus*, Matth. XXVIII: 3. Luc. XXIV: 4. Quia Dominus est Divinum Bonum & Divinum Verum, ac Vera intelliguntur per Vestes, ideo cum transformatus est, *Splenduit facies Ipsius sicut Sol, &* VESTIMENTA *Ipsius facta sunt sicut Lux*, Matth. XVII: 2, & *Alba fulgurantia*, Luc. IX: 29; *& Splendentia alba sicut nix, cujusmodi fullo super terra non potest dealbare*, Marc. X: 3. De Antiquo dierum, qui etiam est Dominus, dicitur, *Quod* VESTIS *Ipsius esset alba sicut nix*, Dan. VII: 9: & præterea hæc de Domino „ *Unxit myrrha, aloe & kesia omnes* VESTES *tuas*, Psalm XLIX: 9. *Lavat in vino* VESTIMENTUM *suum, & in sanguine uvarum* VELAMEN *suum*, Genes. XLIX: 11. *Quis hic venit ex Edom, conspersus* VESTES ex *Bozra: hic honorabilis in* VESTITU *suo: quare rubicundus quoad* VESTEM *tuam:* VESTES *tuæ sicut calcantis in torculari: sparsa est victoria super* VESTES *meas; & omne* VESTIMENTUM *meum pollui*, Esaj. XLIII: 1. 2. 3; hæc quoque de Domino; Vestes Ipsius sunt ibi Vera Verbi. *Sedens super Equo albo, circumindutus* VESTIMENTO *tincto san-*

sanguine, & vocatur Nomen Ipsius Verbum Dei, Apoc. XIX: 13. 16. Ex significatione Vestium videri potest, *Cur discipuli Domini imposuerunt* VESTIMENTA *sua super asinam & pullum, cum Dominus intraret Hierosolymam: & cur populus tunc stravit* VESTIMENTA *sua in via*, Matth. XXI: 7. 8. 9. Marc. XI: 7. 8. Luc. XIX: 35. 36: & quid significatur, per *quod Milites* VESTIMENTA *Domini diviserint in quatuor partes*, Joh. XIX: 23. 24; ita quid significatur per hæc apud Davidem „ *Diviserunt* VESTES *meas, & super* VESTIMENTUM *meum jecerunt sortem*, Psalm. XXII: 19. Ex significatione Vestium etiam patet, cur sciderunt Vestes suas, cum aliquis contra Divinum Verum Verbi loquutus est, Esaj. XXXVI: 1, & alibi: tum quod laverint Vestes ut purificarentur, Exod. XIX: 14. Levit. XI: 24. 40. Cap. XIV: 8. 9. Num. XIX: 11. ad fin: & quod propter prævaricationes contra Divina Vera exuerent Vestes, & induerent saccum, Esaj. XV: 3. Cap. XXII: 12. Cap. XXXVII: 1. 2. Jerem. IV: 8. Cap. VI: 26. Cap. XLVIII: 37. Cap. XLIX: 3. Thren. II: 10. Ezech. XXVII: 31. Amos VIII: 10. Jon. III: 5. 6. 8. Qui novit quid vestimenta in genere & in specie significant, nosse potest quid significaverunt Vestes Aharonis & filiorum ejus, quæ fuerunt Ephodum, Pallium, Tunica Tessellata, Baltheus, Femoralia, Cidaris. Quoniam Lux significat Divinum Verum, ac Vestis similiter, ideo dicitur apud Davidem, *Jehovah se operit* LUCE *sicut* VESTE, Psalm. CIV: 2.

167. *Et ambulabunt Mecum in albis, significat quod victuri sint cum Domino in Regno Ipsius spirituali, quia in veris sunt ab Ipso.* Quod hic sensus illorum verborum sit, est quia ambulare in Verbo significat vivere, & ambulare cum Deo, significat vivere ab Ipso; & quia in albis significat in veris; album enim in Verbo prædicatur de veris, quia trahit originem a luce solis, & rubrum prædicatur de bonis, quia trahit originem ab igne solis, ac nigrum prædicatur de falsis, quia trahit originem a tenebris inferni: illi qui in veris a Domino sunt, quia Ipsi conjuncti sunt, vocantur digni, omnis enim dignitas in Mundo spirituali est ex conjunctione cum Domino: ex his patet, quod per ambulabunt Mecum in albis quia digni sunt, significetur quod victuri sint cum Domino, quia in veris ab Ipso. Dicitur quod victuri sint cum Domino in Regno spirituali, quia universum Cælum in duo Regna distinctum est, Cæleste & Spirituale, & in Regno cælesti sunt qui in bono amoris a Domino sunt, & in Regno spirituali qui in veris sapientiæ a Domino sunt; & hi dicuntur ambulare cum Domino in albis; sunt quoque induti vestimentis albis. Quod ambulare significet vivere, & ambulare cum Deo vivere cum Ipso quia ab Ipso, constat a sequentibus his locis, *In pace & rectitudine ambulant Mecum*, Esaj. II: 6. *Liberasti pedes meos ab impulsione, ad ambulandum coram Deo in luce viventium*, Psalm. LVI: 14. *David servavit præcepta mea, & ambulavit post Me toto corde*, I Reg. XIV: 8. *Jehovah recordare, quod ambulavere coram Te in veritate*, Esaj. XXXVIII: 3. *Si ambulaveritis Mecum in adversum, nec obediveritis voci meæ, ambulabo etiam Ego vobiscum in adversum*, Levit. XXVI: 23. 24. 27. *Non voluerunt ambulare in viis Jehovæ*, Esaj. XLII: 24. Deut. XI: 22. Cap. XIX: 9. Cap. XXVI: 17. *Omnes populi ambulant in nomine Dei sui, &*

nos

nos ambulabimus in Nomine Jehovæ, Mich. IV: 5. *Adhuc parum Lux vobiscum, ambulate dum Lucem habetis, credite in Lucem*, Joh. XII: 35. 36. Cap. VIII: 12. *Interrogaverunt Scribæ, quare non Discipuli ambulant secundum traditionem Seniorum*, Marc. VII: 1. Dicitur etiam ambulare de Jehovah, quod ambulet inter illos, hoc est, vivat in illis & cum illis, *Dabo Habitaculum meum in medio illorum, & ambulabo in medio vestri, & ero vobis in Deum*, Levit. XXVI: 11. 12. Ex his patet, quid intelligitur supra per, *Hæc dicit ambulans in medio septem candelabrorum aureorum*, Apoc. II: 1.

168. *Vincens induetur vestimentis albis, significat quod qui reformatur fiat spiritualis.* Quod vincens significet qui reformatur, videatur supra n. 88; & quod indui vestimentis albis, significet per vera fieri spiritualis, n. 166. 167: omnes illi fiunt spirituales, qui in veris sunt & in vita secundum illa.

169. *Et non delebo Nomen ejus e libro vitæ, significat quod salvabitur.* Quid nomen, prius dictum est, & quid liber vitæ, infra dicetur: quod non delere nomen ejus e libro vitæ, sit salvari, unicuivis patet.

170. *Et confitebor nomen ejus coram Patre, & coram angelis ejus, significat quod recipiendi sint qui in Divino Bono & in Divinis veris a Domino sunt, ita qui vitam Cæli in se habent.* Quod confiteri nomen sit agnoscere quale alicujus, seu quod talis sit, constat a significatione nominis, de qua supra n. 81. 122; per Patrem intelligitur Divinum Bonum, & per Angelos intelliguntur Divina vera, utraque ex Domino. In Verbo Evangelistarum a Domino sæpius nominatur Pater, & ubivis intelligitur Jehovah, a Quo & in Quo & Quod in Ipso erat, & nusquam aliquod Divinum separatum ab Ipso; quod ita sit, multis ostensum est in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO; & quoque in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 262. 263: quod Ipse Dominus sit Pater, videatur n. 21. 960. Dominus Patrem nominavit, quia per Patrem in sensu spirituali significatur bonum, & per Deum Patrem Divinum Bonum Divini Amoris; angeli nusquam aliud per Patrem, cum in Verbo legitur, intelligunt, nec possunt aliud intelligere, quia nemo in cælis scit suum patrem, a Quo dicuntur nati, & Cujus vocantur filii & hæredes, quam Dominum; hoc intelligitur per Domini verba, Matth. XXIII: 9. Ex his patet, quod per confiteri nomen ejus coram Patre, significetur quod recipiendi sint inter illos qui in Divino Bono sunt ab Ipso. Quod per Angelos intelligantur qui in Divinis veris a Domino sunt, & abstracte Divina Vera, est quia Angeli sunt recipientes Divini Boni in Divinis veris quæ a Domino apud illos sunt.

171. *Habens aurem audiat quid Spiritus dicit Ecclesiis, significat quod qui illa intelligit, obediat quæ Divinum Verum Verbi docet illos, qui e Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, erunt*, ut supra n. 87.

172. *Et Angelo in Philadelphia Ecclesiæ scribe, significat ad illos & de illis, qui in veris ex bono a Domino sunt.* Quod hi per Ecclesiam in Philadelphia intelligantur, patet a scriptis ad illam in sensu spirituali intellectis.

173. *Hæc dicit Sanctus Verus, significat Dominum quoad Divinum Verum.* Quod sit Dominus, patet; quod Sanctus Verus sit Dominus quoad Divinum Verum, est quia Dominus vocatur Sanctus ex Divino suo Vero, & Justus ex Divino suo

ſuo Bono; inde eſt quod Divinum Ipſius procedens, quod eſt Divina Veritas, dicatur Spiritus Sanctus, ac Spiritus Sanctus hic eſt Sanctus Verus. In Verbo ſæpius dicitur Sanctum, & ubivis de Vero, & quia omne Verum, quod in ſe verum eſt, eſt ex Bono & a Domino, eſt id Verum quod Sanctum vocatur; at Bonum, ex quo eſt verum, vocatur Juſtum; inde eſt, quod Angeli, qui in veris ſapientiæ ſunt, & vocantur ſpirituales, dicantur Sancti, & Angeli, qui in bono amoris ſunt, & vocantur Cæleſtes, dicantur juſti; ſimiliter homines in Eccleſia. Inde quoque eſt, quod Prophetæ & Apoſtoli dicantur Sancti, per Prophetas enim & Apoſtolos ſignificantur vera Doctrinæ Eccleſiæ. Inde etiam eſt, quod Verbum dicatur ſanctum, Verbum enim eſt Divinum Verum; tum quod Lex in arca in Tabernaculo, dicta ſit ſanctum ſanctorum, & quoque Sanctuarium. Inde etiam eſt, quod Hieroſolyma dicatur ſancta, per Hieroſolymam enim ſignificatur Eccleſia, quæ in Divinis veris eſt. Inde etiam eſt quod Altare, Tabernaculum, Veſtes Aharonis & filiorum ejus, dicta fuerint ſancta poſtquam uncta fuerunt oleo, oleum enim ſignificat bonum amoris, & hoc ſanctificat, & omne ſanctificatum ſe refert ad verum. Quod Dominus ſit Solus Sanctus, quia eſt Ipſum Divinum Verum, patet ex his „ *Quis non glorificet Nomen tuum, Domine*, QUIA ES SOLUS SANCTUS, Apoc. XV. 4. REDEMPTOR *tuus* SANCTUS ISRAELIS, *Deus totius terræ vocabitur*, Eſaj. LIV: 5. *Sic dixit Jehovah* REDEMPTOR *Iſraelis* SANCTUS IPSIUS, Eſaj XLIX: 7. *Quod ad* REDEMPTOREM *noſtrum*, *Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius* SANCTUS ISRAELIS, Eſaj. XLVII: 4. *Dixit Jehovah* REDEMPTOR *veſter* SANCTUS ISRAELIS, Eſaj. XLIII: 14. *In die illo innitentur Jehovæ* SANCTO ISRAELIS *in veritate*, Eſaj. X: 20, præter alibi, ut Eſaj. I: 4. Cap. V: 19. Cap. XII: 6. Cap. XVII: 7. Cap. XXIX: 19. Cap. XXX: 11. 12. Cap. XLI: 16. Cap. XLIV: 11. 15. Cap. XLVIII: 17. Cap. LV: 5. Cap. LX: 9. Jerem. L: 29. Dan. IV: 10. 20. Pſalm. LXXVIII: 41. Quoniam Dominus eſt Ipſum Sanctum, ideo Angelus dixit ad Mariam „ SANCTUM quod naſcetur ex te, vocabitur Filius Dei, Luc. I: 35; & Dominus de Seipſo „ *Pater Sanctifica illos in Veritate, Verbum tuum Veritas eſt; pro illis* SANCTIFICO *Me Ipſum*, *ut etiam illi ſint* SANCTIFICATI *in Veritate*, Joh. XVIII: 17. 19: ex his patet, quod Veritas quæ a Domino eſt, ſit ipſa Sanctitas, quia Ipſe eſt Solus Sanctus, de quo ita Dominus „ *Quando venerit* SPIRITUS VERITATIS, *ducet vos in omnem veritatem*; *non loquetur ex Seipſo*, *ex Meo accipiet & annuntiabit vobis*, Joh. XVI: 13. 14. 15. *Paracletus* SPIRITUS SANCTUS, *ille vos docebit omnia*, Joh. XIV: 26: quod Spiritus Sanctus ſit Vita Sapientiæ Domini, ita Divina Veritas, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 51, videatur. Ex his conſtare poteſt, quod Sanctus Verus ſit Dominus quoad Divinum Verum. Quod Sanctum dicatur de Vero, ac Juſtum de Bono, patet ex locis in Verbo, ubi utrumque dicitur, ut ex his „ Qui JUSTUS *eſt juſtificetur adhuc*, *qui* SANCTUS *eſt ſanctificetur adhuc*, Apoc. XXII: 11. JUSTÆ & VERÆ *ſunt viæ tuæ*, *Rex* SANCTORUM, Apoc. XV: 3. *Ad ſerviendum Ipſi in* SANCTITATE & JUSTITIA, Luc: I: 75. *Herodes timebat Johannem*, *ſciens quod eſſet vir* JUSTUS & SANCTUS, Marc. VI: 20. *Byſſinum ſunt* JUSTITIÆ SANCTORUM, Apoc. XIX: 8.

174. *Ha-*

174. *Habens clavem Davidis, & aperiens & nemo claudit, ac claudens & nemo aperit, significat Cui Soli est Omnipotentia salvandi.* Per Davidem intelligitur Dominus quoad Divinum Verum; per clavem significatur Omnipotentia Domini super cælum & Infernum; & per aperire ut nemo claudat, & per claudere ut nemo aperiat, significatur educere ex inferno & introducere in cælum, ita salvare, similiter ut supra n. 62, ubi explicatum est. Quod per Davidem intelligatur Dominus quoad Divinum Verum, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 43. 44. Simile quod hic per clavem Davidis, significatur per Claves Petri, Matth. XVI: 15 ad 19, quæ explicata videantur infra n. 798; tum etiam per hæc verba ad omnes discipulos, *Quæcunque ligaveritis in terra erunt ligata in Cælo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in Cælo*, Matth. XVIII: 18; duodecim enim Discipuli repræsentabant omnia Ecclesiæ quoad ejus bona & vera, ac Petrus repræsentabat illam quoad verum, ac vera & bona salvant hominem, ita Solus Dominus a Quo illa sunt. Simile etiam intelligitur per clavem Davidis datam Eliakimo, de quo ita „ *Dabo dominium in manus ejus, ut sit in patrem habitatoris Hierosolymæ & domus Jehudæ, & dabo clavem domus Davidis super humerum ejus, ut aperiat & non claudens, ac claudat & non aperiens*, Esaj. XXII: 21. 22; erat ille super domo Regis, & per domum Regis significatur Ecclesia quoad Divinum Verum.

175. *Novi tua opera, significat quod Dominus videat omnia interiora & exteriora illorum simul*, ut supra n. 76.

176. *Ecce dedi coram te ostium apertum, significat quod illis qui in veris ex bono a Domino sunt, Cælum apertum sit.* Quod per ostium apertum significetur intromissio, patet: quod illis, qui ab Ecclesia in Philadelphia sunt, dicatur ostium esse apertum, est quia per eam Ecclesiam intelliguntur qui in veris ex bono a Domino sunt, & Dominus aperit illis cælum. Sed de hac re aliquid non prius notum dicetur; Solus Dominus est Deus Cæli & Terræ, Matth: XXVIII: 18, quare qui non Ipsum directe adeunt, non vident viam ad Cælum, & inde nec inveniunt januam, & si forte ad illam admittuntur, est illa clausa, & pulsanti non aperitur. In Mundo Spirituali sunt actualiter viæ quæ ducunt ad Cælum, & sunt hic & ibi Portæ, & illi qui ad Cælum a Domino ducuntur, eunt vias illuc tendentes, ac intrant per portas: quod Viæ ibi sint, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 479. 534. 590; quod etiam Portæ, n. 429. 430. 583. 584: omnia enim quæ in Cælis conspiciuntur, correspondentiæ sunt, inde etiam Viæ & Portæ; nam Viæ correspondent veris, & inde significant illa, ac Portæ correspondent introitui, & inde significant illum. Quoniam Solus Dominus ducit hominem ad cœlum, & aperit ostium, ideo vocat se Viam & quoque Ostium; Viam apud Johannem „ *Ego sum* VIA, *Veritas & Vita*, XIV: 6. Ostium apud eundem, *Ego sum* OSTIUM *ovium, per Me si quis introiverit, salvabitur*, X: 7, 9. Quoniam & Viæ & Ostia sunt in Spirituali Mundo, ac spiritus angelici actualiter eunt Vias, & intrant per Ostia dum in Cœlum, ideo sæpius in Verbo dicuntur Ostia, Portæ & Januæ, & per illa significatur introitus; ut in his locis „ *Attollite* PORTÆ *capita vestra, attollite* OSTIA *mundi, ut ingrediatur Rex gloriæ*, Psalm XXIV: 7, 9. *Aperite* PORTAS,

ut ingrediatur Gens justa faciens fidelitates, Esai. XXVI: 2. *Ingressæ sunt quinque Virgines prudentes ad nuptias, & OSTIUM clausum est: & venerunt quinque virgines stultæ & pulsarunt, sed non aperiebatur*, Matth. XXV: 10. 11. 12. *Jesus dixit, certate intrare per angustam PORTAM, quia multi quærent intrare, & non poterunt*, Luc. XIII: 24. 25, præter alibi. Quia Ostium significat introitum, & Nova Hierosolyma Ecclesiam ab illis, qui in veris ex bono a Domino sunt, ideo describitur Nova Hierosolyma etiam quoad Portas, super quibus Angeli, & dicitur *quod non claudentur*, Apoc. XXI: 12. 13. 25.

177. *Et nemo potest claudere illud, significat quod infernum non prævaleat contra illud:* Solus enim Dominus aperit & claudit ostia ad Cælum, & ostium quod aperit, est perpetuo apertum illis qui in veris ex bono a Domino sunt, & perpetuo clausum illis qui in falsis ex malo; & quia Solus Dominus aperit & claudit, sequitur quod infernum non prævaleat contra illos: plura de his videantur supra n. 174.

178. *Quia parvam habes potentiam, significat quia sciunt quod nihil valeant ex seipsis.* Qui in veris ex bono sunt a Domino, sciunt quod illis non aliqua potentia sit contra mala & falsa, ita contra infernum ex se; & quoque sciunt, quod non ex aliqua potentia ex se possint facere bonum, ac semet introducere in Cælum, sed quod omnis potentia sit Domino, & sic illis a Domino, & quantum in veris ex bono sunt, tantum in potentia sint a Domino, quæ usque eis apparet ut sua: hæc itaque sunt, quæ intelliguntur per quia habes parvam potentiam.

179. *Et observasti meum Verbum, quod significet quia vivunt secundum præcepta Domini in Ipsius Verbo*, patet absque explicatione.

180. *Et non negasti Nomen meum, significat quod sint in cultu Domini.* Quod Nomen Jehovæ seu Domini in Verbo significet omne per quod colitur, ita omne doctrinæ Ecclesiæ, ac universaliter omne Religionis, videatur supra n. 81; ex quibus constat quid hic significatur per non negasti Nomen meum.

181. *Et dabo ex synagoga satanæ, quod significet illos qui in falsis quoad doctrinam sunt*, videatur supra n. 97.

182. *Dicentium seipsos Judæos esse, & non sunt, sed mentiuntur, significat qui dicunt quod apud illos Ecclesia sit, cum tamen apud illos nulla Ecclesia est.* Per Judæos hic intelliguntur qui ab Ecclesia sunt, quia Ecclesia apud illos fuerat instituta, quare etiam per eorum Hierosolymam adhuc intelligitur Ecclesia quoad doctrinam: in specie autem per Judæos intelliguntur qui in bono amoris sunt, ut supra n. 96, ita quoque Ecclesia, nam ex bono amoris est Ecclesia: quod tamen apud illos nulla Ecclesia sit, significatur per, Et non sunt, sed mentiuntur.

183. *Ecce faciam ut illi veniant & adorent ad pedes tuos, significat quod illi qui in falsis quoad doctrinam sunt, modo non sint in falsis ex malo, recepturi sint vera Novæ Ecclesiæ & agnituri.* Hoc dicitur de illis, qui e synagoga satanæ sunt, & dicunt se esse Judæos, & non sunt, sed mentiuntur, per quos intelliguntur qui in falsis quoad doctrinam sunt, sed usque non in falsis ex malo, verum in falsis quoad doctrinam sed in bono quoad vitam; hi & non illi recipiunt & agnos-

agnoscunt vera cum audiunt illa; causa est, quia bonum amat verum, ac verum ex bono rejicit falsum; recipere & agnoscere vera, significatur per venire & adorare ad pedes; non ad pedes illorum, sed ad pedes Domini, a quo illis vera ex bono sunt; quare simile, quod hic, significatur per hæc apud Davidem „ *Adorate Jehovam Deum nostrum, adorate ad scabellum pedum Ipsius*, Psalm. XCIX: 5.

184. *Et sciant quod Ego dilexi te, significat quod visuri sint quod illi, qui in veris ex bono sunt, amentur & recipiantur in Cœlum a Domino:* hoc sequitur in serie ex antecedentibus.

185. *Quia servasti verbum tolerantiæ meæ, significat quia pugnaverunt contra mala, & tunc rejecerunt falsa.* Quod per verbum tolerantiæ significetur pugna spiritualis, quæ vocatur tentatio, patet ex nunc sequentibus „ Et Ego servabo te ab hora tentationis futuræ „ nam qui tentatur in Mundo, is non tentatur post mortem. Pugna spiritualis, quæ est tentatio, dicitur verbum tolerantiæ seu patientiæ Domini, quia Dominus in tentationibus pugnat pro homine, & pugnat per vera ex Verbo suo.

186. *Et Ego te servabo ab hora tentationis futuræ, venire super orbem universum, explorare habitantes super terra, significat quod tutandi & servandi die ultimi Judicii.* Quod tutatio & servatio illorum die Ultimi Judicii per illa verba intelligatur, videri potest ex illis, quæ de ULTIMO JUDICIO in singulari Opusculo, & postea in CONTINUATIONE DE ILLO, scripta & memorata sunt, ex quibus constat, quod qui illud subierunt, in tentationem missi fuerint, & explorati quales essent, & quod rejecti qui interius mali fuerunt, & quod salvati qui interius boni; & interius boni erant, qui in veris ex bono a Domino fuerunt.

187. *Ecce venio cito, significat adventum Domini, & tunc novam Ecclesiam ex illis.* Dominus hic dixit, ecce venio cito, quia per mox præcedentia verba intelligitur Ultimum Judicium, ac Ultimum Judicium etiam vocatur Adventus Domini, ut apud Matthæum, *Discipuli dixerunt ad Jesum, quodnam signum tui Adventus & Consummationis sæculi*, XXIV: 3; Consummatio sæculi est Ultimum tempus Ecclesiæ, quando Ultimum Judicium. Quod per verba, ecce venio cito, etiam intelligatur Nova Ecclesia, est quia post Ultimum Judicium Ecclesia a Domino instauratur; illa Ecclesia nunc est Nova Hierosolyma, in quam venturi sunt qui in veris ex bono a Domino sunt, ad quos hic sermo est.

188. *Retine quod habes, quod significet ut in veris suis & in bono suo interea permaneant*, constat absque explicatione.

189. *Ut nemo accipiat coronam tuam, significat ne pereat sapientia, ex qua felicitas æterna.* Sapientia homini non aliunde est quam ex bono per vera a Domino; quod per hæc fit homini sapientia, est quia Dominus conjungit se homini & hominem Sibi per illa, & Dominus est Ipsa Sapientia; quare sapientia apud hominem perit, quando ille desinit facere vera, hoc est vivere secundum illa, tunc etiam desinit amare sapientiam, proinde Dominum. Per sapientiam intelligitur sapientia in spiritualibus, ex hac ut fonte derivatur sa-

pientia in reliquis, quæ vocatur intelligentia, & per hanc ſcientia, quæ eſt ex affectione ſciendi vera. Quod Corona ſignificet ſapientiam, eſt quia ſapientia ſupremum locum tenet apud hominem, & ſic coronat illum; nec aliud ſignificat Corona Regis, nam Rex in ſpirituali ſenſu eſt Divinum Verum, n. 20, & ex Divino Vero eſt omnis ſapientia. Sapientia per Coronam etiam ſignificatur in ſequentibus locis, *Germinare faciam cornu Davidi, & ſuper illo florebit* CORONA *ejus*, Pſalm. CXXXII: 17. 18. *Jehovah dedit inaures ſuper aures tuas, &* CORONAM *ornatus ſuper caput tuum*, Ezech. XVI: 12; hæc de Hieroſolyma, per quam ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam, quare Corona ornatus eſt ſapientia ex Divino Vero ſeu Verbo. *In die illo erit Jehovah Zebaoth in* CORONAM *ornatus, & in Cidarim decoris reliquiis populi ſui*, Eſaj. XXVIII: 5; hæc de Domino, quia dicitur in die illo; Corona ornatus in quam erit, eſt ſapientia, & Cidaris decoris eſt intelligentia; reliquiæ populi ſunt apud quos Ipſius Eccleſia erit. Simile per Coronam & Cidarim ſignificatur Eſaj LXII: 1. 3: tum ſimile per BRACTEAM ſuper Cidari Aharonis, Exod. XXVIII: 36. 37, quæ etiam vocabatur Coronamentum. Inſuper in his; *Dic Regi & Dominæ, dimittite vos, ſedete, quia deſcendit ornamentum capitis veſtri,* CORONA *decoris veſtri*, Jerem XIII: 18. *Ceſſavit gaudium cordis noſtri, cecidit* CORONA *capitis noſtri*, Thren. V: ~~16. 17.~~ [15, 16] *Gloriam a me abſtraxit, & removit* CORONAM *capitis mei*, Hiob XIX: 9. *Damnaſti in terram* CORONAM *Uncti tui*, Pſalm. LXXXIX: 40; in his locis per Coronam ſignificatur ſapientia. [B.A. v. 39].

190. *Vincens, quod ſignificet qui in veris ex bono a Domino perſiſtunt*, patet ex ſerie, & ſic abſque explicatione.

191. *Faciam illum columnam in Templo Dei mei, ſignificat quod vera ex bono a Domino, apud quos ſunt, ſuſtentent Eccleſiam Domini in Cælo.* Per Templum ſignificatur Eccleſia, & per Templum Dei mei Eccleſia Domini in Cælo, inde patet quod per Columnam ſignificetur id quod ſuſtentat & firmat Eccleſiam, & hoc eſt Divinum Verum Verbi. Per Templum in ſupremo ſenſu ſignificatur Dominus quoad Divinum Humanum, in ſpecie quoad Divinum Verum; in ſenſu autem repræſentativo per Templum ſignificatur Eccleſia Domini in Cælo; tum etiam Eccleſia Domini in Mundo. Quod per Templum in ſupremo ſenſu ſignificetur Dominus quoad Divinum Humanum, & in ſpecie quoad Divinum Verum, patet ex his locis „ *Jeſus dixit Judæis, ſolvite Templum hoc, & in tribus diebus exſuſcitabo illud; loquebatur de Templo Corporis ſui*, Joh. II: ~~18~~ [19.] 21. *Templum non vidi in Nova Hieroſolyma, nam Dominus Deus Omnipotens Templum ejus & Agnus*, Apoc. XXI: 22. *Ecce ſubito veniet ad Templum ſuum Dominus, & Angelus fœderis quem quæritis*, Malach. III: 1. *Incurvabo me verſus Templum ſanctitatis tuæ*, Pſalm. CVIII: 2. [cxxxviii] *Addam reſpicere ad Templum ſanctitatis tuæ, & venit ad Te oratio mea, ad Templum ſanctitatis tuæ*, Hab. II: 20; Templum ſanctitatis Jehovæ ſeu Domini, eſt Divinum Humanum Ipſius, nam ad Hoc incurvatur, reſpicitur & oratur, & non ad ſolum Templum, hoc enim in ſe non ſanctum eſt; vocatur Templum ſanctitatis, quia ſanctitas prædicatur de Divino Vero, n ~~123~~. [173] *Per Templum quod ſanctificat aurum*, Matth. XXIII: 16. 17, nec aliud intelligitur quam Divinum Humanum Domini.

[Jon. II: 5. 8 [B.A. v. 4, 7]. Jehovah in Templo sanctitatis Tuae;]

mini. Quod per Templum in ſenſu repræſentivo ſignificetur Eccleſia Domini in Cælo, patet ex his; *Vox Jehovæ e Templo*, Eſaj. LXVI: 6. *Prodiit vox magna e Templo Cæli*, Apoc. XVI: 17. *Apertum eſt Templum Dei in Cælo, & viſa eſt Arca fœderis Ipſius in Templo*, Apoc. XI: 19. *Apertum eſt Templum Tabernaculi teſtimonii in Cælo; & prodierunt e Templo ſeptem Angeli: ac impletum eſt Templum fumo ex gloria Dei*, Apoc. XV: 5. 6. 8. *Invocavi Jehovam, & ad Deum meum clamavi, audivi e Templo ſuo vocem*, Pſalm. XVIII: 7. *Vidi Dominum ſedentem ſuper Throno alto & elato, & fimbriæ Ipſius implebant Templum*, Eſaj. VI: 1. Quod Templum ſignificet Eccleſiam in mundo, patet ex his, *Domus ſanctitatis noſtra facta eſt in incendium*, Eſaj. LXIV: 10. *Commovebo omnes gentes ut impleam Domum hanc gloria; major erit gloria Domus poſterioris quam prioris*, Hagg. II: 7. 8. Eccleſia a Domino inſtauranda, deſcribitur per *Templum novum*, apud Ezechielem Cap. XL ad XLVIII: ac intelligitur per *Templum, quod Angelus metiebatur*, Apoc. XI: 1: pariter alibi, ut Eſaj. XLIV: 28. Jerem. VII: 2. 3. 4. 9. 10. 11. Sach. VIII: 9. *Acceſſerunt Diſcipuli Jeſu, ad oſtendendum Ipſi ſtructuras Templi, & Jeſus dixit illis, amen dico vobis non relinquetur lapis ſuper lapide, qui non diſſolvetur*, Matth. XXIV: 1. 2. Marc. XIII: 1 ad 5. Luc: XXI: 5. 6. 7, per Templum hic ſignificatur Eccleſia hodierna, & per diſſolutionem ejus ut non ſit lapis ſuper lapidem, ſignificatur finis illius Eccleſiæ, quod non aliquod verum tunc reſiduum eſſet; nam cum Diſcipuli cum Domino de Templo loquuti ſunt, Dominus prædixit ſucceſſivos ſtatus iſtius Eccleſiæ, uſque ad finem ejus, ſeu de Conſummatione ſæculi, & per Conſummationem ſæculi intelligitur ultimum tempus ejus, quod hodie eſt: hoc repræſentabatur per quod Templum illud funditus deſtructum fuerit. Templum ſignificat illa tria, nempe Dominum, Eccleſiam in Cælo, & Eccleſiam in mundo, quia illa Tria unum faciunt, non poſſunt ſeparari, conſequenter non poteſt unum abſque altero intelligi; qui itaque ſeparat Eccleſiam in mundo ab Eccleſia in Cælo, & hanc & illam a Domino, non eſt in veritate. Quod hic per Templum intelligatur Eccleſia in Cælo, eſt quia ſequitur de Eccleſia in mundo, n. 194.

192. *Et foras non egredietur amplius, quod ſignificet quod ibi manſuri ſint in æternum*, patet abſque explicatione.

193. *Et ſcribam ſuper illum Nomen Dei mei, ſignificat quod cordibus illorum inſcriptum erit Divinum Verum.* Scribere ſuper aliquem, ſignificat inſcribere ut ſit in illo tanquam ejus; & Nomen Dei mei ſignificat Divinum Verum. Hic aliquid de eo, quod Deus meus ſit Divinum Verum, dicetur: in Verbo Veteris Teſtamenti innumeris in locis dicitur Jehovah Deus, tum ſeparatim nunc Jehovah nunc Deus, & per Jehovam intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum, & per Deum Dominus quoad Divinum Verum, ſeu quod idem, per Jehovam intelligitur Dominus quoad Divinum Amorem, & per Deum Dominus quoad Divinam Sapientiam; utrumque dicitur propter Conjugium cæleſte in ſingulis Verbi, quod eſt conjugium Amoris & Sapientiæ, ſeu conjugium boni & veri, de quo Conjugio videatur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ de Scriptura Sacra, n. 80 ad 90. In Verbo autem Novi Teſta-

menti non dicitur Jehovah Deus, sed Dominus Deus, nam Dominus sicut Jehovah significat Divinum Bonum seu Divinum Amorem: ex his constare potest, quod per Nomen Dei mei, significetur Divinum Verum Domini. Quod Nomen, cum de Domino, sit omne per quod colitur, videatur supra n. 81; & omne per quod colitur, se refert ad Divinum Bonum & Divinum Verum. Quia non scitur, quid intelligitur per hæc Domini verba, *Pater glorifica tuum* NOMEN, *& exivit vox e Cælo, & glorificavi, & rursus glorificabo*, Joh. XII: 28, ideo dicetur: Dominus cum in mundo fuit, fecit Humanum suum Divinum Verum, quod etiam est Verbum, & cum exivit e mundo, plene univit Divinum Verum Divino Bono, quod fuit in Ipso ex conceptione: Dominus enim glorificavit, hoc est, Divinum fecit Humanum suum, sicut hominem facit spiritualem; indit enim homini primum vera ex Verbo, & postea unit illa bono, & per unitionem illam fit homo spiritualis.

194. *Et nomen urbis Dei mei, Novæ Hierosolymæ, significat quod cordibus inscripta erit doctrina Novæ Ecclesiæ.* Per Novam Hierosolymam significatur Nova Ecclesia, & per illam cum vocatur Urbs, significatur Nova Ecclesia quoad doctrinam; quare per scribere super illum nomen urbis Dei mei Novæ Hierosolymæ, significatur quod illis inscripta erit doctrina Novæ Ecclesiæ: quod per Hierosolymam significetur Ecclesia, & per illam ut urbem Ecclesia quoad doctrinam, videatur infra n. 880. 881. Quod per Urbem significetur doctrina, est quia per Terram, in specie per Terram Canaanem, significatur Ecclesia in toto complexu, & inde per Hæreditates, in quas Terra Canaan divisa erat, significata sunt varia Ecclesiæ, ac per Urbes in illis doctrinalia; ex eo est, quod per Urbes, ubi nominantur in Verbo, non aliud ab Angelis intelligatur; quod etiam per multam experientiam mihi testatum est: hoc simile est, quemadmodum cum significatione montium, collium, vallium, fontium, fluviorum, quæ omnia significant talia quæ Ecclesiæ sunt. Quod Urbes significent doctrinalia, aliquantisper constare potest a sequentibus locis „ *Evacuabitur terra, confundetur terra, prophanabitur terra, frangetur* URBS INANIS, *reliquum in* URBE *vastitas, & usque ad devastationem contundetur porta*, Esaj. XXIV: 3. 4. 10. 11. 12. *Ascendit leo ex vepreto, ad redigendum terram in vastitatem*, URBES *tuæ destruentur, vidi Carmelum desertum, &* URBES *ejus desolatas, lugebit terra, fugiet* URBS TOTA *deserta*, Jerem. IV: 7. 26 ad 29; terra ibi est Ecclesia, & urbs est ejus doctrina, describitur ita devastatio Ecclesiæ per falsa doctrinæ. *Veniet vastator super omnem* URBEM, *ut* URBS *non evadat, & pereat vallis, & perdatur planities*, Jerem. XLVIII: 8; similiter. *Ecce dedi te in* URBEM *munitam contra universam terram*, Jerem. I: 18; hæc ad Prophetam, quia per prophetam significatur doctrina Ecclesiæ; n. 8. *In die illo cantabitur in terra Jehudæ*, URBS *valida nobis, salutem ponet muros & antemurale*, Esaj. XXVI: 1. 2. *Fracta est* URBS *magna in tres partes, &* URBES *gentium corruerunt*, Apoc. XVI: 18. 19. *Propheta vidit super monte alto structuram* URBIS *a meridie, & Angelus mensus est murum, portas, thalamos, porticum portæ, & nomen* URBIS *Jehovah ibi*, Ezech. XL: 1 seq: *Fluvius, cujus rivi lætificarunt* URBEM DEI, Psalm. XLVI: 5. 6. *Commiscebo Ægyptum cum Ægypto, ut pugnet* URBS *contra* URBEM, *&* *Regnum contra Regnum*, Esaj. XIX:

[B.A. v. 4].

XIX: 2. *Omne Regnum divisum contra se desolatur, & omnis* URBS *divisa contra se non consistet*, Matth. XII: 25; in his locis per Urbes in sensu spirituali intelliguntur doctrinæ, ut quoque Esaj. VI: 11. Cap. XIV: 12. 17. 21. Cap. XIX: 18. 19. Cap. XXV: 1. 2. 3. Cap. XXXIII: 8. 9. Cap. LIV: 3. Cap. LXIV: 9. Jerem. VII: 17. 34. Cap. XIII: 18. 19. Cap. XXXII: 42. 44. Cap. XXXIII: 8. Zeph. III: 6. Psalm. XLVII: 2. Psalm. XLVIII: 9. 21. Psalm. CVII: 2. 4. 5. 7. Matth. V: 14. 15, & alibi. Ex significatione urbis constare potest, quid per urbes in hac parabola Domini intelligitur, *Homo nobilis abiens ut acciperet sibi Regnum, dedit servis suis minas ad negotiandum, cum rediit, vocavit servos, accessit primus dicens, mina tua lucrata est decem minas, cui dixit, bone serve,* HABEBIS POTESTATEM SUPER DECEM URBES; *& venit secundus, dicens, mina tua lucrata est quinque minas, cui dixit,* TU ESTO SUPER QUINQUE URBES, Matth. XIX: 12 ad 19; per urbes etiam hic significantur doctrinalia seu vera doctrinæ, & per esse super illis est intelligens & sapiens esse, ita dare potestatem super illas est dare intelligentiam & sapientiam; decem significant multam, & quinque aliquam; quod per negotiari & lucrari intelligatur comparare sibi intelligentiam per usurpationem facultatum suarum, patet. Quod Urbs sancta Hierosolyma significet doctrinam Ecclesiæ novæ, patet manifeste ab ejus descriptione Apoc. Cap. XXI, describitur enim quoad dimensiones, tum quoad portas, & quoad murum & ejus fundamenta, quæ, dum Hierosolyma significat Ecclesiam, non alia significare possunt quam quæ ejus doctrinæ sunt; Ecclesia nec aliunde est Ecclesia. Quia per Urbem Hierosolymam intelligitur Ecclesia quoad doctrinam, ideo vocatur illa URBS VERITATIS, Sach. VIII: 3. 4: & in multis locis URBS SANCTA, & hoc quia sanctum prædicatur de veris ex Domino, n. 173.

195. *Quæ descendit e Cælo a Deo meo, significat quæ erit ex Divino Vero Domini, quale est in Cælo.* Quoniam per Deum meum, significatur Divinum Verum, n. 193, sequitur quod per descendere e Cælo a Deo meo, cum a Domino hoc dicitur, & de doctrina Ecclesiæ Novæ, significetur, quæ ex Divino Vero Domini, quale est in cælo, erit.

196. *Et Nomen meum novum, significat cultum solius Domini, cum novis quæ in priore Ecclesia non fuerunt.* Quod per Nomen Domini significetur omne per quod colitur, videatur supra n. 81, hic itaque cultus Solius Domini, cum novis quæ non in priore Ecclesia: quod in Nova Ecclesia sit cultus Solius Domini, patet ex Capite XXI: Vers. 8. 9, ubi illa Ecclesia vocatur UXOR AGNI: quod nova sint in illa Ecclesia, patet a Cap. XXI: Vers. 5, ubi dicitur, ECCE OMNIA NOVA FACIO: hæc itaque significantur per Nomen meum novum, quod scribetur super illos.

197. *Habens aurem audiat quid spiritus dicit Ecclesiis, significat quod qui intelligit, obediat, quæ Divinum Verum Verbi docet illos, qui e Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, erunt*, ut supra n. 87.

198. *Et Angelo Ecclesiæ Laodicensium scribe, significat ad illos & de illis in Ecclesia, qui alternatim credunt ex se & alternatim ex Verbo, & sic sancta prophanant.* Sed de his aliquid in antecessum dicetur: dantur in Ecclesia qui credunt

dunt & non credunt, ut quod Deus sit, Verbum sanctum sit, Vita æterna sit, & plura quæ Ecclesiæ & ejus doctrinæ sunt, & usque non credunt; credunt illa dum in sensuali naturali suo sunt, attamen non credunt dum in suo rationali naturali sunt, ita credunt dum in externis sunt, proinde dum in societate & loquela cum aliis sunt, at non credunt dum in internis sunt, proinde dum non in societate cum aliis sunt, & tunc in loquela secum; de his dicitur quod nec frigidi nec calidi, & quod exspuendi sint.

199. *Hæc dicit Amen, Testis fidelis & verus, significat Dominum quoad Verbum, quod est Divinum Verum ab Ipso.* Quod Amen sit Divina confirmatio ex ipsa veritate, quæ est Dominus, ita ex Domino, videatur supra n 23; & quod Testis fidelis & verus, cum de Domino, sit Divina Veritas quæ ab Ipso in Verbo, n 6. 16: sive dicas, quod Dominus testetur de Seipso, sive quod Verbum de Ipso, idem est, quoniam FILIUS HOMINIS, qui hic loquitur ad Ecclesias, est Dominus quoad Verbum, n. 44. Hæc præmittuntur ad hanc Ecclesiam, quia hic de illis in Ecclesia agitur, qui & credunt ex se & ex Verbo, & qui credunt ex Verbo, credunt ex Domino.

200. *Principium opificii Dei, significat Verbum.* Quod Verbum sit principium opificii Dei, nondum in Ecclesia notum est, quia non intellecta sunt hæc apud Johannem „ *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; omnia per Ipsum facta sunt, & sine Ipso factum est nihil quod factum est. In Ipso vita erat, & vita erat lux hominum. In mundo erat, & mundus per Ipsum factus est, sed mundus Ipsum non cognovit. Et Verbum Caro factum est, & habitavit inter nos, & vidimus gloriam Ipsius, gloriam sicut Unigeniti a Patre I; ad 14:* Qui hæc verba quoad interiorem eorum sensum sensum intelligit, & simul confert cum illis, quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, ut & cum aliquibus quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, scripta sunt, videre potest, quod ipsum Divinum Verum in Verbo, quod in hoc mundo prius fuerat, de quo n. 11, tum quod in hoc Verbo quod hodie est, per Verbum, quod in principio fuit apud Deum, & quod fuit Deus, intelligatur; at non Verbum spectatum in linguarum vocibus & literis, sed spectatum in sua essentia & vita, quæ ab intimo est in sensibus vocum & literarum ejus; Verbum ex hac vita vivificat affectiones voluntatis hominis, qui id sancte legit, & ex luce illius vitæ illustrat cogitationes intellectus ejus, quare apud Johannem dicitur, „In Verbo fuit Vita, & Vita fuit Lux hominum;„ Vers. 4; hoc facit Verbum, quia Verbum est ex Domino & de Domino & sic Dominus: omnis cogitatio, loquela & scriptura, trahit suam essentiam & vitam ab illo qui cogitat, loquitur & scribit, est homo cum suo quali in illis; in Verbo autem est Solus Dominus. Sed Divinam Vitam in Verbo nemo sentit & percipit, nisi qui in affectione veri spirituali est cum id legit, is enim est in conjunctione Domini per Verbum, est quoddam intime afficiens cor & spiritum, quod cum luce influit in intellectum, ac testatur. Simile quod apud Johannem, significatur per hæc in Primo Capite Geneseos, *In principio creavit Deus Cælum & Terram, & spiritus Dei movebat se super faciebus aquarum, & dixit Deus, fiat Lux*
&

& facta est Lux, Vers. 1. 2. 3; spiritus Dei est Divinum Verum, pariter Lux; Divinum Verum est Verbum, quare cum Dominus se vocat Verbum, se etiam vocat Lucem, Joh. I: 4. 8. 9. Simile etiam intelligitur per hæc apud Davidem, *Per Verbum Jehovæ Cœli facti sunt, & per Spiritum oris Ipsius omnis Exercitus eorum*, Psalm. XXXIII: 6. In summa, absque Divino Vero Verbi, quod in sua essentia est Divinum Bonum Divini Amoris ac Divinum Verum Divinæ Sapientiæ Domini, non potest homo vitam habere; per Verbum est conjunctio Domini cum homine, ac hominis cum Domino, & per illam conjunctionem est vita; erit aliquid a Domino, quod ab homine potest recipi, per quod fit conjunctio & inde vita æterna. Ex his constare potest, quod per PRINCIPIUM OPIFICII DEI, intelligatur Verbum; & si credere vis, Verbum quale est in sensu literæ, hic enim sensus est complexus sanctitatum interiorum ejus, ut multis ostensum est, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA. Et quod mirabile est, Verbum ita scriptum est, ut communicet cum Universo Cælo, & singillatim cum unaquavis societate ibi, quod per vivam experientiam mihi datum est scire, de qua alibi. Quod Verbum in sua essentia tale sit, patet adhuc ab his Domini verbis, *Verba, quæ Ego loquor vobis, spiritus sunt, & vita sunt*, Joh. VI: 63.

201. *Novi tua opera*, *significat quod Dominus videat omnia* interiora & exteriora illorum simul, ut supra n. 76.

202. *Quod nec frigidus sis nec calidus*, *significat quod qui tales sunt, nunc negent quod Verbum Divinum & Sanctum sit, & nunc agnoscant.* Nunc apud se negare & nunc agnoscere sanctitatem Verbi, est nec frigidus esse nec calidus, sunt enim contra Verbum & quoque pro Verbo: iidem etiam tales sunt de Deo, nunc Ipsum negant & nunc agnoscunt; similiter de omnibus Ecclesiæ; proinde sunt nunc cum illis qui in Inferno, nunc cum illis qui in Cælo, volant sicut inter utrumque sursum & deorsum, & quo volant eo faciem suam vertunt. Tales fiunt, qui apud se confirmaverunt quod Deus sit, cælum & Infernum sint, ac vita æterna sit, & postea recedunt; apud illos cum prior confirmatio redit, agnoscunt, cum autem non redit, negant; quod recedant, est quia postea solum de se & de mundo cogitant, continue ambientes supereminere, & per id se immergunt suo proprio; ita infernum absorbet illos.

203. *Utinam frigidus esses aut calidus*, *significat quod præstet ut vel ex corde negent sancta Verbi & Ecclesiæ, vel ex corde agnoscant illa;* causa dicetur in nunc sequente Articulo.

204. *Itaque quia tepidus es, & non frigidus nec calidus, futurum est ut te evomam ex ore meo*, *significat prophanationem, & inde separationem a Domino.* Per evomi ex ore meo, significatur separari a Domino, & sic separari a Domino, est non esse in Cælo nec in Inferno, sed in loco separato, orbati vita humana, ubi sunt meræ phantasiæ; causa est, quia commiscuerunt vera falsis & bona malis, ita sancta prophanis, usque ut non separari possint; & quia homo tunc non præparari potest, ut sit vel in Cælo vel in Inferno, eruitur omne vitæ rationalis ejus, remanentibus vitæ ultimis, quæ separata a vitæ interioribus sunt mere phantasiæ. De horum statu & sorte videantur plura in SAPIENTIA

ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 226 ad 228 231, quæ pro cognitione de illis ſufficiunt. Dicitur de his quod evomantur, quia Mundus ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum, in quem omnis homo primum poſt mortem venit, & ibi præparatur, correſpondet Ventriculo, in quo omnia ingeſta præparantur, ut vel fiant ſanguis & caro, vel ut fiant excrementa & urinæ, hæc habent correſpondentiam cum Inferno, illa autem cum Cælo; at quæ evomuntur ex Ventriculo, ſunt quæ non ſeparata ſunt, ſed commixta. Propter hanc correſpondentiam dicitur evomi & vomitus in ſequentibus locis, „ *Bibe & inebriare, ut præputium tuum reveletur, circumibit ad te calix Jehovæ, ut Vomitus ignominioſus ſit ſuper gloria*, Habak. II: 15. 16. *Inebriate Moabum, ut complodat in Vomitu ſuo*, Jerem. XLVIII: 26. *Omnes menſæ ſunt plenæ Vomitu egeſtionis, quemnam docebit ſcientiam*, Eſaj. XXVIII: 7. 8. præter alibi, ut Jerem. XXV: 27. Levit. XVIII: 24. 25. 28. Quod aqua tepida ciat vomitum, eſt quoque ex correſpondentia.

206. *Quod dicas, quod dives & locupletatus ſim, ſignificat quod credant ſe cognitiones veri & boni, quæ Eccleſiæ & Cæli ſunt, poſſidere in omni copia.* Dives & locupletatus eſſe, non aliud hic ſignificat, quam plene ſcire ac intelligere talia quæ Eccleſiæ & Cæli ſunt, quæ ſpiritualia & theologica vocantur, quia hic de illis agitur; divitiæ & copiæ ſpirituales non aliud ſunt. Illi, qui ex ſe credunt, & non ex Domino per Verbum, etiam credunt ſe ſcire & intelligere omnia; cauſa eſt, quia mens eorum ſpiritualis clauſa eſt; & ſolum mens naturalis aperta, & hæc mens abſque luce ſpirituali non videt aliter. Quod per divitias & opes in Verbo ſignificentur divitiæ & opes ſpirituales, quæ ſunt cognitiones veri & boni, patet ex his locis; *In ſapientia tua & in intelligentia tua feceras tibi* OPES, *aurum & argentum in theſauris tuis; per multiplicationem ſapientiæ tuæ multiplicaviſti tibi* OPES, Ezech. XXVIII: 4. 5; hæc de Tyro, per quam ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri & boni: ſimiliter, *Filia Tyri afferet tibi munus; filia Regis, facies tuas deprecabuntur* DIVITES POPULI, Pſalm. XLV: 13. *Jehovah depauperabit Tyrum, excutiet in mare* OPES *ejus*, Sach. IX: 4. *Tyre, diripient* OPES *tuas*, Ezech. XXVI: 12. *Aſchur dixit, in virtute manus meæ feci, & per ſapientiam meam, quia intelligens ſum, unde* THESAUROS *populorum diripiam, inveniet manus mea* OPES *populorum*, Eſaj. X: 13. 14; per Aſchurem ſignificatur Rationale, hic quod pervertat bona & vera Eccleſiæ, quæ hic ſunt theſauri & opes populorum, quas diripiet. *Dabo tibi* THESAUROS *tenebrarum, & occultas* OPES *latibulorum*, Eſaj. XLV: 3. *Beatus vir qui timet Jehovam*, OPES & DIVITIÆ *in domo ejus, & juſtitia ejus ſtat in perpetuum*, Pſalm. CXII: 1. 3. *Deus eſurientes implevit bonis, &* DIVITES *emiſit inanes*, Luc. I. 53. *Væ vobis* DIVITIBUS, *quoniam cepiſtis gaudium veſtrum, væ vobis qui impleti eſtis, quoniam eſurietis*, Luc. VI: 24. 25; per divites hic intelliguntur qui poſſidebant cognitiones veri & boni, quia Verbum, qui erant Judæi; pariter per *Divitem, qui induebatur purpura & byſſo*, Luc. XVI: 19. Similiter per divites & divitias alibi, ut Eſaj. XXX: 6. Jerem. XVII: 11. Mich. IV: 13. Cap. VI: 12. Sach. XIV. 14. Matth. XII: 35. Cap. XIII: 44. Luc. XII: 22.

207. Et

207. *Et nullius opus habeam*, *quod significet quod non plus & aliunde scire & sapere opus habeant*, patet a supradictis, quia est consequens.

208. *Et non scis quod tu sis ærumnosus*, *significat quod nesciant quod omnia quæ de veris & bonis Ecclesiæ sciunt & cogitant, ne hilum cohæreant, & quod sint maceriæ.* Per ærumnam significatur hic non cohærentia, ita per ærumnosum qui absque cohærentia de rebus Ecclesiæ cogitat; causa est, quia illi, de quibus hæc dicuntur, nunc negant Deum, Cælum, Vitam æternam, sanctitatem Verbi, nunc agnoscunt illa; quare quod una manu exstruunt, altera destruunt; ita sunt sicut qui ædificant domum, & mox diruunt illam; aut sicut qui se vestibus decoris amiciunt, & mox discindunt illas; quare domus illorum sunt rudera, & vestes illorum sunt frusta: talia sunt omnia quæ de Ecclesia & de Cælo cogitant; sed hoc nesciunt. Hæc intelliguntur per Ærumnas etiam in sequentibus locis ,, *Sapientia tua & scientia tua seduxit te, cum dixisti in corde tuo, ego & non præterea, ideo cadet super te Ærumna*, Esaj XLVII: 10. 11. *Ærumna super ærumnam veniet, rex lugebit, & princeps induetur stupore*, Ezech. VII: 26. 27; rex qui lugebit, & princeps qui induetur stupore, sunt qui in veris Ecclesiæ sunt. *Non in ore illorum rectum, in medio illorum Ærumna*, Psalm. V: 10. Similia per Macerias significantur, Jerem. XLIX: 3. Ezech. XIII: ~~11. 12~~. Hosch. II: 5.

209. *Et miser & pauper*, *significat quod sint absque veris & bonis.* Per miseros & pauperes in sensu spirituali Verbi, intelliguntur qui absque cognitionibus veri & boni sunt, illi enim spiritualiter miseri & pauperes sunt; intelliguntur etiam per illos in seqventibus locis ,, *Ego Miser & Pauper Domine, memento mei*, Psalm. XL: 18. Ps. LXX: 6. *Inclina Jehovah aurem tuam, et responde, quia Miser & Pauper ego*, Psalm LXXXVI: 1. *Gladium nudant impii, & tendunt arcum suum, ad dejiciendum Miserum & Pauperem*, Psalm ~~XXXI~~: 14. *Impius persequutus est Miserum & Pauperem, ac dejectum corde ad interficiendum*, Psalm. CIX: 16. *Deus judicabit Miseros populi, servabit filios Pauperum: liberabit Pauperem clamantem & Miserum*, Psalm. LXXII: 4, 12, 13. *Jehovah eripit Miserum a validiori ipso, & Pauperem a spoliantibus illum*, Psalm. XXXV: 10. *Impius facinora consulit ad perdendum Miseros per verba mendacii, quando etiam loquitur Pauper judicium*, Esaj. XXXII: 6. *Habebunt Miseri in Jehovah gaudium, & Pauperes hominum in Sancto Israelis exultabunt*, Jesaj. XXIX: 19. *Beati Pauperes spiritu, quia eorum est Regnum Cælorum*, Matth. V: 3. præter alibi, ut Esaj. X: 2. Jerem: XXII: 16. Ezech. XVI: 49. Cap. XVIII: 12. Cap. XXII: 29. Amos VIII: 4. Psalm. IX: 19. Psalm. LXIX: 33, 34. Psalm. LXXIV: 21. Psalm. CXIX: 22. Psalm. CXL: 13. Deutr. XV: 11. Cap. XXIV: 14. Luc. XIV: 13, 21, 23. Per Miseros & Pauperes intelliguntur præcipue qui non in cognitionibus veri & boni sunt, & tamen desiderant illas, quoniam per divites intelliguntur qui cognitiones veri & boni possident, n: 206.

210. *Et cæcus & nudus*, *significat quod sint absque intellectu veri & voluntate boni.* Per Cæcos in Verbo intelliguntur qui absque veris sunt vel ex defectu eorum in Ecclesia, & sic ex ignorantia, vel ex non intellectu eorum; & per Nudos intelliguntur qui inde absque bonis sunt; omne enim bonum spirituale com-

comparatur per vera. Per Cæcos non alii intelliguntur in ſequentibus locis. „ *Tunc audient in die illo ſurdi verba Libri, et e caligine oculi Cæcorum videbunt*, Eſaj. XXIX: 18. *Ecce Deus veſter veniet, tunc aperientur oculi Cæcorum*, Eſaj. XXXV: 4, 5, 6. *Dabo Te in lucem gentium ad aperiendum oculos Cæcos*, Eſaj. XLII: 6, 7, 8. *Ducam Cæcos in viam, quam non noverunt, ponam tenebras eorum in lucem*, Eſaj. XLII: 16. *Educ populum Cæcum cui oculi, & ſurdos quibus aures*, Eſaj. XLIII: 8. *Speculatores ejus Cæci omnes; & non ſciunt intelligere*, Eſaj. LVI: 10, 11. *Occæcavit illorum oculos, & obturavit eorum cor, ut non videant oculis, ac intelligant corde*, Joh. XII: 40. *Jeſus dixit, in judicium Ego in mundum veni, ut non videntes videant, ac videntes Cæci fiant*, Joh. IX: 39, 40, 41. *Duces Cæci, ſtulti & fatui*, Matth. XXIII: 16, 17, 19, 24. *Duces Cæci cæcorum*, Matth. XV: 14. Luc. VI: 39. Propter ſignificationem Cæci & Cæcitatis, vetitum fuit *Cæcum offerre in ſacrificium*, Levit. XXI: 18. Deutr. XV: 21. *Quod non coram Cæco darent offendiculum*, Levit. XIX: 14. *Quod maledictus eſſet, qui errare faceret Cæcum*, Deutr. XXVII: 18. De ſignificatione Nudi & Nuditatis, videatur infra n: 213.

211. *Suadeo tibi emere a Me aurum exploratum igne, ut ditatus ſis, ſignificat admonitionem ut comparent ſibi a Domino per Verbum bonum amoris, ut ſapiant.* Emere enim ſignificat comparare ſibi; a Me, ſignificat a Domino per Verbum; aurum ſignificat bonum, & aurum exploratum igne, bonum amoris cæleſtis; & inde ditari, ſignificat intelligere & ſapere. Quod aurum ſignificet bonum, eſt quia Metalla in ſuo ordine ſignificant talia quæ boni & veri ſunt, Aurum bonum cæleſte & ſpirituale, Argentum verum illorum amorum, Æs bonum naturale, & Ferrum verum naturale. Hæc ſignificantur per Metalla, ex quibus ſtatua Nebuchadnezaris, *Cujus Caput erat Aurum, Pectus & Brachia Argentum, Venter & Femora Æs, Crura Ferrum, ac Pedes ex parte ferrum ex parte argilla*, Dan. II: 32. 33; per quæ repræſentati ſunt Status ſucceſſivi Eccleſiæ quoad bonum amoris & verum ſapientiæ. Quia ſucceſſerant ita ſtatus Eccleſiæ, ideo Antiqui indiderunt Temporibus nomina ſimilia, vocando illa, Sæcula aurea, argentea, ænea & ferrea, & per Sæculum aureum intellexerunt Primum tempus, quando Bonum amoris cæleſtis regnabat; amor cæleſtis eſt amor in Dominum a Domino; ex hoc amore fuit illis tunc ſapientia. Quod Aurum ſignificet bonum amoris, videatur infra n: 913.

212. *Et veſtimenta alba ut induaris, ſignificat ut comparent ſibi genuina vera ſapientiæ.* Quod Veſtimenta ſignificent vera induentia bonum, videatur ſupra n: 166, & quod album dicatur de veris, n: 167: inde veſtimenta alba ſignificant genuina vera ſapientiæ, & hoc, quia aurum purificatum igne ſignificat bonum amoris cæleſtis, & hujus amoris vera ſunt vera genuina ſapientiæ.

213. *Ne appareat pudor nuditatis tuæ, ſignificat ne prophanetur & adulteretur bonum amoris cæleſtis.* Nemo ſcire poteſt, quid ſignificat pudor nuditatis, niſi qui ſcit, quod Membra generationis in utroque ſexu, quæ etiam Genitalia vocantur, correſpondeant Amori cæleſti: quod Correſpondentia hominis & omnium membrorum ejus ſit cum Cælis, videatur in Opere de Cælo et Inferno Londini anno 1758 edito, n: 87 ad 102: & quod Membra genitalia,

cor-

correſpondeant Amori Cæleſti, in ARCANIS CÆLESTIBUS, etiam Londini editis, n: 5050 ad 5062. Nunc quia illa Membra correſpondent Amori cæleſti, qui eſt Amor tertii ſeu intimi Cæli, & homo naſcitur a parentibus in amores illi amori oppoſitos, patet quod ſi non comparat ſibi a Domino bonum amoris & verum ſapientiæ, quæ ſignificantur per aurum exploratum igne, & per veſtimenta alba, appariturus ſit in Amore oppoſito, qui in ſe eſt prophanus. Hoc ſignificatur per retegere nuditatem, & manifeſtare pudorem ejus, in ſeqventibus locis „ *Beatus qui vigilat & ſervat veſtimenta ſua, ne Nudus ambulet, & videantur Pudenda ejus*, Apoc. XVI: 15. *Filia Babelis & Chaldææ ſede in terra, revela crines tuos, revela femur, tranſi flumina, reveletur Nuditas tua, etiamque videatur Opprobrium tuum*, Eſa:. XLIII: 1. 2. 3. *Væ urbi ſanguinum præ multitudine ſcortationum ejus, retegam fimbrias ſuper facies tuas, & oſtendam Gentibus Nuditatem tuam, & Regnis Ignominiam*, Nah. III: 1. *Contendite cum matre veſtra, ne forte ponam eam Nudam*, Hoſch. II: 2. 3. 4. *Cum præterivi te, operui Nuditatem tuam, & lavi te, & veſtivi te, ſed ſcortata es, non recordata juventutis tuæ, cum eſſes Nuda & Denudata, propterea revelata eſt Nuditas tua*, Ezech. XVI: 6 ſeq: *Peccatum peccavit Hieroſolyma, ideo omnes vilipendunt illam, quia viderunt Nuditatem ejus*, Thren. I: 8; per Hieroſolymam, de qua illa dicta ſunt, intelligitur Eccleſia, ac per ſcortari ſignificatur adulterare & falſificare Verbum, n: 134. *Væ facienti ſocium bibere, inebriando, ut introſpicias Nuditatem ejus, bibe etiam tu, ut Preputium reveletur*, Habak. II: 15, 16. Qui ſcit quid ſignificat Nuditas, intelligere poteſt quid ſignificatur per *Quod Noachus, cum inebriatus a vino jaceret Nudus in medio tentorii ſui, & quod Chamus viderit & riſerit Nuditatem ejus; & quod Schemus & Japhetus texerint Nuditatem ejus, avertendo facies ne viderent illam*, Geneſ. IX: 21. 22. 23. Tum, cur ſtatutum eſt, *Quod Aharon & filii ejus non aſcenderent in gradibus ſuper Altare, ne revelaretur Nuditas eorum*, Exod. XX: 23. Ut &, *Quod illis facerent femoralia lini ad tegendum carnem Nuditatis, & quod eſſent ſuper illis cum accederent ad altare, & quod alioquin portarent iniquitatem & morerentur*, Exod. XXVIII: 42. 43; per Nuditatem in illis locis ſignificantur mala in quæ homo natus eſt, quæ quia oppoſita ſunt bono amoris cæleſtis, in ſe ſunt prophana, quæ non removentur quam per vera & per vitam ſecundum illa; linum etiam ſignificat verum, n: 671. Per Nuditatem etiam ſignificatur INNOCENTIA, & quoque IGNORANTIA BONI ET VERI; Innocentia per hæc „ *Fuerunt ambo Nudi, homo & uxor ejus, & non Pudoris cauſam habuerunt*, Geneſ. II: 25. Ignorantia boni & veri per hæc, *Hoc jejunium quod eligo, frangere eſurienti panem, & cum videris Nudum, obtegere eum*, Eſaj. VIII: 6. 7. *Panem ſuum eſurienti det, & Nudum tegat veſte*, Ezech. XVIII: 7. *Eſurivi & dediſtis Mihi edere; Nudus fui, & induiſtis Me*, Matth. XXV: 35. 36.

214. *Et collyrio inunge oculos tuos ut videas, ſignificat ut ſanetur intellectus ne prophanentur & falſificentur genuina vera ſapientiæ.* Quod per Oculos ſignificetur intellectus, & per viſum oculorum intelligentia & ſapientia, videatur n: 48; & cum per collyrium ſignificatur medicina ejus, ſeqvitur quod per collyrio inunge oculos, ſignificetur ſanare intellectum, ut videat vera & ſapiat; quod

quod nisi fit, prophanantur & adulterantur genuina vera Verbi.

215. *Ego quoscunque amo, arguo & castigo, significat quod qui ex illis ita faciunt, amentur a Domino, & quod tunc non possint aliter quam immitti in tentationes, ut pugnent contra semet.* Quod ille sensus illorum verborum sit, patet, nam dicitur, Ego quoscumque amo, per quos intelliguntur qui emunt aurum purificatum igne a Domino, & qui collyrio inungunt oculos ut videant; dicitur, illos arguo & castigo, per quod intelligitur tentatio quoad falsa & quoad mala, per arguere tentatio quoad falsa, & per castigare tentatio quoad mala. Illi, de quibus hic agitur, non possunt aliter quam in tentationes immitti, quoniam absque illis, negationes & confirmationes contra Divina vera non possunt exstirpari. Tentationes sunt pugnæ spirituales contra falsa & mala apud se, ita contra se: porro, quid Tentationes, unde sunt & quid boni efficiunt, videatur in Opere DE NOVA HIEROSOLYMA ET DE EJUS DOCTRINA CÆLESTI, Londini anno 1758, edito, n: 187 ad 201.

216. *Zelo ergo age & resipisce, significat ut fiat hoc ex affectione veri & aversatione falsi.* Dicitur hic zelo age, quia supra Vers. 15. dictum est „ Utinam frigidus esses aut calidus", hic ut sit calidus, nam zelus est calor spiritualis, & calor spiritualis est affectio amoris, hic affectio amoris veri, & qui ex affectione amoris veri agit, is quoque ex aversatione falsi agit; quare hæc significantur per resipisce. Zelus in Verbo, ubi de Domino, significat Amorem & Excandescentiam; Amorem, Joh. II: 17. Psalm. LXIX: 10. Esaj. XXXVII: 32. Cap. LXIII: 15. Ezech. XXXIX: 25. Sachar. I: 14. Cap. VIII: 2. Excandescentiam, Deutr. XXXII: 16. 21. Psalm. LXXIX: 5. 6. Ezech. VIII: 42. Cap. XXIII: 25. Zeph. I: 18. Cap. III: 8: sed Zelus apud Dominum non est excandescentia, apparet modo sicut sit in externis, interius est amor; quod appareat in externis sicut sit, est quia apparet sicut Dominus excandescat, dum hominem reprehendit, imprimis cum malum ejus punit eum; quod permittitur ab Amore, ut malum ejus removeatur; est prorsus sicut parens, qui si amat liberos, permittit castigationem ad removendum mala eorum. Ex his patet, cur Jehovah se dicat Zelotem, Deutr. IV: 24. Cap. V: 9. 10. Cap. VI: 14. 15.

217. *Ecce sto ad januam & pulso, significat quod Dominus unicuique præsens sit in Verbo, ac ibi instet quod recipiendus sit, ac doceat quomodo.* His similia dicuntur a Domino apud Lucam „ *Vos similes eritis hominibus exspectantibus Dominum suum, quando reversurus est a nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, statim aperiant Illi*, XII: 36. Quod janua significet admissionem & introitum, videatur supra n. 176.

218. *Si quis audiverit vocem meam, & aperuerit, significat qui credit Verbo & vivit secundum illud.* Audire vocem est credere Verbo, nam Divinum verum Verbi est vox Jehovæ, n. 37. 50; & aperire ostium est vivere secundum illud, quoniam non aperitur ostium, & recipitur Dominus per solum audire vocem, sed per vivere secundum illam, dicit enim Dominus, *Qui habet præcepta mea & facit illa, ei manifestabo Me Ipsum, & ad illum veniam, & mansionem apud illum faciam*, Joh. XIV: 21 ad 24. Quod homo aperire debeat ostium

sicut

ficut a fe, fugiendo mala ut peccata & faciendo bona, in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA, oftenfum eft; & quod ita fit, patet etiam a verbis Domini hic, fi *quis aperuerit*, tum a verbis Ipfius, Luc. XII: 36.

219. *Intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille Mecum, fignificat quod Dominus conjungat fe illis & illos Sibi.* Intrare & cœnare cum illo, fignificat fe illi conjungere, & quia erit reciprocum ut fit conjunctio, dicitur etiam, & ille Mecum. Quod conjungi per intrare & cœnare fignificetur, patet a SACRA CŒNA a Domino inftituta, per quam fit præfentia Domini apud illos qui audiunt vocem Ipfius, hoc eft, qui credunt Verbo, fed conjunctio apud illos qui vivunt fecundum Verbum; vivere fecundum Verbum eft pænitentiam agere, & credere in Dominum. Dicitur Cœnare & Cœna Domini, quia Cœna fit vefperi, & per Vefperam fignificatur Ultimum tempus Ecclefiæ; quare cum Dominus abivit e mundo, & tunc ultimum tempus Ecclefiæ fuit, Cœnavit cum difcipulis, ac inftituit Sacramentum Cœnæ: quod Vefpera fignificet ultimum tempus Ecclefiæ veteris, ac Mane primum Ecclefiæ novæ, videatur fupra n: 13.

220. *Vincenti, quod fignificet qui in conjunctione cum Domino funt per vitam fecundum præcepta Ipfius in Verbo*, patet a fupradictis.

221. *Dabo federe Mecum in throno meo, fignificat quod conjunctio illorum cum Domino erit in Cœlo.* Quod Thronus Domini fit Cœlum, videatur fupra n. 14, quare federe cum Domino in Throno Ipfius, fignificat conjunctionem cum Ipfo in cœlo.

222. *Sicut Ego vici, & fedeo cum Patre in Throno Ipfius, fignificat ficut Ipfe & Pater unum funt, & Cœlum funt.* Quod Pater & Dominus unum fint, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, plene oftenfum eft: tum alibi, quod Cœlum non fit Cœlum ex propriis Angelorum, fed ex Divino Domini, quod eft in Angelis & apud illos, quare per hoc, ficut fedeo cum Patre in Throno Ipfius, fignificatur ficut Ipfe & Pater unum funt, & Cœlum funt; Thronus eft Cœlum, n. 14. 221: ficut Ego vici, fignificat, quod per Tentationes in Humanum fuum admiffas, & per ultimam illarum, quæ fuit Paffio crucis, tum per impletionem omnium Verbi, vicerit Inferna & glorificaverit Humanum fuum, hoc eft, quod univerit Illud Divino fuo quod in Ipfo ex conceptione erat, & vocatur Jehovah Pater, de quibus videatur in fupradicta DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 8 ad 11. n. 12 ad 14. n. 29 ad 36, & quoque fupra n. 67. Quod Dominus dicat „ Vincenti dabo federe Mecum in Throno meo, ficut Ego vici & fedeo cum Patre in Throno Ejus, eft quia unitio Domini cum Patre, hoc eft, cum Divino fuo in fe, pro fine habuit, quod homo poffit conjungi Divino quod vocatur Pater in Domino, quia impoffibile eft, ut homo poffit conjungi Divino Patris immediate, fed mediate per Ipfius Divinum Humanum, quod eft Divinum Naturale; quare Dominus dicit, *Deum nemo vidit ufquam, Unigenitus Filius qui in finu Patris eft, Ille expofuit*, Joh. I: 18. & alibi, *Ego fum Via, Veritas & Vita, nemo venit ad Patrem nifi per Me*, Joh. XIV: 6. Conjunctio Domini cum homine eft per Divinum Ipfius Verum, & hoc in homine eft Domini, ita Dominus, & prorfus

non

non hominis, ita non homo; hoc quidem sentit homo sicut suum, at usque non est ejus, non enim est unitum ei, sed adjunctum; aliter Divinum Patris, Hoc non est adjunctum sed Unitum Humano Domini sicut Anima suo corpori. Qui hæc intelligit, potest intelligere seqventia Domini verba „ *Qui manet in Me, & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam*, Joh. XV: 4. 5. *In illo die cognoscetis vos, quod Ego in Patre meo, & vos in Me, & Ego in vobis*, Joh. XIV: 20; & hæc „ *Sanctifica illos in veritate tua; Verbum tuum veritas est: pro illis Ego sanctifico Meipsum, ut etiam illi sint sanctificati in veritate: ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, & Ego in Te, ut etiam illi in Nobis unum sint; Ego in illis & Tu in Me*, Joh. XVII: 17. 19. 21. 23.

223. *Habens aurem audiat quod Spiritus dicit Ecclesiis, significat quod qui intelligit, obediat, quæ Divinum Verum Verbi docet illos, qui e Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, erunt*; ut supra n. 87.



224. His adjiciam hoc Memorabile. Vidi Cætum spirituum, omnes super genubus, orantes ad Deum, ut mitteret ad se Angelos, cum quibus loqvantur ore ad os, & quibus aperiant cordis sui cogitata: & cum surrexerunt, visi sunt tres Angeli in byssino stantes in conspectu eorum, & dixerunt, audivit Dominus Jesus Christus preces vestras, & ideo nos misit ad vos, aperite nobis cordis vestri cogitata; & responderunt, dixerunt nobis Sacerdotes, quod in rebus Theologicis non valeat intellectus sed fides, & quod fides intellectualis in illis non alicui conducat, quia hæc trahit ex homine: nos sumus Angli, & audivimus plura ex Sacro nostro Ministerio, quæ credidimus, sed cum loquuti sumus cum aliis, qui se etiam vocabant Reformatos, & cum aliis qui se vocabant Romano-Catholicos, & porro cum Sectariis, apparebant nobis omnes docti, & tamen in rebus multis non unus consensit cum altero, & usque omnes dixerunt, *Credite nobis*, & aliqui, *Sumus Ministri Dei & scimus*: at quia novimus, quod Divina Vera quæ vocantur fidei & sunt Ecclesiæ, non sint alicui ex solo natali, nec ex hæreditario, sed e Cælo a Deo; & quia illa monstrant viam ad Cælum, ac intrant vitam una cum bono charitatis, & sic ducunt ad vitam æternam, anxii facti sumus, & super genubus oravimus ad Deum. Tunc responderunt Angeli; legite Verbum, & Credite in Dominum, ac videbitis vera, quæ fidei & vitæ vestræ erunt, omnes in Christiano Orbe ex Verbo ut ex unico Fonte hauriunt sua doctrinalia; at duo ex Cætu dixerunt, legimus sed non intelleximus; & responderunt Angeli, non adivistis Dominum, & quoque confirmavistis vos in falsis; & porro dixerunt Angeli, quid fides absque luce, & quid cogitare absque intelligere, hoc non est humanum, corvi & picæ etiam possunt discere loqui absque intellectu; possumus vobis asseverare, quod unusquisque homo, cujus anima desiderat, possit videre vera Verbi in luce; non datur animal, quod non scit suæ vitæ cibum, dum videt illum, & homo est Animal rationale & spirituale, hic videt suæ vitæ, non ita

cor-

corporis sed animæ cibum, qui est verum fidei, si esurit illum, & petit illum a Domino; quicquid non etiam recipitur intellectu, hoc nec inhæret memoriæ quoad rem, sed solum quoad voces; quare cum despeximus e cælo in mundum, non vidimus quicquam, sed modo audivimus sonos, plerosque disharmonicos. Sed enumerabimus aliqua, quæ docti e Clero removerunt ab intellectu, non scientes quod binæ viæ ad intellectum sint, una e mundo & altera e cælo, & quod Dominus subducat intellectum e mundo, dum illustrat illum; at si intellectus clauditur ex religione, clauditur ei via e cælo, & tunc homo non plus videt in Verbo, quam cæcus; vidimus plures tales cecidisse in foveas, e quibus non surrexerunt. Sint exempla illustrationi; annon intelligere potestis quid charitas & quid fides, quod charitas sit bene cum proximo agere, & quod fides sit bene de Deo & de essentialibus Ecclesiæ cogitare, & inde quod qui bene agit & bene cogitat, hoc est, qui bene vivit & bene credit, salvetur; ad hæc dixerunt quod intelligant. Porro dixerunt Angeli, annon intelligitis, quod pænitentia a peccatis agenda sit, ut homo salvetur, & quod nisi homo pænitentiam agit, maneat in peccatis, in quæ natus est, & quod pænitentiam agere sit non velle mala quia sunt contra Deum; ac semel aut bis in anno, scrutari se, videre sua mala, confiteri illa coram Domino, implorare opem, desistere ab illis, & vitam novam inire, & quantum hoc facit, & credit in Dominum, tantum peccata ejus remittantur; tunc dixerunt e Cætu, hæc intelligimus, & sic etiam quid remissio peccatorum. Et tunc rogaverunt Angelos ut informarent illos amplius, & quidem nunc de Deo, de Immortalitate animæ, de Regeneratione, & de Baptismo; Angeli ad hæc respondebant, non dicemus quicquam nisi quod intelligitis, alioquin cadit sermo noster, sicut pluvia in arenam, & in semina ibi, quæ utcunque e Cælo irrigata, usque emarcescunt & pereunt. Et dixerunt de Deo; omnes qui in Cælum veniunt, ibi sortiuntur locum, & inde æternum gaudium secundum ideam Dei, quia hæc idea universaliter regnat in omnibus cultus: idea Dei invisibilis non determinatur in aliquem, nec terminatur in aliquo, quare desinit & perit: idea de Deo ut Spiritu, dum spiritus creditur sicut æther aut ventus, est idea inanis: at idea de Deo ut Homine est idea justa, Deus enim est Divinus Amor & Divina Sapientia, cum omni quali eorum, & horum subjectum est Homo, & non æther aut ventus: idea Dei in Cælo est idea Domini, Ipse est Deus Cæli & Terræ, ut Ipse docuit; sit vestra idea Dei similis nostræ, & consociabimur: cum hæc dixerunt, exsplenduerunt facies illorum. De IMMORTALITATE ANIMÆ dixerunt; homo vivit in æterum, quia potest conjungi Deo per amorem & fidem, hoc potest unusquisque; quod hoc Posse faciat Immortalitatem animæ, potestis intelligere, si aliquantum altius de eo cogitatis. De REGENERATIONE; quis non videt, quod sit cuivis homini liberum cogitare de Deo, & non cogitare de Illo, modo instructus est quod Deus sit; ita liberum cuivis est in spiritualibns æque ut in civilibus & moralibus; Dominus hoc dat continue omnibus; quare reus fit si non cogitat; homo est homo ex posse hoc, at bestia est bestia ex non posse hoc;

hoc; quare homo se potest reformare & regenerare sicut a se, modo corde agnoscat quod sit a Domino; omnis qui pænitentiam agit, & credit in Dominum, reformatur & regeneratur; utrumque faciet homo sicut a se, sed SICUT A SE est a Domino. Verum est, quod homo ad id non quicquam possit conferre, ne hilum, attamen non creati estis Statuæ, sed creati estis Homines, ut faciatis id a Domino sicut a vobis; hoc unicum reciprocum amoris & fidei est, quod Dominus omnino vult ut fiat Ipsi ab homine: verbo, facite a vobis, & credite quod a Domino, sic facitis sicut a vobis: at tunc quæsiverunt Angli, num facere sicut a se, sit inditum homini a creatione; respondit Angelus, non inditum est, quia facere a Se est Solius Dei, sed datur continue, hoc est, adjungitur continue, & tunc quantum homo facit bonum, & credit verum sicut a se, est Angelus cæli, at quantum facit malum & inde credit falsum, quod etiam est sicut a se, tantum est Angelus inferni; quod hoc etiam sit sicut a se, miramini, sed usque videtis hoc, dum oratis ut a Diabolo custodiamini, ne vos seducat, ne intret in vos sicut in Judam, impleat vos omni iniqvitate, ac destruat & animam & corpus: sed omnis reus fit, qui credit, quod faciat a se, sive sit bonum sive sit malum, sed non reus fit, qui credit quod faciat sicut a se. De BAPTISMO dixerunt, quod sit Lavatio spiritualis, quæ est Reformatio & Regeneratio, & quod infans reformetur & regeneretur, dum adultus factus facit illa quæ Patrini pro illo spospondèrunt, quæ sunt duo, Pænitentia & Fides in Deum, nam *Primo* spondent, ut abdicet diabolum & omnia ejus opera; & *Secundo* ut credat in Deum; omnes infantes in Cælo in illa duo initiantur, sed his diabolus est infernum, ac Deus est Dominus: præterea, Baptismus est signum coram Angelis, quod homo sit ab Ecclesia. His auditis dixerunt e Cætu, hæc intelligimus: sed audita est vox a latere, clamans, non intelligimus, & alia vox non volumus intelligere; & inquisitum a quibus illæ voces, & compertum quod ab illis qui se confirmaverunt in falsis fidei, & qui voluerunt credi ut oracula, & sic adorari: dixerunt Angeli, ne miremini, tales sunt hodie permulti, apparent nobis e Cælo sicut Sculptilia tali arte facta, ut possint movere labia, ac sonare sicut organa, & non sciunt, num halitus, ex quo sonant, ex Inferno sit, vel num e Cælo, quia non sciunt num falsum sit vel num verum, ratiocinantur & ratiocinantur, tum confirmant & confirmant, nec vident quicquam num ita sit. Sed sciatis, quod ingenium humanum possit confirmare quicquid vult, usque ut appareat sicut ita sit, quare hoc possunt hæretici, hoc impii, imo athei quod Deus non sit, sed natura sola. Post hæc Cætus ille ex Anglis accensus desiderio sapiendi, dixit ad Angelos, loquuntur tam varia de SACRA CÆNA, dicite nobis quid veritas; dixerunt Angeli, veritas est, quod homo, qui spectat ad Dominum & pænitentiam agit, per Sanctissimum illud conjungatur Domino ac introducatur in Cælum; sed dixerunt e Cætu, hoc mysterium est; & responderunt Angeli, est mysterium, sed usque tale, ut possit intelligi: Panis & Vinum hoc non faciunt, non aliquid Sanctum est in illis, sed correspondent sibi mutuo Panis materialis & Panis cælestis, ac Vinum materiale & Vinum cæleste,

lefte, & Panis cæleftis eft Sanctum amoris, ac Vinum Cælefte eft fanctum fidei, utrumque a Domino, & utrumque Dominus; inde conjunctio Domini cum homine & hominis cum Domino, non cum pane & vino, fed cum amore & fide hominis qui pœnitentiam egerat, & conjunctio cum Domino eft quoque introductio in Cælum: & poftquam Angeli docuerunt illos aliquid de Correfpondentia & ejus effectu, dixerunt e Cætu, nunc primum intelligimus; & cum dixerunt intelligimus, ecce flammeum e Cælo cum luce defcendens confociavit illos cum Angelis, & amaverunt fe mutuo.



1. POst hæc vidi, & ecce ostium apertum in Cælo; & vox prima quam audivi, instar tubæ loquentis mecum, dicebat, ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri posthac.

2. Et statim factus sum in spiritu, & ecce Thronus positus in Cælo, & super Throno Sedens.

3. Et Sedens erat similis aspectu lapidi Jaspidi & Sardio, & Iris circuitus Throni similis aspectu Smaragdo.

4. Et circum Thronum throni viginti & quatuor, & super thronis vidi viginti & quatuor Seniores sedentes, circumamictos vestibus albis, & habebant super capitibus suis coronas aureas.

5. Et e Throno prodibant fulgura & tonitrua & voces; & septem Lampades ignis ardentes coram Throno, quæ sunt septem Spiritus Dei.

6. Et in conspectu Throni Mare vitreum simile chrystallo. Et in medio Throni & circum Thronum quatuor Animalia plena oculis ante & retro.

7. Et Animal primum simile Leoni, & secundum Animal simile Vitulo, & tertium Animal habens faciem sicut Homo, & quartum Animal simile Aquilæ volanti.

8. Et quatuor Animalia, singula per se, habebant alas sex in circuitu, & intus plenæ erant oculis, & requiem non habebant die & nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, Qui Fuit & Qui Est & Qui Venturus.

9. Et cum dederunt Animalia gloriam, & honorem, & gratiarum actionem Sedenti super Throno, Viventi in sæcula sæculorum,

10. Procidebant viginti & quatuor Seniores coram Sedente super Throno, & adorabant Viventem in sæcula sæculorum, & abjiciebant coronas suas coram Throno, dicentes,

11. Dignus es, Domine, accipere gloriam & honorem & potestatem, quia Tu creasti omnia, & per voluntatem tuam sunt & creata sunt.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Agitur de ordinatione & præparatione omnium in Cælo ad Judicium, quod futurum est ex Verbo & secundum illud: tum de agnitione quod Dominus sit solus Judex.

Con-

„ CONTENTA SINGULORUM VERSUUM. Post haec vidi, & ecce ostium aper-
„ tum in Caelo, *significat* manifestationem de ordinatione Caelorum ad Ulti-
„ mum Judicium a Domino, futurum secundum Divina Ipsius vera in Verbo:
„ & vox prima quam audivi instar tubae loquentis mecum, dicebat ascende
„ huc, *significat* influxum Divinum, & inde elevationem mentis, & tunc
„ manifestam perceptionem: & ostendam tibi quae oportet fieri posthac, *si-*
„ *gnificat* revelationes de futuris ante Ultimum Judicium, & de illo, & post
„ illud: & statim factus in spiritu, *sign:* quod immissus sit in statum spiritua-
„ lem, in quo manifeste apparent illa quae in Caelo existunt: & ecce Thronus
„ positus, *sign:* Judicium in forma repraesentativa: & super Throno Sedens,
„ *sign:* Dominum: & Sedens erat similis aspectu lapidi jaspidi & sardio, *sign:*
„ apparentiam Divinae Sapientiae & Divini Amoris Domini in ultimis: & iris cir-
„ cuitus Throni similis aspectu smaragdo, *sign:* apparentiam illorum etiam cir-
„ cum Dominum: & circum Thronum throni viginti & quatuor, & super
„ thronis vidi viginti & quatuor Seniores sedentes, *sign:* ordinationem omnium
„ in Caelo ad judicium: circumamictos vestibus albis, *sign:* ex Divinis veris [ultimum
„ Verbi: & habebant super capitibus suis coronas aureas, *sign:* quae sunt sa-
„ pientiae ex amore: & e Throno prodibant fulgura, & tonitrua & voces,
„ *sign:* a Domino illustrationem, perceptionem & instructionem: & septem
„ lampades ignis coram Throno, quae sunt septem spiritus Dei, *sign:* Novum [ardentes]
„ Caelum ex Christianis: & in medio Throni & circum Thronum quatuor A-
„ nimalia, *sign:* Verbum Domini a primis in ultimis, & custodias ejus: plena
„ oculis ante & retro, *sign:* Divinam sapientiam inibi: & Animal primum si-
„ mile Leoni, *sign:* Divinum Verum Verbi quoad potentiam: & secundum
„ Animal simile Vitulo, *sign:* Divinum Verum Verbi quoad affectionem: &
„ tertium Animal habens faciem sicut Homo, *sign:* Divinum Verum Verbi
„ quoad sapientiam: & quartum Animal simile Aquilae volanti, *sign:* Divinum
„ Verum Verbi quoad cognitiones, & inde intellectum: & quatuor Animalia
„ singula per se habebant alas sex in circuitu, *sign:* Verbum quoad potentias
„ & quoad custodias ejus: & intus plenae erant oculis, *sign:* Divinam Sapien-
„ tiam in Verbo in sensu naturali ex sensu spirituali & caelesti ejus: & requiem
„ non habebant die & nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus
„ Deus Omnipotens, *sign:* quod Verbum continue doceat Dominum, & quod
„ Ille Solus Deus sit, & inde quod Solus colendus sit: Qui Fuit & Qui Est &
„ Qui Venturus, *sign:* Dominum: & cum dederunt Animalia gloriam & ho-
„ norem & gratiarum actionem Sedenti super Throno, *sign:* quod Verbum
„ addicet omne verum & omne bonum & omnem cultum Domino judicaturo:
„ Viventi in saecula saeculorum, *sign:* quod Dominus Solus sit vita, & ab Ipso
„ Solo vita aeterna: procidebant viginti & quatuor seniores coram Sedente
„ super Throno, & adorabant Viventem in saecula saeculorum, *sign:* humilia-
„ tionem omnium in Caelo coram Domino: & abjiciebant coronas suas co-
„ ram Throno, *sign:* agnitionem quod sapientia illorum ab Ipso Solo sit: di-
„ centes, dignus es, Domine, accipere gloriam & honorem & potestatem,
„ *sign:* confessionem quod Domino, quia est Divinum Verum & Divinum

Q 3 „ Bo-

[Significat inde Novam Ecclesiam in Caelo et in terra a Domino per Divinum Verum ab Ipso procedens. Et in conspectu Throni Mare vitreum simile crystallo]

„ Bonum, sit Regnum ex merito & justitia: quia Tu creasti omnia, & per „ Voluntatem tuam sunt & creata sunt, *sign:* quod omnia Cæli & Ecclesiæ „ ex Divino Amore Domini per Divinam Sapientiam, seu ex Divino Bono „ per Divinum Verum, quod etiam est Verbum, facta & formata sint, & „ quod homines reformentur & regenerentur.

EXPLICATIO.

225. *Post hæc vidi, & ecce ostium apertum in Cælo, significat manifestationem de ordinatione cælorum ad Ultimum Judicium a Domino, futurum secundum Divina Ipsius vera in Verbo.* Per ostium apertum, cum de Cælo, significatur intromissio, ut supra n. 176, hic etiam manifestatio, quia dicit, vidi & ecce; & quia tunc visa sunt, quæ in hoc Capite memorantur, quæ sunt de ordinatione Cælorum ad Ultimum Judicium a Domino, futurum secundum Divina Ipsius vera in Verbo, ideo per vidi ecce ostium apertum in Cælo, significatur manifestatio de illis.

226. *Et vox prima, quam audivi, instar tubæ loquentis mecum, dicebat, ascende huc, significat influxum Divinum, & inde elevationem mentis, & tunc manifestam perceptionem.* Quod vox, cum e Cælo auditur, sit Divinum Verum influens, videatur supra n. 37. 50, ita influxus Divinus; & quod per vocem instar tubæ, significetur perceptio manifesta, etiam supra n. 37; & per ascende huc, significatur elevatio mentis, nam in Spirituali Mundo, quo altius quis ascendit, eo in puriorem lucem venit, per quam intellectus per gradus aperitur, hoc est, mens elevatur; quare etiam sequitur, quod tunc factus sit in spiritu, per quod intelligitur quod immissus in statum spiritualem, in quo manifeste apparent illa quæ in Cælis sunt. Quod vox illa audita sit instar tubæ, est quia agitur de Ordinatione Cælorum ad ultimum Judicium; & voces sicut tubæ audiuntur in Cælo, cum convocationes & ordinationes fiunt; quare etiam apud filios Israelis, apud quos omnia fuerunt repræsentativa Cæli & Ecclesiæ, statutum fuit, *Ut Tubæ ex argento conficerentur, & quod filii Aharonis illis clangerent ad convocationes, ad profectiones, in diebus lætitiæ, in festis, in principiis mensium, super sacrificiis, ad memoriale, & ad bellum,* Num. X: 1 ad 11. Sed de Tubis & de clangore per illas, in Explicatione Capitis VIII^vi, ubi de septem Angelis, quibus datæ sunt septem tubæ, dicetur.

227. *Et ostendam tibi quæ oportet fieri posthac, significat revelationes de futuris ante Ultimum Judicium, & de illo, & post illud.* Hæc significantur, quia in Apocalypsi non agitur de re alia, quam de statu Ecclesiæ in suo fine, ita de futuris ante Ultimum Judicium, ac de illo, & post illud, ut supra n. 2, dictum est.

228. *Et statim factus sum in spiritu, significat quod immissus sit in statum spiritualem, in quo manifeste apparent illa quæ in Cælo existunt.* Quod fieri in Spiritu sit immitti in statum spiritualem ex influxu Divino, tum quid status Spiritualis, & qualis ille, & quod homo in eo statu tam manifeste videat quæ in Mundo spi-

ſpirituali ſunt, ſicut in ſtatu naturali corporis videt illa quæ in hoc Mundo ſunt, videatur ſupra n. 36.

229. *Et ecce Thronus poſitus, ſignificat Judicium in forma repræſentativa.* Quod Thronus ſignificet Cælum videatur n. 14; quod Thronus etiam ſignificet Judicium, patet ex his locis „ *Quando venerit Filius Hominis in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli cum Ipſo, tunc ſedebit ſuper Throno gloriæ ſuæ*, Matth. XXV: 31. ſeq. agitur ibi de Ultimo Judicio. *Jehovah feciſti judicium meum, ſediſti ſuper Throno Judex juſtitiæ. Jehovah præparabit ad Judicium Thronum ſuum*, Pſalm: IX: 5. 6. 8. *Vidi cum Antiquus dierum ſedit, Thronus ejus ſicut flamma ignis, mille & millia miniſtrabant Ei, & myrias myriadum coram Eo ſtabant, Judicium conſedit, & libri aperti ſunt*, Dan. ~~IX~~: 9. 10. *Hieroſolyma ædificata eſt, eo aſcendunt Tribus, & ibi ſedent Throni ad Judicium*, Pſalm. CXXII: 3. 5. *Vidi Thronos, & conſederunt ſuper illis, & Judicium datum eſt illis*, Apoc. XX: 4. Thronus a Salomone ædificatus, de quo I Reg. X: 18. 19. 20, ſignificabat & Regnum & Judicium, quoniam Reges, cum judicia fecerunt, ſedebant ſuper thronis. Dicitur quod Thronus ſignificet Judicium in forma repræſentativa, quia illa, quæ Johannes vidit, erant Viſiones quæ repræſentabant; viſa ſunt ſicut deſcripſit, ſed erant formæ repræſentativæ futurorum, ut conſtare poteſt ex ſequentibus, ut quod viſa ſint Animalia, Draco, Beſtiæ, Templum, Tabernaculum, Arca, & plura alia: ſimilia fuerunt quæ viſa ſunt Prophetis, de quibus ſupra n. 36. [B, A. v. 4. 5. 7. VII.]

230. *Et ſuper Throno Sedens, quod ſignificet Dominum*, patet a ſequentibus manifeſte, & a locis in Verbo, ubi dicitur quod Dominus facturus ſit judicium, ut Matth. XXV: 32. 33 ſeq. Joh. V: 22. 27, & alibi.

231. *Et Sedens erat ſimilis aſpectu lapidi Jaſpidi & Sardio, ſignificat apparentiam Divinæ Sapientiæ & Divini Amoris Domini in ultimis.* Lapis in Verbo, ſignificat verum in ultimis, & lapis pretioſus verum pellucens a bono, n. 915. Sunt bini Colores reliquorum fundamentales in Mundo Spirituali, Color albus & Color ruber; Color albus trahit ſuam originem ex Luce Solis in Cælo, ita ex Luce ſpirituali, quæ eſt candida; & Color ruber trahit ſuam originem ex Igne Solis ibi, ita ex Luce Cæleſti, quæ eſt flammea, Angeli ſpirituales, quia in veris ſapientiæ ſunt ex Domino, in Luce illa candida ſunt, quare veſtiti ſunt albo, & Angeli cæleſtes, quia in bonis amoris ſunt a Domino, in Luce illa flammea ſunt, quare veſtiti ſunt rubro; inde ſunt bini illi colores etiam in lapidibus pretioſis in Cælo, ubi in multa copia ſunt: ex eo eſt, quod Lapides pretioſi in Verbo ſignificent talia quæ vel Veri ſapientiæ ſunt, vel Boni amoris, & quod Jaſpis quia candet, ſignificet illa quæ Veri ſapientiæ ſunt, & Sardius, quia rubeſcit, illa quæ Boni amoris ſunt. Quod Lapides illi ſignificent apparentiam Divinæ ſapientiæ & Divini Amoris in ultimis, eſt quia omnes Lapides pretioſi in Cælo originem ducunt ex ultimis Verbi, ac pellucentiam ex Spirituali ſenſu ultimorum ibi; quod ita ſit, videatur in Doctrina Novæ Hieroſolymæ de Scriptura Sacra, n. 44. 45; ultima Verbi ſunt vera & bona Senſus literæ ejus. Quod hæc origo Lapidum pretioſorum ſit in Cælo, ægre poteſt credi ab aliquo in noſtro Mundo, quia neſcit quod omnia quæ exiſtunt in Mundo ſpirituali, ſint correſpondentiæ, & quod inde

inde suam originem spiritualem trahant omnia quæ existunt in Mundo naturali; quod inde origo Lapidum pretiosorum in Cælo sit, datum mihi est scire ex loquela cum angelis, & quoque videre oculis, sed formatio illorum est a Solo Domino. Colores autem nigri trahunt suam originem ex Inferno, qui etiam sunt bini, unus oppositus albo, hæc nigredo est apud illos qui falsificaverunt vera Verbi, alter oppositus rubro, hæc nigredo est apud illos qui adulteraverunt bona Verbi, hæc nigredo est diabolica, illa autem satanica. Quid Jaspis & Sardius significant, in Explicatione Capitis XXI, Vers. 11. 18. 19. 20, plura videantur.

232. *Et iris circuitus Throni similis aspectu smaragdo, significat apparentiam illorum etiam circum Dominum.* In Mundo spirituali apparent Irides plurium generum, apparent diversicolores sicut in terris, & apparent unius coloris, hic unius coloris, quia dicitur similis smaragdo; hæc apparentia fuit circum Dominum, quia dicitur circuitus Throni; circum Ipsum est quoque in Cælo Angelico: sphæra Divina, quæ ambit Dominum, est ex Ipsius Divino Amore & simul Divina Sapientia, quæ cum repræsentatur in Cælis, apparet illa in Regno cælesti rubescens instar rubini, in Regno spirituali cærulescens instar cyanei, & in Regno naturali viridescens instar smaragdi; ubivis cum ineffabili splendore & jubare.

233. *Et circum Thronum throni viginti & quatuor, & super thronis vidi viginti & quatuor Seniores sedentes, significat ordinationem omnium in Cælo ad ultimum Judicium.* Qui non scit sensum spiritualem Verbi, & simul genuina vera Ecclesiæ, credere potest, quod cum Ultimum Judicium venturum est, Dominus sessurus sit super Throno, & quod circum Ipsum alii judices etiam super thronis; sed qui scit sensum spiritualem Verbi, & simul genuina vera Ecclesiæ, is novit quod Dominus tunc non sessurus sit super Throno, nec alii judices circum Ipsum, imo quod nec Dominus judicaturus sit aliquem ad infernum, sed quod facturus quod Verbum unumquemvis judicet, Domino moderante ut omnia secundum justitiam fiant; Dominus quidem dicit ,, *Non Pater judicat quemquam, sed judicium omne dedit Filio, potestatem dedit Judicium facere, quia Filius hominis est*, Joh. V: 22. 27: sed alibi dicit ,, *Non veni ut judicem mundum, sed ut salvem mundum; Verbum, quod loquutus sum, illud judicabit illum extremo die*, Joh. XII: 47. 48; hæc duo concordant, dum scitur quod Filius hominis sit Dominus quoad Verbum, videatur supra n. 44; quare Verbum judicaturum est, Domino moderante. Quod per duodecim Tribus Israelis, & eorum Seniores significentur omnes qui ab Ecclesia Domini sunt in Cælis & in Terris, & abstracte omnia vera & bona ibi, videatur n. 251. 349. 369. 808: & quod similia per Apostolos n. 79. 790. 903: ex his patet quid significatur per hæc Domini verba ,, *Jesus dixit ad Discipulos, vos qui sequuti estis Me, quum sederit Filius Hominis super Throno gloriæ suæ, sedebitis etiam vos super duodecim thronis judicantes duodecim tribus Israelis*, Matth. XIX: 28. Luc. XXII: 30; per duodecim significantur omnia, & prædicantur de veris & bonis Cæli & Ecclesiæ, n. 348, similiter viginti quatuor; quare duodecim Apostoli & viginti quatuor Seniores significant omnia Ecclesiæ; ac duodecim

decim tum viginti quatuor throni significant omne judicium; quis non potest intelligere, quod non Apostoli & Seniores judicaturi sint; & quod non possint. Ex his nunc constare potest, cur Throni & Seniores dicuntur, ubi de Judicio, ut quoque apud Esajam „ *Jehovah in judicium veniet cum Senioribus populi sui*, III: 14: apud Davidem, *Hierosolyma ædificata est*, *& eo ascendunt Tribus*, *& ibi sedent Throni ad judicium*, Psalm. CXXII: 3. 4. 5: & in Apocalypsi, *Vidi Thronos*, *& consederunt super illis*, *& Judicium datum est illis*, XX: 4.

234. *Circumamictos vestibus albis*, *significat ex Divinis veris Verbi.* Quod Vestes albæ significent genuina vera Verbi, videatur supra n. 166. 212.

235. *Et habebant super capitibus suis coronas aureas*, *significat quæ sunt sapientiæ ex amore.* Quod corona significet sapientiam, videatur supra n. 189; & quod aurum significet bonum amoris, n. 211. 913; inde corona aurea significat sapientiam ex amore. Quia ex sapientia illa sunt omnia Cæli & Ecclesiæ, quæ significantur per 24 seniores, n. 233, ideo visæ sunt coronæ aureæ super capitibus eorum. Sciendum est, quod sensus spiritualis sit abstractus a personis, ut supra n. 78. 79. 96, ita quoque hic.

236. *Et e Throno prodibant fulgura & tonitrua & voces*, *significat a Domino illustrationem*, *perceptionem & instructionem.* Fulgura ex flamma stringente oculos, significant illustrationem, ac tonitrua ex fragore stringente aures significant perceptionem, & cum hæc & illa significant illustrationem & perceptionem, tunc voces significant instructionem. Hæc visa sunt e Throno prodiisse, quia a Filio Hominis seu a Domino quoad Verbum, & a Domino per Verbum omnis illustratio, perceptio & instructio venit. Similia per fulgura, tonitrua & voces significantur alibi in Verbo, ut in his „ *Redemisti brachio populum tuum*, *Vocem dederunt ætheres*, *vox Tonitrui in Orbem*, *illustrarunt Fulgura orbem*, Psalm. LXXVII: 16. 18. 19. *Illustrabunt Fulgura Jehovæ Orbem*, Psalm. XCVII: 3. 4. *In angustia invocasti Me*, *& eripui te*, *respondi tibi in occulto Tonitru*, Psalm LXXXI: 8. *Audivi sonitum turbæ multæ*, *tanquam sonitum Tonitruum vehementium*, *dicentium Halleluja*, *quia Regnum cepit Dominus Deus noster Omnipotens*, Apoc. XIX: 6. Quia per fulgura, tonitrua & voces, significantur illustratio, perceptio & instructio, ideo Jehovah cum descendit super Monte Sinai, & promulgavit Legem, *erant Fulgura & Voces*, Exod. XIX: 16. Et cum ad Dominum e *Cælo emissa est vox*, *audita est tanquam Tonitrui*, Joh. XII: 28. 29. Et quia Jacobus & Johannes repræsentabant Charitatem & Opera ejus, & ex his est omnis perceptio veri & boni, a Domino *vocati sunt Boanerges*, hoc est, *filii Tonitrui*, Marc. III: 17. Ex his patet, quod similia per fulgura, tonitrua & voces significentur in sequentibus in Apocalypsi „ *Audivi unum ex quatuor Animalibus tanquam vocem Tonitrui*, Cap. VI: 1. *Audivi vocem e Cælo tanquam vocem Tonitrui magni*, Cap. IV: 2. *Cum Angelus projecit thuribulum in terram*, *facta sunt Tonitrua*, *Voces & Fulgura*, Cap. VIII: 5. *Cum Angelus clamavit*, *loquuta sunt septem Tonitrua voces suas*, Cap. X: 3. 4. *Cum apertum est Templum Dei in Cælo*, *facta sunt Fulgura & Voces & Tonitrua*, Cap. XI: 19; similiter alibi.

237. *Et septem lampades ignis coram Throno*, *quæ sunt septem spiritus Dei*, *signi-*

gnificat inde Novam Ecclesiam in Cælo & in Terra a Domino per Divinum Verum ab Ipso procedens. Per septem lampades hic simile significatur quod per septem candelabra, & quoque per septem stellas supra; quod per septem candelabra intelligatur Nova Ecclesia in terris, quæ in illustratione a Domino erit, videatur supra n. 43; & quod per septem stellas nova Ecclesia in Cælis, n. 65; & quia Ecclesia est Ecclesia ex Divino quod a Domino procedit, quod est Divina Veritas, & vocatur Spiritus Sanctus, ideo dicitur, quæ sunt septem spiritus Dei; quod per septem Spiritus Dei, significetur Divinum illud procedens, videatur supra n. 14. 155.

238. *Et in conspectu Throni Mare vitreum simile chrystallo, significat Novum Cælum ex Christianis, qui in communibus veris erant ex sensu literæ Verbi.* In Mundo spirituali apparent Athmosphæræ, & quoque Aquæ, sicut in nostro mundo; Atmosphæræ sicut æthereæ, ubi sunt Angeli supremi Cæli, Athmosphæræ sicut aereæ ubi sunt angeli medii Cæli, & Athmosphæræ sicut aqueæ ubi sunt angeli Ultimi Cæli; & hæ sunt Maria quæ apparent in terminis Cæli, ac ibi sunt illi qui in communibus veris ex sensu literæ Verbi sunt; quod aquæ significent vera, videatur supra n. 50: inde Mare, in quod aquæ desinunt & colliguntur, significat Divinum Verum in terminis. Cum itaque per Sedentem super Throno, intelligitur Dominus, n. 230, & per septem lampades, quæ sunt septem Spiritus Dei coram Throno, intelligitur nova Ecclesia quæ in Divino Vero a Domino erit, n. 237, patet quod per Mare vitreum, quod in conspectu Throni fuit, intelligatur Ecclesia apud illos qui in terminis sunt. Maria in terminis Cælorum etiam datum est mihi videre, & cum illis, qui ibi erant, loqui, & sic hujus rei veritatem per experientiam cognoscere; visi mihi sunt sicut in Mari, sed dixerunt quod non in Mari sint, verum in athmosphæra; ex quo mihi patuit, quod Mare sit apparentia Divini Veri procedentis a Domino in terminis. Quod Maria in Mundo spirituali sint, patet clare ex eo, quod sæpius visa sint Johanni, ut hic, tum Cap. V: 13. Cap. VII: 1. 2. 3. Cap. VIII. 8. 9. Cap. X: 2. 8. Cap. XII: 18. Cap. XIII: 1. Cap. XIV: 7. Cap. XV: 2. Cap. XVI: 3. Cap. XVIII: 17. 19. 21. Cap. XX: 13. Dicitur Mare vitreum simile chrystallo, ex pellucentia Divini Veri procedentis a Domino. Quoniam Divinum Verum in terminis in Mundo spirituali facit apparentiam Maris, ideo per Mare alibi in Verbo simile significatur, ut in his locis „ *In die illo exibunt aquæ vivæ ex Hierosolyma, pars earum ad Mare orientale, & pars earum ad Mare posterius*, Sach. XIV: 7; aquæ vivæ ex Hierosolyma, sunt Divina vera Ecclesiæ a Domino, inde Mare est ubi desinunt. *Jehovah in Mari via tua, & semita tua in aquis multis*, Psalm. LXXVII: 20. *Sic dixit Jehovah, qui dedi in Mari viam, & in aquis multis semitam*, Esaj. XLIII: 16. *Jehovah super Maria fundavit Orbem, & super flumina stabilivit eum*, Psalm. XXIV: 2. *Jehovah fundavit Terram super basibus suis, ut non dimoveatur in æternum, Abysso seu Mari sicut veste obvelasti eam*, Psalm. CIV: 5. 6; quod Terra fundata sit super Mari, est quod Ecclesia, quæ per terram intelligitur, super communibus veris; hæc enim sunt ejus bases & fundamenta. *Ego exsiccabo Mare Babelis, & arefaciam scaturiginem ejus: ascendet*

super

super Babelem Mare, multitudine fluctuum ejus obtecta erit, Jerem. L: 42; per exsiccare Mare Babelis, & arefacere scaturiginem ejus, significatur exstinguere omne verum Ecclesiæ ejus a primis ad ultima. *Post Jehovam ibunt, & cum honore accedent filii a Mari*, Hosch. XI: ℣. 10. 11; filii a mari sunt qui in communibus seu ultimis veris sunt. *Jehovah qui ædificat in Cælis gradus suos, & vocat aquas Maris, & effundit eas super facies terræ*, Amos IX: 6. *Per Verbum Jehovæ Cæli facti sunt, colligit sicut cumulum aquas Maris, dans in thesauris Abyssos*, Psalm: XXXIII: 6. 7. *Per increpationem suam exsicco Mare, pono fluvios desertum*, Esaj. L: 2; præter in aliis locis. Quoniam per Mare significatur Divinum Verum apud illos qui in terminis Cæli sunt, ideo per Tyrum & Zidonem, quia juxta mare erant, significatur Ecclesia quoad cognitiones boni & veri: & quoque ideo per Insulas maris significantur illi qui in remotiori cultu Divino sunt, n. 34: & ideo Mare in Lingua Hebræa est Occidens, hoc est, ubi lux solis vadit in vesperam suam, aut verum in obscurum. Quod Mare etiam significet Naturale hominis separatum a spirituali, ita quoque Infernum, videbitur in sequentibus.

239. *Et in medio Throni & circum Thronum quatuor Animalia, significat Verbum Domini a primis in Ultimis, & custodias ejus.* Scio quod miraturi sint, quod dicatur quod quatuor Animalia significent Verbum; quod usque illud significent, videbitur in sequentibus. Animalia hæc eadem sunt cum Cherubis apud Ezechielem, ibi etiam in Capite I^mo vocantur Animalia, sed in Capite X^mo Cherubi, & fuerunt sicut hic, Leo, Bos, Homo, & Aquila: in Lingua Hebræa ibi vocantur Chajoth, quæ vox quidem significat animalia, sed derivatur a Chaja, quæ est vita, ex qua etiam Adami uxor vocata est Chaja, Gen. III: 20; animal in singulari etiam apud Ezechielem vocatur Chaja, quare etiam Animalia illa possunt vocari Viventia. Nec aliquid facit, quod Verbum describatur per Animalia, cum Ipse Dominus in Verbo passim vocatur Leo, & sæpius Agnus, & illi qui in charitate a Domino sunt, vocantur Oves; & quoque intellectus Verbi in sequentibus, Equus. Quod per Animalia illa seu Cherubos significetur Verbum, patet ex eo, quod visa sint in medio Throni & circum Thronum, & in medio Throni fuit Dominus, & quia Dominus est Verbum, non alibi potuerunt videri; quod & circum Thronum, erat quia in Cælo Angelico, ubi etiam Verbum est. Quod per Cherubos significetur Verbum, & custodia ejus, ostensum est in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sacra, n. 97, ubi hæc sunt „ Sensus literæ Verbi est custodia pro genuinis veris, quæ intus latent; & in eo est custodia, quod ille sensus possit huc illuc verti, hoc est, explicari secundum captum, & per id tamen internum Verbi non lædi & violari; non enim nocet ut sensus literæ aliter ab uno quam ab altero intelligatur, sed id nocet, si Divina vera quæ intus latent, pervertuntur, per hoc enim infertur Verbo violentia: ne hoc fiat, custodit sensus literæ, & custodit apud illos, qui in falsis sunt ex religione, & falsa illa non confirmant, nam hi non aliquam violentiam inferunt. Hæc custodia significatur per Cherubos, & quoque describitur per illos in Verbo: custodia hæc significatur per Cherubos, qui postquam Adamus cum uxore ejectus est ex hor-

ta Edenis, ad introitum ejus poſiti ſunt, de quibus hæc leguntur „ *Cum Jehovah Deus expulerat hominem, habitare fecit ab oriente Horti Edenis Cherubos, & flammam gladii hinc inde vertentis ſe, ad cuſtodiendum viam Arboris vitæ*, Geneſ. III: 23. 24; per Cherubos ſignificatur cuſtodia, per viam Arboris vitæ ſignificatur introitus ad Dominum, qui hominibus eſt per Verbum, per flammam gladii hinc inde vertentis ſe, ſignificatur Divinum Verum in Ultimis, quod eſt ſicut Verbum in ſenſu literæ, qui ita verti poteſt, ut dictum eſt. Simile ſignificatur per *Cherubos ex auro poſitos ſuper duabus extremitatibus Propitiatorii, quod erat ſuper Arca in Tabernaculo*, Exod. XXV: 18 ad 21; quia hoc ſignificabatur per Cherubos, ideo Jehovah loquutus eſt cum Moſe inter illos, Exod. XXV: 22. Cap. XXXVI: 9. Num. VII: 8. 9. Nec aliud ſignificatum eſt per *Cherubos ſuper aulæis Tabernaculi, & ſuper Velo ibi*, Exod. XXVI: 31; nam Aulæa & Vela Tabernaculi repræſentabant Ultima Cæli & Eccleſiæ, ita etiam Ultima Verbi. Nec aliud ſignificatum eſt per *Cherubos in medio Templi Hieroſolymitani*, I Reg. VI: 22 ad 28: & per *Cherubos ſculptos ſuper parietibus & ſuper foribus Templi*, I Reg. VI: 29. 32. 35: ſimiliter per *Cherubos in Novo Templo*, Ezech. XLI: 18. 19. 20. Quoniam per Cherubos ſignificabatur cuſtodia, ne Dominus, Cælum, & Divinum Verum, quale eſt intus in Verbo, immediate adeantur, ſed mediate per Ultima, ideo de Rege Tyri ita dicitur, *Tu obſignans demenſum, plenus ſapientia & perfectus pulchritudine, in Eden horto fuiſti, omnis lapis pretioſus tegumentum tuum; tu Cherube, expanſio contegentis: perdidi te, Cherube contegens in medio lapidum ignis*, Ezech. XXVIII: 12. 13. 14. 16; per Tyrum ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones veri & boni; & inde per Regem ejus Verbum ubi & unde cognitiones illæ ſunt; quod Verbum hic in ſuo ultimo, quod eſt ſenſus literæ, per illum, & cuſtodia per Cherubum, ſignificetur, patet, nam dicitur, tu obſignans demenſum, omnis lapis pretioſus tegumentum tuum, ac tu Cherube expanſio contegentis; per lapides pretioſos, qui etiam ibi nominantur, ſignificantur vera ſenſus literæ Verbi, n. 231. Quoniam per Cherubos ſignificatur Divinum Verum in Ultimis ut cuſtodia, ideo dicitur apud Davidem „ *Paſtor Iſraelis, qui ſedet ſuper Cherubis, effulge*, Pſalm. LXXX: 2. *Jehovah inſidens Cherubis*, Pſalm. XCIX: 1. *Jehovah inclinavit Cælos, & deſcendit, & equitavit ſuper Cherubis*, Pſalm. XVIII: 10. 11; equitare ſuper Cherubis, ſedere, & inſidere illis, eſt ſuper ſenſu Ultimo Verbi. Divinum Verum in Verbo, & ejus quale, deſcribitur per Cherubos apud Ezechielem in Capite I^mo^, IX^mo^ & X^mo^: & quia nemo ſcire poteſt, quid per ſingula deſcriptionis illorum ſignificatur, niſi cui apertus eſt Senſus ſpiritualis; qui quia mihi detectus eſt, dicetur quid in ſumma per illa omnia, quæ de quatuor Animalibus ſeu Cherubis memorantur in Primo Capite apud Ezechielem, ſignificatur; quæ hæc ſunt: „ Deſcribitur Divina „ Sphæra externa Verbi, Verſ. 4: illa repræſentata ſicut homo, Verſ. 5: „ conjuncta ſpiritualibus & cæleſtibus, Verſ. 6: naturale Verbi quale eſt, „ Verſ. 7: Spirituale & cæleſte Verbi conjunctum naturali, quale eſt, Verſ. „ 8. 9. Divinus amor boni & veri cæleſtis, ſpiritualis & naturalis inibi „ diſtinctim & ſimul, Verſ. 10. 11: quod ad unum ſpectent, Verſ. 12:

„ Sphæ-

„ Sphæra Verbi ex Divino Bono & Divino Vero Domini, ex quibus Verbum vivit, Verſ. 13. 14: Doctrina boni & veri in Verbo & ex Verbo, Verſ. 15 ad 21: Divinum Domini ſupra illud & in illo, Verſ. 22. 23: & ex illo, Verſ. 24. 25. Quod Dominus ſit ſupra cælos, Verſ. 26: quod Ipſi ſit Divinus Amor & Divina Sapientia, Verſ. 27. 28. Hæc ſummaria ſunt.

240. *Plena oculis ante & retro, ſignificat Divinam ſapientiam inibi.* Per oculos cum de homine, ſignificatur intellectus, & cum de Domino Divina Sapientia, n. 48. 125; Similiter cum de Verbo, ut hic, quia Verbum eſt a Domino, & de Domino, & ſic Dominus. Simile de Cherubis apud Ezechielem dicitur, quod *pleni eſſent oculis*, Cap. X: 12: ante & retro, cum de Verbo a Domino, ſignificatur Divina Sapientia & Divinus Amor inibi.

241. *Et Animal primum ſimile Leoni, ſignificat Divinum Verum Verbi quoad potentiam.* Quod Leo ſignificet Verum in ſua potentia, hic Divinum Verum Verbi quoad potentiam, conſtare poteſt a potentia leonis præ omni animali terræ, tum ex leonibus in Mundo ſpirituali, quod ſint imagines repræſentivæ potentiæ Divini Veri; & quoque ex Verbo ubi ſignificant Divinum Verum in ſua potentia; qualis potentia Divini Veri in Verbo eſt, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 49, & in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 228 ad 233: inde eſt, quod Jehovah ſeu Dominus comparetur Leoni, & quoque dicatur Leo, ut in ſequentibus „ *Leo rugit, quis non timeat, Dominus Jehovah loquutus eſt, quis non prophetet*, Amos III: 8. *Non revertar ad perdendum Ephraimum, poſt Jehovam ibunt, ſicut Leo rugit*, Hoſch. XI: 20. *Quemadmodum rugit Leo, & juvenis Leo, ſic deſcendet Jehovah ad militandum ſuper monte Zionis*, Eſaj. XXXI: 4. *Ecce vicit Leo, qui eſt ex tribu Jehudæ, radix Davidis*, Apoc. V: 5. *Catulus Leonis Jehudah, curvavit ſe, cubuit ſicut Leo vetus, quis excitat eum*, Geneſ. XLIX: 9; in his locis deſcribitur potentia Divini Veri, quod a Domino, per leonem; rugire ſignificat ex potentia loqui & agere contra inferna, quæ auferre volunt hominem, a quibus Dominus illum eripit, ſicut leo prædam; curvare ſe eſt ſe mittere in potentiam; Jehudah in ſupremo ſenſu ſignificat Dominum, n. 96. 266. *Angelus clamavit voce magna ſicut Leo rugit*, Apoc. X: 3. *Incurvat ſe, cubat ſicut Leo vetus, quis excitat eum*, Num. XXIV: 9. *En populus ſicut vetus Leo, ſurgit, & ſicut vetus Leo effert ſe*, Num. XXIII: 23. 24; hæc de Iſraele, per quem ſignificatur Eccleſia cujus potentia, quæ in Divinis veris eſt, ita deſcribitur; ſimiliter *Reliquiæ Jacobi in medio populorum erunt ſicut Leo inter beſtias ſylvæ, ſicut Leo juvenis inter greges populorum*, Mich. V: 6. 7: præter in multis aliis locis, ut Eſaj. XI: 6. Cap. XXI: 6 ad 9. Cap. XXXV. 9. Jerem. II: 15. Cap. IV: 7. Cap. V: 6. Cap. VIII: 8. Cap. L: 17. Cap. LI: 38. Ezech. XIX: 3. 5. 6. Hoſch. XIII: 7. 8. Joel I: 6. 7. Nah. II: 12. Pſalm. XVII: 12. Pſalm. XXII: 14. Pſalm. LVII: 5. Pſalm. LVIII: 7. 8. Pſalm. XCI: 13. Pſalm. CIV. 21. 22. Deutr. XXXIII: 20.

242. *Et ſecundum Animal ſimile Vitulo, ſignificat Divinum verum Verbi quoad affectionem.* Per Beſtias terræ ſignificantur variæ affectiones naturales, ſunt

etiam; & per Vitulum significatur affectio sciendi; hæc affectio per vitulum repræsentatur in Mundo spirituali, quare etiam illa per vitulum significatur in Verbo, ut apud Hoscheam, *Rependemus Jehovæ Vitulos labiorum nostrorum*, XIV: 13, vituli labiorum sunt confessiones ex affectione veri. Apud Malachiam, *Exorietur vobis timentibus Nomen meum sol justitiæ, & sanitas in alis ut crescatis sicut Vituli saginati*, III: 20; comparatio fit cum vitulis saginatis, quia per illos significantur qui impleti cognitionibus veri & boni ex affectione sciendi illas. Apud Davidem, *Vox Jehovæ saltare facit cedros Libani sicut Vitulum*, Psalm. XXIX: 6; per cedros Libani significantur cognitiones veri, inde dicitur quod vox Jehovæ illas saltare faciat sicut vitulum, vox Jehovæ est Divinum Verum, hic afficiens. Quoniam Ægyptii amaverunt scientias, ideo fecerunt sibi vitulos in signum affectionis illarum; sed postquam cœperunt colere vitulos ut deos, tunc per illos in Verbo significantur affectiones sciendi falsa, ut Jerem. XLVI: 20. 22. Psalm. LXVIII: 31, & alibi. Simile itaque significatur per Vitulum quem filii Israelis sibi fecerunt in deserto, Exod. XXXII: tum simile per Vitulos Samariæ, I Reg. XII: 28 ad 32. Hosch. VIII: 4. 5. Cap. X: 5, quare dicitur apud Hoscheam, *Faciunt sibi fusile ex argento, sacrificantes hominem, Vitulos osculantur*, XIII: 2; facere sibi fusile ex argento significat falsificare verum, sacrificare hominem significat destruere sapientiam, & osculari vitulos significat agnoscere falsa ex affectione. Apud Esajam, *Ibi pascet Vitulus, ibi cubabit, & consumet ramos ejus*, XXVII: 10: simile per vitulum significatur, Jerem. XXIV: 18. 19. 20. Quoniam omnis Divinus Cultus est ex affectionibus veri & boni, & inde cognitionibus illorum, ideo Sacrificia, in quibus cultus Ecclesiæ apud filios Israelis principaliter constabat, fiebant ex variis Bestiis, ut ex agnis, capris, hædis, ovibus, hircis, vitulis, bobus; & ex Vitulis, quia significabant affectionem sciendi vera & bona, quæ est affectio prima naturalis: hæc significabatur per sacrificia ex Vitulis, Exod. XXIX: 11. 12. Levit. IV: 3. 13 seq. Cap. VIII. 15. seq. Cap. IX: 2. Cap. XVI: 3. Cap. XXIII: 18. Num. VIII. 8 seq. Cap. XV: 24. Cap. XXVIII: 19. 20. Judic. VI: 25 ad 29. I Sam. I: 25. Cap. XVI: 2. I Reg. XVIII: 23 ad 26. 33. Visum est secundum Animal simile Vitulo, quia Divinum Verum Verbi, quod per illud significatur, afficit animos, ac sic instruit & imbuit.

243. *Et tertium Animal habens faciem sicut Homo, significat Divinum Verum Verbi quoad sapientiam.* Per hominem in Verbo significatur sapientia, quia natus est ut sapientiam recipiat a Domino, & fiat angelus; inde quantum quis est sapiens, tantum est homo; sapientia vere humana est sapere quod Deus, quid Deus, & quid Dei; hæc docet Divinum Verum Verbi. Quod per hominem significetur sapientia, patet ex his locis, *Rarum reddam virum Hominem præ auro puro, & Hominem præ auro ophiris*, Esaj. XIII: 12, vir homo est intelligentia, & homo est sapientia. *Exurentur habitatores terræ, & relictus erit Homo rarus*, Esaj. XXIV: 6. *Seminabo domum Israelis & domum Jehudæ semine Hominis & semine bestiæ*, Jerem. XXXI: 27. *Vos grex mi, Homo vos, Ego Deus vester*, Ezech. XXXIV: 31. *Erunt Urbes devastatæ plenæ grege*

grege Hominis, Ezech. XXXVI: 38. *Vidi terram, cum ecce vacuum & inane, & versus cælos & non lux eorum, vidi cum ecce non Homo*, Jerem. XXIV: 23. 25. *Sacrificant Hominem, vitulos osculantur*, Hosch. XIII: 2. *Mensus est murum sanctæ Hierosolymæ 144 cubitorum, mensura Hominis quæ est Angeli*, Apoc. XXI: 17; præter multis aliis in locis, in quibus per hominem significatur sapiens, & in sensu abstracto sapientia.

244. *Et quartum Animal simile Aquilæ volanti, significat Divinum Verum Verbi quoad cognitiones & inde intellectum.* Per aquilas significantur varia, & per aquilas volantes significantur cognitiones ex quibus intellectus, quoniam cum volant, cognoscunt & vident; sunt etiam illis oculi acuti, ut perspiciant, & per oculos significatur intellectus, n. 48. 214: per volare significatur percipere & instruere, & in supremo sensu, in quo de Domino, prospicere & providere. Quod Aquilæ in Verbo talia significent, patet ex his locis „ *Exspectantes Jehovam innovantur robore, ascendunt alis sicut Aquilæ*, Esaj. XL: 30 ad 36; ascendere alis sicut aquilæ, est elevari in cognitiones veri & boni & inde in intelligentiam: *Num per intelligentiam tuam, & juxta os tuum se attollit Aquila, & pervestigat cibum, in longinquum oculi ejus prospiciunt*, Hiob. XXXIX: 26, facultas cognoscendi, intelligendi & prospiciendi hic per aquilam describitur, & quod hoc non sit ex propria intelligentia. *Jehovah qui saturat bono os tuum, ut renoveris sicut Aquila pueritia tua*, Psalm. CIII: 5, saturare os bono est per cognitiones dare intellectum, inde comparatio fit cum aquila. *Aquila magna, magna alis, longa pennis, venit super Libanum, & accepit ramusculum cedri, & posuit in agro sementis, & germinavit. Et fuit altera Aquila magna, ad quam vitis applicuit radices suas*, Ezech. XVII: 1 ad 8; per binas Aquilas ibi describitur Ecclesia Judaica & Israelitica, utraque quoad cognitiones veri & inde intelligentiam. Aquilæ autem in opposito sensu significant cognitiones falsi, ex quibus intellectus perversus, ut Matth. XXIV: 28. Jerem. IV: 13. Habak. I: 8. 9: & alibi.

245. *Et quatuor Animalia singula per se, habebant alas sex in circuitu, significat Verbum quoad potentias & quoad custodias ejus.* Quod per quatuor Animalia significetur Verbum, supra ostensum est; quod per alas significentur potentiæ, & quoque custodiæ, infra videbitur: per sex significatur omne quoad verum & bonum, sex enim existunt ex 3 & 2 in se multiplicatis, & per tria significatur omne quoad verum, n. 505, ac per duo omne quoad bonum, n. 762. Per alas significantur potentiæ, quia per illas se elevant sursum, & alæ apud aves sunt loco brachiorum apud hominem, & per brachia significantur potentiæ. Quoniam per alas significantur potentiæ, & cuivis Animali erant sex alæ, ex supra dictis patet, quæ potentia significatur per alas cujusvis, nempe, quod per alas Leonis, significetur potentia pugnandi contra mala & falsa ex inferno, hæc potentia est Divini Veri Verbi a Domino: quod per alas Vituli significetur potentia afficiendi animos, nam Divinum Verum Verbi afficit illos qui id sancte legunt: quod per sex alas Hominis significetur potentia sapiendi quid Deus & quid Dei, nam hæc est proprie hominis in legendo Verbum: & quod per alas Aquilæ significetur potentia cognoscendi verum & bonum,

num, & ſic comparandi ſibi intelligentiam. De Alis Cheruborum legitur apud Ezechielem ,, *Quod Alæ oſcularentur ſe invicem, & quod etiam tegerent corpora illorum, & quod ſimilitudo manuum eſſet ſub illis*, Cap. I: 23. 24. Cap. III: 13. Cap. X: 5. 21; per oſculari ſe invicem, ſignificatur conjunctim & unanimiter agere; per tegere corpora, ſignificatur cuſtodire ne interiora vera, quæ ſunt ſenſus ſpiritualis Verbi, violentur; & per manus ſub alis ſignificantur potentiæ. De *Seraphim* etiam dicitur, *Quod illis eſſent ſex Alæ, quarum duabus tegebant faciem, duabus pedes, & duabus volabant*, Eſaj. VI: 2; per Seraphim ſimiliter ſignificatur Verbum, proprie doctrina e Verbo; & per alas quibus tegebant facies & pedes, ſimiliter ſignificantur cuſtodiæ, ac per alas quibus volabant potentiæ, ut ſupra: quod per volare ſignificetur percipere & inſtruere, & in ſupremo ſenſu proſpicere & providere, conſtat etiam ex his ,, *Deus equitavit ſuper Cherubo, Volavit, & vectus eſt ſuper alis venti*, Pſalm. XVIII: 11. II Sam. XXII: 11; *Vidi Angelum Volantem per medium Cæli, habentem Evangelium æternum*, Apoc. XIV: 6. Quod per Alas ſignificentur cuſtodiæ, patet ex his ,, *Jehovah ſub Ala ſua obtegit te*, Pſalm. XCI: 4. *Occultari ſub umbra Alarum Dei*, Pſalm. XVII: 8. *Confidere in umbra Alarum Ipſius*, Pſalm. XXXVI: 8. Pſalm. LVII: 2. Pſalm. LXIII: 8. *Expandi Alam ſuper te, & operui nuditatem tuam*, Ezech. XVI: 8. *Erit vobis ſanitas in Alis Ipſius*, Malach. III: 20. *Sicut aquila excitat nidum ſuum, ſuper pullis ſuis motitat ſe, expandit Alas ſuas, portat Alis ſuis, ſic Jehovah ducit eum*, Deutr. XXXII: 10. 11. 12. Jeſus dixit, *Hieruſalem, quoties volui congregare liberos tuos, quemadmodum gallina pullos ſuos ſub Alas ſuas*, Matth. XXIII: 37. Luc. 34.

246. *Et intus plenæ erant oculis, ſignificat Divinam Sapientiam in Verbo in ſenſu naturali ex ſenſu ſpirituali & cæleſti ejus.* Quod per Animalia plena oculis ante & retro ſignificetur Divina Sapientia in Verbo, videatur ſupra n. 240; ſimile hic per quod alæ eſſent plenæ oculis: & quia Divina Sapientia Verbi in ſenſu naturali eſt ex ſenſu ſpirituali & cæleſti, qui intus latent, ideo dicitur, quod intus eſſent plenæ oculis. De ſenſu ſpirituali & cæleſti, qui intus in ſingulis Verbi ſunt, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 5 ad 26.

247. *Et requiem non habebant die & nocte, dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, ſignificat quod Verbum continue doceat Dominum, & quod Ille Solus Deus ſit, & inde quod Solus colendus ſit.* Quod Animalia non requiem haberent die & nocte, ſignificat quod Verbum continue & abſque intermiſſione doceat; & quod doceat id quod Animalia dicunt, quæ ſunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Omnipotens, hoc eſt, quod Dominus Solus Deus ſit, & inde quod Solus colendus, hoc ſignificat Sanctus ter nominatus, nam triplicatio involvit omne Sanctum in Ipſo Solo. Quod Divina Trinitas in Domino ſit, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, plene oſtenſum eſt; tum etiam quod Verbum de Solo Domino agat, & quod inde ſanctitas ejus ſit. Quod Dominus Solus Sanctus ſit, videatur ſupra n. 173.

248. *Qui Fuit & Qui Eſt & Qui Venturus, ſignificat Dominum.* Quod ſit Dominus, patet manifeſte in Capite Primo, Verſ. 4. 8. 11. 17, ubi agitur de

de Filio Hominis, qui est Dominus quoad Verbum, & ibi aperte dicitur, quod ILLE SIT ALPHA ET OMEGA, PRINCIPIUM ET FINIS, PRIMUS ET ULTIMUS, QUI EST ET QUI FUIT ET QUI VENTURUS, ET OMNIPOTENS; quid autem per illa significatur, n. 13. 29. 30. 31. 38. 57, explicatum est; hic nunc, quod Dominus per Sanctum, Sanctum, Sanctum, Dominum Deum Omnipotentem, Qui Fuit & Qui Est & Qui Venturus, intelligatur.

249. *Et cum dederunt Animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem Sedenti super Throno, significat quod Verbum addicet Omne Verum & omne Bonum & omnem Cultum Domino judicaturo.* Animalia sunt Verbum, ut ostensum est; gloria & honor, cum de Domino, sunt, quod omne verum & omne bonum sint Ipsius & ab Ipso; gratiarum actio est omnis cultus; Sedens super Throno est Dominus quoad judicium, ut supra; inde patet, quod per cum dederunt Animalia gloriam & honorem & gratiarum actionem Sedenti super Throno, significetur quod Verbum addicet omne verum & omne bonum & omnem cultum Domino judicaturo. Per dare Domino gloriam & honorem non aliud in Verbo intelligitur, quam agnoscere & confiteri, quod omne verum & omne bonum sit ab Ipso, ita quod sit Solus Deus, Gloria enim Ipsi est ex Divino Vero, & Honor ex Divino Bono. Hæc per gloriam & honorem significantur in sequentibus locis „ *Jehovah cælos facit*, GLORIA & HONOR *coram Ipso*, Psalm. XCVI: 5. 6. *Jehovah Deus magnus valde*, GLORIAM & HONOREM *induisti*, Psalm. CIV: 1. *Magna opera Jehovæ*, GLORIA & HONOR *opus Ipsius*, Psalm. CXI: 2. 3. GLORIAM & HONOREM *pones super Ipsum, benedictiones in æternum*, Psalm. XXI: 6. 7, de Domino. *Accinge gladium tuum super femur, potens* GLORIA & HONORE; *in Honore tuo conscende, equita super Verbo veritatis*, Psalm. XLV: 4. 5. *Carere Ipsum fecisti paululum præ angelis*, GLORIA & HONORE *coronasti Ipsum*, Psalm. VIII: 6. GLORIA *Libani data est Illi*, HONOR *Carmeli & Scharonis: illi videbunt* GLORIAM *Jehovæ*, & HONOREM *Dei nostri*, Esaj. XXXV: 1. 2; hæc & illa de Domino; præter alibi, ut Psalm. CXLV: 4. 5. 12. Apoc. XXI: 24. 26. Præterea, ubi in Verbo agitur de Divino Vero dicitur Gloria, n. 629; & ubi agitur de Divino Bono, dicitur Honor.

250. *Viventi in sæcula sæculorum, quod significet Dominum quod Solus sit vita, & ab Ipso Solo vita æterna*, videatur supra n. 58. 60.

251. *Procidebant viginti & quatuor seniores coram Sedente super Throno, & adorabant Viventem in sæcula sæculorum, significat humiliationem omnium in Cælo coram Domino.* Quod per viginti quatuor seniores intelligantur omnes qui ab Ecclesia Domini sunt, videatur supra n. 233, hic omnes qui ab Ecclesia Ipsius in Cælo; Seniores ut Capita repræsentabant omnes; quod sit humiliatio coram Domino, & ex humiliatione adoratio, patet absque explicatione.

252. *Et abjiciebant coronas suas coram Throno, significat agnitionem quod sapientia illorum ab Ipso Solo sit.* Quod Corona significet sapientiam, videatur supra n. 189. 235; inde per abjicere coronas coram Throno, significatur agnoscere

quod sapientia non sit illorum, sed Domini apud illos.

253. *Dicentes, dignus es Domine accipere gloriam & honorem & potestatem, significat confessionem, quod Domino, quia est Divinum Verum & Divinum Bonum, sit Regnum ex merito & justitia.* Confessio significatur per dicere; quod ex merito & justitia, significatur per dignus es Domine; quod Ipse sit Divinum Verum & Divinum Bonum, significatur per gloriam & honorem, ut supra n. 249; quod Ipsi sit Regnum, significatur per accipere potestatem: hæc itaque in unum sensum collata, significant confessionem, quod Domino, quia est Divinum Verum & Divinum Bonum, sit Regnum ex merito & justitia.

254. *Quia Tu creasti omnia, & per Voluntatem tuam sunt & creata sunt, significat quod omnia Cæli & Ecclesiæ ex Divino Amore Domini per Divinam Sapientiam Ipsius, seu ex Divino Bono per Divinum Verum, quod etiam est Verbum, facta & formata sint, & quod reformentur & regenerentur.* Hic sensus spiritualis horum verborum est, quia per creare significatur reformare & regenerare per Divinum Verum; & per Voluntatem Domini significatur Divinum Bonum: sive dicatur Divinum Bonum & Divinum Verum, sive Divinus Amor & Divina Sapientia, idem est, quia omne bonum est amoris, & omne verum est sapientiæ. Quod ex Divino Amore & Divina Sapientia sint omnia Cæli & Ecclesiæ, imo quod ex illis Mundus creatus sit, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, multis ostensum est; tum quod Amor & Bonum sit voluntatis, ac Sapientia & Verum sit intellectus; inde patet quod per Voluntatem Domini intelligatur Divinum Bonum seu Divinus Amor Ipsius. Quod creare in Verbo significet reformare & regenerare, patet ex his locis „ *Cor mundum crea mihi Deus, & spiritum firmum innova in medio mei*, Psalm. LI: 12. *Aperis manum, saturantur bono, emittis spiritum, creantur*, Psalm. CIV: 28. 30. *Populus qui creabitur, laudabit Jah*, Psalm. CII: 19. *Ecce Ego creans Cælum novum & Terram novam, lætamini in æternum, quæ Ego creans: ecce Ego creaturus sum Hierosolymam exultationem*, Esaj. LXV: 17. 18. *Jehovah creans Cælos, extendens Terram, dans animam populo super illa, & spiritum ambulantibus in illa*, Esaj. XLII: 5. Cap. XLV: 12. 18. *Sic dixit Jehovah, Creator tuus, Jacob, Formator tuus, Israel, redemi te, vocavi nomine meo tu, omnem vocatum a Nomine meo, in gloriam meam creavi eum*, Esaj. XLIII: 1. 7. *In die quo creatus es, præparata sunt; perfectus tu in viis tuis in die quo creatus es, donec inventa est perversitas in te*, Ezech. XXVIII: 13. 15; hæc de Rege Tyri, per quem significantur qui in intelligentia per Divinum Verum sunt. *Ut videant, cognoscant, attendant & intelligant, quod manus Jehovæ fecerit hoc, & Sanctus Israelis creaverit hoc*, Esaj. XLI: 19. 20.



255. His adjiciam hoc MEMORABILE. Ne aliquis in Sensum spiritualem Verbi intret, ac genuinum verum, quod illius sensus est, pervertat, custodiæ a

a Domino positæ sunt, quæ in Verbo per Cherubos, qui hic sunt quatuor Animalia, intelliguntur: quod Custodiæ sint positæ, hoc mihi ita repræsentatum est: „ Datum est videre magnas Crumenas; apparentes sicut sacci, in quibus reconditum fuit argentum in multa copia; & quia apertæ erant, perceptum est, sicut unusquisque posset argentum ibi repositum depromere, imo diripere: sed juxta Crumenas illas sedebant bini Angeli, qui custodes; locus ubi repositæ erant, apparebat instar præsepis in stabulo; in Camera proxima visæ sunt Virgines modestæ, cum Uxore casta; & prope illam Cameram stabant bini Infantes, & dictum est, quod cum illis non infantiliter sed sapienter ludendum sit; & postea apparebat Scortum, tum Equus jacens mortuus. Quibus visis instructus sum, quod per illa repræsentatus sit Sensus literæ Verbi, in quo Sensus spiritualis est: magnæ illæ Crumenæ argento plenæ significabant cognitiones veri & boni in multa copia: quod apertæ essent, & tamen ab Angelis custoditæ, significabat quod quisque posset inde cognitiones veri desumere; sed quod caveatur, ne aliquis Sensum spiritualem, in quo meræ veritates sunt, falsificet: Præsepe in stabulo, in quo jacebant crumenæ, significabat instructionem spiritualem pro intellectu, hoc significat præsepe, etiam præsepe, in quo Dominus Infans jacuit, quia Equus, qui inde edit, significat intellectum Verbi: Virgines modestæ, quæ in Camera proxima visæ sunt, significabant affectiones veri, & Uxor casta conjunctionem boni & veri; Infantes significabant innocentiam sapientiæ in Verbo; erant Angeli e tertio Cælo, qui omnes apparent sicut infantes: Scortum cum Equo mortuo significabat falsificationem Verbi a multis hodie, per quam omnis intellectus veri perit, Scortum significat falsificationem, & Equus mortuus intellectum veri nullum.

Datum est loqui cum multis post mortem, qui crediderunt se sicut Stellæ lucituros in cælo, quia, ut dixerunt, sanctum habuerunt Verbum, sæpius perlegerunt illud, plura inde collegerunt, per quæ fidei suæ dogmata confirmaverunt, & per id in mundo ut Docti celebrati sunt, ex quo credebant se Michaeles & Raphaeles futuros; sed plures ex illis explorati sunt, ex quo amore studuerunt Verbo, ac inventi, quod aliqui ex amore sui, ut magni in Mundo apparerent, & sicut Primates Ecclesiæ colerentur, aliqui autem ex amore Mundi, ut lucrarentur opes: hi dum explorati sunt quid scirent ex Verbo, compertum est, quod inde nihil genuini veri scirent, sed modo tale, quod vocatur verum falsificatum, quod in se est falsum, & hoc in Mundo spirituali putet coram naribus angelorum; & dictum est illis, quod hoc illis esset ex causa, quia Ipsi & Mundus fuerunt fines, seu, quod idem, amores illorum, & non Dominus & Cælum; & cum ipsi & mundus sunt fines, tunc cum legunt Verbum, hæret mens illorum in seipsis & in mundo, & inde cogitant jugiter ex suo proprio, quod in caligine est quoad omnia quæ Cæli sunt; in quo statu non potest homo subduci ex lumine proprio, & sic elevari in lucem cæli, proinde nec aliquem influxum a Domino per Cælum recipere. Vidi etiam hos in Cælum admissos, & cum inventi

ſunt quod abſque veris eſſent, nudati ſunt veſtibus, & apparuerunt in pudendis; & qui falſificaverunt vera, quia putuerunt, expulſi ſunt, ſed uſque remanſit apud hos faſtus, ac fides quod meruerint. Aliter factum eſt cum illis, qui ſtuduerunt Verbo ex affectione ſciendi verum quia verum eſt, & quia inſervit uſibus vitæ ſpiritualis, non ſolum ſuæ, ſed etiam proximi; illos vidi elevatos in Cælum, & ſic in lucem, in qua eſt Divinum Verum ibi, & ſimul tunc exaltatos in ſapientiam Angelicam, & in felicitatem ejus, quæ eſt vita æterna.



CAPUT

1. ET vidi in dextra Sedentis ſuper Throno Librum ſcriptum intus & a tergo, obſignatum ſigillis ſeptem.

2. Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, quis eſt dignus aperire Librum, & ſolvere ſigilla ejus.

3. Et nemo potuit in Cælo, nec ſuper terra, neque ſub terra, aperire Librum, & inſpicere eum.

4. Et ego flebam multum, quod nemo dignus inventus ſit aperire & legere Librum, nec inſpicere eum.

5. Et unus ex Senioribus dicit mihi, ne fleto; ecce vicit Leo qui eſt ex tribu Jehudæ, Radix Davidis, aperire Librum, & ſolvere ſeptem ſigilla ejus.

6. Et vidi, & ecce in medio Throni, & quatuor Animalium, & in medio Seniorum, Agnum ſtantem tanquam occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt ſeptem Dei ſpiritus emiſſi in omnem terram.

7. Et venit & accepit Librum e dextra Sedentis ſuper Throno.

8. Et cum accepiſſet Librum, quatuor Animalia, & viginti quatuor Seniores, prociderunt coram Agno, habentes unusquiſque citharas, & phialas aureas plenas ſuffitibus, quæ ſunt preces ſanctorum.

9. Et canebant Canticum novum, dicentes, dignus es accipere Librum, & aperire ſigilla ejus, quia occiſus es, & redemiſti Deo nos in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua, & populo & gente.

10. Et feciſti nos Deo noſtro reges & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terra.

11. Et vidi & audivi vocem angelorum multorum circum Thronum, & Animalia, & Seniores, & erat numerus eorum myriades myriadum, & chiliades chiliadum.

12. Dicentes voce magna, dignus eſt Agnus occiſus accipere poteſtatem, & divitias, & ſapientiam, & honorem & gloriam, & benedictionem.

13. Et omne creatum, quod eſt in Cælo & in Terra, & ſub terra, & in mari quæ ſunt, & quæ in illis omnia, audivi dicentes, Sedenti ſuper Throno & Agno, benedictio & honor & gloria & robur in ſæcula ſæculorum.

14. Et quatuor Animalia dicebant, Amen; & viginti quatuor

Seniores prociderunt & adoraverunt Viventem in sæcula sæculorum.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Quod Dominus in Divino Humano judicium facturus sit ex Verbo & secundum illud, quia Ipse est Verbum: & quod hoc agnitum sit ab omnibus in tribus Cælis.

Contentum Singulorum Versuum. Et vidi in dextra Sedentis super Throno Librum scriptum intus & a tergo, *significat* Dominum quoad Ipsum Divinum suum ab æterno, Cui Omnipotentia & Omniscientia, & Qui est Verbum: obsignatum sigillis septem, *significat* illud prorsus absconditum angelo & homini: & vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, *significat* Divinum Verum a Domino influens penitus apud Angelos & homines: quis est dignus aperire Librum & solvere sigilla ejus, *sign:* quis in potentia est nosse status vitæ omnium in Cælis & in Terris, & judicare unumquemvis secundum suum: & nemo potuit in Cælo, nec super terra, neque sub terra, *sign:* quod nullus in Cælis superioribus & in Cælis inferioribus: aperire librum, *sign:* nosse status vitæ omnium, & judicare unumquemvis secundum suum: nec inspicere eum, *sign:* ne hilum: & ego flebam multum, quod nemo inventus sit aperire & legere Librum, nec inspicere eum, *sign:* dolorem cordis, quod si non aliquis posset, perirent omnes: & unus ex senioribus dixit mihi, ne fleto, *sign:* consolationem: ecce vicit Leo, Qui est ex tribu Jehudæ radix Davidis, *sign:* Dominum, quod ex propria potentia subjugaverit Inferna, & redegerit in ordinem omnia cum fuit in Mundo, per Divinum Bonum unitum Divino Vero in suo Humano: aperire Librum, & solvere septem sigilla ejus, *sign: hic ut prius:* & vidi & ecce in medio Throni, & quatuor Animalium & in medio Seniorum, *sign:* ab intimis & inde in omnibus Cæli, Verbi & Ecclesiæ: Agnum stantem tanquam occisum, *sign:* Dominum quoad Humanum non in Ecclesia pro Divino agnitum: habentem cornua septem, *sign:* Ipsius Omnipotentiam: & Oculos septem, *sign:* Ipsius Omniscientiam & Divinam Sapientiam: qui sunt septem Dei spiritus emissi in omnem terram, *sign:* quod ex illa sit Divinum Verum in universo terrarum orbe, ubi religio: & venit & accepit Librum e dextra Sedentis super Throno, *sign:* quod Dominus quoad Divinum Humanum suum sit Verbum, & quod hoc ex Divino suo in Ipso, & quod ideo ex Divino Humano suo facturus sit judicium: & cum accepisset Librum, *sign:* quando Dominus instituit facere judicium, & per id omnia in Cælis & super terris redigere in ordinem: quatuor Animalia & viginti quatuor Seniores prociderunt coram Agno, *sign:* humiliationem, & adorationem Domini ex superioribus Cælis: habentes unusquisque citharas, *sign:* confessionem Divini Huma-

[dignus]
? dicit

Humani Domini ex veris spiritualibus: & phialas aureas plenas suffitibus, *sign:* confessionem Divini Humani Domini ex bonis spiritualibus: quæ sunt preces sanctorum, *sign:* cogitationes quæ sunt fidei ex affectionibus quæ sunt charitatis apud illos qui ex bonis & veris spiritualibus colunt Dominum: & canebant canticum novum, *sign:* agnitionem & glorificationem Domini, quod Solus sit Judex, Redemptor & Salvator, ita Deus cæli & terræ: dicentes, dignus es accipere Librum & aperire sigilla ejus, *sign: hic ut prius:* quia occisus es, & redemisti Deo nos in sanguine tuo, *sign:* liberationem ab Inferno, & salvationem per conjunctionem cum Ipso: ex omni tribu & lingua & populo & gente, *sign:* quod a Domino redempti sint, qui in Ecclesia aut in aliqua religione in veris quoad doctrinam & in bonis quoad vitam sunt: & fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, *sign:* quod illi a Domino in sapientia ex Divinis veris & in amore ex Divinis bonis sint: & regnabimus super terra, *sign:* & erunt in Regno Ipsius, Ipse in illis & illi in Ipso: & vidi & audivi vocem Angelorum multorum circum Thronum, & Animalia & Seniores, *sign:* confessionem & glorificationem Domini ab angelis inferiorum Cælorum: dicentes voce magna, dignus est Agnus occisus accipere potestatem & divitias & sapientiam & honorem & gloriam, *sign:* confessionem ex corde, quod Domino quoad Divinum Humanum sit Omnipotentia, Omniscientia, Divinum Bonum & Divinum Verum: & benedictionem, *sign:* omnia illa in Ipso, & ab Ipso in illis: & omne creatum, quod est in Cælo & in Terra, & sub Terra, & in Mari, quæ sunt & quæ in illis omnia, audivi dicentes, *sign:* confessionem & glorificationem Domini ab angelis infimorum cælorum: Sedenti super Throno & Agno benedictio & honor & gloria & robur in sæcula sæculorum, *sign:* quod in Domino ab æterno & inde in Divino Humano Ipsius sit omne Cæli & Ecclesiæ, Divinum Bonum & Divinum Verum, & Divina Potentia, & ab Ipso in illis: & quatuor Animalia dicebant Amen, *sign:* Divinam confirmationem ex Verbo: & viginti quatuor Seniores prociderunt & adoraverunt Viventem in sæcula sæculorum, *sign:* humiliationem coram Domino & ex humiliatione adorationem Ipsius ab omnibus Cælis, a Quo & in Quo est Vita æterna.

EXPLICATIO.

256. *Et vidi in dextra Sedentis super Throno Librum scriptum intus & a tergo, significat Dominum quoad Ipsum Divinum suum ab æterno, Cui Omnipotentia & Omniscientia, & Qui est Verbum, Qui & status vitæ omnium in Cælis & in Terris, in omni particulari & in omni communi ex Se Ipso novit.* Per Sedentem super Throno, intelligitur Dominus quoad Ipsum Divinum, ex Quo Humanum Ipsius, nam sequitur quod Agnus acceperit Librum e dextra Sedentis super Throno, Vers. 7, & per Agnum intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum; per Librum scriptum intus & a tergo, intelligitur Verbum in omni particulari & in omni communi, per intus in omni particulari, & per a tergo in omni communi; per intus & a tergo intelligitur etiam Verbi sensus interior, qui est spiritua-

ritualis, & sensus ejus exterior qui est naturalis; per dextram intelligitur Ipse quoad omnipotentiam & omniscientiam, quia de exploratione omnium in cælis & in Terris, super quos ultimum Judicium erit, & de separatione eorum, agitur. Quod Dominus ut Verbum sciat status vitæ omnium in cælis & in terris a Se Ipso, est quia est ipsum Divinum Verum, & ipsum Divinum Verum ex Seipso novit omnia; sed hoc arcanum est, quod in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, detectum est. Quod Dominus quoad Ipsum Divinum ab æterno fuerit Verbum, hoc est, Divinum Verum, patet ab his apud Johannem ,, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, I: 1; & quod Dominus etiam quoad Humanum factus sit Verbum, apud Eundem, *Et Verbum Caro factum est*, I: 14; inde constare potest quid intelligitur per quod Liber fuerit in dextra Sedentis super Throno, & quod Agnus acceperit Librum inde, Vers. 7. Quoniam Dominus est Verbum, & Verbum est Divinum Verum, quod in communi facit Cælum & Ecclesiam, & in particulari angelum ut in illo cælum sit, & hominem ut in illo Ecclesia sit, & quia Verbum hic intelligitur per Librum, ex quo & secundum quod omnes judicandi sunt, ideo passim dicitur inscribi Libro, judicari ex Libro, deleri ex Libro, ubi de statu vitæ æternæ alicujus agitur, ut in his locis ,, *Antiquus dierum judicium consedit, & LIBRI aperti sunt*, Dan. VII: 10. *Eripietur populus omnis, qui invenietur scriptus in LIBRO*, Dan. XII: 1. *Non latuit Te os meum, super LIBRO tuo omnes scripti sunt dies, & non unus ex illis deest*, Psalm. CXXXIX: 15. 16. *Moses dixit, dele me quæso ex LIBRO quem scripsisti, & dixit Jehovah, illum, qui peccavit Mihi, delebo e LIBRO*, Exod. XXXII: 32. 33. *Deleantur e LIBRO vitæ, & cum justis non scribantur*, Psalm. LXIX: 29. *Vidi quod LIBRI aperti sint, & LIBER alius apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui juxta ea quæ scripta sunt in LIBRO secundum opera illorum, & si quis non inventus est in LIBRO vitæ scriptus, ejectus est in stagnum ignis*, Apoc. XX: 12. 13. 14. *Non ingredientur in Novam Hierosolymam, nisi qui scripti sunt in LIBRO vitæ Agni*, Apoc. XXI: 26. *Adorabunt bestiam omnes, quorum nomina non scripta sunt in LIBRO vitæ Agni*, Apoc. XIII: 8. Cap. XVII: 8. Quod per Librum intelligatur Verbum, apud Davidem, *In VOLUMINE LIBRI scriptum est de Me*, Psalm. XL: 8: & apud Ezechielem ,, *Vidi & ecce manus emissa ad me, & in ea VOLUMEN LIBRI* scriptum ante & post, II: 8. 9. LIBER *verborum Esajæ*, Luc. III: 4. LIBER *psalmorum*, Luc. XX: 42.

257. *Obsignatum sigillis septem, significat illud prorsus absconditum angelo & homini.* Quod obsignatum sigillo, significet absconditum, patet, inde obsignatum septem sigillis significat prorsus absconditum, septem enim significant omne, n. 10, ita quoque prorsus; quod prorsus absconditum angelo & homini, dicitur mox his verbis, *& nemo potuit in Cælo, nec super terra, neque sub terra, aperire & legere librum, nec inspicere illum*, Vers. 3. 4; tale est Verbum omnibus, quibus Agnus, hoc est, Dominus non aperit illud: hic quia de exploratione omnium ante ultimum Judicium agitur, sunt status vitæ omnium in communi & particulari, qui prorsus absconditi sunt.

258. Et

258. *Et vidi Angelum fortem prædicantem voce magna, significat Divinum Verum a Domino influens penitus in cogitationem angelorum & hominum, ac indagationem.* Per Angelum prædicantem in sensu spirituali intelligitur Dominus, quia Angelus a se non prædicat & docet, sed a Domino, at usque sicut a se: Angelus fortis dicitur, quia cum potentia, & quod prædicatur cum potentia, hoc influit penitus in cogitationem; vox magna significat Divinum Verum a Domino in potentia seu virtute: quod etiam significetur indagatio, est quia interrogat, Quis est dignus aperire librum, ut nunc sequitur.

259. *Quis est dignus aperire librum & solvere sigilla ejus, significat quis in potentia est nosse status vitæ omnium in Cælis & in Terris, & judicare unumquemvis secundum suum.* Quis dignus est, significat quis potest seu quis in potentia est; aperire librum, & solvere sigilla ejus, significat hic nosse status vitæ omnium in cælis & in terris, & quoque judicare unumquemvis secundum suum statum, nam cum Liber aperitur, fit inquisito quales sunt, & dein sententia seu judicium, comparative sicut judex agit cum libro legis & ex illo: quod per aperire Librum, significetur inquisitio qualis status vitæ est omnibus & singulis, patet a Capite sequente, ubi describitur quid visum est, cum Agnus aperuit in suo ordine septem sigilla ejus.

260. *Et nemo potuit in Cælo, nec super terra, neque sub terra, significat quod nullus in Cælis superioribus & in Cælis inferioribus.* Per in Cælo, super terra, & sub terra, intelligitur in Cælis superioribus & inferioribus, ut quoque infra, Vers. 13, ubi hæc „ *Et omne creatum, quod est in Cælo, in Terra, & sub terra, & in mari quæ sunt, & in illis omnia, audivi dicentes;* „ quia audivit hos & illos dicentes, patet quod fuerint angeli & spiritus qui loquebantur; fuit etiam Johannes in spiritu, ut ipse in præcedente Capite IV, Vers. 2, dicit, in quo statu non alia Terra illi apparuit, quam Terra Mundi spiritualis; sunt enim ibi Terræ sicut in Mundo naturali, ut constare potest ex descriptione illius Mundi in Opere de CÆLO ET INFERNO; tum in CONTINUATIONE DE MUNDO SPIRITUALI, n. 32 ad 38. Cæli superiores ibi apparent super Montibus & Collibus, Cæli inferiores super Terris infra, & Cæli ultimi quasi sub terris; Cæli enim sunt Expansa, unum supra alterum, & quodvis Expansum est sicut Terra sub pedibus illorum, qui ibi sunt; supremum Expansum est sicut Caput montis, alterum Expansum est sub illo, sed latius ad latera circum circa se extendens, ac infimum Expansum adhuc latius, & quia hoc est sub illo, sunt ibi illi qui sub terra: tres Cæli etiam ita apparent angelis qui in superioribus Cælis sunt, quia illis duo apparent infra illos; similiter itaque Johanni, quia apud illos erat, nam ad illos ascenderat, ut patet a Capite IV: Vers. 1, ubi dicitur, „ Ascende huc, & ostendam tibi quæ oportet fieri post hac„. Qui non scit aliquid de Mundo spirituali & de Terris ibi, nequaquam scire potest quid intelligitur per *Sub terra*, similiter quid per *Inferiora terræ*, in Verbo, ut apud Esajam „ *Cantate Cæli, jubilate Inferiora terræ, personate Montes cantu, quia redemit Jehovah Jacobum*, XLIV: 23, & alibi. Quis non videt, quod Terræ Mundi spiritualis ibi intelligantur, non enim aliquis homo sub terris in Mundo naturali habitat.

261. *Aperire Librum, quod significet nosse status vitæ omnium, & judicare unumquemvis secundum suum*, patet ab explicatis supra, n. 259.

262. *Nec inspicere eum, significat ne hilum.* Cum per aperire librum significatur nosse status vitæ omnium, per inspicere eum significatur videre qualis status vitæ unius & alterius est, quare per quod nemo posset aperire librum nec inspicere eum, significatur quod ne hilum possint; Solus enim Dominus videt statum cujusvis ab intimis ad extrema, tum qualis homo fuit ab infantia usque ad senectam, & qualis futurus est in æternum, ut & quem locum in Cælo vel in Inferno sortiturus sit; & hoc Dominus videt in instanti, & ex Seipso, quia est Ipsum Divinum Verum seu Verbum; angeli autem & homo ne hilum, quia sunt finiti, & finiti vident modo pauca & externa, & ne quidem hæc vident a se, sed a Domino.

263. *Et ego flebam multum, quod nemo inventus sit aperire & legere librum, nec inspicere eum, significat dolorem cordis, quod si non aliquis posset, perirent omnes.* Quod flere multum sit dolere corde, patet; quod doleret corde, fuit causa, quia alioquin perituri essent omnes; nam si non per ultimum Judicium omnia in Cælis & in Terris redigerentur in ordinem, non potuisset aliter: agitur enim in Apocalypsi de statu ultimo Ecclesiæ, quando ejus finis, qui qualis est describitur a Domino his verbis „ *Erit talis afflictio magna, qualis non fuit ab initio Mundi usque nunc, nec fiet; quare nisi abbreviarentur dies isti, non conservaretur ulla caro*, Matth. XXIV: 21. 22; hæc de ultimo tempore Ecclesiæ, quando judicium. Quod talis status Ecclesiæ hodie sit, ex his solum cognosci potest, quod in maxima parte Orbis Christiani sint, qui Divinam Domini potestatem in se transtulerunt, ac volunt coli sicut Dii, & qui invocant homines mortuos, & vix aliquis ibi Dominum; & quod reliqui ab Ecclesia faciant Deum Tres, ac Dominum Duos, ac salvationem ponant non in emendatione vitæ, sed in certis vocibus cum halitu devoto enuntiatis; ita non in pænitentia, sed in fiducia quod justificentur & sanctificentur, modo plicent manus & spectent sursum, ac solennem formulam orent.

264. *Et unus ex senioribus dixit mihi, ne fleto, quod significet consolationem*, patet.

265. *Ecce vicit Leo, significat Dominum, quod ex propria potentia subjugaverit Inferna, & redegerit in ordinem omnia cum fuit in Mundo.* Quod Leo significet Divinum Verum Verbi quoad potentiam, videatur supra n. 241; & quia Dominus est Ipsum Divinum Verum seu Verbum, ideo vocatur Leo. Quod Dominus cum fuit in Mundo subjugaverit Inferna ac redegerit omnia in Cælis in ordinem, & quoque glorificaverit Humanum suum, videatur supra n. 67; & quomodo, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO n. 12 ad 14; inde patet, quid intelligitur per VICIT LEO.

266. *Qui est ex tribu Jehudæ radix Davidis, significat per Divinum Bonum unitum Divino Vero in suo Humano.* Per Jehudam in Verbo intelligitur Ecclesia quæ in bono amoris in Dominum est, ac in supremo sensu Dominus quoad Divinum Bonum Divini Amoris, & per Davidem intelligitur Dominus quoad Divinum Verum Divinæ Sapientiæ „ quod Hoc per Davidem intelligatur, videa-

videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 43. 48; & quod illud per Jehudam, videatur n. 96. 266. 350: ex his patet, quod per Ecce vicit Leo, qui ex tribu Jehudæ radix Davidis, significetur quod Dominus vicerit Inferna & redegerit omnia in ordinem per Divinum Bonum unitum Divino Vero in suo Humano. Quod hic sensus illorum verborum sit, non videri potest in sensu literæ, sed solum quod Ipse ille sit qui ex tribu Jehudæ & ex prosapia Davidis in Mundo natus est; at usque eadem illa verba sensum spiritualem in se continent, in quo per nomina personarum intelliguntur res, ut passim supra dictum est, ita non per Jehudam Jehudah nec per Davidem David, sed per Jehudam Dominus quoad Divinum Bonum, & per Davidem Dominus quoad Divinum Verum, inde est quod ille sensus inde resultet; quod ille sensus hic exponatur, est quia Apocalypsis quoad sensum spiritualem nunc aperitur.

267. *Aperire librum, & solvere septem sigilla ejus, significat nosse status vitæ omnium in Cælis & in Terris, & judicare unumquemvis secundum suum*, ut supra n. 258. 259.

268. *Et vidi & ecce in medio Throni, & quatuor Animalium, & in medio Seniorum, significat ab intimis & inde in omnibus Cæli, Verbi, & Ecclesiæ.* In medio significat in intimis & inde in omnibus, n. 44; Thronus significat Cælum, n. 14; quatuor Animalia seu Cherubi significant Verbum, n. 239; & viginti quatuor Seniores significant Ecclesiam quoad omnia ejus, n. 233. 251; ex his sequitur, quod per in medio Throni, & quatuor Animalium, & in medio Seniorum, significetur ab intimis in omnibus Cæli, Verbi, & Ecclesiæ.

269. *Agnum stantem tanquam occisum, significat Dominum quoad Humanum non in Ecclesia pro Divino agnitum.* Per Agnum in Apocalypsi intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, & per Agnum occisum, quod Humanum Ipsius in Ecclesia non agnitum sit pro Divino; similiter ut Cap. I, vers. 8, ubi dicitur ,, Factus sum mortuus, *Et ecce Vivens sum in sæcula sæculorum*, per quæ intelligitur quod Dominus in Ecclesia neglectus sit, & Humanum Ipsius pro Divino non agnitum, n. 59; quod ita sit, videatur infra, n. 294. Cum itaque Dominus quoad Divinum Humanum per Agnum intelligitur, & de Illo dicitur, quod sumserit Librum e dextra Sedentis super Throno, & postea quod aperuerit illum, & solverit septem sigilla ejus, & cum hoc nemo mortalium potuit, sed Solus Deus, sequitur quod per Agnum intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, & per occisum quod non agnitus pro Deo quoad Humanum suum.

270. *Habentem cornua septem, significat Ipsius Omnipotentiam.* Sæpius in Verbo nominatur Cornu, & per id ubivis significatur potentia; quare ubi Cornu dicitur de Domino, significatur Omnipotentia: quod Cornua septem dicantur, est quia septem significant omne, n. 10, ita Omnipotentiam. Quod Cornu significet potentiam, & cum de Domino, Omnipotentiam, constare potest a sequentibus locis ,, *Qui lætantur super non re, qui dicunt nonne per fortitudinem nostram sumsimus nos* CORNUA, Amos VI: 13. *Dixi impiis, ne attollite* CORNU, *ne attollite in altum* CORNU *vestrum: omnia* CORNUA *impiorum amputabo; exalta-*

tabuntur Cornua *justi*, Psalm. LXXV: 5. 6. 11. *Jehovah exaltavit* Cornu *inimicorum tuorum*, Thren. II: 17. *Excisum est* Cornu *Moabi*, *& brachium ejus fractum est*, Jerem. XLVIII: 25. *Latere & humero impellitis*, *&* Cornibus *vestris feritis omnes oves infirmas*, Ezech. XXXIV: 21. *Jehovah exaltavit* Cornu *populi sui*, Psalm. CXLVIII: 14. *Jehovah Deus Zebaoth*, *decus fortitudinis nostræ*, *exaltavit* Cornu *nostrum*, Psalm. LXXXIX: 18. *Splendor Jehovæ Dei sicut Lux erit*, Cornua *e manu Ipsius Ipsi*, *& ibi occultatio roboris Ipsius*, Habak. III: 4. *Brachium meum corroborabit Davidem*, *& in Nomine meo exaltabitur* Cornu *ejus*, Psalm. LXXXIX: 21. 22. 25. *Jehovah robur meum*, *petra mea*, Cornu *meum*, Psalm. XVIII: 2. 3. II Sam. XXII. 3. *Surge filia Sionis*, *quia* Cornu *tuum faciam ferrum*, *ut comminuas populos multos*, Mich. IV: 13. *Jehovah destruxit in excandescentia sua munimentum filiæ Jehudæ*, & abscidit omne Cornu Israelis, Thren. II: 3. Potentiæ etiam significantur per Cornua *Draconis*, Apoc. XII: 3; per Cornua *bestiæ ascendentis ex mari*, Apoc. XIII: 1: per Cornua *bestiæ coccineæ*, *super qua mulier sedit*, Apoc. XVI: 3. 7. 12. Per Cornua *arietis & hirci*, Dan. VIII: 3. 4. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 21. 25: per Cornua *bestiæ ascendentis ex mari*, Dan. VII: 3. 7. 8. 20. 21. 23. 24: per *quatuor* Cornua, *quæ dispersferunt Jehudam & Israelem*, Sach. II: 1. 2. 3. 4. Per Cornua *Altarium*, *holocausti & suffitus*, Exod. XXVII: 2. Cap. XXX: 2. 3. 10, per hæc significabatur potentia Divini Veri in Ecclesia: ac vicissim quod potentia peritura sit per Cornua Altarium in Bethele, apud Amos, *Visitabo super prævaricationes Israelis*, *visitabo super Altaria Bethelis*, *ut exscindantur* Cornua *Altaris*, *& cadant in terram*, III: 14.

271. *Et Oculos septem*, *significat Ipsius Omniscientiam & Divinam Sapientiam.* Quod Oculi, cum de Domino, significent Divinam Ipsius Sapientiam, videatur supra n. 48. 125, ita quoque Omniscientiam; & quod septem significent omne, & dicantur de re sancta, n. 10; inde per oculos septem Agni, significatur Divina Sapientia Domini, quæ etiam est Omniscientia.

272. *Qui sunt septem Dei spiritus emissi in omnem terram*, *significat quod ex illa sit Divinum Verum in universo terrarum orbe ubi Religio.* Septem spiritus Dei sunt Divinum Verum procedens a Domino, ut supra n. 14. 155: quod emissi in omnem terram, sit in universum Orbem ubi Religio, patet; ubi enim est Religio, docetur quod Deus sit, & quod Diabolus sit, & quod Deus sit Ipsum Bonum, & a Quo bonum, & quod Diabolus sit ipsum Malum, & a quo malum, & quia oppositi sunt, quod malum, quia est a Diabolo, fugiendum sit, & quod bonum, quia est a Deo, faciendum sit; proinde quod quantum quis facit malum, tantum amet diabolum, & facit contra Deum; tale Divinum Verum est in universo terrarum Orbe, ubi est aliqua Religio; quare non plus opus est, quam scire quid malum; hoc etiam sciunt omnes quibus religio est; præcepta enim omnium Religionum sunt qualia in Decalogo, quod non sit occidendum, non scortandum, non furandum, non false testandum; hæc sunt in genere Divina Vera a Domino emissa in omnem terram, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sacra, n. 101 ad 118: quare qui vivit secundum illa, quia sunt Divina Vera, seu præcepta Dei, & inde Re-

ligio-

ligionis, ſalvatur; ſed qui ſolum modo vivit ſecundum illa, quia ſunt civilia & moralia vera, ille non ſalvatur, nam negator Dei ita etiam poteſt vivere, non autem confeſſor Dei.

273. *Et venit & accepit Librum e dextra Sedentis ſuper Throno, ſignificat quod Dominus quoad Divinum Humanum ſuum ſit Verbum, & quod hoc ex Divino ſuo in Ipſo; & quod propterea ex Divino Humano ſuo facturus ſit Judicium.* Hic manifeſte patet, quod Sedens ſuper Throno & Agnus ſint una Perſona, & quod per Sedentem ſuper Throno intelligatur Divinum Ipſius a Quo, & per Agnum Divinum Humanum Ipſius, nam dicitur in præcedente Verſu, quod viderit Agnum ſtantem in medio Throni, & nunc quod acceperit a Sedente ſuper Throno Librum. Quod Dominus ex Divino Humano ſuo facturus ſit judicium, quia eſt Verbum, conſtat ex his locis,, *Tunc videbunt ſignum* FILII HOMINIS; *& videbunt* FILIUM HOMINIS *venientem in nubibus Cæli cum virtute & gloria*, Matth. XXIV: 30. *Quando ſedebit* FILIUS HOMINIS *ſuper Throno ſuo judicaturus duodecim Tribus Iſraelis*, Matth. XIX: 28. *Venturus eſt* FILIUS HOMINIS *in gloria Patris ſui, & tunc reddet unicuique ſecundum facta ejus*, Matth. XVI: 27. *Vigilate omni tempore, ut digni habeamini ad conſiſtendum coram* FILIO HOMINIS ~~Matth. XVI: 27.~~ Luc. XXI. 36/ *Qua hora non putatis*, FILIUS HOMINIS *venit*, Matth. XXIV: 44. *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio*, quia FILIUS HOMINIS EST, Joh. V: 22,/ 27; Filius Hominis eſt Dominus quoad Divinum Humanum, & Hoc eſt Verbum, quod fuit Deus & Caro factum eſt, Joh. I: 1. 14.

274. *Et cum accepiſſet Librum, ſignificat quando Dominus inſtituit judicium facere, & per id omnia in cælis & ſuper terris redigere in ordinem.* Per recipere librum & aperire illum, ſignificatur explorare ſtatus vitæ omnium, & judicare unumquemvis ſecundum ſuum, ut ſupra; hic itaque per quod accepiſſet librum, ſignificatur in inſtituto habere ultimum judicium facere; & quia ultimum judicium fit, ut omnia in ordinem redigantur in Cælis, & per cælos in terris, etiam hoc ſignificatur.

275. *Quatuor Animalia & viginti quatuor Seniores prociderunt coram Agno, ſignificat humiliationem & ex humiliatione adorationem Domini ex ſuperioribus Cælis.* Sequitur nunc glorificatio Domini propterea, nam ut ſupra n. 263 dictum eſt, niſi Dominus nunc ultimum Judicium faceret, & per id redigeret in ordinem omnia in cælis & in terris, omnes perirent. Glorificatio Domini, quæ nunc ſequitur, fit primum a Cælis ſuperioribus, poſtea a Cælis inferioribus, & demum a Cælis infimis; Glorificatio a Cælis ſuperioribus, Verſ. 8. 9. 10; a Cælis inferioribus, Verſ. 11. 12; & a Cælis infimis, Verſ. 13; & demum confirmatio & adoratio a Cælis ſuperioribus, Verſ. 14. Cæli itaque ſuperiores ſignificantur per quatuor Animalia & per viginti quatuor Seniores; nam per Cherubos, qui ſunt quatuor Animalia, in *medio Throni*, ſignificatur Dominus quoad Verbum, at per Cherubos, ſeu quatuor Animalia, *circum Thronum*, ſignificatur Cælum quoad Verbum, dicitur enim, *Quod in medio Throni & circum Thronum viſa ſint quatuor Animalia, plena oculis ante & retro*, Cap. IV: Verſ. 6; Cæli enim ſunt cæli ex receptione Divini Veri per Verbum a Domino. Per viginti quatuor Seniores etiam ſignificantur Angeli in Cælis ſupe-

rioribus, quoniam Seniores illi proxime circum Thronum erant, Cap. IV: 4. Quod procidere coram Agno ſit humiliatio, & ex humiliatione adoratio, patet.

276. *Habentes unusquiſque citharas, ſignificat confeſſionem Divini Humani Domini ex veris ſpiritualibus.* Notum eſt, quod confeſſiones Jehovæ in Templo Hieroſolymæ factæ fuerint per Cantica & ſimul per Inſtrumenta Muſica, quæ correſpondebant; Inſtrumenta erant præcipue Buccinæ & Tympana, ac Nablia & Citharæ; Bonis & Veris Cæleſtibus correſpondebant Buccinæ & Tympana, ac Bonis & Veris ſpiritualibus Nablia & Citharæ; correſpondentiæ erant cum ſonis illorum: quid Bonum & Verum Cæleſte, & quid Bonum & Verum ſpirituale, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 13 ad 19: & 20 ad 28. Quod Citharæ ſignificent confeſſiones Domini ex Veris ſpiritualibus, conſtare poteſt ex his locis „ *Confitemini Jehovæ in* CITHARA, *in Nablio decachordii Pſallite Ipſi*, Pſalm. XXXIII: 2. 3. *Confitebor Tibi in* CITHARA *Deus, Deus mi*, Pſalm. XLIII: 3. 4. *Confitebor Tibi inſtrumento Nablii, canam Tibi in* CITHARA, *Sancte Iſraelis*, Pſalm. LXXI: 22. *Excita me Nablium &* CITHARA, *confitebor Tibi inter gentes, Domine*, Pſalm. LVII: 8. 9. 10. Pſalm. CVIII. 2. 3. 4. *Reſpondete Jehovæ per confeſſionem, pſallite Deo noſtro in* CITHARA, Pſalm. CXXXVII: 1. 2. *Bonum confiteri Jehovæ ſuper Nablio & ſuper higgajon in* CITHARA, Pſalm. XCII: 2. 3. 4. *Clangite Jehovæ omnis terra, cantate Jehovæ* CITHARA, CITHARA *& voce cantus*, Pſalm. XCVIII: 4. 5. 6: & in multis aliis locis, ut Pſalm. XLV: 4. 5. Pſalm. CXXXVII: 1. 2. Hiob. XXX: 31. Eſaj. XXIV: 7. 8. 9. Cap. XXX: 31. 32. Apoc. XIV: 2. Cap. XVIII: 22. Quoniam Cithara correſpondebat confeſſioni Domini, & mali ſpiritus illam non ſuſtinent, ideo *David per Citharam abegit malum ſpiritum a Saule*, I Sam. XVI: 14. 15. 16. 23. Quod non fuerint Citharæ, ſed quod confeſſiones Domini auditæ ſicut citharæ Johanni, videatur infra n. 661.

277. *Et phialas aureas plenas ſuffitibus, ſignificat confeſſionem Divini Humani Domini ex bonis ſpiritualibus,* Quod Suffitus cultum ex bonis ſpiritualibus, hic autem confeſſionem ex illis bonis, eſt quia principalis cultus in Eccleſia Judaica & Iſraelitica conſtabat in Sacrificiis & in Suffitibus; quare duo Altaria erant, unum pro ſacrificiis, & alterum pro ſuffitibus; hoc Altare fuit in Tabernaculo, & vocabatur Altare aureum, illud autem extra Tabernaculum, & vocabatur Altare holocauſti; cauſa erat, quia duo genera bonorum ſunt, ex quibus fit omnis Cultus, Bonum cæleſte & Bonum ſpirituale; Bonum cæleſte eſt bonum amoris in Dominum, & Bonum ſpirituale eſt bonum amoris erga proximum: Cultus per ſacrificia erat cultus ex Bono cæleſti, & Cultus per ſuffitus erat Cultus ex Bono ſpirituali. Sive dicas cultum, ſive dicas confeſſionem, idem eſt, nam omnis cultus eſt confeſſio. Simile quod ſignificatur per ſuffitus, etiam ſignificatur per phialas, in quibus ſuffimenta erant, quoniam continens & contentum, ſicut inſtrumentale & principale, unam cauſam agunt. Cultus ex Bono ſpirituali ſignificatur per Suffitus in ſequentibus locis „ *Ab ortu ſolis uſque ad occaſum ejus magnum erit Nomen meum inter gentes, & in omni loco* SUFFITUS *allatus Nomini meo*, Malach. I: 11. *Docebunt judicia tua Jacobum, ponent* SUFFITUM *in naſum tuum, & holocauſtum ſuper Altare tuum*, Deutr. XXXIII: 10.

Holo-

Holocauſta pinguium offeram Tibi cum Suffimento, Pſalm. LXVI: 13. 15. *Venient ex circuitu Jehudæ offerentes holocauſtum, mincham &* Thus, Jerem. XVII: 26. *E Scheba venient, aurum &* Thus *portabunt, & laudes Jehovæ annuntiabunt*, Eſaj. LX: 6; per Thus ſimile ſignificatur quod per Suffimentum, quia Thus erat præcipuum aroma, ex quibus ſuffimentum fiebat. Similiter apud Matthæum „ *Sapientes ex Oriente aperuerunt theſauros ſuos, & obtulerunt Domino recens nato Aurum, Thus & Myrrham*, II: 11; quod obtulerint illa tria, erat quia Aurum ſignificabat Bonum cæleſte, Thus Bonum ſpirituale, & Myrrha Bonum naturale, & ex his tribus Bonis fit omnis Cultus.

278. *Quæ ſunt preces ſanctorum, ſignificat cogitationes quæ ſunt fidei ex affectionibus quæ ſunt charitatis, apud illos qui ex bonis & veris ſpiritualibus colunt Dominum.* Per preces intelliguntur illa quæ fidei ſunt, & ſimul illa, quæ charitatis ſunt, apud illos qui preces fundunt, quoniam preces abſque illis non ſunt preces, ſed ſoni vacui: quod ſancti ſignificent illos qui in bonis & veris ſpiritualibus ſunt, videatur ſupra n. 173. Quod ſuffitus dicantur preces ſanctorum, eſt cauſa, quia odores fragrantes correſpondent affectionibus boni & veri; inde eſt, quod toties dicatur in Verbo *Odor gratus*, ac *Odor quietis Jehovæ*, ut Exod. XXIX: 18. 25. 41. Levit. I: 9. 13. 17. Cap. II. 2. 9. 10. Cap. III: 5. Cap. IV: 31. Cap. VI: 8. 14. Cap. VIII: 28. Cap. XXIII: 8. 14. 18. Cap. XXVI: 31. Num. VI: 6. 8. 13. Cap. XV: 5. Cap. XXIX: 2. 6. 8. 13. 36. Ezech. XX: 41. Hoſch. XIV: 7. Similia ſignificantur per preces, quæ vocantur ſuffitus, in ſequentibus in Apocalypſi „ *Angelus ſtans ad Altare, habens phialam auream, & dati ſunt ei* Suffitus *multi, ut offerret cum* Precibus Sanctorum *omnium ſuper Altare aureum: & aſcendit fumus* Suffituum cum precibus Sanctorum *e manu Angeli ad conſpectum Dei*, VIII: 3. 4. 5: & apud Davidem „ *Attende aurem ad vocem meam; acceptæ ſunt* Preces meæ, Suffimentum *coram Te*, Pſalm. CXLI: 1. 2.

279. *Et canebant Canticum novum, ſignificat agnitionem & glorificationem Domini, quod Solus ſit Judex, Redemptor & Salvator, ita Deus Cæli & Terræ.* Hæc continentur in Cantico quod canebant, & illa quæ continentur, etiam ſignificantur: ut Agnitio quod Dominus ſit Judex in nunc ſequentibus his, *Dignus es accipere librum, & aperire ſigilla ejus*; quod ſit Redemptor in his, *Quia occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo:* quod ſit Salvator, in his, *Feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes, & regnabimus ſuper terra:* quod ſit Deus Cæli & Terræ, in his, *Prociderunt & adoraverunt Viventem in ſæcula ſæculorum*, Verſ. 14. Quoniam Agnitio quod Dominus Solus ſit Deus Cæli & Terræ, & quod Humanum Ipſius ſit Divinum, & quod alioquin non poſſit Redemptor & Salvator dici, non prius fuit in Eccleſia, ideo dicitur Canticum Novum. Quod Canticum etiam ſignificet glorificationem, quæ eſt confeſſio ex gaudio cordis, eſt quia Cantus exaltat, & facit ut affectio e corde erumpat in ſonum, & ſe intenſe ſiſtat in ſua vita. Pſalmi Davidis nec aliud ſunt quam Cantica, pſallebantur enim ac canebantur, quare etiam in multis locis vocabantur Cantica, ut Pſalm. XVII: 1. Pſalm. XXXIII: 1. 2. Pſalm. XLV: 1. Pſalm. XLVI: 1. Pſalm. XLVIII: 1. Pſalm. LXV: 1. Pſalm. LXVI: 1. Pſalm. LXVII:

LXVII: 1. Psalm. LXVIII: 1. Psalm. LXXV: 1. Psalm. LXXXVI: 1. Psalm. LXXXVII: 1. Psalm. LXXXVIII: 1. Psalm. XCII: 1. Psalm. XCVI: 1. Psalm. XCVIII: 1. Psalm. CVIII: 1. Psalm. CXX: 1. Psalm. CXXI: 1. Psalm. CXXII: 1. Psalm. CXXIII: 1. Psalm. CXXIV: 1. Psalm. CXXV: 1. Psalm. CXXVI: 1. Psalm. CXXVII: 1. Psalm. CXXVIII: 1. Psalm. CXXIX: 1. Psalm. CXXX: 1. Psalm. CXXXII: 1. Psalm. CXXXIII: 1. Psalm. CXXXIV: 1. Quod Cantica fuerint propter exaltationem vitæ amoris, & inde gaudii, patet ex his „ *Cantate Jehovæ Canticum novum, clangite Jehovæ omnis terra, personate, jubilate*, Psalm. XCVIII: 1. 4 ad 8. *Cantate Jehovæ Canticum novum, lætetur Israel in Factore suo, psallant Ipsi*, Psalm. CXLIX. 1. 2. 3. *Cantate Jehovæ Canticum novum, extollant vocem*, Esaj. XLII: 10. 12. *Cantate Cæli, jubilate inferiora terræ, personate montes Cantu*, Esaj. XLIV: 23. Cap. XLIX: 13. *Jubilate Deo robori nostro, acclamate Deo Jacobi, extollite Cantum*, Psalm. LXXXI: 2. 3. 4. *Lætitia & gaudium invenietur in Sione, confessio & vox Cantus*, Esaj. LI: 3. Cap. LII: 8. 9. *Cantate Jehovæ, exclama & jubila filia Sionis, quia magnus in medio tui Sanctus Israelis*, Esaj. XII: 1 ad 6. *Paratum est cor meum, cantabo & psallam, excita te gloria mea, confitebor Tibi inter gentes, Domine, psallam Tibi inter populos*, Psalm. LVII: 8. 9. 10; & multoties alibi.

280. *Dicentes, dignus es accipere Librum, & aperire sigilla ejus, significat quod Solus possit cognoscere status vitæ omnium, & judicare unumquemvis secundum suum*, ut supra n. 256. 259. 261. 267. 273.

281. *Quia occisus es, & redemisti Deo nos in sanguine tuo, significat liberationem ab inferno, & salvationem per conjunctionem cum Ipso.* Quid in specie significatur per singula illa, non opus est per sensum spiritualem evolvere, ut quid per occisum esse, redimere nos Deo, & quid per sanguinem Ipsius, sunt enim arcana, quæ non apparent in sensu literæ; satis est, quod sit Redemptio, quæ ita describitur; & quia Redemptio, est liberatio ab inferno, & salvatio per conjunctionem cum Domino, sunt hæc quæ significantur: hic solum ex Verbo confirmabitur, quod Ipse Jehovah in Mundum venerit, natus sit Homo, & factus Redemptor & Salvator omnibus, qui per vitam charitatis & ejus fidem conjunguntur Divino Humano Ipsius, & quod Jehovah sit Dominus ab æterno, proinde quod Divinum Humanum Domini, cum Quo erit conjunctio, sit Divinum Humanum Ipsius Jehovæ: hic itaque adducentur loca, quæ confirmant, quod Jehovah & Dominus unum sint; & quia unum sunt & non duo, quod Dominus ab æterno, Qui est Ipse Jehovah, per assumtionem Humani, sit Redemptor & Salvator; hoc patet ex his „ *Tu Jehovah Pater noster*, REDEMPTOR *noster a sæculo Nomen tuum*, Esaj. LXIII: 16. *Sic dixit Rex Israelis, &* REDEMPTOR *ejus Jehovah Zebaoth, Ego Primus & Ultimus, & præter Me non Deus*, Esaj. XLIV: 6. *Sic dixit Jehovah* REDEMPTOR *tuus & Formator tuus, Ego Jehovah faciens omnia & Solus a Meipso*, Esaj. XLIV: 24. *Sic dixit Jehovah* REDEMPTOR *tuus Sanctus Israelis, Ego Jehovah Deus tuus*, Esaj. XLVIII: 17. *Jehovah Petra mea &* REDEMPTOR *meus*, Psalm. XIX: 15. REDEMPTOR *eorum fortis Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius*, Jerem. L: 34.

34. *Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius, & Redemptor tuus Sanctus Israelis, Deus totius Terræ vocabitur*, Esaj. LIV: 5. *Ut sciat omnis caro, quod Ego Jehovah Salvator tuus & Redemptor tuus fortis Jacobi*, Esaj. XLIX: 26. Cap. LX: 16. *Quod ad Redemptorem nostrum, Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius*, Esaj. XLVII: 4. *Cum misericordia æternitatis miserebor, sic dixit Redemptor tuus Jehovah*, Esaj. LIV: 8. *Dixit Jehovah Redemptor vester Sanctus Israelis*, Esaj. XLIII: 14. *Dixit Jehovah Sanctus Israelis Redemptor vester*, Esaj. XLIX. 7. *Redemeras me Jehovah veritatis*, Psalm. XXXI: 6. *Speret Israel in Jehovah, quia plurima cum Ipso Redemptio est, Ille Redimet Israelem ab omnibus iniquitatibus ejus*, Psalm. CXXX: 7. 8. *Domine surge in auxilium nobis, & Redime nos propter misericordiam tuam*, Psalm. XLIV: 27. *Dixit Jehovah Deus, e manu Inferni Redimam eos, e morte Redimam eos*, Hosch. XIII: 4. 14. *Jehovah exaudi vocem meam, Redimet animam meam*, Psalm. LV: 18. 19. tum Psalm. XLIX: 16. Psalm. LXIX: 19. Psalm. LXXI: 23. Psalm. CIII: 1. 4. Psalm. CVII: 2. Jerem. XV: 20. 21; quod Dominus quoad Humanum suum sit Redemptor, in Ecclesia non negatur, quia est secundum Scripturam, & quoque hanc ,, *Quis venit ex Edom, incedens in multitudine roboris sui, Annus Redemptorum Ejus venit, Hic Redemit eos*, Esaj. LIII: 1. 4. 9. *Dicite filiæ Sionis, ecce Salus tua venit, ecce merces Illius cum Illo, & vocabunt illos, populus sanctitatis, Redempti Jehovæ*, Esaj. LXII: 11. 12. *Benedictus Dominus Deus Israelis, quia visitavit, & fecit Redemptionem populo suo*, Luc. I: 68, præter alibi. Plura adhuc loca confirmantia, quod Dominus ab æterno, Qui est Ipse Jehovah, in mundum venerit, & susceperit Humanum, ad redimendum homines, videantur in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino, n. 37 ad 46. Jehovah etiam dicitur Salvator in multis locis, quæ ob copiam afferre non vacat.

282. *Ex omni tribu & lingua, & populo & gente, significat quod a Domino redempti sint, qui in Ecclesia aut in aliqua Religione in veris quoad doctrinam, & in bonis quoad vitam sunt.* Per Tribum significatur Ecclesia quoad religionem; per linguam significatur doctrina ejus, de qua mox; per populum significantur qui in veris doctrinæ sunt, & abstracte vera doctrinæ, n. 483: & per gentem significantur qui in bonis vitæ sunt, & abstracte bona vitæ, n. 483; ex his patet, quod per ex omni tribu & lingua, & populo & gente, talia quæ dicta sunt significentur, ut quoque n. 627. Hic nunc confirmabitur, quod per Linguam in spirituali sensu significetur doctrina quæ est Ecclesiæ, & quæ est cujusvis religionis; hoc patet ex his ,, *Lingua mea meditatur justitiam tuam, omni die laudem tuam*, Psalm. LXXI: 24. *Tunc saliet sicut cervus claudus, & cantabit Lingua muti, quia erumpent in deserto aquæ*, Esaj. XXXV: 6. *Lingua balborum velox erit ad loquendum*, Esaj. XXXII: 4; apparet sicut ibi per Linguam intelligatur loquela, sed in sensu spirituali intelligitur id quod loquuntur, quod est verum doctrinæ, quod illis erit a Domino. Similiter ,, *Juravi quod Mihi se incurvaturum sit omne genu, & juratura omnis Lingua*, Esaj. XLV: 23. *Veniet tempus ad congregandum omnes gentes & Linguas, ut veniant & videant gloriam meam*, Esaj. LXVI: 18. *In diebus illis apprehendent decem viri ex omnibus*

Linguis gentium alam viri Jehudæi, dicendo ibimus vobiscum, quia audivimus Deum cum vobis, Sachar. VIII: 23; hæc quoque de conversione gentium a Domino, ad verum doctrinæ. Per Linguas autem in opposito sensu significantur doctrinæ falsæ in his, *Vir Linguæ non subsistet in terra*, Psalm. CXLV: 12. *Occultas eos in Tabernaculo tuo a lite Linguarum*, Psalm. XXXI: 21. *Adducam super vos gentem, cujus non cognosces Linguam*, Jerem. V: 15. 16. *Mitti ad populos graves Lingua*, Ezech. III: 5. 6. *Ad populum barbarum Lingua*, Esaj. XXXIII: 19. Sciendum est quod Lingua ut organum significet doctrinam, ac ut sermo significet etiam religionem. Qui scit quod Lingua significet doctrinam, intelligere potest quid significatur per verba divitis in Inferno ad Abrahamum, *Ut mitteret Lazarum, ut intingeret extremum digiti in aquam, & refrigeraret linguam ejus, ne cruciaretur in flamma*, Luc. XVI: 24; aqua significat verum, & lingua doctrinam, a cujus falsis cruciabatur, & non a flamma; non enim aliquis in inferno est in flamma, sed flamma ibi est apparentia amoris falsi, & ignis apparentia amoris mali.

283. *Et fecisti nos Deo nostro reges & sacerdotes, significat quod illi a Domino in sapientia ex divinis veris & in amore ex Divinis bonis sint, ac ita imagines Divinæ Ipsius Sapientiæ ac Divini Ipsius Amoris*: ut supra n. 20. 21.

284. *Et regnabimus super terra, significat & erunt in Regno Ipsius, Ipse in illis & illi in Ipso.* Per regnare super terra, non aliud intelligitur, quam esse in Regno Domini, & ibi unum cum Ipso, secundum hæc Domini verba, *Ut omnes qui credunt in Me, unum sint; ac unum sint sicut Tu Pater in Me & Ego in Te, ut etiam illi in nobis unum sint: Ego gloriam quam dedisti Mihi, dedi illis, ut sint unum sicut Nos unum sumus Ego in illis & Tu in Me, ut ubi Ego sum, etiam illi sint Mecum*, Joh. XVII: 20 ad 24: cum itaque ita unum sunt cum Domino, & simul cum Domino faciunt Regnum, quod vocatur Regnum Dei, patet quod non aliud per regnare significetur. Dicitur regnare, quia prius dictum est, *Fecisti nos Reges & Sacerdotes*, & per Reges significantur qui in sapientia ex Divinis Veris a Domino sunt, & per Sacerdotes qui in amore ex Divino Bono ab Ipso sunt, n. 20: inde est, quod Regnum Domini etiam dicatur *Regnum sanctorum*, Dan. VII: 18. 27; & de Apostolis, quod *cum Domino judicaturi sint duodecim Tribus Israelis*, Matth. XIX: 28; tametsi Solus Dominus judicat & regnat; judicat enim & regnat ex Divino Bono per Divinum Verum, quod ab Ipso etiam in illis est; sed qui credit quod id quod a Domino in illis est, sit illorum, ejicitur e Regno, hoc est, e Cælo. Simile per Regnare significatur in sequentibus in Apocalypsi „ *Erunt Sacerdotes Dei & Christi, & Regnabunt cum Ipso mille annis*, XX: 4. 6: & de illis qui in Novam Hierosolymam venturi sunt, *Agnus illustrabit illos, & Regnabunt in sæcula sæculorum*, XXII: 5.

285. Dicitur *Regnabunt super terra*, quia per Terram hic & alibi intelligitur Ecclesia Domini in Cælis & in Terris; Ecclesia utrobivis est Regnum Domini: ne itaque quis credat, quod omnes qui a Domino Redempti sunt, fiant Reges & Sacerdotes, & quod regnaturi super Terra, interest ut ex Verbo demonstretur, quod Terra significet Ecclesiam: hoc videri potest ex sequentibus

tibus locis „ *Ecce Jehovah evacuans* TERRAM, *& exaniniens* TERRAM, *& evertet facies ejus: evacuando evacuabitur* TERRA: *lugebit & confundetur* TERRA *habitabilis:* TERRA *prophanabitur ſub habitatoribus ſuis; propterea maledictio comedet* TERRAM, *& exurentur habitatores* TERRÆ, *& relictus erit homo rarus: erit in medio* TERRÆ *ſicut ſtrictura oleæ. Cataractæ ab alto apertæ ſunt, & commota ſunt fundamenta* TERRÆ: *confringendo confracta eſt* TERRA: *diſrumpendo diſrupta eſt* TERRA: *commovendo commota eſt* TERRA: *titubando titubat* TERRA *ſicut ebrius*, Eſaj. I ad 23. *Aſcendit leo ex vepreto ad redigendum* TERRAM *tuam in vaſtitatem: vidi* TERRAM, *cum ecce vacuum & inane: dixit Jehovah, vaſtitas erit tota* TERRA, *propterea lugebit* TERRA, Jerem. IV: 7. 23 ad 28. Quouſque lugebit TERRA; deſolata eſt tota TERRA, *quia non vir ponens ſuper cor*, Jerem. XII: 4. 11. 12. 13. *Luget & elangueſcit* TERRA, *erubuit Libanus & emarcuit*, Eſaj. XXXIII: 9. *Erit* TERRA *in picem ardentem, & vaſtata*, Eſaj. XXXIV: 9. 10. *Conſummationem & deciſionem audivi a Domino ſuper univerſam* TERRAM, Eſaj. XXVIII: 2. 22. *Ecce dies Jehovæ veniet ad ponendum* TERRAM *in vaſtitatem, & concutietur* TERRA *e loco ſuo*, Eſaj. XIII: 9 ad 13. *Commota eſt & contremuit* TERRA, *& fundamenta montium trepidarunt*, Pſalm. XVIII: 7. 8. *Non timebimus cum mutabitur* TERRA: *cum dederit vocem, liqueſcet* TERRA, Pſalm. XLVI: 3. 4. 7. 9. *Annon intelligitis fundamenta* TERRÆ, Eſaj. XL: 21. 23. *Deus deſeruiſti nos, tremefeciſti* TERRAM; *ſana fracturas ejus, quia commota eſt*, Pſalm. LX: 3. 4. *Liqueſcent* TERRA *& omnes habitatores ejus; Ego firmabo columnas ejus*, Pſalm. LXXV: 3. 4. *Væ* TERRÆ *inumbratæ alis: ite legati ad gentem conculcatam, cujus* TERRAM *deprædati ſunt fluvii*, Eſaj. XVIII: 1. 2. *In excandeſcentia Jehovæ Zebaoth obſcurata eſt* TERRA, Eſaj. XLIX: 8. 13. *Eritis vos* TERRA *beneplaciti*, Malach. III: 11. 12. *Dedi Te in fœdus populi ad reſtituendum* TERRAM; *cantate Cœli & exulta* TERRA, Eſaj. XLIX: 8. 13. *Non videbis Jah in* TERRA *viventium*, Eſaj. XXXVIII: 11. *Qui dederunt terrorem in* TERRA *viventium*, Ezech. XXXII: 23 ad 27. *Niſi crederem videre bonum in* TERRA *vitæ*, Pſalm. XXVII: 13. *Beati mites, quia hæreditatem* TERRÆ *accipient*, Matth. V: 5. *Ego Jehovah faciens omnia, expandens cælos Solus, extendens* TERRAM *a Meipſo*, Eſaj. XLIV: 23. 24. Sach. XII: 1. Jerem. X: 11. 12. 13. Cap. LI: 15. Cap. CXXXVI: 6. *Aperiat ſe* TERRA, *fructificet ſalutem; ſic dixit Jehovah, creans Cælos, formans* TERRAM, Eſaj. XLV: 8. 12. 18. 19. *Ecce Ego creans Cælos novos, &* TERRAM *novam*, Eſaj. LXV: 17. Cap. LXVI: 22: præter multis aliis in locis, quæ ſi adducerentur, implerent membranam. Cauſa quod per Terram ſignificetur Eccleſia, eſt quia multoties per Terram intelligitur Terra Canaan, & in illa fuit Eccleſia; Canaan cæleſtis non aliud eſt: tum quia cum nominatur Terra, Angeli, qui ſpirituales ſunt, non cogitant Terram, ſed Humanum genus quod ſuper illa, & ejus ſtatum ſpiritualem, & ſtatus ſpiritualis eſt ſtatus Eccleſiæ. Terra etiam oppoſitum ſenſum habet, & in eo ſignificat damnationem, quoniam cum nulla Eccleſia eſt apud hominem, eſt damnatio; in hoc ſenſu nominatur Terra, Eſaj. XIV: 12. Cap. XXI: 9. Cap. XXVI: 19. 21. Cap. XXIX: 4. Cap. XLVII: 1. Cap. LXIII: 6. Thren. II: 2. 10.

Ezech. XXVI: 20. Cap. XXXII: 24. Num. XVI: 29 ad 33. Cap. XXVI: 10; & alibi.

286. *Et vidi & audivi vocem Angelorum multorum circum Thronum, & Animalia, & Seniores, ſignificat confeſſionem & glorificationem Domini ab Angelis inferiorum Cælorum.* Quod confeſſio & glorificatio Domini facta ſit ab Angelis trium Cælorum, videatur ſupra n. 275; & quod ab Angelis ſuperiorum Cælorum, a Verſ. 8 ad 10; & inde nunc ab Angelis inferiorum Cælorum, Verſ. 11. 12; quare per vocem Angelorum circum Thronum, intelligitur confeſſio & glorificatio Domini ab Angelis inferiorum Cælorum. Quod etiam tunc viderit Animalia & Seniores ſimul cum illis, eſt quia per Animalia & ſeniores ſignificantur Angeli ſuperiorum Cælorum, n. 275, ac inferiores Cæli nuſquam ſeparatim a ſuperioribus Cælis agunt, ſed conjunctim cum illis; influit enim Dominus immediate ex ſe in omnes Cælos, ita quoque in inferiores, & ſimul mediate per Cælos ſuperiores in inferiores. Hæc itaque cauſa eſt, quod viderit & audiverit Animalia & Seniores primum per ſe, & dein una cum illis.

287. *Et erat numerus eorum myriades myriadum, & chiliades chiliadum, ſignificat omnes in veris & in bonis.* Per numerum in ſenſu naturali intelligitur id quod ſe refert ad menſuram aut pondus, at per numerum in ſpirituali ſenſu id quod ſe refert ad quale; & hic quale eorum deſcribitur per quod eſſent myriades myriadum & chiliades chiliadum, myrias enim prædicatur de veris, & chilias de bonis. Quod Myrias prædicetur de veris & Chilias de bonis, eſt quia Myrias eſt numerus major, & Chilias minor, & vera ſunt multiplicia, ſed bona ſimplicia, & quia in Verbo ubi agitur de veris, etiam agitur de bonis, propter conjugium veri & boni in ſingulis Verbi; abſque eo potuiſſet ſolum myriades myriadum dici. Quia bini illi numeri talia ſignificant, ideo etiam dicuntur alibi, ut in his locis „ *Currus Dei binæ* MYRIADES, CHILIADES *Angelorum pacis, Dominus in illis, Sinai in ſanctuario*, Pſalm. LXVIII: 18. *Vidi cum Antiquus dierum ſedit*, CHILIADUM CHILIADES *miniſtrabant Ipſi, &* MYRIADES MYRIADUM *coram Ipſo ſtabant*, Dan. VII: 9. 10. Moſes de Joſepho, *Cornua Monocerotis cornua ejus, his populos feriet una ad fines terræ, & hi* MYRIADES *Ephraimi &* CHILIADES *Menaſſis*, Deutr. XXXIII: 17. *Non timebis tibi a peſte, quæ in caligine ſerpit, & a morte quæ in meridie vaſtat, cadent a latere tuo* CHILIAS, *&* MYRIAS *a dextra tua*, Pſalm. XCI: 5. 6. 7. *Greges noſtri* CHILIADES, MYRIADES *in plateis noſtris*, Pſalm. CXLIV: 3. *Num delectatur Jehovah* CHILIADIBUS *arietum*, MYRIADIBUS *rivorum olei*, Mich. VI: 6. *Quando quieſcebat Arca*, dixit Moſes, *redi Jehovah*, MYRIADES CHILIADUM *Iſraelis*, Num. X: 36; in omnibus his locis Myriades dicuntur de veris & Chiliades de bonis.

288. *Dicentes voce magna, dignus eſt Agnus occiſus accipere poteſtatem & divitias & ſapientiam, & honorem & gloriam, ſignificat confeſſionem ex corde, quod Domino quoad Divinum Humanum ſit Omnipotentia, Omniſcientia, Divinum Bonum & Divinum Verum.* Dicere voce magna, ſignificat confeſſionem ex corde; dignus es, ſignificat quod in Ipſo ſint quæ ſequuntur; Agnus ſignificat Domi-

num.

num quoad Divinum Humanum; poteſtas ſignificat Divinam potentiam, quæ eſt Omnipotentia; divitiæ & ſapientia ſignificant Divinam ſcientiam & ſapientiam, quæ ſunt Omniſcientia, honor & gloria ſignificant Divinum Bonum & Divinum Verum. Quod Divitiæ ſignificent cognitiones boni & veri, & ſic ſcientiam, videatur ſupra n. 206, inde cum de Domino, Omniſcientiam; & quod honor & gloria, cum de Domino, ſignificent Divinum Bonum & Divinum Verum, ſupra n. 249.

289. *Et benedictionem, ſignificat omnia illa in Ipſo & ab Ipſo in illis.* Per Benedictionem intelligitur omne bonum quod a Domino eſt homini, ut Potentia & Opulentia, & quæ illarum ſunt, ſed imprimis omne Bonum ſpirituale, ut amor & ſapientia, charitas & fides, & inde gaudium & felicitas, quæ ſunt vitæ æternæ, & quia hæc omnia ſunt a Domino, ſequitur quod ſint in Ipſo, nam niſi forent in Ipſo, non potuiſſent eſſe in aliis ab Ipſo: inde eſt quod Dominus in Verbo dicatur BENEDICTUS, & quoque BENEDICTIO, hoc eſt, IPSA BENEDICTIO. Quod Jehovah, hoc eſt, Dominus dicatur Benedictus, patet ex his locis,, *Princeps ſacerdotum interrogavit Jeſum, Tune es Chriſtus Filius* BENEDICTI, Marc. XIV: 61. *Jeſus dixit, non Me videbitis poſthac, donec dicatis,* BENEDICTUS *veniens in Nomine Domini,* Matth. XXIII: 39. Luc. XIII: 35. *Malchizedek benedixit Abramo, & dixit,* BENEDICTUS *Deus Altiſſimus, qui dedit hoſtes tuos in manum tuam,* Geneſ. XIV: 18. 19. 20. BENEDICTUS *Jehovah Deus Schemi,* Gen. IX: 26. BENEDICTUS *Jehovah, qui audivit vocem meam,* Pſalm. XXVIII: 6. BENEDICTUS *Jehovah, quia admirabilem fecit clementiam ſuam,* Pſalm. XXXI: 22. BENEDICTUS *Jehovah a ſæculo in ſæculum uſque,* Pſalm. XLI: 14: pariter, Pſalm. LXVI: 20. Pſalm. LXVIII: 20. 36. Pſalm. LXXII: 18. 19. Pſalm. LXXXIX: 53. Pſalm. CXIX: 12. Pſalm. CXXIV: 6. Pſalm. CXXXV. 21. Pſalm. CXLIV: 1. Luc. I: 68. Inde eſt, quod hic dicatur Benedictio, ût quoque Verſ. 12: & Cap. VII: 12; & apud Davidem, *Gloriam & honorem ponis ſuper Illum, quoniam ponis Illum* BENEDICTIONEM *in perpetuum,* Pſalm. XXI: 6. 7; hæc de Domino. Ex his videri poteſt, quid in Verbo intelligitur per benedicere Deo, quod ſit addicare Ipſi omnem Benedictionem, tum orare ut benedicat, & gratias agere quod benedixerit, ut ex ſequentibus his locis conſtare poteſt,, *Apertum eſt os Sachariæ, & loquutus eſt* BENEDICENS *Deo,* Luc. I: 64. 68. *Simeon ſuſcepit Jeſum Infantem in ulnas, &* BENEDIXIT *Deo,* Luc. II: 28. ~~30. 31.~~ BENEDICITE *Jehovæ, Qui conſuluit mihi,* Pſalm. XVI. 7. BENEDICITE *Nomini Jehovæ, evangelizate e die in diem ſalutem Ipſius,* Pſalm. XCVI: 1. 2. 3. BENEDICTUS *Dominus de die in diem, in congregationibus* BENEDICITE *Deo, Domino e fonte Iſraelis,* Pſalm. LXVIII: 20. 27.

290. *Et omne creatum, quod eſt in Cælo, & in Terra, & ſub Terra, & in Mari, quæ ſunt, & quæ in illis omnia, audivi dicentes, ſignificat confeſſionem & glorificationem Domini ab angelis infimorum Cælorum.* Quod hæc confeſſio & glorificatio Domini ab Angelis infimorum Cælorum ſit, patet ex ſerie, quia confeſſiones & glorificationes Domini, quæ præcedunt, factæ ſunt ab angelis ſuperiorum Cælorum, & inferiorum, n. 275 ſeq. 286 ſeq. ſunt enim tres Cæli,

& in unoquovis innumeræ Societates, quarum quælibet vocatur cælum. Quod per omne creatum, quod eſt in cælo, & in terra & ſub terra, & in mari, intelligantur Angeli, patet, nam dicit, *Audivi dicentes*, & dixerunt, *Sedenti ſuper Throno & Agno benedictio & honor & gloria, & robur in ſæcula ſæculorum.* Quod dicantur Creatum, eſt ſecundum ſtylum Verbi, in quo per omnia Creata, tam quæ Regni Animalis ſunt, quam quæ Regni Vegetabilis, ſignificantur varia apud homines, in genere quæ ejus voluntatis ſeu affectionis ſunt, & quæ ejus intellectus ſeu cogitationis; quod ſignificent eſt quia correſpondent: & quia Verbum per meras Correſpondentias eſt conſcriptum, ideo ibi de Angelis Cæli & de hominibus Eccleſiæ ſimilia dicuntur; ad quod confirmandum ſolum pauca loca adducentur, quæ ſint „ *Jeſus dixit Diſcipulis, euntes in univerſum mundum prædicate Evangelium omni Creaturæ*, Marc. XVI: 15. *Quære quæſo Beſtias & docebunt, & Aves Cæli & annuntiabunt tibi, aut Virgultum terræ & docebunt te, & narrabunt tibi Piſces maris; quis non novit ex his omnibus, quod manus Jehovæ fecerit illud*, Hiob. XII: 7 ad 10. *Laudent Jehovam Cælum & Terra, Maria & omne repens in illis, quia Deus ſalvabit Sionem*, Pſalm. LXIX: 35. 36. *Laudate Jehovam e terra, Balænæ & omnes abyſſi*, Pſalm. CXLVIII: 7. *Conſumendo conſumam omnia deſuper faciebus terræ, conſumam hominem & beſtiam, conſumam Aves cælorum & Piſces maris*, Zeph. I: 2. 3: ſimiliter Eſaj. L: 2. 3. Ezech. XXXVIII: 19. 20. Hoſch. IV: 2. 3. Apoc. VIII. 7. 8. 9. *Lætabuntur Cæli, gaudebit Terra, commovebit ſe Mare & plenitudo ejus, exultabit Ager & omne quod in illo, tunc cantabunt omnes Arbores ſylvæ coram Jehovah, quia venit, quia venit ad judicandum terram*, Pſalm. XCVI: 11. 12. 13, & in multis aliis locis. Dicitur omne creatum, & per id intelligitur omne reformatum, ſeu omnes reformati, per creare enim ſignificatur reformare & regenerare, n. 254. Quid intelligitur per in Cælo, ſuper terra, & ſub terra, videatur ſupra n. 260; & quid per Mare, n. 238: inde patet, quid ſignificatur per quæ in mari ſunt & quæ in illis omnia, hæc ſunt quæ in Verbo intelliguntur per Piſces maris, qui ſunt affectiones ſenſuales, quæ ſunt infimæ naturalis hominis, affectiones enim illorum apparent in Mundo ſpirituali ut Piſces e longinquo, & ſicut in Mari, quia Atmoſphæra, in qua ſunt, apparet ſicut aquea, & inde in oculis illorum qui in Cælis & ſuper terra ibi ſunt, ſicut Mare, videatur ſupra n. 238, & de Piſcibus n. 405.

291. *Sedenti ſuper Throno & Agno benedictio & honor & gloria & robur in ſæcula ſæculorum, ſignificat quod in Domino ab æterno & inde in Divino Humano Ipſius ſit omne Cæli & Eccleſiæ, Divinum Bonum & Divinum Verum, & Divina Potentia, & ab Ipſo in illis qui in Cælo & in Eccleſia ſunt.* Quod Dominus ab æterno ſit Jehovah, Qui in tempore ſuſcepit Humanum, ut redimeret & ſalvaret homines, videatur ſupra n. 281, quare per Sedentem ſuper Throno intelligitur Dominus ab æterno, Qui Pater vocatur, & per Agnum Dominus quoad Divinum Humanum, quod eſt Filius; & quia Pater eſt in Filio, & Filius in Patre, & unum ſunt, conſtat quod per utrumque, Sedentem ſuper Throno & Agnum, intelligatur Dominus; & quia unum ſunt, dicitur etiam Agnus in medio Throni Verſ. 6, tum Cap. VII: 17. Quod Benedictio, cum de Domino,

mino,

mino, sit omne Cæli & Ecclesiæ in Ipso, & ab Ipso in illis qui in Cælo & in Ecclesia sunt, videatur supra n. 289; quod Honor & Gloria sint Divinum Bonum & Divinum Verum, etiam supra n. 249; & quod Robur, cum de Domino, sit Divina Potentia, patet: quod Domino hæc omnia sint, constare potest ex his apud Danielem, *Ecce cum nubibus Cælorum sicut Filius Hominis venit, & usque ad Antiquum dierum: & Illi datum est dominium & gloria & regnum, & omnes populi, gentes & linguæ Ipsum colent; Dominium Ipsius dominium sæculi, quod non transibit, & Regnum Ipsius quod non peribit,* VII: 13. 14: quod Antiquus dierum sit Dominus ab æterno, patet ex his apud Micham, „ *Tu Bethlechem Ephratæa, parum est ut sis inter millenas Jehudæ, ex te Mihi exibit, Qui erit Dominator in Israele, & Cujus exitus ab Antiquo, a diebus æternitatis*, V: 1: tum ab his apud Esajam „ *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super Cujus humero Principatus, vocabitur Nomen Ipsius Consiliarius, Deus, Heros,* PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis*, IX: 5. [B. A. v. 2].

292. *Et quatuor Animalia dicebant Amen, significat Divinam confirmationem ex Verbo.* Quod quatuor Animalia seu Cherubi significent Verbum, videatur supra n. 239; & quod Amen significet confirmationem Divinam ex ipsa veritate, n. 23. 28. 61, ita ex Verbo.

293. *Et viginti quatuor Seniores prociderunt & adoraverunt Viventem in sæcula sæculorum, significat humiliationem coram Domino, & ex humiliatione adorationem Ipsius ab omnibus in Cælis, in Quo & a Quo est Vita æterna*, ut supra n. 251, & n. 58. 60.



294. His adjiciam hoc MEMORABILE. In Mundo naturali est homini duplex loquela, quia duplex cogitatio, Exterior & Interior; potest enim homo loqui ex cogitatione interiore, & simul tunc ex cogitatione exteriore, & potest loqui ex cogitatione exteriore & non ex interiore, imo contra interiorem, inde simulationes, assentationes & hypocrises: at in Mundo spirituali non est homini duplex loquela, sed simplex, loquitur ibi sicut cogitat, alioquin sonus stridet, & lædit aures; at usque potest silere, & sic non evulgare mentis suæ cogitata; quare hypocrita, dum inter sapientes venit, vel abit, vel proripit se ad angulum in conclavi, & facit se inconspicuum, & sedet mutus. Quondam erant multi in Mundo spirituum congregati, & de hac re inter se loquebantur, dicentes, quod non posse loqui, nisi sicut cogitat, sit durum illis in bonorum consortio, qui non juste cogitaverunt de Deo & de Domino: in medio congregatorum erant Reformati, & multi ex Clero, & juxta illos Pontificii cum monachis; ac hi & illi primum dixerunt, quod hoc non durum sit, quid opus aliter loqui quam sicut cogitat, & si forte non juste cogitet, potestne comprimere labia, & tenere silentium; & Clerus dixit, quis non cogitat juste de Deo & de Domino: sed aliqui ex congregatis dixerunt, tentemus tamen, & dictum est illis, qui se confirmaverunt in Trinitate Personarum de Deo, imprimis ex his verbis in Doctrina Athanasiana, *Una Persona est*

est Patris, alia Filii & alia Spiritus sancti: & sicut Pater est Deus, ita Filius est Deus, & Spiritus Sanctus est Deus, ut dicerent UNUM DEUM; sed non potuerunt, contorserunt & plicaverunt labia in plures sinus, & non potuerunt articulare sonum in voces alias quam ideis cogitationis eorum consonas, quæ erant trium Personarum, & inde trium Deorum. Porro dictum est ad illos, qui confirmaverunt fidem separatam a charitate, ut nominarent JESUM, sed non potuerunt, at omnes potuerunt dicere Christum, & quoque Deum Patrem: hoc mirati sunt, & quæsiverunt causam, & invenerunt hanc, quod oraverint Deum Patrem propter Filium, & non oraverint Ipsum Salvatorem; Jesus enim significat Salvatorem. Porro dictum est illis, ut ex cogitatione de Humano Domini dicerent DIVINUM HUMANUM, sed nemo ex Clero, qui ibi aderat, potuit, at aliqui ex Laicis potuerunt, quare hoc in seriam ventilationem missum est: & tunc I. Lecta sunt coram illis hæc apud Evangelistas ,, *Pater dedit omnia in manum Filii*, Joh. III: 35. *Pater dedit Filio potestatem omnis carnis*. Joh. XVII: 2. *Omnia Mihi tradita sunt a Patre*, Matth. XI: 27. *Data est Mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra*, Matth. XXVIII: 18, & dictum est illis, tenete inde in cogitatione, quod Christus tam quoad Divinum quam quoad Humanum suum sit Deus Cæli & terræ, & sic enuntiate DIVINUM HUMANUM, sed usque non potuerunt, & dixerunt, quod quidem exinde tenerent aliquid cogitationis ex intellectu de eo, sed usque non aliquid agnitionis, & quod ideo non possent. II. Postea lectum est coram illis ex Luca Cap. I: 32. 34. 35, quod Dominus quoad Humanum esset Filius Jehovæ Dei, & quod ubivis in Verbo quoad Humanum dicatur Filius Dei, & quoque Unigenitus, & petierunt ut hoc tenerent in cogitatione; & quoque quod Unigenitus Filius Dei natus in mundo non possit non esse Deus, sicut Pater est Deus, & eloquerentur DIVINUM HUMANUM, sed dixerunt, non possumus, ex causa quia spiritualis nostra cogitatio, quæ est interior, non admittit in cogitationem proximam loquelæ alias ideas quam similes, & quod inde percipiant, quod non liceat nunc cogitationes suas dividere, sicut in mundo naturali. III. Deinde lecta sunt coram illis Domini verba ad Philippum hæc, *Dixit Philippus, Domine, monstra nobis Patrem, & dixit Dominus, qui videt Me, vidit Patrem, nonne credis quod Ego in Patre & Pater in Me*, Joh. XIV: 8 ad 11; & quoque alia loca, quod *Pater & Ipse unum sint*, Joh. X: 30, & alibi; & dictum est illis, ut tenerent id in cogitatione, & sic dicerent DIVINUM HUMANUM; sed quia illa cogitatio non fuit radicata in agnitione, quod Dominus esset Deus etiam quoad Humanum, ideo non potuerunt, contorserunt labia in plicas usque ad indignationem, & voluerunt cogere os suum ad enuntiandum, & extorquere, sed non valuerunt; causa erat, quia ideæ cogitationis, quæ fluit ex agnitione, unum faciunt cum vocibus linguæ apud illos qui in Mundo spirituali sunt; & ubi ideæ illæ non sunt, non dantur voces, nam ideæ fiunt voces in loquela. IV. Porro lecta sunt coram illis ex Doctrina Ecclesiæ in universo terrarum Orbe recepta, hæc ,, Quod *Divinum & Humanum in Domino non sint duo, sed unum, imo una Persona, unita prorsus sicut anima & corpus*, hæc ex Fide Symbolica Athanasiana, & dictum est illis, exinde potestis omnino habere ideam ex agnitione, quod Humanum Domini sit Divinum, quia Anima Ip-

Ipsius est Divinum, est enim ab Ecclesiæ vestræ doctrina, quam in Mundo agnoveratis; insuper est Anima ipsa essentia & corpus est forma, ac essentia & forma unum faciunt, sicut esse & existere, & sicut causa efficiens effectus & ipse effectus; retinuerunt illam ideam, & voluerunt ex illa enuntiare DIVINUM HUMANUM, sed non potuerunt; interior enim idea de Humano Domini exterminavit & expunxit ideam hanc novam adscititiam, ut illam vocabant. V. Adhuc coram illis lectum est ex Johanne, hoc, *Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; *& Verbum Caro factum est*, I: 1. 14: & ex Paulo hoc, *In Christo Jesu habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, Coloss. II: 9; & dictum est illis, ut firmiter cogitarent, quod Deus qui fuit Verbum, factus sit Caro, & quod omne Divinum in Ipso habitet corporaliter, forte sic potestis enuntiare DIVINUM HUMANUM, sed usque non potuerunt, dicentes aperte, quod non possent habere ideam Divini Humani, quia Deus est Deus, & homo est homo, & Deus est Spiritus, & de Spiritu non aliter cogitavimus quam sicut de vento aut æthere. VI. Tandem dictum est illis, nostis quod Dominus dixerit, *Manete in Me, & Ego in vobis, qui manet in Me & Ego in illo, fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam*, Joh. XV: 4. 5; & quia aliqui ex Clero Angliæ aderant, lectum est coram illis ex una illorum Oratione ante Sanctam Communionem, *For, when we spiritualy eat the flesh of Christ, and drink the blood, then we dwel in Christ, and Christ in us*; si nunc cogitatis, quod hoc non dari possit, nisi Humanum Domini sit Divinum, enuntiate itaque DIVINUM HUMANUM ex agnitione in cogitatione; sed usque non potuerunt; fuit enim idea illis tam alte impressa, quod aliud esset Divinum Domini, & aliud Humanum Ipsius, ut quod Divinum Ipsius esset simile Divino Patris, & Humanum simile humano alterius hominis; at dictum est illis, quomodo potestis ita cogitare; num rationalis Mens potest usquam cogitare, Deum esse tres, & Dominum esse duos. VII. Postea converterunt se ad Lutheranos, dicentes, quod Augustana Confessio, & Lutherus docuerint, quod Filius Dei & Filius Hominis in Christo sint una Persona, & quod Ipse etiam quoad Humanam Naturam sit Verus, Omnipotens ac Æternus Deus, & quod quoad illam etiam ad dextram Omnipotentis Dei præsens gubernet omnia in Cælis & in Terris, impleat omnia, nobiscum sit, & in nobis habitet & operetur; & quod non sit adorationis differentia, quia per Naturam quæ cernitur, adoratur Divinitas quæ non cernitur, ita quod in Christo Deus sit Homo & Homo Deus; his auditis responderunt, estne ita, & circumspexerunt, & mox dixerunt, hæc prius non novimus, quare nec possumus; at unus & alter dixit, legimus id & scripsimus id, sed usque dum de eo in nobis ex nobis cogitavimus, fuerunt modo verba, quorum ideam interiorem non habuimus. VIII. Tandem conversi ad Pontificios dixerunt, forte vos potestis nominare DIVINUM HUMANUM, quia creditis quod in vestra Eucharistia in Pane & Vino & in omni ejus parte sit integer Christus, & quoque adoratis Ipsum, cum monstratis & circumfertis hostias, ut Deum, tum quia vocatis Mariam Dei genitricem, consequenter agnoscitis quod genuerit Deum, hoc est, Divinum Humanum; & illi tunc voluerunt enuntiare Illud ex illis ideis cogitationum de Domino, sed non potuerunt, propter materialem ideam de

Corpore & Sanguine Ipsius; & propter assertionem quod Humana potestas & non Divina translata sit ab Ipso in Papam. Et surrexit unus Monachus & dixit, quod possit cogitare Divinum Humanum de Sanctissima virgine Maria deipara, & quoque de Sancto monasterii sui, & alter Monachus accessit dicens, ego possum ex idea cogitationis meæ dicere Divinum Humanum de Sanctissimo Papa potius quam de Christo; sed tunc alii monachi retraxerunt illum, & dixerunt, pudeat te. Post hæc visum est Cælum apertum, & visæ sunt Linguæ sicut flammulæ descendentes & influentes apud quosdam, & illi tunc celebrabant DIVINUM HUMANUM DOMINI, dicentes, removete ideam trium Deorum, & credite quod in Domino habitet omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & quod Pater & Ipse unum sint, sicut anima & corpus unum sunt, & quod Deus non sit Ventus aut Æther, sed quod sit Homo, & tunc conjungemini Cælo, & per id a Domino poteritis nominare JESUM, & dicere DIVINUM HUMANUM.



CAPUT

1. ET vidi cum aperuiſſet Agnus primum ex ſigillis, & audivi unum ex quatuor Animalibus dicens tanquam voce tonitrui veni & aſpice.

2. Et vidi, & ecce Equus albus, & ſedens ſuper illo habens arcum, & data ei corona, & exivit vincens & ut vinceret.

3. Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum, audivi ſecundum Animal dicens, veni & aſpice.

4. Et exivit alius Equus, rufus, & ſedenti ſuper illo datum ei tollere pacem de terra, ut alii alios occiderent, & data ei machæra magna.

5. Et cum aperuiſſet tertium ſigillum, audivi tertium Animal dicens, veni & aſpice, & vidi, & ecce Equus niger, & ſedens ſuper illo habens ſtateram in manu ſua.

6. Et audivi vocem in medio quatuor Animalium, dicentem, chænix tritici denario, & tres chænices hordei denario, & oleum & vinum ne læſeris.

7. Et cum aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti Animalis dicentem, veni & aſpice.

8. Et vidi, & ecce Equus pallidus, & ſedens ſuper illo nomen illi mors, & infernus ſequebatur cum illo, & data illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ in romphæa & in fame & in morte & a beſtiis.

9. Et cum aperuiſſet quintum ſigillum, vidi ſubter Altari animas occiſorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium quod habebant.

10. Et clamabant voce magna, dicentes, uſque quo Domine, qui Sanctus & Verus, non judicas & vindicas ſangvinem noſtrum de habitantibus ſuper terra.

11. Et datæ ſingulis ſtolæ albæ; & dictum eis, ut requieſcerent adhuc tempus parvum, uſque dum complentur & conſervi eorum & fratres eorum, qui futuri occidi ſicut illi.

12. Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræ motus magnus factus eſt, & Sol factus eſt niger tanquam ſaccus piloſus, & Luna facta eſt tanquam ſanguis.

13. Et Stellæ cæli ceciderunt in terram, ſicut ficus dejicit groſſos ſuos a magno vento concuſſa.

14. Et Cælum abſceſſit tanquam Liber convolutus: & omnis Mons & Inſula e locis ſuis emota ſunt.

15. Et Reges terræ & Magnates, & Divites & Chiliarchi, &

Potentes, & omnis servus & omnis liber, absconderunt seipsos in speluncis, & in petris montium.

16. Et dicebant montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos a facie Sedentis super Throno, & ab ira Agni.

17. Quia venit dies magnus iræ Ejus, & quis potest consistere.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Agitur de Exploratione illorum, super quos ultimum Judicium futurum est; & exploratum qualis intellectus Verbi fuerat apud illos, & inde qualis status vitæ illorum; quod essent qui in veris ex bono, Vers. 1. 2: qui absque bono, Vers. 3. 4. qui in contemtu veri, Vers. 5. 6: & qui quoad bonum & quoad verum prorsus vastati, Vers. 7. 8. De statu illorum, qui in inferiore terra propter malos a Domino custoditi sunt, quod tempore Ultimi Judicii liberandi, Vers. 9. 10. 11. De statu illorum qui in malis & inde falsis, qualis die ultimi judicii, Vers. 12 ad 17.

Contentum Singulorum Versuum. Et vidi, cum aperuisset Agnus primum ex sigillis, *significat* a Domino explorationem omnium super quos Ultimum Judicium futurum est, quoad intellectum Verbi, & inde quoad status vitæ eorum: & audivi unum ex quatuor Animalibus dicens tanquam voce tonitrui, *sign:* secundum Divinum Verum Verbi: veni & aspice, *sign:* manifestationem de primis in ordine: & vidi & ecce Equus albus, *sign:* intellectum veri & boni ex Verbo apud hos: & sedens super illo habens arcum, *sign:* quod illis doctrina veri & boni ex Verbo, ex qua pugnarunt contra falsa & mala quæ ab inferno: & data ei corona, *sign:* insigne pugnæ illorum: & exivit vincens & ut vinceret, *sign:* victoriam super mala & falsa in æternum: & cum aperuisset secundum sigillum, & audivi secundum Animal dicens, veni & aspice, *significat simile hic ut supra:* & exivit alius Equus rufus, *sign:* intellectum Verbi deperditum quoad bonum, & inde quoad vitam apud illos: sedenti super illo datum est tollere pacem de terra, *sign:* sublatam charitatem, securitatem spiritualem, & requiem internam: ut alii alios occiderent, *sign:* intestina odia, infestationes ab infernis, & irrequies internas: & data ei machæra magna, *sign:* destructionem veri per falsa mali: & cum aperuisset tertium sigillum, & audivi tertium Animal dicens, veni & aspice, *sign: simile hic ut supra:* & vidi & ecce Equus niger, *sign:* intellectum Verbi deperditum quoad verum, ita quoad doctrinam apud hos: & sedens super illo habens stateram in manu sua, *sign:* æstimationem boni & veri, qualis illa apud hos: & audivi vocem in medio quatuor Animalium dicentem, *sign:* Divinam custodiam Verbi a Domino: chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario, *sign:* quia æstimatio boni

boni & veri tam puſilla eſt, ut vix ulla: & oleum & vinum ne læſeris, *ſign:* quod a Domino provideatur, ne ſancta bona & vera, quæ interius in Verbo latent, violentur & prophanentur: & cum aperuiſſet ſigillum quartum, audivi vocem quarti Animalis dicentem, veni & aſpice, *ſign: ſimile quod ſupra:* & vidi & ecce Equus pallidus, *ſign:* intellectum Verbi deperditum & quoad bonum & quoad verum: & ſedens ſuper illo nomen illi mors & infernus ſequebatur cum illo, *ſign:* exſtinctionem vitæ ſpiritualis & inde damnationem: & data eſt illis poteſtas interficiendi ſuper quartam partem terræ, *ſign:* deſtructionem omnis boni Eccleſiæ: in romphæa & in fame & in morte & a beſtiis terræ, *ſign:* per falſa doctrinæ, per mala vitæ, per amorem proprii, & per concupiſcentias: & cum aperuiſſet quintum ſigillum, *ſign:* a Domino explorationem ſtatus vitæ illorum, qui die ultimi judicii ſalvandi erant, ac interea reſervati: vidi ſubter Altari animas occiſorum propter Verbum Dei & propter teſtimonium quod habebant, *ſign:* illos qui a malis rejecti propter vitam ſecundum vera Verbi & agnitionem Divini Humani Domini, ne ſeducerentur, a Domino cuſtoditi ſunt: & clamabant voce magna, *ſign:* dolorem cordis: dicentes, uſque quo Domine, non judicas & vindicas ſanguinem noſtrum de habitantibus ſuper terra, *ſign:* ſuper id quod ultimum judicium protrahatur, & non removeantur qui violentiam inferunt Verbo & Divino Domini: & datæ ſingulis ſtolæ albæ, *ſign:* communicationem & conjunctionem illorum cum angelis qui in Divinis veris: & dictum, ut adhuc requieſcerent tempus parvum, uſque dum complentur & conſervi eorum & fratres eorum, qui futuri occidi ſicut illi, *ſign:* quod ultimum judicium parum adhuc protraheretur, uſque dum collecti, qui ſimiliter rejecti ſunt a malis: & vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, *ſign:* a Domino explorationem ſtatus vitæ illorum, qui interius mali erant, ſuper quos judicium futurum eſt: ecce terræ motus magnus factus eſt, *ſign:* ſtatum Eccleſiæ apud illos prorſus immutatum, & terrorem: & ſol factus eſt niger tanquam ſaccus piloſus, & luna facta eſt tanquam ſanguis, *ſign:* apud illos omne bonum amoris adulteratum, & omne verum fidei falſificatum: & ſtellæ ceciderunt in terram, *ſign:* omnes cognitiones boni & veri diſparatas: ſicut ficus dejicit groſſos ſuos a magno vento agitata, *ſign:* per ratiocinationes naturalis hominis ſeparati a ſpirituali: & cælum abſceſſit ſicut liber convolutus, *ſign:* ſeparationem a cælo & conjunctionem cum inferno: & omnis mons & inſula e locis ſuis emota ſunt, *ſign:* quod omne bonum amoris & verum fidei receſſerint: & reges terræ & magnates & divites & chiliarchi & potentes & omnis ſervus & liber, *ſign:* illos qui ante ſeparationem fuerunt in intellectu veri & boni, in ſcientia cognitionum illorum, in eruditione, ab aliis vel a ſeipſis, & uſque non in vita ſecundum illa: abſconderunt ſeipſos in ſpeluncis & in petris montium, *ſign:* nunc illos in malis & in falſis mali: & dicebant montibus & petris, cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie Sedentis ſuper Throno, & ab ira Agni, *ſign:* confirmationes mali per falſa ex malo, uſque ut non agnoſcerent aliquod Divinum Domini: quia venit dies magnus iræ Ipſius, & quis poteſt conſiſtere, *ſign:* quod tales facti ſint a ſeipſis per ſeparationem a bonis & fidelibus propter ultimum judicium, quod alioquin non ſuſtinerent.

EXPLICATIO.

295. *Et vidi cum aperuisset Agnus primum ex sigillis, significat a Domino explorationem omnium super quos ultimum judicium futurum est, quoad intellectum Verbi, & inde quoad status vitæ eorum.* Hæc significantur, quia nunc in ordine sequitur Exploratio omnium super quos ultimum Judicium futurum est quoad status vitæ eorum, & hoc a Domino secundum Verbum: hoc itaque est quod significatur per quod Agnus aperuerit sigilla Libri: quod aperire Librum, & solvere sigilla ejus, significet nosse status vitæ omnium, & judicare unumquemvis secundum suum, videatur supra n. 259. 265 ad 267. 273. 274.

296. *Et audivi unum ex quatuor Animalibus dicens tanquam voce tonitrui, significat secundum Divinum Verum Verbi.* Quod per quatuor Animalia seu Cherubos intelligatur Verbum, videatur supra n. 239. 275. 286; & per vocem tonitrui, perceptio Divini Veri, n. 236. Vox tonitrui hic dicitur, quia per hoc Animal intelligitur Leo, per quem significatur Divinum Verum Verbi quoad potentiam, n. 241; inde est, quod hoc Animal dicatur loquutum tanquam voce tonitrui; dicitur enim postea, quod secundum Animal loquutum sit, dein tertium & quartum.

297. *Veni & aspice, significat manifestationem de Primis in ordine.* Supra dictum est, quod in hoc Capite describatur Exploratio omnium, super quos Judicium futurum est quoad status vitæ eorum, & hoc a Domino secundum Verbum, n. 295, hic itaque describitur exploratio de primis in ordine, quales sunt quoad intellectum Verbi & inde status vitæ eorum: Quod Ecclesia sit ex Verbo, & quod talis sit, qualis ei est intellectus Verbi, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 76 ad 79, ostensum videatur.

298. *Et vidi & ecce Equus albus, significat intellectum veri & boni ex Verbo apud hos.* Per Equum significatur intellectus Verbi, & per Equum album intellectus veri ex Verbo; album enim prædicatur de veris, n. 167. Quod Equus significet intellectum Verbi, ostensum est in singulari Opusculo de EQUO ALBO; at quia ibi solum aliqua loca allata sunt, in confirmationem hic afferentur plura; hoc patet manifeste ex eo, quod visi sint Equi exire ex Libro, quem Agnus aperuit, & quod Animalia dixerint, veni & aspice, per Animalia enim significatur Verbum, n. 239 275. 286, per Librum similiter, n. 257; & per Filium hominis, Qui hic est Agnus, Dominus quoad Verbum, n. 44: ex his primum patet, quod non aliud per Equum hic intelligatur, quam intellectus Verbi: hoc manifestius constare potest ex his infra in Apocalypsi „ *Vidi Cælum apertum, dum ecce* EQUUS ALBUS, *& Sedens super illo vocatur* VERBUM DEI, *& habet super vestimento & super femore suo Nomen scriptum, Rex regum & Dominus dominorum: & Exercitus Ejus in Cælis sequebantur Ipsum super Equis albis,* XIX: 11. 13. 14. 16. Quod Equus significet intellectum Verbi, adhuc constare potest a sequentibus locis „ *Num contra mare excandescentia tua, Jehovah, quod equites super Equis tuis; Currus tui salus, cal-*

casti

casti Mare Equis tuis, *lutum aquarum*, Habak. III: 8. 15. *Ungulæ Equorum Jehovæ sicut rupes reputantur*, Esaj. V: 28. *Die illo percutiam omnem Equum stupore*, *& Equitem ejus furore*; *& omnem Equum populorum percutiam cæcitate*, Sach. XII: 4. *In die illo erit super tintinnabulis Equi sanctitas Jehovæ*, Sach. XIV: 20. *Quia oblivisci fecit eam Deus sapientiam*, *nec impertitus est intelligentiam*, *quo tempore in altum se attollit*, *ridet Equum & Equitem ejus*, Hiob. XXXIX: 17. 18 seq: *Exscindam Equum ex Hierosolyma*, *contra loquetur pacem gentibus*, Sach. IX: 10. *Præ increpatione tua*, *Jehovah*, *obdormivit & currus & Equus*, Psalm. LXXVI: 6. 7. *Evertam Thronum regnorum*, *ac evertam Currum & Equitantes in eo*, *& descendent Equi & Equites eorum*, Hagg. II: 22. *Dispergam per Te regna*, *dispergam per Te Equum & Equitem ejus*, Jerem. LI: 20. 21. *Congregate vos a circuitu super sacrificium meum*, *satiabimini super mensa mea Equo & Curru*, *sic dabo gloriam meam inter gentes*, Ezech. XXXIX: 17. 20. 21. *Congregamini ad Cœnam magnam Dei*, *& comedetis carnes Equorum & Sedentium super illis*, Apoc. XIX. 17. 18. *Dan erit aspis super semita*, *mordens calcaneos Equi*, *& cadet Equus ejus retrorsum*, *salutem tuam exspecto Jehovah*, Genes. XLIX: 17. 18. *Accinge gladium tuum*, *Potens*, *conscende*, *Equita super Verbo veritatis*, Psalm. XLV: 5. 6. *Cantate Deo*, *extollite Equitantem super nubibus*, Psalm. LXVIII: 5. *Ecce Jehovah Equitans super nube*, Esaj. XIX: 1. 2. *Psallite Domino Equitanti super Cælo cæli antiquitatis*, Psalm. LXVIII: 34. *Deus Equitavit super Cherubo*, Psalm. XVIII: 11. *Tunc delitiaberis in Jehovah*, *& Equitare te faciam super excelsa terræ*, Esaj. LVIII: 14. *Jehovah solus duxit eum*, *& Equitare fecit eum super excelsa terræ*, Deutr. XXXII: 12. 13. *Equitare faciam Ephraimum*, Hosch. X: 11; Ephraimus etiam significat intellectum Verbi. Quoniam Elias & Elisæus repræsentabant Dominum quoad Verbum, ideo illi vocati sunt Currus Israelis & Equites ejus; Elisæus dixit ad Eliam, *Pater mi*, *Pater mi*, *Currus Israelis & Equites ejus*, II Reg. II: 12: & Joas Rex ad Elisæum, *Pater mi*, *Currus Israelis & Equites ejus*, II Reg. XIII: 14. *Aperuit Jehovah oculos pueri Elisæi*, *& vidit & ecce Mons plenus Equis & Curribus igneis circum Elisæum*, II Reg. VI: 17; Currus significat doctrinam e Verbo, & Eques sapientem inde. Similia significantur per *Quatuor Currus exeuntes inter montes æris*, *& per quatuor Equos illis alligatos*, *qui erant rufi*, *nigri*, *albi & grandinati*, *qui etiam vocantur quatuor Spiritus*, *& dicuntur exivisse a stando juxta Dominum totius terræ*, Sachar. VI: 1 ad 8. 15: in his locis per Equos significatur intellectus Verbi seu intellectus veri ex Verbo; pariter aliis in locis. Hoc adhuc constare potest ex Equis in sensu opposito nominatis, in quo significant intellectum Verbi & veri per ratiocinia falsificatum, & quoque deperditum, tum propriam intelligentiam, ut in sequentibus, *Væ descendentibus in Ægyptum pro auxiliis*, *& super Equis innituntur*, *& non respiciunt ad Sanctum Israelis*, *nam Ægyptus homo & non Deus*, *& Equi ejus caro & non spiritus*, Esaj. XXXI: 1. 3. *Pones supra Israelem Regem*, *quem elegerit Jehovah*, *modo non multiplicet sibi Equos*, *ne reducat populum in Ægyptum*, *ut multiplicet Equos*, Deutr. XVII: 14. 15. 16; hæc dicta sunt, quia per Ægyptum significatur scientia ac ratiocinatio ex propria intelligentia, unde falsificatio veri Verbi, quæ hic est

est Equus. *Afchur non fervabit nos, fuper Equo non Equitabimus*, Hofch. XIV: 4. *Hi in Curru & illi in Equis, nos vero in Nomine Dei noftri gloriabimur*; Pfalm. XX: 8. 9. *Mendacium Equus ad falutem*, Pfalm. XXXIII: 17. *Jehovah non in robore Equi delectatur*, Pfalm. CXLVII: 10. *Dixit Sanctus Ifraelis, in fiducia erit virtus veftra; fed dixiftis non, fuper Equo fugiemus, & fuper Veloce Equitabimus*, Efaj. XXX: 15. 16. *Ponet Jehovah Jehudam ficut Equum gloriæ: pudefient Equitantes Equis*, Sachar. X: 3. 4. 5. *Væ urbi fanguinum, tota mendacio plena, & Equus hinniens, & Currus faltitans; Eques afcendere faciens*, Nah. III: 1 ad 4. *Adducam contra Tyrum Regem Babelis cum Equo & cum Curru & cum Equitibus, præ abundantia Equorum obteget te pulvis eorum, præ voce Equitis & Currus commovebuntur muri tui, per ungulas Equorum fuorum conculcabit omnes plateas tuas*; Ezech. XXVI: 7 ad 11; per Tyrum fignificatur Ecclefia quoad cognitiones veri, hic eas in illa falfificatas, quæ funt equi Babelis; præter aliis in locis, ut Efaj. V: 26. 28. Jerem. VI: 22. 23. Cap. VIII: 16. Cap. XLVI: 4. 9. Cap. L: 37. 38. 43. Ezech. XVII: 15. Cap. XXIII: 5. 20. Habak. I: 6. 8. 9. 10. Pfalm. LXVI: 11. 12. Intellectus Verbi deperditus etiam fignificatur per Equum rufum, nigrum & pallidum in nunc fequentibus. Quod Equus fignificet Intellectum veri ex Verbo, fit ex apparentiis in Mundo fpirituali, videatur in Opufculo de Equo albo.

299. *Et fedens fuper illo habens arcum, fignificat quod illis doctrina veri & boni ex Verbo, ex qua pugnarunt contra falfa & mala quæ ex inferno, ita contra infernum.* Per Sedentem fuper Equo albo, de quo Apoc. XIX: 13, intelligitur Dominus quoad Verbum, at per fedentem fuper hoc Equo albo, intelligitur homo angelus quoad doctrinam veri & boni ex Verbo, ita ex Domino, fimiliter quod per exercitum Domini in cælo, qui *fequebatur Dominum fuper Equis albis*, Apoc. XIX: 14: De Sedente fuper Equo albo Apoc. XIX, dicitur, quod ex ore Ejus exiverit romphæa acuta, ut per illam percuteret gentes, & per romphæam ex ore ejus fignificatur Divinum Verum Verbi pugnans contra falfa & mala, n. 52. 108. 117; hic autem dicitur, quod fedens fuper hoc Equo albo haberet Arcum, & per arcum fignificatur doctrina veri & boni ex Verbo pugnans contra mala & falfa: pugnare contra falfa & mala eft quoque pugnare contra inferna, quia mala & falfa inde funt, quare etiam hoc fignificatur. Quod Arcus in Verbo fignificet doctrinam pugnantem in utroque fenfu, conftare poteft ex his locis ,, *Jehovæ* Tela *acuta, & omnes* Arcus *Ipfius tenfi, ungulæ Equorum ejus tanquam rupes reputantur*, Efaj. V: 28. *Dominus tetendit* Arcum *fuum ficut inimicus*, Thren. II: 4. *Jehovah equitas fuper equis tuis, denudabitur* Arcus *tuus*, Habak. III: 8. 9. *Dedit coram Ipfo gentes, & Regibus dominari fecit, dedit ficut pulverem gladio fuo, ficut ftipulam* Arcu fuo, Efaj. XLI: 2; in his locis Arcus, quia de Jehovah feu Domino, fignificat Verbum, ex quo Dominus apud hominem pugnat contra mala & falfa. *Exfcindam currum ex Ephraimo, & equum ex Hierofolyma, & exfcindetur* Arcus *belli, contra loquetur pacem gentibus*, Sach. IX. 10. *Tendunt linguam fuam,* Arcus *eorum mendacium, & non veritas*, Jerem. IX: 10. *Ecce impii tendunt* Arcum, *præparant* Sagittas *fuper nervo fuo, ad* Jaculandum *in tenebris rectos corde*, Pfalm.

Pſalm. XI: 2. *Exacerbabunt Ioſephum & Jaculabuntur, odio habebunt illum Sagittarii, ſed ſedebit in firmo Arcus ſui a manibus fortis Jacobi*, Geneſ. XLIX: 23. 24. *Diſponite aciem contra Babelem, omnes tendentes Arcum jacite in eam, ne parcatis telo, quia Jehovæ peccavit*, Jerem. L: 14. 29. *David lamentatus eſt ſuper Schaule, ad docendum filios Jehudæ Arcum*, II Sam. I: 17; in Lamentatione illa agitur de pugna veri contra falſa. *Dixit Jehovah Zebaoth, ecce Ego frangens Arcum Elami, principium fortitudinis ejus*, Jerem. XLIX: 35. *Jehovah poſuit me in Telum expurgatum, in Pharetra ſua occultavit me*, Eſaj. XLVIII: 2. *Ecce hæreditas Jehovæ filii, beatus qui implevit Pharetram ex illis*, Pſalm. CXXVII: 3. 4. 5; filii hic ut alibi ſignificant vera doctrinæ. *Erit in Schalem tabernaculum Jehovæ, ibi fregit nervos Arcus, ſcutum, gladium, & bellum*, Pſalm. LXXVI: 2. 3. 4. *Jehovah ceſſare faciet bella, Arcum franget, amputabit haſtam, currus comburet igne*, Pſalm. XLVI: 10. Ezech. XXXIX: 8. 9. Hoſch. II: 18; in illis locis Arcus ſignificat doctrinam veri pugnantem contra falſa, & in oppoſito ſenſu doctrinam falſi pugnantem contra vera; inde ſagittæ & tela ſignificant vera aut falſa. Quoniam Bellum in Verbo ſignificat Bellum ſpirituale, ideo Arma belli, ut Gladius, Haſta, Clypeus, Scutum, Arcus, Sagittæ, ſignificant talia quæ ſunt iſtius belli.

300. *Et data ei corona, ſignificat inſigne pugnæ ejus.* Quod Corona ſignificet inſigne pugnæ, eſt quia antiquis temporibus Reges in præliis geſtabant coronas, ut conſtare poteſt ex Hiſtoriis, & aliquid ex II Sam. I: 10, ubi *vir dixit ad Davidem de Saule, quod cum moriturus eſſet in prælio, acceperit Coronam quæ ſuper capite ejus, & armillas quæ ſuper brachio ejus*: tum etiam ex illis, quæ de Rege Rabbæ & Davide, II Sam. XII: 29. 30, memorantur. Et quia Tentationes ſunt pugnæ ſpirituales, quas Martyres ſuſtinuerunt, ideo illis ut inſignia victoriæ datæ ſunt coronæ, n. 103. Ex his patet, quod per coronam hic ſignificetur inſigne pugnæ eorum, quare etiam ſequitur, *Et exivit vincens & ut vinceret.*

301. *Et exivit vincens, & ut vinceret, ſignificat victoriam ſuper falſa & mala in æternum.* Quod dicatur vincens & ut vinceret, eſt quia qui in pugnis ſpiritualibus, quæ ſunt tentationes, vincit in mundo, vincit in æternum, nam inferna non poſſunt aggredi aliquem qui vicerat.

302. *Et cum aperuiſſet ſecundum ſigillum, ſignificat a Domino explorationem illorum ſuper quos ultimum judicium futurum eſt, quoad ſtatus vitæ eorum.* Similia hic ſignificantur quæ prius, n. 295, cum diſcrimine de quo ſequitur.

303. *Et audivi ſecundum Animal dicens, ſignificat ſecundum Divinum Verum Verbi, ut ſupra* n. 296.

304. *Veni & aſpice, quod ſignificet manifeſtationem de ſecundis in ordine*, conſtare poteſt ab explicatis ſupra n. 297; ſed ibi de primis in ordine, hic autem de ſecundis.

305. *Et exivit alius Equus rufus, ſignificat intellectum Verbi deperditum quoad bonum, & inde quoad vitam apud hos.* Per Equum ſignificatur intellectus Verbi, n. 298; & per rufum ſignificatur bonum deperditum; quod color albus prædicetur de veris, quia ille eſt ex luce Solis cæli, & color ruber de bonis,

quia ille eſt ex igne Solis cœli, videatur ſupra n. 167. 231: quod autem rufum prædicetur de bono deperdito, eſt quia per Rufum intelligitur Rubrum infernale, quod eſt ex igne inferni, qui eſt amor mali; rufum, quod eſt rubrum infernale, eſt tetrum & abominabile, quia nihil vivum in illo eſt, ſed omne mortuum; inde eſt quod per Equum rufum, ſignificetur intellectus Verbi deperditus quoad bonum: hoc quoque conſtare poteſt a deſcriptione ejus, quod *datum ſit ei tollere pacem de terra, ut alii alios occiderent*, ut ſequitur: etiam ſecundum Animal, quod erat ſimile vitulo, per quod ſignificatur Divinum Verum Verbi quoad affectionem, n. 241, dixit, *veni & aſpice*, ita oſtendit, quod nulla affectio boni, ita nullum bonum, apud illos eſſet. Quod Rubrum dicatur de amore tam boni quam mali, conſtare poteſt a ſequentibus locis „ *Qui lavit in vino indumentum ſuum, & in ſanguine uvarum velamen ſuum*, RUBER *oculis præ vino, & albus dente præ lacte*, Gen. XLIX: 11. 12; hæc de Domino. *Quis hic venit ex Edom, Ruber quoad veſtem, & veſtis ſicut calcantis in torculari*, Eſaj. LXIII: 2, etiam de Domino. *Albi erant Naziræi præ nive, candidi præ lacte*, RUBRI *erant quoad oſſa præ gemmis rubentibus*, Thren. IV: 7; in his locis rubrum prædicatur de amore boni; in ſequentibus de amore mali „ *Clypeus* RUBICUNDUS *factus eſt, & viri* PURPURATI, *in igne facularum currus eorum, aſpectus eorum ſicut facum*, Nah. II: 4. 5. *Si fuerint peccata veſtra ſicut* COCCINEA, *ſicut nix albeſcent; ſi* RUBRA *fuerint ſicut* PURPURA, *ſicut lana erunt*, Eſaj. I: 18. Nec aliud ſignificatur per *Draconem Rufum*, Apoc. XII: 3: & per *Equum Rufum ſtantem inter myrtos*, Sach. I: 8. Similia prædicantur de coloribus qui trahunt ex rubro, ut de Coccino & Purpura.

306. *Sedenti ſuper illo datum eſt tollere pacem de terra, ſignificat ſublatam charitatem, ſecuritatem ſpiritualem, & requiem internam.* Per Pacem ſignificantur omnia in complexu quæ a Domino ſunt, & inde omnia Cæli & Eccleſiæ; & in illis beatitudines vitæ; hæc ſunt Pacis in ſupremo ſeu intimo ſenſu. Quod Pax ſint Charitas, Securitas ſpiritualis, & Requies interna, ſequitur inde, nam cum homo in Domino eſt, eſt in pace cum proximo, quæ eſt Charitas; in tutela contra inferna, quæ eſt Securitas ſpiritualis; & cum eſt in pace cum proximo, & in tutela contra inferna, eſt in Requie interna a malis & falſis: cum itaque hæc omnia ſunt ex Domino, conſtare poteſt quid in genere & in ſpecie per Pacem ſignificatur in ſequentibus locis „ *Puer natus eſt nobis, Filius datus eſt nobis, ſuper cujus humero Principatus, vocabitur Nomen Ipſius Deus, Heros, Pater æternitatis*, PRINCEPS PACIS: *multiplicanti principatum &* PACEM *non erit finis*, Eſaj. IX: 5. 6. *Jeſus dixit*, PACEM *relinquo vobis*, PACEM MEAM *do vobis*, Joh. XIV: 27. *Jeſus dixit, hæc loquutus ſum, ut in* ME PACEM *habeatis*, Joh. XVI: 33. *In diebus Ejus florebit juſtus, & multa* PAX, Pſalm. LXXII: 3. 7. *Tunc pangam fœdus* PACIS, Ezech. XXXIV: 25. 27. Cap. XXXVII: 25. 26. Malach. II: 4. 5. *Quam jucundi ſunt ſuper montibus pedes Evangelizantis, audire facientis* PACEM, *dicentis Sioni, regnat Rex tuus*, Eſaj. LII: 7. *Benedicat tibi Jehovah, & tollat facies ſuas ſuper te, & det tibi* PACEM, Num. VI: 24. 25. 26. *Jehovah benedicat populo ſuo in* PACE, Pſalm. XXIX: 11. *Jehovah redimet in* PACE *animam meam*, Pſalm. LV: 19. *Eſt opus*

pus Jehovæ Pax, labor justitiæ QUIES, *&* SECURITAS *in æternum: ut habitent in tabernaculo* PACIS, *& in tentoriis* SECURITATIS, *& in* QUIETIBUS *tranquillis*, Esaj. XXXII: 17. 18. *Jesus dixit ad septuaginta quos emisit, in quam domum intraveritis, primum dicite* PACEM *domui, & si fuerit filius* PACIS, *requiescet super illo* PAX *vestra*, Luc. X: 5. 6 Matth. X: 12. 13. 14. *Miseri possidebunt terram, & deliciabuntur super multitudine* PACIS: *vide rectum, sic postremum viro* PAX, Psalm. XXXVII: 11. 37. *Zacharias prophetans dixit, Ortus ex alto apparuit, ad dirigendum pedes nostros ad viam* PACIS, Luc. I: 79. *Recede a malo, & fac bonum, quære* PACEM, *& persequere eam*, Psalm. XXXIV: 8. PAX *multa amantibus legem meam*, Psalm. CXIX: 165. 166. *Utinam auscultasses præceptis meis, & erit sicut fluvius* PAX *tua: non* PAX, *inquiet Jehovah, impiis*, Esaj. XLVIII: 18. 22. *Jehovah loquetur* PACEM *ad populum suum: Justitia &* PAX *osculentur se*, LXXXV: 9. 10. *Non* PAX *in ossibus meis propter peccatum meum*, Psalm. XXXVIII: 4. *Satiavit me amaritudinibus, remota est a* PACE *anima mea, oblitus sum boni*, Thren. III: 15. 17; præter multis aliis in locis, ex quibus videri potest, quod antedicta per Pacem intelligantur: tene mentem in Pace spirituali, & clare videbis: similiter in his, Esaj. XXVI: 12. Cap. LIII: 5. Cap. LIX: 10. 13. Jerem. XXXIII: 6. 9. Hagg. II: 9. Sachar. XII: 16. 19. Psalm. IV: 7. 8. 9. Psalm. CXX: 6. 7. Psalm. CXXII: 6. 7. 8. 9. Psalm. CXXVIII: 5. 6. Psalm. CXLVII: 12. Quod Pax sit intime afficiens beatitudine omne bonum, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 284 ad 290.

307. *Ut alii alios occiderent, significat intestina odia, infestationes ab infernis, & irrequies internas.* Hæc significantur, cum per tollere pacem significatur tollere charitatem, securitatem spiritualem, & requiem internam, & cum per equum rufum significatur intellectus Verbi deperditus quoad bonum; nam illa sunt, cum non amplius est bonum, & non amplius est bonum, cum non scitur quid bonum. Quod odia intestina sint cum non charitas, tum infestationes ab infernis cum non securitas spiritualis, & quod irrequies internæ cum non requies a malis & eorum concupiscentiis, patet; at hæc post mortem, si non in mundo. Quod occidere, illa significet, constat a significatione machæræ de qua sequitur.

308. *Et data ei machæra magna, significat destructionem veri per falsa mali.* Quod gladius, machæra & romphæa, significent verum pugnans contra falsa & destruens illa, & in opposito sensu falsum pugnans contra vera & destruens illa, videatur supra n. 52; hic machæra magna significat falsa mali destruentia vera boni. Dicuntur falsa mali, quia dantur falsa non mali, & hæc non destruunt vera, sed illa. Quod hoc per machæram magnam significetur, patet ex eo, quod mox Equus niger visus sit, per quem significatur intellectus Verbi deperditus quoad verum, & verum non deperditur nisi a malo.

309. *Et cum aperuisset tertium sigillum, significat a Domino explorationem illorum, super quos ultimum judicium erit, quoad status vitæ eorum.* Similia per hæc significantur quæ prius n. 295, cum discrimine, de quo sequitur.

310. *Et audivi tertium animal dicens*, *significat secundum Divinum Verum Verbi*, ut supra n. 296.

311. *Veni & aspice*, *quod significet manifestationem de tertiis in ordine*, constare potest ab explicatis supra n. 297, sed ibi de primis in ordine, hic autem de tertiis.

312. *Et vidi, & ecce Equus niger*, *significat intellectum Verbi deperditum quoad verum, ita quoad doctrinam apud hos*. Quod Equus significet intellectum Verbi, supra ostensum est; quod nigrum significet non verum, ita falsum, est quia nigrum est oppositum albo, & album prædicatur de vero, n. 167. 232. 233; album etiam trahit ortum ex luce, ac nigrum ex tenebris, ita ex absentia lucis, & lux est verum: sed in Mundo spirituali est nigredo ex duplici origine una ex absentia lucis flammeæ, quæ lux est apud illos qui in Cælesti Regno Domini sunt, & altera ex absentia lucis candidæ, quæ lux est apud illos qui in Regno spirituali Domini sunt, hæc nigredo simile significat cum tenebris, illa autem cum caligine; differunt illæ nigredines inter se, una est abominabilis, altera non ita; similiter falsitates quas significant; in nigredine abominabili apparent illi qui vocantur diaboli, abominantur etiam verum sicut bubones solis lucem, in nigredine autem non abominabili apparent illi qui vocantur satanæ, hi non abominantur, sed aversantur verum, quare hi comparari possunt noctuis, cum priores bubonibus. Quod nigrum in Verbo dicatur de falso, constare potest ex his locis „ *Albi erant Naziræi præ nive*... *obscurata est præ Nigredine forma eorum*, Thren. IV: 7. 8. *Super Prophetis nigrescet dies*, Mich. III: 6. *In die quo descensurus es in infernum, Atrabo super te Libanum*, Ezech. XXXI: 15. *Sol factus est Niger sicut saccus cilicinus*, Apoc. VI: 12. *Sol, Luna, Stellæ, atrati sunt*, Jerem. IV: 27. 28. Ezech. XXXII: 7. Joel II: 26. Cap. IV: 15, & alibi. Quod tertium Animal ostenderit Equum nigrum, erat quia illud habebat faciem sicut homo, per quod significabatur Divinum Verum Verbi quoad sapientiam, n. 243, quare hoc Animal ostendit, quod non amplius aliquod verum sapientiæ apud hos, qui in tertio ordine, esset.

313. *Et sedens super illo habens stateram in manu sua*, *significat æstimationem boni & veri, qualis illa apud hos*. Per stateram in manu, significatur æstimatio veri & boni; omnes enim mensuræ, tum pondera, in Verbo significant æstimationem rei, de qua agitur. Quod mensuræ & pondera significent talia, patet ex his apud Danielem „ *Apparuit scriptura coram Belthschazare Rege Babelis, cum biberet vinum ex vasis auri & argenti e Templo Hierosolymitano desumptis, Mene, Mene, Thekel, Perizin, hoc est, Numeratus, Numeratus, Appensus, Divisus; cujus interpretatio hæc est; Mene, numeravit Deus Regnum tuum & finivit illud; Thekel, appensus es in trutina & deprehensus deficiens; Perez, divisum est Regnum, & datum Medo & Persæ*, V: 1. 2. 26. 28; per bibere ex vasis auri & argenti Templi Hierosolymitani, & simul colere alios deos, significatur prophanatio boni & veri, sicut etiam per Babelem; per mene seu numerare, significatur nosse quale ejus quoad verum; per thekel seu appendere, significatur nosse quale ejus quoad bonum; per perez seu dividere, significa-

ficatur dispergere. Quod quale veri & boni significetur per mensuras & per lances in Verbo, patet apud Esajam ,, *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos spithama exæquavit, complexusque est in trientali pulverem terræ, & appendit in libra montes, & colles in lancibus* ,, XL: 12. Et in Apocalypsi ,, *Angelus mensus est murum sanctæ Hierosolymæ centum quadraginta quatuor cubitorum, quæ est mensura hominis, hoc est, Angeli*, XXI: 17.

314. *Et audivi vocem in medio quatuor Animalium, dicentem, significat Divinam custodiam Verbi a Domino.* Quod quatuor Animalia seu Cherubi, significent Verbum a primis in ultimis, & custodias ne vera & bona interiora ejus violentur, videatur supra n. 239; & quia custodiæ illæ sunt a Domino, ideo audita est vox in medio quatuor Animalium; per in medio illorum, intelligitur Verbum quoad sensum internum spiritualem, quem Dominus custodit; quod custodia significetur, patet ab illis quæ dixit, *Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario, & oleum & vinum ne læseris*, per quæ significatur, quia æstimatio boni & veri tam pusilla est ut vix ulla, providebitur ne sancta bona & vera, quæ interius in Verbo latent, violentur & prophanentur; & hoc providetur a Domino per id, quod tandem non sciant aliquod bonum, & inde nec aliquod verum, sed mere malum & falsum; nam qui sciunt bona & vera, possunt violare, imo prophanare illa, non autem qui non sciunt. Quod hæc sit Divina Providentia ad custodiendum Verbum, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 221 ad 233, n. 257 fin. 258. princ.

315. *Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario, significat quia æstimatio boni & veri tam pusilla est, ut vix ulla.* Hæc significantur, quia per Chœnicem, quæ erat mensura & demensum, significatur quale, ut supra n. 314; per triticum & hordeum, significatur bonum & verum; & per denarium, qui est nummus minimus, æstimatio tam pusilla, ut vix ulla: quod tres chœnices hordei dicantur, est quia tria significant omne, & prædicantur de veris, n. 515. Quod Triticum & Hordeum significent bonum & verum, hic bonum & verum Ecclesiæ ex Verbo, est quia omnia quæ Agri & Vineæ sunt, significant talia quæ Ecclesiæ sunt, ex causa, quia Ager significat Ecclesiam quoad bonum & inde verum, & Vinea Ecclesiam quoad verum & inde bonum; quare ubi in Verbo memorantur illa, Angeli, qui spiritualiter omnia percipiunt, non aliud intelligunt; sicut hæc apud Joelem ,, *Devastatus est Ager, luget terra, quia devastatum est Frumentum, exaruit Mustum, languet Oleum, pudefacti sunt Agricolæ, ejularunt Vinitores, super Tritico & Hordeo, eo quod perierit Messis Agri*, I: 10. 11. 12; hæc omnia significant talia quæ Ecclesiæ sunt. Quod Triticum & Hordeum significent bonum & verum Ecclesiæ, videri potest ex his locis ,, *Johannes de Jesu, quod colliget* TRITICUM *in horreum, & paleam comburet igne*, Matth. III: 11. 12. *Jesus dixit, sinite zizaniam &* TRITICUM *crescere una, & tempore messis dicam messoribus, colligite prius Zizaniam ad comburendum*, TRITICUM *vero congregate in horreum meum*; Matth. XIII: 24 ad 30. *Consummationem & decisionem audivi a Jehovah Deo, reponit* TRITICUM *mensuratum, &* HORDEUM *designatum, ita erudit ad judicium, Deus ejus docet eum*, Esaj. XXVIII: 21 ad 26. *Jehovah deducet te ad terram* TRITICI &

HORDEI, Deutr. VIII: 7. 8; terra tritici & hordei, eſt hic terra Canaan, per quam ſignificatur Eccleſia. *Venient & canent in altitudine Sionis, & confluent ad bonum Jehovæ, ad* TRITICUM *& Muſtum*, Jerem. XXXI: 12. *Jehovah ſatiabit te* ADIPE TRITICI, Deutr. XXXII: 33. 34. Pſalm. LXXXI: 14. 17. Pſalm. CXLVII: 12. 13. 14; Jehovah dixit ad Prophetam Ezechielem, *Quod faceret ſibi placentam* HORDEORUM, *mixtam cum ſtercore, & comederet*, IV: 12. 15. & ad Prophetam Hoſcheam, *Quod acciperet mulierem adulteram; quam ſibi comparavit per eorum* HORDEORUM *& ſemicorum* HORDEORUM, III: 1. 2, quæ facta ſunt a Prophetis illis, ut repræſentarent falſificationes veri in Eccleſia, Hordea enim ſunt vera, & Hordea mixta cum ſtercore, ſunt vera falſificata & prophanata; mulier adultera etiam ſignificat falſificatum verum, n. 134.

316. *Et oleum & vinum ne læſeris, ſignificat quod a Domino provideatur, ne ſancta bona & vera, quæ interius in Verbo latent, violentur & prophanentur.* Per oleum ſignificatur bonum amoris, & per vinum verum ex illo bono, ita per oleum ſignificatur ſanctum bonum, & per vinum ſanctum verum; quod provideatur a Domino ne violentur & prophanentur, ſignificatur per, ne læſeris; auditum enim eſt hoc e medio quatuor Animalium, ita a Domino, n. 314; quod dicitur a Domino, hoc quoque providetur ab Ipſo; quod provideatur, videatur ſupra n. 314; & n. 255. Quod Oleum ſignificet bonum amoris, videbitur infra, n. 778. 779: quod autem Vinum ſignificet verum ex illo bono, conſtat ex ſequentibus locis ,, *Omnis ſitiens ite ad aquas, & cui non argentum, ite, emite & comedite, & emite ſine argento* VINUM *& lac*, Eſaj. LV: 1. *Fiet in die illo ſtillabunt montes* MUSTUM, *& colles fluent lacte*, Joel IV: 18. Amos IX: 13. 14. *Ablatum gaudium e Carmele, & in* VINEIS *non cantatur*, VINUM *in torculari non calcatur, hedad ceſſare feci*, Eſaj. XVI: 10. Jerem. XLVIII: 32. 33; per Carmelem ſignificatur Eccleſia ſpiritualis, quia ibi erant vineæ. *Ejulate omnes potantes* VINUM, *propter* MUSTUM *quod exciſum eſt ex ore veſtro, ejularunt* VINITORES, Joel I: 5. 10. 11: ſimilia pæne, Hoſch. IX: 2. 3. Zephan. I: 13. Thren. II: 11. 12. Mich. VI: 15. Amos V: 11. Eſaj. XXIV: 6. 7. 9. 10. *Lavat in* VINO *veſtimentum ſuum, & in* SANGUINE UVARUM *velamen ſuum; ruber oculis a* VINO, Geneſ. XLIX: 11; hæc de Domino; ac Vinum ſignificat Divinum Verum; Inde eſt, quod Sacra Cœna a Domino inſtituta ſit, in qua Panis ſignificat Dominum quoad Divinum Bonum, & Vinum Dominum quoad Divinum Verum, & apud recipientes Panis ſignificat ſanctum bonum, & Vinum ſanctum verum, a Domino: quare dixit, *Dico vobis, quod non bibiturus ſim a nunc ex hoc* GENIMINE VITIS, *uſque ad diem, quando id bibero vobiſcum in Regno Patris mei*, Matth. XXVI: 29. Luc. XXII: 18. Quia Panis & Vinum illa ſignificabant, ideo etiam *Malchizedech exiens obviam Abramo eduxit* PANEM ET VINUM; *& hic Sacerdos Deo Altiſſimo, & benedixit Abramo*, Geneſ. XIV: 18. 19. Per MINCHAM & LIBAMEN in Sacrificiis ſimilia ſignificata ſunt, de quibus Exod. XXIX: 40. Levit. XXIII: 12. 13. 18. 19. Num. XV: 2 ad 15. Cap. XXVIII: 6. 7. 18. ad finem. Cap. XXIX: 1 ad 7 ſeq: Mincha erat ex ſimila tritici, inde erat loco panis, & Libamen erat ex vino. Ex his conſtare poteſt, quid ſignificatur per hæc Domini verba, *Non mittunt* VINUM NOVUM in

in utres veteres, sed mittunt VINUM *in utres novos, & utraque conservantur*, Matth. IX: 17. Luc. XV: 39; Vinum novum est Divinum Verum Novi Testamenti, ita Novæ Ecclesiæ, & Vinum vetus est Divinum Verum Veteris Testamenti, ita Veteris Ecclesiæ. Simile significatur per hæc verba Domini in nuptiis in Kana Galilææ ,, *Omnis homo primo bonum* VINUM *apponit, & quando sat habuerint, vilius; tu reservasti bonum* VINUM *huc usque*, Joh. II: 1 ad 10. Simile etiam significatur per vinum in Parabola Domini de vulnerato a latronibus, *Quod Samarita infuderit* OLEUM *&* VINUM *in vulnera ejus*, Luc. X: 33. 34, nam per Vulneratum a latronibus intelliguntur qui a Judæis per mala & falsa spiritualiter vulnerati sunt, quibus Samarita opem tulit, infundendo oleum & vinum in vulnera ejus, hoc est, docendo bonum & verum, & quantum potuit, sanando. Sanctum Verum per Mustum & Vinum significatur etiam alibi in Verbo, ut Esaj. I: 21. 22. Cap. XXV: 6. Cap. XXXVI: 17. Hosch. VII: 4. 5. 14. Cap. XIV: 6. 7. 8. Amos II: 8. Sachar. IX: 15. 17. Psalm. CIV: 14. 15. 16. Inde est quod per VINEAM in Verbo significetur Ecclesia quæ in veris a Domino est. Quod Vinum significet sanctum verum, constare etiam potest ex sensu ejus opposito, in quo significat falsificatum & prophanatum verum; ut in his locis ,, *Scortatio*, VINUM *&* MUSTUM, *occupavit cor: recessit* VINUM *eorum, scortando scortati sunt*, Hosc. IV: 11. 17. 18; scortatio significat falsificationem veri, similiter hic vinum & mustum. *Calix in manu Jehovæ, &* VINO *miscuit, implevit mixto & effudit, & feces ejus exugent, bibent omnes impii terræ*, Psalm. LXXV: 9. *Calix auri Babel in manu Jehovæ, inebrians universam terram, de* VINO *ejus biberunt gentes, ideo insaniunt*, Jerem. LI: 7. *Cecidit Babylon, quia ex* VINO *iræ scortationis suæ potavit omnes gentes: si quis bestiam adoret, bibet ex* VINO *iræ Dei mixto mero in calice iræ Dei*, Apoc. XIV: 8. 10. Ex VINO *scortationis suæ Babylon potavit omnes gentes*, Apoc. XVIII: 3. *Babylonis magnæ memoria facta est coram Deo, ad dandum illi poculum* VINI *furoris iræ Dei*, Apoc. XVI: 19. *Inebriati sunt ex* VINO *scortationis ejus inhabitantes terram*, Apoc. XVII: 1. 2. *Per* VINUM, *quod Baltschazer Rex Babelis, & magnates & uxores & pellices ejus, biberunt ex vasis Templi Hierosolymitani, & una laudarunt deos auri, argenti, æris, ferri, ligni & lapidis*, Dan. V: 2 ad 5, nec aliud quam sanctum Verum Verbi & Ecclesiæ prophanatum significatur, quare tunc scriptum est in pariete, & Rex illa nocte occisus est, Vers. 25. 30. Per Vinum significatur Verum falsificatum, etiam Esaj. V: 11. 12. 21. 22. Cap. XXVIII: 1. 3. 7. Cap. XXIX: 10. Cap. LVI: 11. 12. Jerem. XIII: 12. 13. Cap. XXIII: 9. 10. Simile significatur per Libamen quod libabant idolis, Esaj. LXV: 11. Cap. LVII: 6. Jerem. VII: 18. Cap. XLIV: 17. 18. 19. Ezech. XX: 28. Deutr. XXXII: 38. Quod Vinum significet Sanctum Verum, & in opposito sensu prophanatum verum, est ex correspondentia; Angeli enim, qui spiritualiter omnia percipiunt, cum ab homine vinum in Verbo legitur, non aliud intelligunt; talis correspondentia est inter cogitationes naturales hominum, & inter cogitationes spirituales angelorum: simile est cum Vino in Sacra Cæna, inde est quod per Sacram Cænam fiat introductio in Cælum, n. 224, fin.

317.

317. *Et cum aperuisset sigillum quartum, significat a Domino explorationem illorum, super quos ultimum Judicium erit, quoad status vitæ eorum*, ut supra n. 296. 303, cum discrimine de quo sequitur.

318. *Audivi vocem quarti Animalis dicentem, significat secundum Divinum Verum Verbi*, ut supra n. 296. 303.

319. *Veni & aspice, quod significet manifestationem de quartis in ordine*, constat ab explicatis supra n. 297; sed ibi de primis in ordine, hic de quartis.

320. *Et vidi & ecce Equus pallidus, significat intellectum Verbi destructum & quoad bonum & quoad verum.* Per Equum significatur intellectus Verbi, n. 298; & per pallidum significatur non vitale: non vitale in Verbo est illis, qui non in bonis vitæ ex veris doctrinæ sunt; Verbum enim in sensu literæ non intelligitur absque doctrina, & doctrina non percipitur absque vita secundum illam; causa est, quia vita secundum doctrinam, quæ ex Verbo est, aperit spiritualem mentem, ac in illam influit lux e Cælo ac illustrat, & dat percipere; quod ita sit, nescit ille, qui scit vera doctrinæ, & tamen non vivit secundum illa. Quod quartum Animal ostenderit Equum pallidum, est quia illud Animal fuit simile Aquilæ volanti, & per illud ideo significatum est Divinum Verum Verbi quoad cognitiones & inde intellectum, n. 244., quare ostendit, quod apud illos qui nunc visi sunt, non aliquæ cognitiones boni & veri ex Verbo, nec intellectus illarum, essent, & qui tales sunt, in Mundo Spirituali apparent pallidi, sicut qui absque vita sunt.

321. *Et sedens super illo nomen illi mors, & infernus sequebatur cum illo, significat exstinctionem vitæ spiritualis & inde damnationem.* Per mortem hic significatur mors spiritualis, quæ est exstinctio vitæ spiritualis; & per infernum significatur damnatio, quæ sequitur illam mortem. Est quidem cuivis homini ex creatione, & inde ex nativitate, vita spiritualis, sed vita illa exstinguitur, cum negatur Deus, sanctitas Verbi, & vita æterna; exstinguitur in voluntate, sed remanet in intellectu, aut potius in facultate intelligendi; per hanc distinguitur homo a bestiis. Quoniam mors significat exstinctionem vitæ spiritualis, ac infernus damnationem inde, ideo mors & infernus nominantur simul in aliquibus locis, ut in his ,, *E manu* INFERNI *redimam eos, e* MORTE *liberabo eos: ero pestis tua* MORS, *ero exitium tuum* INFERNE, Hosch. XIII: 14. *Circumdederunt me funes* MORTIS; *funes* INFERNI *circumdederunt me, prævenerunt me laquei* MORTIS, Psalm. XVIII: 5. 6. Psalm. CXVI: 1. *Sicut pecus in* INFERNO *ponentur, Mors pascet eos:* INFERNUS *pro habitaculo illi, verum Deus redimet animam meam e manu* INFERNI, Psalm. XLIX: 15. 16. *Habeo claves* INFERNI & MORTIS, Apoc. I: 18.

322. *Et data illis potestas interficiendi super quartam partem terræ, significat destructionem omnis boni Ecclesiæ.* Quoniam per mortem intelligitur exstinctio vitæ spiritualis hominis, & per infernum damnatio, sequitur quod per interficere hic intelligatur destruere vitam animæ hominis; vita animæ est vita spiritualis: per quartam partem terræ, significatur omne bonum Ecclesiæ; terra est Ecclesia, n. 285. Quod quarta pars sit omne bonum, non potest sciri ab aliquo, nisi sciat quid numeri in Verbo significant; numeri 2 & 4 in Verbo dicuntur

cuntur de bonis, & ſignificant illa; ac numeri 3 & 6 dicuntur de veris, & ſignificant illa; inde quarta pars, ſeu ſimpliciter quartum, ſignificat omne bonum, & tertia pars, ſeu ſimpliciter tertium, ſignificat omne verum; quare per interficere quartam partem terræ, hic ſignificatur deſtruere omne bonum Eccleſiæ: quod non ſedenti ſuper Equo pallido daretur poteſtas interficiendi quartam partem terræ habitabilis, patet. Præterea quatuor in Verbo, ſignificant conjunctionem boni & veri. Quod hæc & illa per quatuor ſignificentur, quidem ex Verbo confirmari poteſt, ut ex Quatuor Animalibus ſeu Cherubis, Ezech. I. VII. X. Apoc. V. per Quatuor Currus inter duos montes æris, Sachar. VI. 2. Per Quatuor Cornua, Sach. II. perque Quatuor Cornua Altaris, Exod. XXVII. 1 ad 9. Apoc. IX: 13. Per Quatuor Angelos ſtantes ſuper Quatuor angulis terræ, tenentes Quatuor Ventos terræ, Apoc. VII: 1. Matth. XXV: 31: tum per viſitare iniquitatem ſuper Tertianos & Quartanos, Num. XIV: 18; & alibi, per generationem Tertiam & Quartam; per hæc & plura in Verbo, inquam, confirmari poteſt, quod Quatuor dicantur de bonis, ac ſignificent illa, & quoque conjunctionem boni & veri; ſed quia id abſque prolixa explicatione illorum locorum non patet, ſatis eſt indicare, quod non aliud per Quatuor & per Quartam partem in Cælo intelligatur.

323. *In romphæa & in fame & in morte & a beſtiis terræ, ſignificat per falſa doctrinæ, per mala vitæ, per amorem proprii, & per concupiſcentias.* Quod per Romphæam ſignificetur verum pugnans contra mala & falſa & deſtruens illa, & in oppoſito ſenſu falſum pugnans contra bona & vera & deſtruens illa, videatur ſupra n. 52. 108. 117; hic itaque per machæram, quia agitur de deſtructione omnis boni Eccleſiæ, ſignificantur falſa doctrinæ; quod per Famem ſignificentur mala vitæ, confirmabitur infra; quod per Mortem ſignificetur amor proprii hominis, eſt quia per mortem ſignificatur exſtinctio vitæ ſpiritualis, & inde vita naturalis ſeparata a vita ſpirituali, ut ſupra n. 321, & hæc vita eſt vita amoris proprii hominis, ex hac enim vita homo non amat aliud quam ſe & mundum, & inde quoque amat omnis generis mala, quæ ex illius vitæ amore ei jucunda ſunt; quod per Beſtias terræ, ſignificentur concupiſcentiæ ex illo amore, videbitur infra n. 567. Hic aliquid dicetur de ſignificatione famis: Fames ſignificat, deprivationem & rejectionem cognitionum veri & boni, oriundam ex malis vitæ; tum ſignificat ignorantiam cognitionum veri & boni oriundam ex defectu earum in Eccleſia; & quoque ſignificat deſiderium ad ſciendum ac intelligendum illas. I. Quod fames ſignificet deprivationem & rejectionem cognitionum veri & boni oriundam ex malis vitæ, & inde mala vitæ, conſtare poteſt ex ſequentibus locis „ GLADIO & FAME *conſumentur, ut ſit cadaver eorum in cibum avibus cælorum &* BESTIÆ terræ, Jerem. XVI: 4. *Duo hæc obvenient tibi, devaſtatio & confractio, &* FAMES & GLADIUS, Eſaj. LI: 19. *Ecce Ego viſitans ſuper iis, juvenes morientur* GLADIO, *filii & filiæ morientur* FAME, Jerem. XI: 22. *Da filios ejus* FAMI, *& defluere fac illos ſuper manus* GLADII, *ut homines fiant occiſi* MORTE, Jerem. XVIII. 21. *Mittam in eos* GLADIUM, FAMEM & PESTEM, *& dabo eos ſicut ficus horridas quæ non comedi poſſunt præ malitia, & perſequar poſt eos,* GLADIO, FAME & PESTE, Jerem. XXIX:

III. IV.
15. 41. I. 18.
XXIV.

XXIX: 17. 18. *Mittam in eos* GLADIUM, FAMEM *&* PESTEM, *donec consumuntur desuper terra*, Jerem. XXIV: 10. *Ego proclamo vobis libertatem ad* GLADIUM, *ad* FAMEM *& Pestem, & tradam vos in commotionem omnibus Gentibus*, Jerem. XXXIV: 17. *Quia Sanctuarium meum polluistis, tertia pars tui* PESTE *morientur &* FAME *consumentur, & tertia pars* GLADIO *cadent: cum misero tela* FAMIS *mala in eos, quæ erunt in perditionem*, Ezech. VI: 11. 12. 16. 17. GLADIUS *foris, &* PESTIS *atque* FAMES *intus*, Ezech. VII: 15. *Propter omnes abominationes malas, per* GLADIUM, *per* FAMEM *& per* PESTEM *cadent*, Ezech. VI: 11. 12. *Quatuor judicia mea mala*, GLADIUM, FAMEM, *&* BESTIAM *malam, &* PESTEM *mittam super Hierosolymam, ad exscindendum ex ea hominem & bestiam*, Ezech. XIV: 13. 15. 21; præter alibi, ut Jerem. XIV: 12. 13. 15. 16. Cap. XLII: 13. 14. 16. 17. 18. 22. Cap. XLIV: 12. 13. 27. Matth. XXIV: 7. 8. Marc. XIII. 8. Luc. XXI: 11; per gladium, famem, pestem & bestiam in illis locis similia significantur, quæ hic per romphæam, famem, mortem, & bestias terræ; in Verbo enim est spiritualis sensus in singulis, in quo gladius est destructio vitæ spiritualis per falsa, fames est destructio vitæ spiritualis per mala, bestia terræ est destructio vitæ spiritualis per cupiditates falsi & mali, ac pestis & mors est plenaria consumtio, & sic damnatio. II. Quod Fames significet ignorantiam cognitionum veri & boni oriundam ex defectu illarum in Ecclesia, constat etiam ex variis locis in Verbo, ut Esaj. V: 13. Cap. VIII: 19 ad 22. Thren. II: 9. Cap. V: 8. 9. 10. Amos VIII: 11 ad 14: Hiob V: 17. 20, & alibi. III. Quod Fames seu Esuritio significet desiderium sciendi & intelligendi vera & bona Ecclesiæ, patet ex his, Esaj. VIII: 10. Cap. XXXII: 6. Cap. XLIX: 10. Cap. LVIII: 6. 7. I Sam. II: 4. 5. Psalm. XXXIII: 18. 19. Psalm. XXXIV: 10. 11. Psalm. XXXVII: 18. 19. Psalm. CVII: 8. 9. 35. 36. 37. Psalm. CXLVI: 7. Matth. V: 6. Cap. XXV. 35, 37. 44. Luc. I: 53. Joh. VI: 35, & alibi.

324. *Et cum aperuisset quintum sigillum, significat a Domino explorationem status vitæ illorum, qui die ultimi Judicii salvandi erunt, ac interea reservati.* Quod de illis hic agatur, patet a nunc sequentibus. At sciendum est, quod de his & similibus agatur in toto Cap. XX: seq. cujus Explicatio videatur a n. 839 ad 874; ex qua patet quinam sunt, & cur reservati.

325. *Vidi subter Altari animas occisorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, significat illos qui a malis odio habiti sunt, contumeliis affecti, & rejecti propter vitam secundum vera Verbi, & agnitionem Divini Humani Domini, ne seducerentur a Domino custoditi sunt.* Subter Altari, significat inferiorem terram ubi custoditi a Domino; Altare significat cultum Domini ex bono amoris; per animas occisorum, non hic significantur martyres, sed qui odio habentur, contumeliis afficiuntur & rejiciuntur a malis in Mundo spirituum, & qui a draconicis & hæreticis possunt seduci; propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, significat propter vitam secundum vera Verbi, & propter agnitionem Divini Humani Domini; testimonium in Cælo non datur aliis quam qui agnoscunt Divinum Humanum Domini, Dominus enim est qui testatur, & dat Angelis testari, n. 16, *Est enim testimonium Je-*

su

su spiritus prophetiæ, Apoc. XIX: 10. Quoniam erant sub Altari, patet quod a Domino custoditi sint; custodiuntur enim omnes a Domino, ne lædantur a malis, qui aliquam vitam charitatis egerunt, & post ultimum Judicium, quando remoti sunt mali, eximuntur e custodiis, & elevantur in Cælum; vidi post Ultimum Judicium sæpius ex inferiore terra emissos & translatos in Cælum. Quod per Occisos intelligantur, qui rejiciuntur, contumeliis afficiuntur, odio habentur a malis in mundo Spirituum, & qui seduci possunt; tum qui desiderant scire vera, sed propter falsa in Ecclesia non possunt, constare potest ex his locis „ *Dixit Jehovah Deus*, *pasce oves* OCCISIONIS, *quas possessores earum* OCCIDUNT: *& pavi oves* OCCISIONIS *propter vos*, *miseri gregis*, Sach. XI: 4. 5. 7. OCCISI *sumus omni die*, *reputati sumus sicut grex* MACTATIONIS, *ne desere Jehovah*, Psalm. XLIV: 23. 24. *Venturos radicabit Jacobus*, *num juxta cædem* OCCISORUM *ejus* OCCISUS *est*, Esaj. XXVII: 6. 7. *Audivi vocem filiæ Sionis*, *væ mihi*, *delassata est anima mea ab* OCCISORIBUS, Jerem. IV: 31. *Tradent vos in afflictionem*, *&* OCCIDENT *vos*, *& eritis odio habiti propter Nomen meum*, Matth. XXIV: 9. Joh. XVI: 23; hæc dicit Dominus ad Discipulos, sed per Discipulos intelliguntur omnes, qui colunt Dominum, & vivunt secundum vera Verbi Ipsius; hos mali in Mundo spirituum continue volunt occidere; verum quia hoc ibi non possunt quoad corpus, continue volunt quoad animam; & cum hoc non possunt, flagrant tali odio contra illos, ut nihil jucundius sentiant, quam illis malefacere; quæ causa est, quod a Domino custodiantur, & dum mali ejecti sunt in infernum, quod fit post Ultimum Judicium, ex custodiis suis educantur; sed videantur explicationes super Cap. XX^mum, & de his, n. 846 ibi. Quod occidere in Verbo significet perdere animas, quod est spiritualiter occidere, patet a multis locis ibi, ut quoque ab his, Esaj. XIV: 19. 20. 21. Cap. XXVI: 21. Jerem. XXV: 33. Thren. II: 21. Ezech. IX: 1. 6. Apoc. XVIII: 24.

326. *Et clamabant voce magna*, *quod significet dolorem cordis*, patet a nunc sequentibus.

327. *Dicentes*, *usque quo Domine*, *non judicas & vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra*, *significat super id quod Ultimum Judicium protrahatur*, *& non removentur qui violentiam inferunt Verbo & Divino Domini*. Usque quo Domine non judicas, significat cur Ultimum Judicium protrahitur; & vindicas sanguinem nostrum, significat cur non ex justitia condemnantur illi, qui violentiam illis intulerunt, propter agnitionem Divini Humani Domini, & propter vitam secundum vera Verbi Ipsius; per sanguinem, significatur violentia illis illata, n. 379: per habitantes super terra, intelliguntur mali in Mundo spirituum, a quibus ne lædantur custoditi sunt.

328. *Et datæ singulis stolæ albæ*, *significat quod illis data sit communicatio & conjunctio cum Angelis qui in Divinis veris erant*. Vestes significant vera, n. 166; ac Vestes albæ genuina vera, n. 212; quod hæc significentur per vestes, est quia omnes in Cælis sunt vestiti secundum vera apud illos, & cuique est vestis secundum conjunctionem cum Societatibus Angelicis; quare cum datur conjunctio, apparent illico similiter vestiti; inde est, quod per datæ sint singulis

gulis ſtolæ albæ, ſignificetur quod illis data ſit communicatio & conjunctio cum angelis qui in Divinis veris erant. Stolæ, Togæ, Pallia, ſignificant vera in communi, quia Indumenta communia erant. Qui hanc ſignificationem illorum novit, poteſt noſſe arcana, quæ in ſequentibus latent ,, *Quod Elias, cum invenit Eliſæum, projecerit* TOGAM *ſuper illum*, I Reg. XIX: 19. *Quod Elias per* TOGAM *ſuam diviſerit aquas Jordanis*, II Reg. II: 8. *Similiter Eliſæus*, II Reg. II: 14. *Quod* TOGA *deſuper Elia, cum ſublatus eſt, deciderit, & Eliſæus ſuſtulerit illam*, II Reg. II: 12. 13; per Eliam enim & Eliſæum repræſentatus eſt Dominus quoad Verbum, & inde Toga illorum ſignificabat Divinum Verum Verbi in communi: tum quid ſignificabat *Pallium Ephodi Aharonis, ſuper cujus fimbriis malogranata hyacinthini & purpuræ, & tintinnabula auri*, Exod. XXVIII: 31 ad 35; quod ſignificaverit Divinum Verum in communi, videantur ARCANA CÆLESTIA Londini edita, n. 9825. Similia per Pallia & Togas ſignificantur in his locis ,, *Deſcendent deſuper thronis ſuis omnes principes maris, & abjicient* PALLIA *ſua*, Ezech. XXVI: 16. *Scribæ & Phariſæi, ut ſpectentur ab hominibus, magnificant fimbrias* PALLIORUM *ſuorum*, Matth. XXIII: 5. *Populus meus pro hoſte ſibi ſtatuit propter veſtem*, TOGAM *extrahitis a tranſeuntibus*, Mich. II: 8, & alibi.

329. *Et dictum, ut adhuc requiſcerent tempus parvum, uſque dum complentur & conſervi eorum, qui futuri occidi ſicut illi, ſignificat quod ultimum Judicium parum adhuc protraheretur, uſque dum ab undequaque collecti fuerint, qui ſimiliter odio habentur, contumeliis afficiuntur, & rejiciuntur a malis propter agnitionem Divini Humani Domini, & vitam ſecundum vera Verbi Ipſius.* Quod hæc ſignificentur, patet a ſupradictis. Similia ſignificantur per hæc apud Eſajam ,, *Vivent mortui tui; evigilate & jubilate habitatores pulveris: abi popule mi, intra in cubicula tua, & claude januam paſt te, occulta te ſicut parum momenti, uſque dum tranſeat ira: nam ecce Jehovah exiens e loco ſuo, ad viſitandum iniquitatem habitatoris terræ ſuper illum; tunc revelabit terra ſanguines ſuos, & non celabit amplius Occiſos ſuos*, XXVI: 19. 20. 21. Sed, ut ſupra dictum eſt, de his & ſimilibus agitur in Capite XX ſeq: quod explicatum eſt a n. 839 ad 874.

330. *Et vidi cum aperuiſſet ſigillum ſextum, ſignificat a Domino explorationem ſtatus vitæ illorum, qui interius mali erant, ſuper quos Judicium futurum eſt.* Quod de his agatur, patet a nunc ſequentibus; ſed ut illa intelligantur, duo Arcana revelanda ſunt, PRIMUM; quod Ultimum Judicium non ſuper alios factum ſit, quam qui in externa forma apparuerunt ſicut Chriſtiani, & ore profeſſi ſunt illa quæ Eccleſiæ ſunt, ſed in interna forma ſeu corde fuerunt contra illa; & quia tales, ideo quoad Exteriora conjuncti fuerunt cum Cælo ultimo, & quoad Interiora cum Inferno. ALTERUM; quod quamdiu conjuncti fuerunt cum Cælo ultimo, tamdiu clauſa eſſent Interna voluntatis & amoris eorum, ex quo non apparuerunt mali coram aliis; at cum ſeparati ſunt a Cælo ultimo, tunc recluſa ſunt Interiora illorum, quæ in omni oppoſito fuerunt cum Exterioribus, ex quibus ſimulaverunt & mentiti ſunt quod Angeli Cæli eſſent, & quod loca ubi habitabant, eſſent Cæli: hi Cæli ita vocati, erant qui tempore Ultimi Judicii tranſiverunt, Apoc. XXI: 1. Sed plura de his videantur in Opuſculo de

ULTIMO JUDICIO, n. 70. 71: & in CONTINUATIONE DE ULTIMO JUDICIO, n. 10.

331. *Et ecce terræ motus magnus factus est, significat statum Ecclesiæ apud illos prorsus immutatum, & terrorem.* Quod Terræ motus significent status mutationes in Ecclesia, est quia Terra significat Ecclesiam, n. 285; & quia in Mundo spirituali, dum alicubi pervertitur status Ecclesiæ, & fit mutatio, existit terræ motus, & quia hic prænuntiat interitum illorum, fit terror: Terræ enim in Mundo spirituali sunt quoad faciem similes terris in Mundo naturali, n. 260; sed quia Terræ ibi, sicut omnia alia in illo Mundo, sunt ex origine spirituali, ideo secundum statum Ecclesiæ habitatorum super illis mutantur, & dum pervertitur status Ecclesiæ, commoventur & tremiscunt, imo subsidunt & emoventur loco: quod ita factum sit, cum Ultimum Judicium instabat & fiebat, videri potest in Opusculo de ULTIMO JUDICIO. Ex his constare potest, quid significatur per Terræ motus, concussiones & commotiones, in sequentibus locis „ *Erunt Pestes, Fames, Terræ motus in variis locis*, Matth. XXIV: 8. Marc. XIII: 8. Luc. XXI: 11; illa ibi dicta sunt de Ultimo Judicio. *In igne indignationis loquar, si non in die illo fuerit* TERRÆ MOTUS *magnus, ut contremiscat omnis homo super faciebus terræ, & evertantur montes*, Ezech. XXXVIII: 18. 19. 20. *Factus est* TERRÆ MOTUS *magnus, qualis non factus est, ex quo homines facti sunt super terra*, Apoc. XVI: 18. COMMOVEBO *Cælum*, & COMMOVEBITUR *Terra e loco suo, in indignatione Jehovæ Zebaoth*, Esaj. XIII: 12. 13. CONCUSSA *sunt fundamenta terræ*, COMMOVENDO COMMOTA *est Terra, quia gravis super illam prævaricatio ejus*, Esaj. XXIV: 18. 19. 20. CONCUSSA & COMMOTA *est Terra, & fundamenta montium, quia exarsit Ipsi*, Psalm. XVIII: 17. 18. *Montes* CONTREMISCUNT *coram Jehovah, & Petræ* EVERTUNTUR, Nah. I: 5. 6, similiter alibi, ut Jerem. X: 10. Cap. XLIX: 21. Joel. II: 10. Hagg. II: 6. 7. Apoc. XI: 19, & alibi: sed hæc intelligenda sunt fieri in Mundo spirituali, non autem in Mundo naturali; in hoc significant, talia quæ supra dicta sunt.

332. *Et Sol factus est niger tanquam saccus pilosus, & Luna facta est tanquam sanguis, significat apud illos omne bonum amoris adulteratum, & omne verum fidei falsificatum.* Quod per Solem significetur Dominus quoad Divinum Amorem, & inde Bonum amoris ab Ipso; & in opposito sensu Divinum Domini negatum, & inde bonum amoris adulteratum, videatur supra n. 53; & quia Sol significat bonum amoris, inde Luna significat Verum fidei; Sol enim rubet ex igne, & Luna candet ex luce a Sole, & ignis significat bonum amoris, & lux verum ex illo bono; de Luna videantur etiam loca allata supra n. 53. Quod Sol dicatur factus niger sicut saccus pilosus, est quia bonum adulteratum in se est malum, & malum est nigrum: quod Luna dicatur facta sicut sanguis, est quia sanguis significat Divinum Verum, & in opposito sensu Divinum Verum falsificatum, videatur infra n. 379. 684: de Sole & Luna pæne simile dicitur apud Joelem „ *Sol vertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam venit dies Jehovæ magnus & terribilis*, III: 4.

333. *Et stellæ cæli ceciderunt in terram, significat omnes cognitiones boni & veri* dis-

disparatas. Quod stellæ significent cognitiones boni & veri, videatur supra n. 51; quod cadere e cælo in terram sit disparari, patet: in Mundo spirituali etiam apparent stellæ cadere e Cælo in terram ibi, ubi cognitiones boni & veri pereunt.

334. *Sicut ficus dejicit grossos suos a magno vento agitata, significat per ratiocinationes naturalis hominis separati a spirituali.* Quod dicatur quod significent, cum tamen est comparatio, est quia omnes comparationes in Verbo similiter sunt correspondentiæ, & in spirituali sensu cohærent cum re de qua agitur, similiter hic: Ficus enim ex correspondentia significat bonum naturale hominis conjunctum cum bono spirituali ejus, hic autem in opposito sensu bonum naturale hominis separatum a bono spirituali ejus, quod non est bonum; & quia naturalis homo separatus a spirituali cognitiones boni & veri, quæ per stellas significantur, per ratiocinationes pervertit, sequitur quod hoc significetur per ficum a magno vento agitatam: quod per ventum & procellam significetur ratiocinatio, patet a pluribus locis in Verbo, sed illa hic adducere, quia est comparatio, non opus est. Quod ficus significet bonum naturale hominis, est quia omnis arbor significat aliquid Ecclesiæ apud hominem, ita quoque hominem quoad illud; in confirmationem sint hæc „ *Omnis exercitus cæli decidet, sicut decidit folium e vite, & sicut decidit de Ficu*, Esaj. XXXIV: 4. *Consumam eos, non uvæ in vite, neque Ficus in Ficu, & folium defluet*, Jerem. VIII: 13. *Omnia munimenta tua, ut Ficus cum primitiis, quæ si commoventur, decidunt super os comedentis*, Nah. III: 12; præter alibi, ut Esaj. XXIV: 2. 3. 5. 8. Cap. XXXVIII: 21. Jerem. XXIX: 17. 18. Hosch. II: 12. Cap. IX: 10. Joel I: 7. 12. Sach. III: 10. Matth. XXI: 18 ad 21. Cap. XXIV: 32. 33. Marc. XI: 12 ad 15. 19 ad 25. Luc. VI: 44. Cap. XIII: 6 ad 9; in quibus locis non aliud per Ficus intelligitur.

335. *Et cælum abscessit sicut liber convolutus, significat separationem a Cælo & conjunctionem cum Inferno.* Quod dicatur quod Cælum abscesserit sicut Liber convolutus, est quia Interior intellectus & inde cogitatio hominis est sicut Cælum, potest enim Intellectus ejus elevari in lucem Cæli, & in elevatione una cum Angelis cogitare de Deo, de Amore & Fide, & de Vita æterna; sed si Voluntas ejus non simul elevatur in calorem Cæli, usque homo non est conjunctus Angelis Cæli, ita non est sicut Cælum: quod ita sit, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, in Parte Quinta. Per illam Intellectus facultatem potuerunt mali, de quibus hic agitur, in consociatione esse cum Angelis Cæli Ultimi; at cum hi ab illis separati sunt, tunc abscessit Cælum illorum, sicut Liber convolutus. Per Librum convolutum intelligitur Membrana convoluta, quoniam Libri illorum fuerunt membranæ, & comparatio fit cum libro, quia Liber etiam est Verbum, n. 256, quare cum id ut membrana convolvitur, non apparet quidquam quod inibi, & est sicut non sit: propterea simile dicitur apud Esajam „ *Contabescet omnis Exercitus cælorum, & convolventur Cæli sicut Liber, ac decidit sicut folium decidit de ficu* „ XXXIV: 4; exercitus sunt bona & vera Ecclesiæ ex Verbo, n. 447. Ex his constare potest, quod per Cælum abscessit sicut Liber convolutus,

lutus, significetur separatio a Cælo, & conjunctio cum Inferno: quod separatio a Cælo sit conjunctio cum Inferno, patet.

336. *Et omnis mons & insula e locis suis emota est, significat quod omne bonum amoris & verum fidei recesserit.* Quod hæc per illa significentur, nemo videre potest nisi per sensum spiritualem; quod significentur, est quia per Montes intelliguntur qui in bono amoris sunt, quia Angeli habitant super montibus, editioribus qui in amore in Dominum sunt, & super minus editis qui in amore erga proximum sunt, quare per omnem montem significatur omne bonum amoris; quod per Insulas intelligantur remotiores a cultu Dei, videatur supra n. 34, hic qui in fide sunt, & non ita in bono amoris, inde in sensu abstracto per omnem insulam significatur omne verum fidei; per emoveri e locis suis significatur recedere: ex habitationibus ergo Angelorum super montibus & collibus derivatur, quod per montes & colles in Verbo significetur Cælum & Ecclesia, ubi est amor in Dominum & amor erga proximum, ac in opposito sensu Infernum ubi est amor sui & amor mundi. Quod Cælum & Ecclesia, ubi amor in Dominum & amor erga proximum sunt, & sic ubi est Dominus, per montes & colles significentur, patet ex sequentibus his locis, *Tolle oculos ad* MONTES, *unde venit auxilium*, Psalm. CXXI: 1. *En super* MONTIBUS *pedes evangelizantis pacem*, Nah. II: 1. Esaj. LII: 7. *Laudate Jehovam* MONTES & COLLES, Psalm. CXLVIII: 9. MONS DEI MONS *Baschanis*, MONS COLLIUM MONS *Baschanis; quare subsilitis* MONTES, COLLES MONTIS, *desiderat Jehovah habitare illos, etiam Jehovah habitabit in perpetuum*, Psalm. LXVIII: 16. 19. MONTES *saltarunt sicut arietes*, COLLES *sicut filii gregis; coram Domino parturis Terra*, Psalm. CIV: 2 ad 6. *Producam ex Jacobo semen, & ex Jehudah hæredem* MONTIUM *meorum, ut possideant eos electi mei, & servi mei habitent ibi*, Esaj. LXV: 9. *In Consummatione sæculi; tunc qui in Judæa fugiant in* MONTES, Matth. XXIV: 16. *Jehovah, justitia tua sunt* MONTES DEI, Psalm. XXXVI: 7. *Jehovah exibit & pugnabit, stabunt pedes Ipsius in die illo super* MONTE OLIVARUM *ante facies Hierosolymæ ab Oriente*, Sach. XIV: 3. 4. Quoniam Mons olivarum significabat Divinum amorem, *ideo Dominus diebus prædicavit in Templo, noctibus autem egrediens pernoctavit in* MONTE OLIVARUM, Luc. XXI: 37. Cap. XXII: 39. Joh. VIII: 1: *& ideo Dominus super illo* MONTE *loquutus est cum discipulis de adventu suo & de consummatione sæculi*, Matth. XXIV: 3. Marc. XIII: 3 seq. Et quoque *inde ivit Hierosolymam & passus est*, Matth. XXI: 1. Cap. XXVI: 30. Marc. XI: 1. Cap. XIV: 26. Luc. XIX: 29. 37. Cap. XXI: 37. Cap. XXII: 39. Quoniam Mons significabat Cælum & Amorem, inde *Jehovah descendit super* CAPUT MONTIS SINAI, *& promulgavit Legem*, Exod. XIX: 20. Cap. XXIV: 17. *Et ideo Dominus coram Petro, Jacobo & Johanne, super* MONTE ALTO *transformatus est*, Matth. XVII: 1. Et ideo Sion fuit super Monte, & quoque Hierosolyma, & hæc & illa vocata est MONS JEHOVÆ ET MONS SANCTITATIS, multis in locis in Verbo. Similia per Montes & Colles significantur alibi, ut Esaj. VII: 25. Cap. XXX: 25. Cap. XL: 9. Cap. XLIV: 23. Cap. XLIX: 11. 13. Cap. LV: 12. Jerem. XVI: 15. 16. Ezech. XXXVI: 8. Joel IV: 18. Amos IX: 13. Cap.

Cap. IX: 13. 14. Pfalm. LXV: 7. Pfalm. LXXX: 9. 11. Pfalm. CIV; 5 ad 10. 13. Quod Montes & Colles fignificent illos Amores, manifeftius adhuc conftare poteft ex fenfu oppofito illorum, in quo fignificant amores infernales, qui eft Amor fui & Amor mundi, ut patet ex his locis „ *Dies Jehovæ veniet fuper omnes* MONTES ALTOS, *& fuper omnes* COLLES ELATOS, Efaj. II: 12. 14. *Omnis Vallis extolletur, & omnis* MONS *&* COLLES *humiliabitur*, Efaj. XL: 3. 4. 5. *Evertentur* MONTES, *& cadent gradus*, Efaj. XXXVIII: 20. 21. *Ecce Ego contra te Mons perdens univerfam terram, dabo te in* MONTEM COMBUSTIONIS, Jerem. LI: 25. *Vidi* MONTES *& ecce commoventur, & omnes* COLLES *evertuntur*, Jerem. IV: 23. 24. 25. *Ignis accenfus in ira mea, & inflammabit fundamenta* MONTIUM, Deutr. XXXII: 22. *Vaftabo* MONTES *&* COLLES, Efaj. XLII: 15. *Ecce Jacob, pofui te ficut tribulam, ut tritures & conteras* MONTES, *&* COLLES *ficut glumam ponas, ut ventus auferat eos*, Efaj. XLI: 15. 16. *Date Jehovæ gloriam, antequam offendunt pedes ad* MONTES CREPUSCULI, Ezech. XIII: 16. Nec aliud intelligitur per SEPTEM MONTES, *fuper quibus Mulier, quæ erat Babylon, fedit*, Apoc. XVII: 9; præter alibi, ut Efaj. XIV: 13. Cap. L: 6. Jerem. IX: 9. Ezech. VI: 3. Cap. XXXIV: 6. Mich. VI: 1. 2. Nah. I: 5. 6. Pfalm. XLVI: 3. 4. Ex his nunc conftare poteft, quid intelligitur per quod omnis Mons & Infula e locis fuis emota fint; tum quid in fequentibus, per quod *Omnis Infula fugit, & Montes non inventi funt*, Apoc. XVI: 20, n. 714.

337. *Et reges terræ & magnates & divites & chiliarchi & potentes & omnis fervus & omnis liber, fignificat illos qui, ante feparationem fuerunt in intellectu veri & boni, in fcientia cognitionum illorum, in eruditione, ab aliis vel a feipfis, & ufque non in vita fecundum illa.* Quod hæc omnia per illos in fuo ordine fignificentur, nemo poteft fcire, nifi qui fcit quid in fenfu fpirituali fignificatur per reges, per magnates, per divites, per chiliarchos, per potentes, per fervum & liberum; in fenfu fpirituali per reges fignificantur qui in veris funt, per magnates qui in bonis, per divites qui in cognitionibus veri, per chiliarchos qui in cognitionibus boni, per potentes qui in eruditione, per fervos qui in talibus funt ex aliis, ita ex memoria, per liberos qui in talibus funt ex feipfis, ita ex judicio: fed quod illi per omnia hæc nomina fignificentur, confirmare ex Verbo, nimis prolixum foret; quid reges fignificant, prius n. 20, oftenfum eft; & quid divites, n 206; quid magnates, patet apud Jerem. V: 5. Nah. III: 10. Jon. III: 7; magnum enim prædicatur de bono, n. 896. 898; quod potentes, ac quod fervi & liberi, fint qui in eruditione, ex aliis aut ex feipfis, videbitur infra. Dicitur, qui in illis fuerunt, & ufque non in vita fecundum illa, quoniam mali, imo peffimi, poffunt in fcientia & in intellectu cognitionum veri & boni effe, & quoque in multa eruditione, fed quia non funt in vita fecundum illa, actualiter non in illis funt; nam quod folum in intellectu eft, & non fimul in vita, id non eft in homine, eft extra illum ficut in atrio; at quod fimul in vita eft, hoc in homine eft, eft intra illum ficut in domo; quare hi confervati funt, & illi rejecti.

338. *Abfconderunt feipfos in fpeluncis & in petris montium, fignificat nunc illos* in

in malis, & in in falsis mali. Quod per abscondere se in speluncis & in petris montium, significetur esse in malis & in falsis mali, est quia illi qui simulaverunt coram mundo quod in bono amoris essent, & tamen fuerunt in malo, post mortem abscondunt se in speluncis; & qui simulaverunt quod in veris fidei essent, & tamen in falsis mali fuerunt, abscondunt se in petris montium: introitus apparent sicut foramina in terris, & sicut fissuræ in montibus, in quæ sicut serpentes se inferunt, & se inibi abscondunt. Quod talia sint domicilia illorum, sæpius vidi. Inde est, quod per Speluncas significentur mala apud tales, & per foramina & fissuras falsa mali, in sequentibus locis,, *In die illo intrabunt in* SPELUNCAS PETRARUM, & in FISSURAS RUPIUM, quando surget Jehovah *ad terrendum Terram*, Esaj. II: 19. *In die illo intrabunt in* SCISSURAS PETRARUM, *& in* FISSURAS RUPIUM *propter pavorem Jehovæ*, Esaj. II: 21. *Habitabunt in* FISSURA *vallium, & in* FORAMINIBUS *terræ & Petris*, Hiob. XXX: 6. *Superbia cordis tui decepit te, qui habitas in* FISSURIS, Obad. Vers. 3. *In die illo venient & quiescent in fluviis desolationum, & in* FISSURIS PETRARUM, Esaj. VII: 19. *Palatium erit desertum, clivus & specula erunt super* SPELUNCIS *in æternum*, Esaj XXXII: 14. *Superbia cordis decepit te, qui habitas in Foraminibus petræ*, Jerem. XLIX: 16. *Venabuntur eos desuper omni monte & colle, & ex* FORAMINIBUS PETRARUM; *non occultabuntur coram Me, neque latebit iniquitas eorum*, Jerem. XVI: 16. 17. *In die illo ludet sugens super* FORAMINE *viperæ, & ablactatus super* SPELUNCAM *basilisci mittet manum*, Esaj. XI: 8.

339. *Et dicebant montibus & petris, cadite super nos, & abscondite nos a facie Sedentis super Throno, & ab ira Agni, significat confirmationes mali per falsum ac falsi ex malo, usque ut non agnoscerent aliquod Divinum Domini.* Per montes significantur amores mali, ita mala, n. 336; & per petras significantur falsa fidei; per cadere super illos & abscondere illos, significatur tutari contra influxum e Cælo; & quia hoc fit per confirmationes mali per falsum, ac falsi ex malo, ideo hæc significantur; per abscondere se a facie Sedentis super Throno & ab ira Agni, significatur usque dum non agnoscerent aliquod Divinum Domini, per Sedentem super Throno intelligitur Divinum Domini a Quo, & per Agnum Ipse quoad Divinum Humanum; Dominus quoad utrumque erat super Throno, ut supra ostensum est. Quod dicatur a facie & ab ira Ipsius, est quia omnes illi qui in speluncis & in petris sunt, non audent pedem ex illis efferre, ne quidem digitum exsertare, propter tormentum & cruciatum, si hoc faciunt; causa est, quia odio habent Dominum, usque ut non possint nominare Ipsum; & sphæra Divina Domini implet omnia, quam a se non possunt removere, quam per confirmationes mali per falsum, & falsi ex malo; jucunda malorum faciunt id. Similia significantur per hæc apud Hoscheam ,, *Dicent montibus, operite nos, & collibus cadite super nos*, X: 8: & apud Lucam ,, *Tunc incipient dicere montibus, cadite super nos, & collibus occultate nos*, XXIII. 30. Quod hic sensus spiritualis illorum verborum sit, non potest apparere in litera, sed apparet in sensu spirituali ex eo, quod dum ultimum Judicium peragitur, tunc qui in malo sunt & volunt in bono esse, dura in principio

cipio patiantur, at minus dura tunc qui se in suo malo per falsa confirmant; nam hi suum malum operiunt per falsa, illi autem suum malum nudant, & tunc influxum Divinum non sustinent, ut sequitur: speluncæ & cavernæ, in quas se conjiciunt, sunt correspondentiæ.

340. *Quia venit dies magnus iræ Ipsius, & quis potest consistere, significat quod tales facti sint a seipsis per separationem a bonis & fidelibus propter ultimum Judicium, quod alioquin non sustinerent.* Per diem magnum iræ Agni significatur dies Ultimi Judicii; & per quis potest consistere, significatur non posse sustinere præ cruciatu: cum enim Ultimum Judicium instat, Dominus cum Cælo appropinquat, & ex illis qui infra sunt, in Mundo spirituum, non alii adventum Domini sustinere possunt, quam qui interius boni sunt, & illi interius boni sunt, qui fugiunt mala ut peccata, & spectant ad Dominum. Quod dies iræ Domini significet Ultimum Judicium, patet manifeste ab his locis; *Dum nondum venit super vos* EXCANDESCENTIA IRÆ *Jehovæ, dum nondum venit super vos* DIES IRÆ *Jehovæ, forte abscondemini in* DIE IRÆ *Jehovæ*, Zeph. II: 2. 3. *Ecce* DIES JEHOVÆ *venit crudelis, & indignationis, &* EXCANDESCENTIÆ IRÆ, Esaj. XIII: 9. 13. *Propinquus est* DIES JEHOVÆ *magnus*, DIES EXCANDESCENTIÆ *dies hic, dies angustiæ & coarctationis, dies tenebrarum & caliginis*, Zeph. I: 14. 15. *Venit* IRA TUA, *& tempus mortuos judicandi, & dandi mercedem servis suis, & perdendi perdentes terram*, Apoc. XI: 18. *Osculamini Filium, ne irascatur & pereatis in via, quia excandescit brevi* IRA EJUS; *beati omnes confidentes in Ipso*, Psalm. II: 12.

✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠ ✠

341. His adjiciam hoc MEMORABILE: Vidi ex Clero Angliæ congregatos usque ad sexcentos, qui orabant ad Dominum, ut liceret illis ascendere in unam Societatem superioris Cæli, & datum est, & ascenderunt; & cum ingressi sunt, viderunt Regem eorum, Avum Regis hodie regnantis, & lætati sunt; qui tunc accessit ad binos Episcopos, qui inter illos erant, quos cognoverat in Mundo, & loquens cum illis interrogavit, quomodo venistis huc, responderunt, quod supplicaverint ad Dominum, & datum est; dixit illis, cur ad Dominum, & non ad Deum Patrem; & dixerunt quod sic instructi sint infra; & dixit, annon hoc vobis aliquoties dixi in Mundo, quod Dominus adeundus sit, tum etiam quod Charitas sit primarium; quid tunc de Domino respondistis; & datum est illis recordari, quod responderint, quod cum Pater aditur etiam Filius adeatur: sed dixerunt Angeli qui circum Regem erant, erratis, non id cogitavistis, nec aditur Dominus cum aditur Deus Pater, sed aditur Deus Pater cum aditur Dominus, quia unum sunt sicut anima & corpus; quis adit animam hominis & sic corpus ejus, annon cum aditur homo quoad corpus quod videt, etiam aditur anima ejus quam non videt; ad hæc conticuerunt; & accessit Rex ad duos Episcopos, tenens in manu duo dona, dicens, hæc dona Cæli sunt, erant formæ cælestes ex auro, & voluit porrigere; sed tunc nubes fusca

obte-

obtexit illos, & ſeparavit illos, & deſcenderunt via qua aſcenderunt: & ſcripſerunt hæc in libro.

Reliqui ex Clero Angliæ, qui audiverunt, quod conſociis ſuis datum ſit aſcendere in ſuperius Cælum, congregati ſunt ad pedes Montis, ubi exſpectabant reditum eorum; & cum redierunt, ſalutabant fratres ſuos, & enarrabant quid illis in Cælo evenit, & quod a Rege datæ fuerunt Epiſcopis duæ formæ cæleſtes ex auro aſpectu pulcherrimæ, ſed quod e manibus eorum exciderint; & tunc e propatulo abibant in nemus, quod prope erat, & loquebantur inter ſe, circumſpicientes num quiſquam audiret, ſed audiebatur uſque; loquebantur de unanimitate & concordia, & tunc de principatu & dominio, Epiſcopi loquebantur, & reliqui aſſenſu favebant; & ſubito, quod miratus ſum, non apparebant amplius ut multi, ſed ut unus magnus, cujus facies ſimilis faciei Leonis, habentis ſuper capite tiaram turritam ſuper qua corona, & loquebatur tono alto, & progrediebatur paſſu lato, & retroſpiciens dixit, cui alii, ex jure, principatus quam mihi. Rex e cælo deſpexit, & vidit, primum omnes ut unum, & deinde ut plures unanimos, pleroſque in veſte ſæculari, quod dixit.



CAPUT SEPTIMUM.

1. POſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulis terræ, retinentes quatuor ventos terræ, ut non flaret ventus ſuper terram, neque ſuper mare, neque ſuper ullam arborem.

2. Et vidi alium Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſigillum Dei vivi, & clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt damno afficere terram & mare.

3. Dicens, ne damno afficiatis terram, neque mare, neque arbores, uſque dum ſignaverimus ſervos Dei noſtri ſuper frontibus illorum.

4. Et audivi numerum ſignatorum; centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni Tribu Iſraelis.

5. Ex Tribu Jehudæ duodecim millia ſignati: ex Tribu Rubenis duodecim millia ſignati: ex Tribu Gadis duodecim millia ſignati.

6. Ex Tribu Aſcheris duodecim millia ſignati: ex Tribu Naphtali duodecim millia ſignati: ex Tribu Menaſſis duodecim millia ſignati.

7. Ex Tribu Simeonis duodecim millia ſignati: ex Tribu Levi duodecim millia ſignati; ex Tribu Iſaſcharis duodecim millia ſignati.

8. Ex Tribu Sebulonis duodecim millia ſignati: ex Tribu Joſephi duodecim millia ſignati: ex Tribu Benjaminis duodecim millia ſignati.

9. Poſt hæc vidi, & ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, ex omni gente & tribubus & populis & linguis, ſtantes coram Throno & coram Agno, induti ſtolis albis, & palmæ in manibus illorum.

10. Et clamantes voce magna, dicentes, ſalus Deo noſtro Sedenti ſuper Throno & Agno.

11. Et omnes Angeli ſtabant circum Thronum, & Seniores & quatuor Animalia, & ceciderunt coram Throno ſuper facies ſuas & adoraverunt Deum.

12. Dicentes Amen, benedictio & gloria & ſapientia & gratiarum actio, & honor, & virtus & robur, Deo noſtro in ſæcula ſeculorum, amen.

13. Et reſpondit unus ex Senioribus, dicens mihi, hi induti ſtolis albis quinam ſunt, & unde venerunt;

14. Et

14. Et dixi illi, domine, tu nosti; & dixit mihi, hi sunt qui veniunt ex afflictione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni.

15. Propter hoc sunt coram Throno Dei, & serviunt Ipsi die & nocte in Templo Ipsius, & Sedens super Throno habitabit super illis.

16. Non esurient amplius, nec sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus.

17. Quoniam Agnus Qui in medio Throni, pascet eos, & deducet eos ad vivos fontes aquarum, & absterget Deus omnem lachrymam ab oculis illorum.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. In hoc Capite agitur de illis qui sunt & qui erunt in Cælo Christiano; & primum de separatione illorum a malis, Vers. 1 ad 3. post hanc, de illis qui in amore in Dominum sunt & inde in sapientia, ex quibus superiores Cæli, Vers. 4 ad 8; deque illis qui in charitate & ejus fide a Domino sunt, quia pugnarunt contra mala, ex quibus inferiores Cæli, Vers. 9 ad 17.

Contentum Singulorum Versuum. Postea vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulis terræ, *significat* nunc universum Cælum in conatu ad faciendum Ultimum judicium: retinentes quatuor ventos terræ, ut non flaret ventus super terram, neque super mare neque super ullam arborem, *significat* influxum propiorem & inde fortiorem in inferiora, ubi boni conjuncti erant malis, a Domino retentum & inhibitum: & vidi alium Angelum ascendentem ex ortu solis, *sign:* Dominum providentem & moderantem: habentem sigillum Dei vivi, *sign:* qui unice cognoscit omnes & singulos, & illos a se invicem potest distinguere & separare: & clamavit voce magna quatuor angelis, quibus datum est damno afficere terram & mare, dicens, ne damno afficiatis terram, neque mare, neque arbores, *significat* a Domino inhibitionem & retentionem influxus propioris & fortioris in inferiora: usque dum signaverimus servos Dei nostri super frontibus illorum, *sign:* antequam separati sunt qui in veris ex bono a Domino sunt: & audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia, *sign:* omnes qui Dominum pro Deo Cæli & Terræ agnoscunt, & in veris Doctrinæ ex bono amoris ab Ipso per Verbum sunt: signati ex omni Tribu Israelis, *significat* Cælum & Ecclesiam Domini ab illis: ex tribu Jehudæ duodecim millia signati, *sign:* amorem cælestem, qui est amor in Dominum, & hunc apud omnes qui in Novo Cælo & in Nova Ecclesia erunt: ex tribu Ru-

super

p/

filiorum

Rubenis 12000 ſignati, *ſign:* ſapientiam ex amore Cæleſti, apud illos, qui ibi erunt: ex tribu Gadis 12000 ſignati, *ſign:* uſus vitæ, qui ſunt ſapientiæ ex illo amore, apud illos qui ibi erunt: ex tribu Aſcheris 12000 ſignati, *ſign:* amorem mutuum, apud illos; ex tribu Naphtali 12000 ſignati, *ſign:* perceptionem uſus & quid uſus, apud illos: ex tribu Menaſſis 12000 ſignati, *ſign:* voluntatem inſerviendi & actus, apud illos: ex tribu Simeonis 12000 ſignati, *ſign:* amorem ſpiritualem, qui eſt amor erga proximum, apud illos: ex tribu Levi 12000 ſignati, *ſign:* affectionem veri ex bono ex quo intelligentia, apud illos: ex tribu Iſacharis 12000 ſignati, *ſign:* bonum vitæ, apud illos: ex tribu Sebulonis 12000 ſignati, *ſign:* amorem conjugialem boni & veri, apud illos: ex tribu Joſephi 12000 ſignati, *ſign:* doctrinam boni & veri, apud illos: ex tribu Benjaminis 12000 ſignati, *ſign:* vitam veri ex bono ſecundum doctrinam, apud illos: poſt hæc vidi & ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, *ſign:* omnes reliquos qui non ex recenſitis ſunt, & tamen in Novo Cælo & in Nova Eccleſia Domini ſunt, & ſunt qui Cælum ultimum & Eccleſiam externam faciunt, quorum quale nemo cognoſcit quam Solus Dominus: ex omni gente & tribubus & populis & linguis, *ſign:* omnes in Chriſtiano Orbe, qui in religione ex bono ſunt & in veris ex doctrina: ſtantes coram Throno & coram Agno, *ſign:* audientes Dominum & facientes quæ præcipit: induti ſtolis albis & palmæ in manibus, *ſign:* communicationem & conjunctionem cum Cælis ſuperioribus, & confeſſionem ex Divinis veris: & clamantes voce magna & dicentes, ſalus Deo noſtro Sedenti ſuper Throno & Agno, *ſign:* agnitionem ex corde quod Dominus ſit Salvator illorum: & omnes Angeli ſtabant circum Thronum & Seniores & quatuor Animalia; *ſign:* omnes in univerſo Cælo, dicentes amen, *ſign:* Divinam Veritatem & ex illa confirmationem: benedictio & gloria & ſapientia & gratiarum actio, *ſign:* Divina Spiritualia Domini: & honor & virtus & robur, *ſign:* Divina Cæleſtia Domini: Deo noſtro in ſæcula ſæculorum, *ſign:* illa in Domino & a Domino in æternum: Amen, *ſign:* conſenſum omnium: & reſpondit unus ex Senioribus, dicens mihi, hi induti ſtolis albis quinam ſunt, & unde venerunt, & dixi illi, Domine, tu noſti, *ſignificat* deſiderium ſciendi & voluntatem interrogandi, ac reſponſum & informationem: & dixit, hi ſunt qui veniunt ex afflictione magna, *ſign:* quod ſint qui in tentationibus fuerunt, & pugnarunt contra mala & falſa: & laverunt ſtolas ſuas, *ſign:* & qui mundaverunt religioſa ſua a malis falſi: & dealbaverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, *ſing:* & purificaverunt illa a falſis mali per vera, & ſic a Domino reformati ſunt: propter hæc ſunt coram Throno Dei, & ſerviunt Ipſi die & nocte in Templo Ipſius, & Sedens ſuper Throno habitabit ſuper illis, *ſign:* quod in præſentia Domini ſint, ac conſtanter & fideliter vivant ſecundum vera quæ recipiunt ab Ipſo in Eccleſia Ipſius: non eſurient amplius nec ſitient amplius, *ſign:* quod poſthac non deficient illis bona & vera: neque cadet ſuper illos ſol neque ullus æſtus, *ſign:* quod poſthac illis non concupiſcentiæ ad malum neque ad falſum mali: quoniam Agnus qui in medio Throni paſcet illos, *ſign:* quod Solus Dominus illos docebit: & deducet ad vivos fontes aquarum, *ſign:* & ducet per vera Verbi ad conjunctionem Secum: &

^ , audientes et facie[ntes quæ] Dominus præcip[it]: et ceciderunt coram Throno super facies su[as], et adoraverunt D[e]um, sign. humiliatione[m] cordis eorum et et humiliatione [adora]tio[nem] Domini:

& absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, *sign:* quod non amplius in pugnis contra mala & eorum falsa, & sic non in doloribus erunt, sed in bonis & veris, & inde in gaudiis cælestibus a Domino.

EXPLICATIO.

342. *Postea vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulis terræ, significat nunc universum Cælum in conatu ad faciendum ultimum Judicium super illos qui in Mundo spirituum erant.* Sequuntur nunc plura de statu Mundi spiritualis proximo ante Ultimum Judicium, quæ nemo scire potest nisi per revelationem à Domino; & quia mihi datum est videre, quomodo Ultimum Judicium peractum est, & quoque mutationes quæ præcesserunt, & ordinationes quæ sequutæ sunt, possum inde referre, quæ in hoc Capite & quæ in sequentibus per omnia ibi significantur. Hic per quatuor Angelos, significatur Universum Cælum, per quatuor Angulos terræ, significatur Universus Mundus spirituum, qui inter Cælum & Infernum medius est; super illos enim qui in Mundo spirituum erant, factum est Ultimum Judicium, non autem super aliquem in Cælo, nec super aliquem in inferno: quod per Angelos significetur Cælum, est quia per Angelum in supremo sensu intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, n. 344, & quia Cælum est Cælum a Domino, per Angelos etiam significatur Cælum: quod per quatuor Angelos hic significetur universum Cælum, est quia visi sunt stare super quatuor Angulis terræ, & per quatuor Angulos significantur quatuor Plagæ. Quod significetur quod Universum Cælum nunc in conatu ad faciendum ultimum Judicium esset, est quia Dominus, cum instabat Judicium, fecit appropinquare Cælos super Mundum spirituum, & per appropinquationem Cælorum facta est talis mutatio status interiorum quæ mentis sunt apud illos qui infra, ut non viderint nisi terrores coram oculis. Quod Anguli significent plagas, & inde quatuor anguli omnes plagas, constare potest a sequentibus locis „ *Metiemini extra urbem,* ANGULUM *versus ortum,* ANGULUM *versus meridiem,* ANGULUM *versus occidentem, &* ANGULUM *versus septentrionem,* Num. XXXV: 5. *Facies asseres pro Habitaculo pro* ANGULO *meridiei, & pro* ANGULO *septentrionis ejus,* Exod. XXVI: 18. 20. 23. *Et Atrium ad* ANGULUM *meridiei, ad* ANGULUM *septentrionis, ad* ANGULUM *occidentis, & ad* ANGULUM *orientis,* Exod. XXVII: 9. 11. 12 13. Quatuor Plagæ etiam vocantur quatuor Anguli sæpius apud Ezechielem, ut Cap. XLVII: 18. 19. 20. & Cap. XLVIII. Quoniam Anguli significant plagas, ideo etiam significant omnia, prout omnia Cæli aut Inferni, seu boni aut veri, quod patet ab his „ *Satanas exibit ad seducendum gentes quæ in quatuor* ANGULIS *terræ,* Apoc. XX: 8. *Exscindam gentes, & devastabuntur* ANGULI *earum,* Zeph. III: 6. *Congregatus est Israel ut vir unus, & constiterunt* ANGULI *omnis populi,* Jud. XX: 1. *Surget sceptrum ex Israele, quod conteret* ANGULOS *Moabi,* Num. XXIV: 17. *Dies buccinæ & clangoris super* ANGULOS *altos,* Zeph. I: 16. *In extremos* ANGULOS *ejiciam illos,* Deutr. XXXII: 26. Quod Angulus signi-

significet ultimum quod sustentat superiora, sicut fundamentum domum, & sic quoque omnia, patet ex his ,, *Fundabit in Sione* LAPIDEM ANGULI, *pretii fundationis fundatæ*, Esaj. XXXVIII: 16. *Non sument ex eo lapidem pro* ANGULO, Jerem. LI: 16. *Ex Jehudah erit* LAPIS ANGULARIS, Sachar. X: 4. *Lapis quem rejecerunt factus est in caput* ANGULI, Psalm. CXVIII: 21. Matth. XXI: 42. Marc. XIII: 10: Luc. XX: 17. 18.

343. *Retinentes quatuor ventos terræ, ut non flaret ventus super terram, neque super mare, neque super ullam arborem, significat influxum propiorem & inde fortiorem in inferiora, ubi boni conjuncti erant malis, a Domino retentum & inhibitam.* Sciendum est, quod Ultimum Judicium existat, dum mali multiplicantur infra Cælos in Mundo spirituum in tantum, ut Angeli in Cælis non possint in statu sui amoris & suæ sapientiæ subsistere, non enim tunc illis est sustentaculum & fundamentum; & quia hoc ex multiplicatione malorum infra existit, ideo Dominus ut statum illorum conservet, cum Divino suo fortius & fortius influit, & hoc fit usque dum non possunt per aliquem influxum conservari, nisi mali infra separentur a bonis; & hoc fit per subsidentiam & appropinquationem Cælorum, & inde influxum fortiorem, usque dum mali illum non sustinent; & tunc mali aufugiunt, & seipsos in infernum conjiciunt: hoc quoque est, quod in præcedente Capite significatur per hæc ,, *Dicebant montibus, & petris, cadite super nos, & abscondite nos a facie Sedentis super Throno, & ab ira Agni, quia venit dies magnus iræ Ejus, & quis potest consistere*, Apoc. VI: 16. Nunc ad explicationem: per quatuor Ventos significatur Influxus cælorum; per terram, mare & omnem arborem, significantur omnia inferiora, & quæ ibi, per terram & mare omnia inferiora, & per omnem arborem omnia quæ ibi. Quod Ventus significet influxum, proprie influxum veri in intellectum, constare potest a sequentibus locis ,, *Dixit Dominus Jehovih, a quatuor* VENTIS *veni spiritus, & inspira in occisos hos, ut vivant*, Ezech. XXXVII: 9. 10. *Visi sunt quatuor Currus, ad quos erant quatuor Equi, hi sunt quatuor* VENTI *cælorum*, Sachar. VI: 1. 5. *Oportet vos generari denuo*, VENTUS *ubi vult spirat, & non scis unde venit & quo abit*, Joh. III: 5. *Factor terræ præparat Orbem per Sapientiam suam, educit* VENTUM *e thesauris suis*, Jerem. X: 12. 13. Cap. LI: 15. 16. Psalm. CXXXV: 7. *Jehovah spirare facit* VENTUM *suum, & fluunt aquæ, annuntiat Verbum suum, statuta & judicia sua*, Psalm. CXLVII: 17. 18. 19. *Laudet Jehovam* VENTUS *procellæ faciens Verbum Ipsius*, Psalm. CXLVIII: 8. *Jehovah facit Angelos suos* VENTOS, Psalm. CIV: 3. 4. *Jehovah vectus super alis* VENTI, Psalm. XVIII: 10. 11. Psalm. CIV: 3; alæ venti sunt Divina Vera quæ influunt: ideo Dominus vocatur *Spiritus narium*, Thren. IV: 20: & dicitur, quod *Inspiraverit in nares Adami animam vitarum*, Gen. II: 7: tum; Quod *inspiraverit in Discipulos, & dixerit, accipe Spiritum sanctum*, Joh. XX: 21. 22; Spiritus Sanctus est Divinum Verum procedens a Domino, cujus influxus in discipulos repræsentatus est & inde significatur per quod inspiraverit in illos. Quod Ventus & Respiratio significent influxum Divini Veri in intellectum, est ex Correspondentia Pulmonis cum Intellectu, de qua videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 371 ad 429. Quoniam

niam propior & fortior influxus Divinus per Cælos dispergit vera apud malos, ideo Ventus significat dispersionem veri apud illos, & inde conjunctionem illorum cum inferno, ac interitum; ut videri potest ex his locis „ *Adducam super Elamum quatuor* VENTOS *e quatuor finibus cælorum, & dispergam eum*, Jerem. XLIX: 36. *Disperges eos, ut* VENTUS *auferat eos, & Procella dissipet eos*, Esaj. XLII: 16. FLATUS JEHOVÆ *sicut fluvius sulphuris accendit eos*, Esaj. XXX: 33. *Machinatores iniquitatis a* FLATU DEI *pereunt, & a* SPIRITU NASI *Ipsius consumuntur*, Hiob IV: 8. 9. *Revelata sunt fundamenta Orbis ab increpatione Jehovæ, a* FLATU SPIRITUS NASI TUI, Psalm. XVIII: 16. *Videns fui in visione, & ecce quatuor* VENTI *irruebant in Mare magnum, & ascendebant quatuor Bestiæ*, Dan. VII: 2. 3. seq: *Ex* PROCELLA JEHOVÆ *ira exivit, super caput impiorum irruet*, Jerem. XXIII: 19. Cap. XXX: 23. *Deus mi, persequere eos per* PROCELLAM *tuam, per* TEMPESTATEM *tuam terre*, Psalm. LXXXIII: 16. *Jehovæ in* PROCELLA & TEMPESTATE *via*, Nah. I: 4; præter alibi, ut Jerem. XXV: 32. Ezech. XIII: 13. Hosch. VIII: 7. Amos I: 14. Sach. IX: 14. Psalm. XI: 6. Psalm. L: 3. Psalm. LV: 9. Psalm. CVII: ubi hæc „ *Dixit ut flaret* VENTUS PROCELLÆ, *subsistere fecit Deus* PROCELLAM, *ut silerent fluctus ejus*, Vers. 25. 29; inde patet, quid in Sensu spirituali significatur per hæc „ *Jesus in navi increpavit* VENTUM, *& dixit Mari, obmutesce, & quievit*, Marc. IV: 39. 40. Luc. VIII: 23. 24, per Mare hic significatur Infernum, & per Ventum influxus inde. Nec aliud quam Influxus fortis significatur per VENTUM ORIENTALEM, Ezech. XVII: 10. Cap. XVIII: 17. Cap. XIX: 12. Hosch. XIII: 15. 39. Psalm. XLVIII: 8. tum per eundem illum Ventum, *quo exsiccabatur Mare Suph*, Exod. XIV: 21, de quo ita Moses „ A FLATU NARIUM TUARUM *coacervatæ sunt aquæ*, SPIRASTI VENTO TUO, *contexit eos Mare*, Exod. XV: 8. 9. Ex his nunc constare potest, quod per retinere quatuor Ventos ne flaret Ventus super terram, significetur retinere & inhibere Influxum propiorem & fortiorem in inferiora.

344. *Et vidi alium Angelum ascendentem ex ortu solis, significat Dominum providentem & moderantem.* Per Angelum hic intelligitur Dominus quoad Divinum amorem, quia ascendit ex ortu solis, & ab ortu solis seu ab oriente, est ex Divino Amore, est enim Dominus in Mundo spirituali Sol & Oriens, & quoque ita vocatur quoad illum amorem; quod sit providens & moderans, patet a mandato Ipsius ad quatuor Angelos, quod non damno afficerent terram & mare, usque dum servi Dei signati fuerint super frontibus. Quod Divinum Humanum Domini per Angelum in supremo sensu intelligatur, patet ex his „ ANGELUS FACIERUM JEHOVÆ, *liberavit eos ob amorem suum & clementiam suam: Hic redemit illos, & assumsit illos, & portavit illos omnibus diebus æternitatis*, Esaj. LXIII: 9. ANGELUS *qui redemit me ab omni malo, benedicat illis*, Genes. XLVIII: 16. *Subito veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quæritis, &* ANGELUS FÆDERIS, *quem vos desideratis*, Malach. III: 1. *Ego mitto* ANGELUM *coram te, ad custodiendum te in via, caveto tibi a faciebus Ejus, quia Nomen meum in medio Ejus*, Exod. XXIII: 20 ad 23. Angelus & Missus in Lingua Hebræa sunt una vox; inde est, quod Dominus toties se dicat Missum a Patre, per quod

intelligitur Divinum Humanum. Angelus autem in sensu respectivo est omnis qui recipit Dominum, tam qui in Cælo est quam qui in Mundo.

345. *Habentem sigillum Dei vivi, significat qui unice cognoscit omnes & singulos, & illos a se invicem potest distinguere & separare.* Quoniam signabantur super frontibus per sigillum, ideo per habere sigillum Dei vivi, quia de Domino, intelligitur nosse omnes & singulos, ac posse distinguere & separare servos Dei ab illis qui non servi Dei sunt.

346. *Et clamavit voce magna quatuor Angelis, quibus datum est damno afficere terram & mare, dicens, ne damno afficiatis terram, neque mare, neque arbores, significat a Domino inhibitionem & retentionem influxus propioris & fortioris in inferiora.* Quod hæc significentur patet ex illis quæ supra n. 343 explicata sunt: ex sensu literæ est, quod quatuor Angeli retinerent influxum; sed ex sensu spirituali est, quod Dominus: quod non damno afficerent terram, mare & arbores, significat quod non per influxum vehementem, sed moderatum; Dominus enim per varios gradus influxus in Cælos, disponit, ordinat, temperat & moderatur omnia ibi & in infernis, & per cælos & inferna omnia in mundo.

347. *Usque dum signaverimus servos Dei nostri super frontibus illorum, significat antequam separati sunt qui in veris ex bono a Domino sunt, ita qui interius boni sunt.* Per signare super frontibus, non intelligitur signare illos ibi, sed distinguere & separare illos qui in bono amoris a Domino sunt; frons enim significat bonum amoris: quod sint illi qui in veris ex bono a Domino sunt, est quia illi per servos Dei intelliguntur, n. 3. Quod Frons significet bonum amoris, est quia facies est imago affectionum hominis, & frons est suprema pars faciei; cerebrum, ex quo origo omnium vitæ hominis est, sub fronte est proxime. Quia frons significat amorem, apud bonos amorem bonum, & apud malos amorem malum, ideo per signare super frontibus, significatur distinguere & separare unum ab altero secundum amorem: simile significatur apud Ezechielem ,, *Transi per medium Hierosolymæ, &* SIGNA SIGNUM SUPER FRONTIBUS *gementium super abominationes*, IX: 4. 5. 6. Quoniam frons significat amorem, ideo de bractea super Cidari Aharonis, super qua sculptum erat SANCTITAS JEHOVÆ, dicitur ,, *Quod esset e regione facierum Cidaris ejus, ut sit super* FRONTE *Aharonis, sitque super* FRONTE *Aharonis jugiter in beneplacitum illi coram Jehovah*, Exod. XXVIII: 36. 37. 38. Et quoque mandatum est, ut hæc verba, *Amabis Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, sint super manu, & super Fronte*, Deutr. VI: 5. 8. Cap. XI: 18. *Quod haberent Nomen Patris scriptum super* FRONTIBUS, Apoc. XIV: 1. Et *Nomen Dei & Agni* in FRONTIBUS, Apoc. XXII: 4: sciendum est, quod Dominus inspiciat Angelos in frontibus, & illi vicissim Dominum per oculos; ex causa, quia Dominus aspicit omnes ex bono amoris, ac vult ut illi vicissim aspiciant Ipsum ex veris sapientiæ, ita fit conjunctio. Per Frontem in opposito sensu significatur amor malus, in his ,, *Qui habent characterem bestiæ super* FRONTIBUS, Apoc. XIII: 16. Cap. XIV: 9. Cap. XX: 4: *& quoque nomen Babylonis super* FRONTIBUS, Apoc. XVII: 5. FRONS *mulieris meretricis*, Jerem. III: 4. *Obfirmati* FRONTE, *&*

duri

duri corde, Ezech. III: 7, 8. *Durus tu*, & FRONS *tua ænea*, Esaj. XLVIII: 4.

348. *Et audivi numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia*, *significat omnes qui Dominum pro Deo Cæli & Terræ agnoscunt*, *& in veris doctrinæ ex bono amoris ab Ipso per Verbum sunt.* Quod illi per 144000 ex duodecim Tribubus Israelis significentur, est quia per 12 Tribus Israelis significatur Ecclesia ex illis qui in bono & vero a Domino sunt, & Ipsum pro Deo cæli & terræ agnoscunt; per numerum 144000, intelliguntur omnes illi; simile enim per illum numerum significatur, quod per duodecim, quoniam exsurgit ex multiplicatione 12 in 12, & dein ex multiplicatione per 100 & per 1000, & numerus quicunque multiplicatus in se, & dein per 10,100 aut 1000, simile significat cum numero ex quo; ita numerus 144000 simile cum 144, & hic simile cum 12, quia 12 in 12 faciunt numerum 144; similiter 12000 signati ex unaquavis tribu, in 12 faciunt 144000. Quod numerus 12 significet omnia, & prædicetur de veris ex bono, est quia 12 exsurgunt per multiplicationem 3 & 4 in se, & numerus 3 significat omne quoad verum, & numerus 4 omne quoad bonum, inde hic 12 omne quoad verum ex bono amoris. Quod omnes Numeri significent adjunctiva rerum, determinantia quale aut quantum illarum, manifeste constare potest ex numeris in Apocalypsi, qui nisi significarent, in multis locis ibi non foret aliquis sensus. Ex nunc dictis videri potest, quod per 144000 signatos, & per 12000 ex unaquavis Tribu, non intelligatur quod tot ex Tribubus Israelis signati ac electi sint, sed quod omnes qui in Veris doctrinæ ex Bono amoris a Domino sunt. Hoc in genere significatur per 12 Tribus Israelis, & quoque per 12 Apostolos Domini, in specie autem aliquod verum ex bono per unamquamvis Tribum, & per unumquemvis Apostolum; quid autem per unamquamvis Tribum hic significatur, dicetur in sequentibus. Quoniam 12 Tribus significant omnia vera doctrinæ ex bono amoris a Domino, ideo etiam significant omnia Ecclesiæ, quare 12 Tribus Israelis repræsentabant Ecclesiam, & similiter 12 Apostoli. Quia 12 dicuntur de veris & bonis Ecclesiæ, ideo Nova Hierosolyma, per quam intelligitur Nova Ecclesia Domini, in singulis describitur per 12; ut quod *Urbs longitudine & latitudine esset* 12000 *stadiorum*: *quod Murus ejus esset* 144 *cubitorum*, 144 sunt 12 in 12: *quod essent* 12 *Portæ*; & *Portæ ex* 12 *Margaritis*: *quod super Portis* 12 *Angeli*; *& nomina scripta* 12 *Tribuum Israelis*: *quod essent* 12 *Fundamenta muri*; *& in iis nomina* 12 *Apostolorum Agni*; *& illa constarent ex* 12 *Lapidibus pretiosis*: *tum*, *quod ibi esset Arbor vitæ faciens* 12 *fructus*, *juxta* 12 *Menses*; de quibus omnibus videantur Cap. XXI & XXII. Ex his, de quibus hic agitur, formatum est Novum Cælum, & formatur Nova Ecclesia a Domino; sunt enim iidem, qui memorantur Capite XIV seq: ubi hæc de illis „ *Et vidi & ecce Agnus stans super Monte Sion*, *& cum Ipso* 144000; *& canebant Canticum Novum coram Throno*, *& nemo potuit discere Canticum*, *quam illi* 144000 *empti de terra*; *Virgines sunt*, *& sequuntur Agnum quocunque vadit*, Vers. 1, 3, 4. Quoniam 12 Tribus significabant Ecclesiam Domini quoad omnia vera & bona ejus, ideo numerus 12 factus est numerus Ecclesiæ, & solennis in sanctitatibus ejus, ut quod *In Pectorali Judicii*, *ubi Urim & Thumim*, *essent* 12 *Lapides*

pretioſi, Exod. XXVIII: 21. *Quod* 12 *Panes facierum ponerentur ſuper Menſa in Tabenaculo*, Levit. XXIV: 5. 6. *Quod Moſes ædificaverit Altare infra Montem Sinai, & crexerit* 12 *ſtatuas*, Exod. XXIV: 4. *Quod* 12 *Viri miſſi ſint ad explorandum terram Canaanem*, Deutr. I: 23. *Quod* 12 *Viri exportaverint* 12 *Lapides e medio Jordanis*, Joſ. IV: 1 ad 9. 20. *Quod* 12 *Principes ad initiationem Altaris attulerint* 12 *ſcutulas argenti*, 12 *Crateres argenti*, 12 *Acerras auri*, 12 *Juvencos*, 12 *Arietes*, 12 *Agnos*, & 12 *Hircos*, Num. VII: 84. 87. *Quod Elias ſumſerit* 12 *Lapides, & ſtruxerit Altare*, I Reg. VII: 25. 44. *Quod Elias invenerit Eliſæum, cum araret* 12 *juga, & ipſe inter* 12, *& quod tunc projecerit ſuper illum togam*, I Reg. XIX: 19. *Quod Salomo ſub Mari æneo poſuerit* 12 *Boves*, I Reg. VII: 25. 44. *Quod fecerit Thronum, & ad gradus ejus* 12 *Leones ſtantes*, I Reg. IX: 19. 20. *Quod ſuper Capite Mulieris circumdatæ ſole eſſet corona* 12 *ſtellarum*, Apoc. XII: 1. Ex his nunc conſtare poteſt, quod per 144000 ſignatos, 12000 ex unaquavis Tribu, non intelligantur totidem numero ex Judæis & Iſraelitis, ſed omnes qui e Novo Cælo Chriſtiano, & e Nova Eccleſia, in veris doctrinæ ex bono amoris per Verbum a Domino erunt.

349. *Signati ex omni Tribu Iſraelis, ſignificat Cælum & Eccleſiam Domini ab illis.* Per Tribum ſignificatur Religio quoad bonum vitæ, & per omnem Tribum ſignificatur Eccleſia quoad omne bonum amoris & quoad omne verum ex illo bono, ex quibus bonum vitæ; ſunt enim duo quæ faciunt Eccleſiam, bonum amoris & verum doctrinæ, conjugium illorum eſt Eccleſia; Duodecim Tribus Iſraelis repræſentabant & inde ſignificabant Eccleſiam quoad conjugium illud, ac unaquævis Tribus aliquod Univerſale verum boni aut bonum veri in illo: ſed quid unaquævis Tribus ſignificabat, hactenus non alicui revelatum eſt, nec revelari potuit, ne per explicationem male conſartam prophanaretur ſanctum quod in illis in unum conjunctis latet, nam ſecundum conjunctionem ſignificant; aliter in ſerie, in qua nominantur ſecundum Nativitates, Geneſ. XXIX. XXX. XXXV: 18; ſeries illarum ibi hæc eſt, Ruben, Simeon, Levi, Jehudah, Dan, Naphtali, Gad, Aſcher, Iſaſchar, Sebulon, Joſeph, Benjamin. Aliter in ſerie, in qua nominantur cum venerunt Ægyptum, quæ eſt Ruben, Simeon, Levi, Jehudah, Iſaſchar, Sebulon, Gad, Aſcher, Joſeph, Benjamin, Dan, Naphtali, Geneſ. XLVI: 9 ad 21. Aliter in ſerie cum benedicuntur a Patre Iſraele, quæ hæc eſt, Ruben, Simeon, Levi, Jehudah, Sebulon, Iſaſchar, Dan, Gad, Aſcher, Naphtali, Joſeph, Benjamin, Geneſ. XLIX. Aliter in ſerie cum benedicuntur a Moſe, quæ hæc eſt, Ruben, Jehudah, Levi, Benjamin, Joſeph, Ephraim, Menaſſe, Sebulon, Gad, Dan, Naphtali, Aſcher, Deutr. XXXIII; ibi Ephraim & Menaſſe, & non Simeon & Iſaſchar. Aliter in ſerie, cum caſtrametati & profecti ſunt, quæ hæc eſt, Tribus Jehudæ, Iſacharis, & Sebulonis ad ortum, Tribus Rubenis, Simeonis, Gadis ad meridiem, Tribus Ephraimi, Menaſſis & Benjaminis ad Occidentem, Tribus Danis, Aſcheris & Naphtali ad ſeptentrionem, & Tribus Levi in medio, Num. II: 1 ad fin: Aliter in ſerie, in qua nominantur alibi, ut Geneſ. XXV: 23 ad 26. Num. I: 5 ad 16. Cap. VII: 1 ad fin: Cap. XIII: 4 ad 15. Cap. XXVI: 5 ad 56. Cap. XXXIV: 17 ad 28. Deutr

XXVII:

XXVII: 12. 13. Jof. XV ad XIX. Ezech. XLVII: 1 ad fin. Quare *cum Bileamus vidit Ifraelem habitantem fecundum Tribus fuas dixit, quam bona funt Tabernacula tua Jacob & Habitacula tua Ifrael*, Num. XXIV: 1. 2. 3. 4. feq. In Pectorali judicii, quod erat urim & thumim, in quo 12 lapides pretiofi juxta nomina filiorum Ifraelis erant, Exod. XXVIII: 15 ad 24, Tribus fignificabant in ferie fecundum interrogationem, ad quam tulerunt refponfum. Quid autem fignificant in ferie, in qua hic in Apocalypfi nominantur, quæ adhuc alia eft, in fequentibus dicetur. Quod Tribus fignificent Religionem, & duodecim Tribus Ecclefiam quoad omnia ejus, eft quia Tribus & Sceptrum in Lingua Hebræa una vox funt, ac Sceptrum eft Regnum, ac Regnum Domini eft Cælum & Ecclefia.

350. *Ex Tribu Jehudæ duodecim millia fignati, fignificat amorem cæleftem, qui eft amor in Dominum, & hunc apud omnes qui in Novo Cælo & in Nova Ecclefia Domini erunt.* Per Jehudam in fupremo fenfu fignificatur Dominus quoad amorem cæleftem, in fenfu fpirituali Regnum Cælefte Domini, & Verbum, & in fenfu naturali doctrina Ecclefiæ cæleftis e Verbo; hic autem per Jehudam fignificatur Amor cæleftis, qui eft amor in Dominum; & quia primum in ferie nominatur, fignificatur ille amor apud omnes, qui in Novo Cælo & in Nova Ecclefia Domini erunt; Tribus enim primo loco nominata eft omne in reliquis, eft ficut caput illis, & ficut univerfale intrans in omnia quæ fequuntur, illa colligat, qualificat & afficit: hoc eft amor in Dominum. Quod duodecim millia fignificent omnes qui in illo amore funt, videatur fupra n. 348. Notum eft, quod duodecim Tribus Ifraelis poft Salomonem divifæ fuerint in duo Regna, Judaicum & Ifraeliticum, Regnum Judaicum repræfentabat Regnum Cælefte, feu Sacerdotale Domini, & Regnum Ifraeliticum Regnum Spirituale feu Regium Domini; fed hoc deftructum fuit, dum apud illos non aliquod fpirituale fupereffet; at Regnum Judaicum confervatum eft, propter Verbum, & quia Dominus ibi nafceretur: fed cum Verbum prorfus adulteraverunt, & fic Dominum non potuerunt cognofcere, tunc Regnum illorum deftructum fuit. Ex his conftare poteft, quod per Tribum Jehudæ fignificetur Amor cæleftis, qui eft Amor in Dominum; fed quia tales fuerunt quoad Verbum & quoad Dominum, per Tribum Jehudæ etiam fignificatur amor oppofitus, qui eft amor fui, proprie amor dominandi ex amore fui, qui amor vocatur amor diabolicus. Quod per Jehudam & ejus Tribum fignificetur Regnum cælefte & ejus amor, qui eft amor in Dominum, conftat, ex his locis „ JEHUDAH, *te celebrabunt fratres tui; non removebitur feptrum a* JEHUDAH, *ufque dum venit Schilo, & ei adhæfio populorum; alligat ad vitem afellum fuum, ad vitem præftantem filium afinæ fuæ; lavat in vino veftimentum fuum; ruber oculis a vino, & albus dentibus a lacte*, Genef. XLIX: 8 ad 12. *David erit princeps illis in æternum, & pangam illis fædus pacis, fædus æternitatis erit cum illis, & panam Sanctuarium in medio eorum in æternum*, Ezech. XXXVIII: 26. 27. *Jubila & lætare, filia Sionis; Jehovah hæredibatem fibi faciet* JEHUDAM, *portionem fuam fuper terra fanctitatis*, Sach. II: 14. 15. 16. *Feriare* JEHUDAH *fefta tua, redde vota tua, quia non addet amplius per te tranfire belial, omnis excfcindetur*, Nah. II: 1. Su-

Subito veniet ad Templum ſuum Dominus, tunc ſuavis erit Jehovæ minchah JEHUDÆ *&* HIEROSOLYMÆ *juxta dies ſæculi*, Malach. III: 1. 4. JEHUDAH *in æternum ſedebit, &* HIEROSOLYMA *in generationem & generationem*, Joel IV: 18. 19. 20. *Ecce dies venient, cum ſuſcitabo Davidi germen juſtum; in diebus Ipſius ſalvabitur* JEHUDAH, Jerem. XXIII: 5. 6. *Producam ex Jacobo ſemen, & ex* JEHUDAH *hæredem montium meorum, ut poſſideant electi*, Jerem. LXV: 9. *Factus eſt* JEHUDAH *in ſanctuarium, & Iſrael in dominia Ipſius*, Pſalm. CXIV: 2. *Ecce dies venient, quibus pangam cum domo* JEHUDÆ *fœdus novum; hoc fœdus erit, dabo Legem meam in medio eorum, & ſuper cor illorum ſcribam illam*, Jerem. XXXI: 27. 31. 33. 34. *In diebus illis apprehendent decem viri alam viri* JEHUDÆI, *dicentes ibimus vobiſcum, quia audivimus Deum vobiſcum*, Sachar. VIII: 22. 23. *Quemadmodum Cœli novi & Terra nova, quæ facturus ſum, ſtabunt coram Me, ſic ſtabunt ſemen veſtrum & nomen veſtrum: erunt Reges gentium nutritii tui, principes eorum lactatrices, facies ſuper terram incurvabunt ſe tibi, & pulverem pedum tuorum lingent*, Eſaj. LXVI: 20. 22. Cap. XLIX: 22. 23; ex his & pluribus aliis locis, quæ ob copiam non adducere vacat, manifeſte conſtare poteſt, quod per Jebudam non intelligatur Jehuda, ſed Eccleſia; ut quod Dominus pacturus ſit cum illa gente fœdus novum & æternum, facturus illam hæreditatem ſuam, & ſanctuarium ſuum in æternum, ac quod reges gentium ac principes eorum incurvaturi ſe illi, pulverem pedum ejus lingentes, præter plura. Quod per Tribum Jehudæ in ſe ſpectatam intelligatur Regnum diabolicum, quod eſt amoris dominandi ex amore ſui, conſtare poteſt ex his locis ,, *Occultabo facies meas ab illis, videbo quid poſteritas eorum; generatio perverſitatis illa, filii in quibus fidelitas non; gens perdita conſiliis illi, de vite Sodomæ vitis eorum & de agris Gomorrhæ, uvæ ejus uvæ fellis, botri amaritudinum illis; venenum draconum vinum eorum, & fel aſpidum crudele: omne illud abſconditum apud Me, obſignatum in theſauris meis*, Deutr. XXXII: 20 ad 35. *Scito quod non propter juſtitiam tuam & rectitudinem cordis tui Jehovah dat tibi terram Canaanem, quia populus durus cervice tu*, Deutr. IX: 5. 6. *Juxta numerum urbium tuarum fuerunt dii tui, Jehuda; juxta numerum platearum Hieroſolymæ poſuiſti altaria ad ſuffiendum Baali*, Jerem. II: 28. Cap. XI: 13. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere*, Joh. VIII: 44. Dicuntur *pleni hypocriſi, iniquitate & immunditia*, Matth. XXIII: 27. 28. *Generatio adultera*, Matth. XII: 39. Marc. VIII: 38: ac *Hieroſolyma, habitatio illorum, dicta eſt Sodoma*, Eſaj. III: 9. Jerem. XXIII: 14. Ezech. XVI: 46. 48. Apoc. XI: 8, præter aliis in locis, ubi dicitur quod Gens illa prorſus deperdita ſit, ac Hieroſolyma deſtruenda, ut Jerem. V: 1. Cap. VI: 6. 7. Cap. VII: 17. 18 ſeq. Cap VIII: 6. 7. 8, ſeq. Cap. IX: 10. 11. 13, ſeq. Cap. XIII: 9. 10. 14. Cap. XIV: 16. Thren. I: 8. 9. 17. Ezech. IV: 1 ad fin. Cap. IV: 9 ad fin. Cap. XII: 18. 19. Cap. XV: 6. 7. 8. Cap. XVI: 1 ad 63. Cap. XXIII: 1 ad 49.

351. *Ex tribu Rubenis duodecim millia ſignati, ſignificat ſapientiam ex amore cœleſti apud illos, qui in Novo Cœlo & in Nova Eccleſia Domini erunt.* Per Rubenem in ſenſu ſupremo ſignificatur Omniſcientia, in ſenſu ſpirituali ſapientia, intelligentia & ſcientia, tum fides, in ſenſu naturali viſus; hic autem per Ru-

Rubenem significatur sapientia, quia sequitur post Jehudam, per quem significatur Amor cælestis, & Amor cælestis producit sapientiam; non enim datur amor absque sua conjuge, quæ est scientia, intelligentia, & sapientia; conjux amoris naturalis est scientia, amoris spiritualis est intelligentia, & amoris cælestis est sapientia. Quod per Rubenem significentur illæ, est quia nominatus est a Visu, ac visus spiritualis naturalis est scientia, visus spiritualis est intelligentia, ac visus cælestis est sapientia. Ruben etiam fuit primogenitus Jacobi, & ideo ab Israele dictus est *Robur suum, principium virium suarum, excellens eminentia & excellens valore*, Genes. XLIX: 3; talis etiam est sapientia ex amore cælesti. Et quia Ruben ex primogenitura sua repræsentabat, & inde significabat sapientiam hominum Ecclesiæ, ideo ille exhortatus est fratres suos ne occiderent Josephum, ac doluit cum Josephus non inventus fuit in fovea, Genes. XXXVII: 21. 22. Et ideo Tribus ejus *castramentata est ad Meridiem*, & vocabantur *Castra Rubenis*, Num. II: 10 ad 16; meridies etiam significat sapientiam ex amore; quare illi qui in ea sapientia sunt, in Cælo ad meridiem habitant, videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO, n. 148. 149. 150. Sapientia hæc per Rubenem significatur in Prophetico Deboræ & Baraki per hæc „ *In classibus Rubenis sunt magni statuta cordis; quare sedes Isaschar inter sarcinas ad audiendum sibila gregum; classibus Rubenis, ubi magni pervestigationes cordis*, Judic. V: 15. 16; classes Rubenis sunt cognitiones omnis generis, quæ sunt sapientiæ. Quia omnes Tribus etiam opposita significant, ita quoque Tribus Rubenis, & in sensu opposito significat sapientiam separatam ab amore, & inde quoque fidem separatam a charitate; quare ab Israele patre suo maledictus est, Genes. XLIX: 3. 4; & ideo primogenitura sua deprivatus est, I Chron. V: 1, videatur supra n. 17: & ideo data est ei hæreditas extra Jordanem, & non in Terra Canaane; ut & pro Rubene & Simeone agniti sunt filii Josephi Ephraim & Menasse, Genes. XLVIII: 5: nihilominus tamen retinuit repræsentationem & inde significationem sapientiæ.

352. *Ex tribu Gadis duodecim millia signati, significat usus vitæ, qui sunt sapientiæ ex illo amore, etiam apud illos qui in Novo Cælo & in Nova Ecclesia Domini erunt.* Per Gadem in sensu supremo significatur Omnipotentia, in sensu spirituali bonum vitæ, quod etiam est usus, & in sensu naturali opus; hic usus vitæ, quia sequitur post Rubenem & Jehudam, & amor cælestis per sapientiam producit usus. Sunt tria quæ cohærent, & non separari possunt, Amor, sapientia & Usus vitæ; si unum separatur, cadunt duo reliqua, videatur SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 241. 297. 316. Quod per Gadem significetur usus vitæ, qui etiam vocatur fructus, constare potest a nominatione ejus a turma seu cumulo, Genes. XXX: 10. 11: tum a benedictione ejus a Patre Israele, Genes. XLIX: 19; & a benedictione ejus a Mose, Deutr. XXXIII: 20. 21; & quoque ab hæreditate ejus, Num. XXXII: 1 ad fin. Cap. XXXIV: 14. Deutr. III: 16. 17. Cap. XIII: 24 ad 28. Etiam a significatione ejus in sensu opposito, Esaj. LXV: 11. Jerem. XLIX: 1. 2. 3. Sciendum est, quod omnes Tribus Israelis hic in quatuor Classes distinctæ sint, quemadmodum in Urim & Thumim, ac in

Castra-

Josh.

Castrametatione, & quod quælibet Classis contineat tres Tribus, ex causa, quia tria cohærent ut unum, prout amor, sapientia & usus, & prout charitas, fides & opus; nam, ut dictum est, si unum deest, reliqua duo non sunt aliquid.

353. *Ex tribu Ascheris duodecim millia signati, significat amorem mutuum, qui est amor faciendi bonum usus communi seu societati apud illos, qui e Novo Cælo & e Nova Ecclesia Domini, erunt.* Per Ascherem in supremo sensu significatur Æternitas, in sensu spirituali æterna beatitudo, & in sensu naturali affectio boni & veri; hic autem per Ascherem significatur amor faciendi usus, qui est apud illos, qui in Cælesti Regno Domini sunt, & ibi vocatur amor mutuus; hic amor descendit proxime ex amore in Dominum, quoniam Amor Domini est facere usus communi & cuivis societati in communi, & illos facit per homines qui in amore in Ipsum sunt. Quod supradicta per Ascherem significentur, aliquantum videri potest ex benedictione ejus a Patre Israele „ *De Aschere; pinquis panis ejus, & ille dabit delitias Regis*, Genes. XLIX: 20: & ex benedictione ejus a Mose „ *Benedictus præ filiis Ascher, sit acceptus fratribus suis, sicut dies fama ejus*, Deutr. XXXIII: 24. 25. Nominatus etiam est a BEATITUDINE, & illi qui in amore faciendi usus communi & societati sunt, in Cælo in beatitudine præ reliquis sunt.

354. *Ex tribu Naphtali duodecim millia signati, significat perceptionem usus & quid usus, apud illos qui in Novo Cælo & in Nova Ecclesia Domini, erunt.* Per Naphtali in supremo sensu significatur Propria Potentia Divini Humani Domini, in sensu spirituali tentatio & victoria, & in sensu naturali reluctatio a naturali homine; nominatus enim est a Luctationibus: quod autem hic per Naphtalim significetur perceptio usus & quid usus, est quia in serie sequitur post Ascherem, per quem significatur amor usuum; & quoque interior perceptio usuum est illis, qui in tentationibus vicerunt; per tentationes enim aperiuntur interiora mentis. Perceptio, quæ illis est, describitur apud Jeremiam Cap. XXXI: 33. 34; sentiunt in se quid bonum, & vident in se quid verum. Quod Tribus Naphtali significet angelos & homines quoad illam perceptionem, potest ex his in Verbo confirmari „ *Naphtali super altitudinibus agri*, Jud. V: 18. altitudines agri sunt interiora Ecclesiæ quoad perceptionem. *Naphtali satur beneplacito, & plenus benedictione Jehovæ, occidentem & meridiem posside*, Deutr. XXXIII: 23; occidentem possidere est bonum amoris inservientis, ac meridiem est lucem sapientiæ, quæ est perceptio illa. *Naphtali cerva emissa dans sermones elegantiæ*, Genes. XLIX: 21; describitur sic status post tentationem quoad liberum eloquium ex perceptione. Memoratur etiam, quod unus ex Tribu Naphtali, *Repletus sapientia, intelligentia & scientia, fecerit omne opus Salomonis ad Templum ex ære*, I Reg. VII: 14: Historica Verbi quoad nomina & quoad tribus, æque significant sicut Prophetica.

355. *Ex tribu Menassis duodecim millia signati, significat voluntatem inserviendi & actus, etiam apud illos qui e Novo Cælo & e Nova Ecclesia Domini, erunt.* Sunt tria, quæ sequuntur ordine, Amor in Dominum, Sapientia, & Usus, ut supra n. 352, dictum est; ita quoque hic, Amor mutuus, Intellectus seu percep-

cep-

ceptio, ac Voluntas ſeu actus, hæc quoque unum faciunt, adeo ut ſi unum deſit, duo reliqua non ſint aliquid; voluntas inſerviendi cum actu, eſt effectus, ita ultimum, in quo duo priora ſunt & coexiſtunt. Quod Menaſſe hoc ſignificet, eſt quia Joſephus, qui erat pater Menaſſis & Ephraimi, ſignificat ſpirituale Eccleſiæ, & ſpirituale Eccleſiæ eſt bonum voluntatis, & ſimul verum intellectus; inde eſt quod Menaſſe ſignificet Voluntarium Eccleſiæ, ac Ephraim Intellectuale ejus. Quod Menaſſe ſignificet Voluntarium Eccleſiæ, eſt quia Ephraim ſignificat Intellectuale, ut manifeſte patet apud Hoſcheam, ubi Ephraim toties nominatur; & quia Menaſſe ſignificat voluntarium Eccleſiæ, etiam ſignificat actus, nam voluntas eſt conatus omnis actus, & ubi conatus, ibi actus, dum poſſibile eſt. Menaſſe nominatur in aliquibus locis, ut dum natus, Geneſ. XLI: 50. 51. 52: cum a Jacobo acceptus quaſi pro Simeone, Gen. XLVIII: 3. 4. 5; & benedictus ab illo, Geneſ. XLVIII: 15. 16: & a Moſe, Deutr. XXXIII: 17; & præterea, Eſaj. IX: 18. 19. 20. Pſalm. LX: 9. Pſalm. LXX: 3. Pſalm. CVIII: 9; ex quibus aliquantum videri poteſt, quod per Menaſſen voluntarium Eccleſiæ intelligatur

356. *Ex tribu Simeonis duodecim millia ſignati, ſignificat amorem ſpiritualem, qui eſt amor erga proximum ſeu charitas apud illos qui e Novo Cœlo & e Nova Eccleſia Domini, erunt.* Per Simeonem ſignificatur in ſupremo ſenſu Providentia, in ſpirituali amor erga proximum ſeu charitas, & in naturali obedientia & auditus. In ſeriebus binis prioribus actum eſt de illis qui in Regno cæleſti Domini ſunt, in hac nunc ſerie agitur de illis qui in Regno ſpirituali Domini ſunt; horum amor vocatur amor ſpiritualis, qui eſt amor erga proximum, tum charitas. Quod Simeon & ejus Tribus hunc amorem repræſentaverit, & inde in Verbo illum ſignificet, eſt quia natus eſt poſt Rubenem, & proxime ante Levim, & per illos tres, Rubenem, Simeonem & Levim, in ſuo ordine ſignificatum eſt verum intellectu ſeu fides, verum voluntate ſeu charitas, ac verum actu ſeu bonum opus, ſimile quod per Petrum, Jacobum & Johannem; ut itaque Simeon & ejus Tribus repræſentaret verum voluntate, quod tam eſt charitas quam obedientia, ideo nominatus eſt ab AUDIRE, ac audire ſignificat & intelligere verum, & velle illud ſeu obedire, intelligere illud cum dicitur audire aliquem, & velle illud & obedire, cum dicitur audire alicui, ſeu auſcultare. Hic aliquid dicetur de amore erga proximum ſeu charitate; amor erga proximum, eſt amor obediendi præceptis Domini, quæ imprimis ſunt quæ in Secunda Tabula Decalogi continentur, quæ ſunt, non occides, non ſcortaberis, non furaberis, non falſe teſtaberis, non concupiſces illa quæ proximi ſunt; homo qui talia non vult facere quia peccata ſunt, ille amat proximum; non enim ille amat proximum qui odio habet illum, & ex odio vult occidere illum; non ille amat proximum qui vult ſcortari cum ejus uxore, nec ille amat proximum, qui vult furari & deprædare ejus bona, & ſic porro. Hoc quoque docet Paulus his verbis „ *Qui amat alterum, Legem implevit; nam illud non ſcortaberis, non occides, non furaberis, non falſus teſtis eris, non concupiſces; & ſi quod aliud mandatum, in hoc verbo comprehenditur, amabis proximum ſicut teipſum: plenitudo ergo Legis eſt charitas*, Rom. XIII: 8. 9. 10.

357. *Ex tribu Levi duodecim millia signati, significat affectionem veri ex bono ex quo intelligentia apud illos qui e Novo Cælo & e Nova Ecclesia Domini, erunt.* Per Levim in sensu supremo significatur Amor & Misericordia, in sensu spirituali Charitas actu quæ est bonum vitæ, & in sensu naturali Consociatio & Conjunctio; dictus etiam est ab ADHÆRERE, per quod in Verbo significatur conjunctio per amorem: hic autem per Levim significatur amor seu affectio veri & inde intelligentia, quia sequitur post Simeonem, & in serie hac est medius. Quoniam Levi illa repræsentabat, ideo Tribus illa facta est Sacerdotium, Num. III: 1 ad fin. Deutt. XXI: 5, & alibi. Quod Tribus Levi amorem veri, qui est ipse amor ex quo Ecclesia est Ecclesia, & inde intelligentiam, significet, constare potest ex his locis, *Filii Levi a Jehovah electi sunt ad ministrandum Ipsi, & ad benedicendum in Nomine Ipsius*, Deutr. XXI: 5; benedicere in Nomine Jehovæ, est docere; quod solum illi possunt, qui in affectione veri sunt & inde intelligentia. *Custodiunt Verbum tuum & fœdus tuum servant, docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Israelem*, Deutr. XXXIII: 8 ad 12. *Subito veniet ad Templum suum Dominus, & sedebit purgans & conflans argentum, & purificabit filios Levi, & defecabit eos sicut aurum & argentum*, Malach. III: 1 ad 4; purificare filios Levi, est illos qui in affectione veri sunt. Quia illa affectio floret ex intelligentia, ideo baculus Levi, super quo scriptum fuit nomen Aharonis, floruit amygdalis, Num. XVII: 17 ad 26.

358. *Ex tribu Isacharis duodecim millia signati, significat bonum vitæ apud illos qui e Novo Cælo & e Nova Ecclesia Domini, erunt.* Per Isscharem significatur in sensu supremo Divinum Bonum Veri & Verum Boni, in sensu spirituali Amor conjugialis cælestis qui est boni & veri, & in sensu naturali remuneratio; hic autem bonum vitæ, quia in hac Classe in ordine est tertius, ac tertius in qualibet Classe significat ultimum, quod producitur ex duobus prioribus, ut effectus ex suis causis; & effectus ex amore spirituali, qui est amor erga proximum, & significatur per Simeonem, per affectionem veri, quæ significatur per Levim, producit bonum vitæ, quod est Isaschar: nominatus etiam est ex MERCEDE, Genes. XXX: 17. 18, ita ex Remuneratione, & bonum vitæ in se remunerationem habet. Aliquid tale etiam per Isascharem significatur in Benedictione ejus a Mose, *Lætare Sebulon in exitu tuo, Isaschar in tentoriis tuis, populos in montem vocabunt, ibi sacrificabunt sacrificia justitiæ, quia affluentiam maris sugent, & obtecta occultorum arenæ*, Deutr. XXXIII: 18. 19. Per Isascharem autem in Benedictione ejus a Patre Israele, Genes. XLIX: 14. 15, significatur bonum vitæ meritorium, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, n. 5688.

359. *Ex tribu Sebulonis duodecim millia signati, significat amorem conjugialem boni & veri etiam apud illos qui e Novo Cælo & e Nova Ecclesia Domini, erunt.* Per Sebulonem in supremo sensu significatur Unio Ipsius Divini ac Divini Humani in Domino, in sensu spirituali conjugium boni & veri apud illos qui in Cælo & in Ecclesia sunt, & in sensu naturali ipse amor conjugialis; inde hic per Sebulonem significatur amor conjugialis boni & veri; nominatus etiam est a

COHA-

Cohabitatione, Genes. XXX: 19. 20; & cohabitatio dicitur de conjugibus, quorum mentes conjunctæ sunt in unum, est enim illa conjunctio cohabitatio spiritualis. Amor conjugialis boni & veri, qui hic per Sebulonem significatur, est Amor conjugialis Domini & Ecclesiæ; Dominus est Ipsum Bonum Amoris, ac dat ut Ecclesia sit Verum ex illo Bono, & Cohabitatio fit, cum homo Ecclesiæ in Veris recipit Bonum a Domino, tunc fit apud hominem conjugium boni & veri, quod est ipsa Ecclesia, & fit cælum: inde est quod Regnum Dei, hoc est, Cælum & Ecclesia toties in Verbo comparetur Conjugio.

360. *Ex tribu Josephi duodecim millia signati, significat doctrinam boni & veri apud illos qui e Novo Cælo & e Nova Ecclesia Domini erunt.* Per Josephum significatur Dominus quoad Divinum Spirituale, in sensu spirituali Regnum spirituale, & in sensu naturali fructificatio & multiplicatio; hic autem per Josephum significatur doctrina boni & veri, quæ est apud illos qui in Regno spirituali Domini sunt; hæc significatur hic per Josephum, quia nominatur post Tribum Sebulonis, & ante Tribum Benjaminis, ita in medio, ac Tribus quæ primum nominatur in serie seu classe, significat aliquem amorem qui est voluntatis, & Tribus quæ postea nominatur significat aliquid sapientiæ quod est intellectus, & Tribus quæ postremo nominatur significat aliquem usum seu effectum ex illis: inde est unaquaquævis series plena. Quoniam Josephus Regnum spirituale Domini significabat, ideo factus est Dominator in Ægypto, Genes. XLI: 38 ad 44. Psalm. CV: 17 ad 23, ubi singula significant talia, quæ Regni spiritualis Domini sunt. Regnum Spirituale est Regium Domini, & Regnum Cæleste est Sacerdotium Ipsius. Quod Josephus hic significet doctrinam boni & veri, est quia ille hic loco Ephraimi est, & per Ephraimum significatur Intellectuale Ecclesiæ, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sacra, n. 79; & Intellectuale Ecclesiæ est omne ex Doctrina boni & veri e Verbo: quod Josephus loco Ephraimi hic sit, est quia Menasse, qui erat alter filius Josephi, & significabat Voluntarium Ecclesiæ, prius inter Tribus assumtus est, n. 355. Quia Intellectuale Ecclesiæ est ex Doctrina boni & veri, ideo Intellectuale illud & quoque Doctrina illa per Josephum significatur in sequentibus locis, *Filius fæcundæ Josephus, fæcundæ juxta fontem; sedebit in valido arcus sui; benedicetur ei benedictionibus Cæli desuper, & benedictionibus abyssi jacentis infra*, Genes. XLIX. 22. 26; fons significat Verbum, & arcus doctrinam, n. 299. *Benedicta a Jehovah sit terra Josephi, de pretiosis Cæli, de rore, de abysso etiam jacente infra, & de pretiosis proventuum Solis, de pretiosis producti mensium, & de pretiosis terræ & plenitudinis ejus, veniat Capiti Josephi*, Deutr. XXXIII: 13 ad 17; per pretiosa illa significantur cognitiones boni & veri, ex quibus doctrina. *Qui bibunt ex scyphis vini, & super confractione Josephi non afficiuntur dolore*, Amos VI: 5. 6. *Potentem faciam domum Jehudæ, & domum Josephi salvabo, hinc erunt sicut potens Ephraim, & lætabitur cor eorum sicut vino*, Sach. X: 6. 7; hic quoque Josephus pro doctrina, vinum significat verum ejus ex bono, n. 316.

361. *Ex tribu Benjaminis duodecim millia signati, significat vitam veri ex bono*

 secun-

secundum doctrinam apud illos qui in Novo Cælo & in Nova Ecclesia Domini erunt. Cum per Sebulonem significatur amor conjugialis boni & veri, & per Josephum doctrina boni & veri, per Benjaminem, quia tertius est in serie, significatur vita veri ex bono: Benjamin hanc significationem tulit, quia ultimo natus est, & a patre Jacobo vocatus est FILIUS DEXTRÆ, Genes. XXXV: 18. & per filium dextræ significatur verum ex bono: quare etiam Tribus ejus habitabat circum Hierosolymam, ubi Tribus Jehudæ, ac urbs Hierosolyma significabat Ecclesiam quoad doctrinam, & per circuitus ejus illa quæ sunt ex doctrina, videatur Jos. XVIII: 11 ad 28. Jerem. XVII: 26. Cap. XXXII: 8. 44. Cap. XXXIII: 13, & alibi.

362. In recensione Tribuum Israelis non nominatur Dan, nec Ephraim, causa est, quia Dan erat Ultima Tribuum, & Tribus ejus remotissime in Terra Canaane habitabat, & sic non aliquid in Novo Cælo & Nova Ecclesia Domini, ubi solum cælestes & spirituales erunt, significare potuit; inde pro Dane est Menasse; quod pro Ephraimo sit Josephus, videatur supra n. 360.

363. *Post hæc vidi, & ecce turba multa, quam numerare nemo poterat, significat omnes reliquos qui non ex recensitis sunt, & tamen in Novo Cælo & in Nova Ecclesia Domini, & sunt qui Cælum ultimum & Ecclesiam externam faciunt, quorum quale nemo cognoscit quam Solus Dominus.* Quod per Turbam multam significentur reliqui qui non ex recensitis, & tamen in Cælo & in Ecclesia Domini, patet a Vers. 9. 10. 13. 14. 15. 16. 17, ubi dicitur *quod steterint coram Throno & coram Agno, induti stolis albis, & palmæ in manibus illorum; & quod servient Ipsi in Templo Ipsius; & Sedens super Throno habitabit super illis*, præter plura: per numerare in sensu spirituali significatur cognoscere quale seu quales sunt, quod hoc per numerare significetur, in sequente paragrapho videbitur. Sed quinam in specie sunt, qui per hos qui vocantur Turba multa, intelliguntur, non potest sciri absque ARCANO, quod prius detegendum est: Arcanum est hoc; Universum Cælum una cum Ecclesia in terris coram Domino est sicut Homo unus; & quia est sicut Homo unus, sunt ibi qui constituunt Caput, ac ita faciem cum omnibus organis sensuum ejus, & sunt ibi qui constituunt Corpus cum omnibus membris ejus; hactenus recensiti sunt qui constituunt faciem cum omnibus organis sensuum ejus, hi autem qui nunc memorantur, sunt qui constituunt Corpus cum omnibus membris ejus; quod ita sit, mihi revelatum est; tum etiam, quod qui Primam Classem Tribuum faciunt, Vers. 5, sint qui correspondent Fronti usque ad oculos; quod qui Secundam Classem Vers. 6, sint qui correspondent Oculis una cum Naribus; qui Tertiam, Vers. 7, sint qui correspondent Auribus & Genis, & qui Quartam, Vers. 8, sint qui correspondent Ori & Linguæ. Est quoque Ecclesia Domini Interna & Externa; illi qui per duodecim Tribus Israelis intellecti sunt, sunt qui Ecclesiam Internam Domini faciunt, illi autem qui nunc memorantur, sunt qui Ecclesiam Externam, ac cohærent sicut unum cum supra recensitis, quemadmodum Inferiora cum Superioribus, ita sicut Corpus cum Capite; quare duodecim Tribus Israelis significant Cælos superiores & quoque Ecclesiam Internam, hi autem Cælos inferiores & Ecclesiam Externam; quod hi

hi etiam alibi dicantur Turba multa, videatur infra n. 803 seq. & n. 811.

364. Quod NUMERARE in sensu spirituali significet cognoscere quale, est quia numerus in Verbo non significat numerum, sed quale rei, n. 10, hic itaque per hoc, *Turba multa quam nemo numerare poterat*, in sensu naturali intelligitur secundum verba, quod tam ingens multitudo esset, sed in sensu Spirituali intelligitur quod nemo nisi solus Dominus cognoscat, quales sunt; nam Cælum Domini consistit ex innumeris Societatibus, & Societates distinctæ sunt secundum varietates affectionum in genere, similiter omnes in unaquavis societate in specie; quale affectionis cujusvis solus Dominus novit, ac disponit omnes in ordinem secundum illud: cognoscere hoc quale, ab Angelis intelligitur per Numerare, similiter in Verbo, in his locis „ *Cum Belthschazer bibit vinum ex vasis Templi Hierosolymitani, scriptum est in pariete*, NUMERATUS *es*, NNMERATUS *es*, Dan. V: 2. 5. 25. *Abiturus sum ad portas Inferni*, NUMERATUS SUM, Esaj. XXXVIII: 10. *Vox tumultus Regnorum, Jehovah Zebaoth* NUMERAT *exercitum belli*, Esaj. XIII: 4. *Videte quis creavit hæc, qui* EDUXIT IN NUMERUM *exercitum eorum*, Esaj. XL: 26. *Jehovah qui* NUMERAT *exercitum stellarum*, Psalm. XLVII: 4. *Adhuc transibunt greges juxta manus* NUMERANTIS, Jerem. XXXIII: 13. *Gressus mei* NUMERATI *sunt*, Hiob XIV: 16. *Domus & Turres Sionis & Hierosolymæ* NUMERATÆ *sunt*, Esaj. XXII: 9. 10. Cap. XXXIII: 18. 19. Psalm. XLVIII: 12. 13. 14; numerare pro cognoscere quales sunt. Ex significatione Numeri & Numerare constare potest, cur Davidi denuntiata est pœna propter Numerationem populi seu tribuum Israelis, & quod dixerit ad Gadem Prophetam, *Peccavi valde quod feci*, II Sam. XXIV: 1. ad fin. Et quod cum a Mose numeratus est populus quoad omnes Tribus ejus, mandatum sit, *Ut quisque daret expiationem animæ suæ Jehovæ in* NUMERANDO, *ut non sit in illis plaga in* NUMERANDO *illos*, Exod. XXX: 12; causa erat, quia Numerare significabat cognoscere quale illorum quoad statum spiritualem, ita quoad statum Ecclesiæ per duodecim Tribus Israelis intellectum, quem Solus Dominus novit.

365. *Ex omni gente, & tribubus & populis & linguis, significat omnes in Christiano Orbe, qui in religione ex bono sunt, & in veris ex doctrina.* Per omnem gentem & tribus intelliguntur qui in religione ex bono sunt, qui ex ultimo Cælo, n. 363; per gentes qui in bono sunt, n. 920. 921, & per Tribum religio, n. 349; per populos & linguas intelliguntur qui in veris ex doctrina sunt, per populos qui in veris, n. 483, & per Linguam doctrina, n. 282. Inde per ex omni gente, tribubus, populis & linguis in sensu spirituali simul significantur omnes qui in religione ex bono sunt, & in veris ex doctrina.

366. *Stantes coram Throno & coram Agno, significat audientes Dominum & facientes quæ præcipit.* Per stare coram Deo, significatur audire & facere quæ præcipit, sicut qui stat coram Rege: hoc significatur per stare coram Deo etiam alibi in Verbo, ut „ *Angelus dixit Sachariæ, sum Gabriel* STANS *coram Deo*, Luc. I: 19. *Non excidetur vir* STANS *coram Me omnibus diebus*, Jerem. XXXV: 19. *Hi sunt duo filii oleæ* STANTES *coram Domino totius terræ*, Sach. IV: 14. *Separavit Tribum Levi ad* STANDUM *coram Jehovah*, Deutr. X: 8; & alibi.

367. *Induti stolis albis, & palmæ in manibus, significat communicationem & conjunctionem cum Cælis superioribus, & confessionem ex Divinis Veris.* Quod indui stolis albis, significet habere communicationem & conjunctionem cum Cælis, videatur supra n. 328; quod tenere palmas in manibus significet confessiones ex Divinis Veris, est quia Palmæ significant Divina Vera; unaquævis enim Arbor significat aliquid Ecclesiæ, & Palmæ Divinum Verum in ultimis, quod est Divinum Verum sensus literæ Verbi: propterea *super omnibus parietibus Templi Hierosolymitani introrsum & extrorsum, & quoque super foribus, sculpti fuerunt Cherubi & Palmæ*, I Reg. VI: 29. 32. Similiter in Novo Templo, de quo Ezech. XLI: 18 ad 26. Per Cherubos significabatur Verbum n. 239, & per Palmas Divina Vera ibi: Quod per Palmas significentur Divina Vera Verbi, & per Palmas in manibus confessiones ex illis, constare potest ex eo, quod mandatum sit, quod in *Festo Tabernaculorum acciperent fructus arboris honoris, & spathas Palmarum, & lætarentur coram Jehovah*, Levit. XXIII: 39. 40. Quod *cum Jesus ivit Hierosolymam ad festum, sumserint termites Palmarum, & iverint obviam Ipsi, clamantes, Benedictus qui venit in Nomine Domini*, Joh. XII: 12. 13; per quæ significabatur confessio ex Divinis veris de Domino. Palma etiam significat Divinum Verum apud Davidem ,, *Justus sicat Palma florebit, crescet plantatus in Domo Jehovæ, in atriis Dei nostri germinabit*, Psalm. XCII: 13. 14. similiter alibi. Quia Jericho erat Urbs prope Jordanem, & per Jordanem fluvium significabatur id quod primum est in Ecclesia, & hoc est Divinum Verum, quale est in sensu literæ Verbi, ideo illa vocata est Urbs Palmarum, Deutr. XXXIV: 3. Judic. I: 16. Cap. III: 13; Jordanes enim erat primus terminus seu ingressus in terram Canaanem, & per terram Canaanem significatur Ecclesia.

368. *Et clamantes voce magna, dicentes, Salus Deo nostro Sedenti super Throno & Agno, significat agnitionem ex corde, quod Dominus sit Salvator illorum.* Clamare voce magna significat agnitionem ex corde; Salus Deo nostro Sedenti super Throno & Agno, significat quod Dominus sit ipsa Salus, & quod omnium Salus sit ab Ipso, ita quod sit Salvator. Per Sedentem super Throno & Agnum, intelligitur Solus Dominus, per Sedentem super Throno Divinum Ipsius a Quo, & per Agnum Divinum Humanum Ipsius, ut quoque supra n. 273; utrumque dicitur, quia a Divino suo a Quo per Divinum Humanum suum Salvator fuit; quod unum sint, patet a locis ubi dicitur Agnus in medio Throni, Cap. V: 6. Cap. VII: 17. Dominus in Verbo multoties vocatur Salus, per quod intelligitur quod sit Salvator, ut; *Salus mea non morabitur, & dabo in Sione Salutem*, Esaj. XLVI: 13. *Dicite filiæ Sionis, ecce Salus tua venit*, Esaj. LXII: 2. *Dedi Te ut sis Salus mea ad extremitatem terræ*, Esaj. XLIX: 6. *Hic Jehovah quem exspectavimus, exultemus & lætemur in Salute Ipsius*, Esaj. XXXV: 9. Salus in Lingua Hebræa dicitur Joschia, quod est Jesus.

369. *Et omnes Angeli stabant circum Thronum, & Seniores & quatuor Animalia, significat omnes in universo Cælo, audientes & facientes quæ Dominus præcipit.* Per Animalia & Seniores intelliguntur Angeli superiorum Cælorum, ut supra,

& quoque infra n. 808; per Angelos autem hic intelliguntur Angeli inferiorum cælorum, ita omnes in Universo Cælo; per stare, significatur audire & facere quæ præcipit, n. 366.

370. *Et ceciderunt coram Throno super facies suas, & adoraverunt Deum, significat humiliationem Cordis eorum, & ex humiliatione adorationem Domini.* Quod cadere super facies & adorare, sit humiliatio cordis & inde adoratio, patet; quod humiliatio coram Domino & adoratio Ipsius, significetur per cadere coram Throno & adorare Deum, est quia per Deum intelligitur Divinum Ipsius, quod est Divinum a Quo, & simul Divinum Humanum n. 368, utrumque enim est unus Deus, quia una Persona.

371. *Dicentes amen, significat Divinam Veritatem, & ex illa confirmationem*, videatur supra n. 23. 28. 61.

372. *Benedictio & gloria & sapientia & gratiarum actio, significat Divina Spiritualia Domini.* Omnis agnitio & confessio Domini in genere comprehendit hæc duo, quod sit Ipse Divinus Amor & Ipsa Divina Sapientia, & inde quod amor & omne ejus, illis qui in Cælo & in Ecclesia sunt, sit ab Ipso, similiter sapientia & omne ejus. Quicquid ex Divino Amore Domini procedit, vocatur Divinum Cæleste, & quod ex Divina Sapientia Ipsius, vocatur Divinum spirituale. Divinum Spirituale Domini intelligitur per gloriam, sapientiam & gratiarum actionem; & Divinum Cæleste, per honorem, virtutem & robur, quæ sequuntur. Benedictio quæ præcedit, significat utrumque, videatur supra n. 289. Quod Gloria dicatur de Divino Vero, ita de Divino spirituali, n. 249; quod sapientia de eodem, patet; quod etiam gratiarum actio, est quia illa fit ex Divino Vero, homo enim gratias agit ex illo & per illud.

373. *Et Honor & Virtus & Robur, significat Divina Cælestia Domini.* In præcedente Articulo dictum est, quod hæc tria, honor, virtus & robur, in Verbo, ubi de Domino, dicantur de Divino Cælesti, seu de Divino Amore aut de Divino Bono Ipsius; quod honor, videatur n. 249: quod robur, n. 22; quod etiam virtus, constare potest ex locis in Verbo, ubi nominatur. Sciendum est, quod in singulis Verbi sit conjugium boni & veri, & quod sint voces, quæ se referunt ad bonum, & quod sint voces quæ se referunt ad verum; sed illæ voces non possunt internosci ab alio, quam qui sensui spirituali studet, ex illo patet quæ vox boni seu amoris est, & quæ vox veri seu sapientiæ est; & ex multis locis datum est scire, quod Honor, Virtus & Robur dicantur, ubi de Divino Bono agitur; quod etiam VIRTUS, videri potest Matth. XIII: 54. Cap. XXIV: 30. Marc. XIII: 25. 26. Luc. I: 17. 35. Cap. IX: 1. Cap. XIX: 27; & alibi. Quod in singulis Verbi sit Conjugium Domini & Ecclesiæ, & inde conjugium boni & veri, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 80 ad 90.

374. *Deo nostro in sæcula sæculorum, quod significet illa in Domino & a Domino in æternum*; patet a supradictis; & quod in sæcula sæculorum sit in æternum.

375. *Amen, significat consensum omnium.* In hoc Versu dicitur Amen in principio, & nunc in fine ejus; cum dicitur in principio, significat Veritatem, &

& ex illa confirmationem, n. 371; cum autem in fine, ſignificat Confirmationem & Conſenſum omnium quod veritas ſit.

376. *Et reſpondit unus ex ſenioribus, dicens mihi, hi induti ſtolis albis, quinam ſunt & unde venerunt, & dixi illi, Domine, tu noſti, ſignificat deſiderium ſciendi & voluntatem interrogandi, ac reſponſum & informationem.* Cauſa quod Johannes interrogatus ſit de his, eſt, quia commune eſt in omni cultu Divino, ut homo primum velit, deſideret, & oret, ac Dominus tunc reſpondeat, informet ac faciat, aliter homo non recipit aliquod Divinum. Nunc quia Johannes vidit illos qui induti ſtolis albis erant, & deſideravit ſcire & interrogare quinam eſſent, & hoc perceptum in Cælo, ideo primum interrogatus eſt, & dein informatus. Similiter factum eſt cum Sacharia Propheta, cum plura ſibi repræſentata vidit, ut conſtare poteſt ex Cap. I: 9. Cap. II: 2. 4. Cap. IV: 2. 5. 11. 12. Cap. V: 2. 6. 10. Cap. VI: 4. Præterea in Verbo ſæpiſſime legitur, quod Dominus reſpondeat cum invocant & clamant, ut Pſalm. IV: 2. Pſalm. XVII: 6. Pſalm. XX: 10. Pſalm. XXXIV: 5. Pſalm. XCI: 15. Pſalm. CXX: 1: tum quod det cum petunt, Matth. VII: 7. 8. Cap. XXI: 22. Joh. IV: 13. 14. Cap. XV: 7. Cap. XVI: 23 ad 27; ſed uſque Dominus dat ut petant & quid petent, quare Dominus id ſcit prius, ſed uſque Dominus vult ut homo petat prius, ob cauſam ut ſicut a ſe, & ſic approprietur ei; alioquin ſi non ipſa petitio foret a Domino, non in illis locis dictum fuiſſet, quod accepturi eſſent quicquid peterent.

377. *Et dixit, hi ſunt qui veniunt ex afflictione magna, ſignificat quod ſint qui in tentationibus fuerunt, & pugnarunt contra mala & falſa.* Quod afflictio ſit infeſtatio a malis & falſis, ac pugna ſpiritualis contra illa, quæ eſt tentatio, videatur. n. 33. 95. 100. 101.

378. *Et laverunt ſtolas ſuas, ſignificat & qui mundaverunt religioſa ſua a malis falſi.* Per lavare in Verbo, ſignificatur mundare ſe a malis & falſis; & per ſtolas ſignificantur communia vera n. 328; communia vera ſunt cognitiones boni & veri ex ſenſu literæ Verbi, ſecundum quas vixerunt, & inde ſunt religioſa; & quia omne religioſum ſe refert ad bonum & verum, ideo ſtolæ bis nominantur, nempe, *Laverunt ſtolas & dealbaverunt ſtolas.* Stolæ ſeu Religioſa mundantur ſolum apud illos, qui pugnant contra mala, & ſic rejiciunt falſa, ita per tentationes, quæ ſignificantur per afflictionem magnam, n. 377. Quod lavari ſignificet mundari a malis & falſis, & ſic reformari & regenerari, conſtare poteſt a ſequentibus locis „ *Cum* LAVERIT *Dominus excrementum filiarum Sionis, & ſanguines Hieroſolymæ* ABLUERIT *in ſpiritu judicii & in ſpiritu expurgationis*, Eſaj. IV: 4. LAVATE *vos mundate vos, removete malum operum veſtrorum ab oculis meis, ceſſate malum facere*, Eſaj. I: 16. LAVA *a malitia cor tuum, Hieroſolyma, ut ſalveris*, Jerem. IV: 14. LAVA *me ab iniquitate mea, & præ nive albus ero*, Pſalm. LI: 4. 9. Si LAVERIS *te nitro, & multiplicaveris tibi ſmegma, uſque maculas retinebit iniquitas tua*, Jerem. II: 22. Si LAVERO *me in aquis nivis, & mundavero ſmegmate manus meas, uſque abominabuntur me veſtes meæ*, Hiob IX: 30. 31. *Qui* LAVIT *in vino veſtimentum ſuum, & in ſanguine uvarum*

velamen

velamen suum, Genes. XLIX: 11; hoc de Ecclesia Cælesti, ex qua sunt qui in amore in Dominum, & in supremo sensu de Domino; vinum & sanguis uvarum est Divinum Verum spirituale & cæleste. LAVI *te aquis*, & ABLUI *sanguines a super te*, Ezech. XVI: 9; hoc de Hierosolyma, aquæ sunt vera, & sanguines sunt adulterationes veri. Ex his constare potest quid repræsentatum est & inde significatum per Lavationes in Ecclesia Israelitica, ut *quod Aharon* LAVARET *se antequam indueret vestes ministerii*, Levit. XVI: 4. 24. *Et antequam accederet ad Altare ad ministrandum*, Exod. XXX: 18 ad 21. Cap. XL: 30. 31. *Similiter Levitæ*, Num. VIII: 6. 7. *Similiter alii, qui per peccata immundi facti sunt: imo quod* LAVERINT *vasa*, Levit XI: 32. Cap. XIV: 8 9. Cap. XV: 5 ad 12. Cap. XVII: 15. 16 Matth. XXIII: 26. 27. *Quod sanctificati sint per* LAVATIONES, Exod. XXIV: 9. Cap. XL: 12. Levit. VIII: 6. *Quod Naaman e Syria* LAVERIT *se in Jordane*, II Reg V: 10. 14. Quare ut se Lavarent, *Mare æneum & plura* LAVACRA *posita fuerunt juxta Templum*, I Reg VII: 23 ad 39. *Quodque Dominus* LAVERIT *pedes discipulorum*, Joh. XIII: 10: & *dixerit ad Cæcum, quod* LAVARET *se in lacu Siloah*, Joh. IX: 6. 7. 11. 15. Ex his constare potest quod Lavatio apud filios Israelis repræsentaverit Lavationem spiritualem, quæ est mundatio a malis & falsis, & inde reformatio & regeneratio. Ex supradictis etiam patet, quid significatum est per Baptismum in Jordane a Johanne, Matth. III. Marc. I: 4 ad 13: & quid per hæc Johannis verba de Domino, *Quod* BAPTIZET *Spiritu sancto & Igne*, Luc. III: 16. Joh. I: 33; & de se, *Quod* BAPTIZET *aqua*, Joh. I: 26, quorum intellectus est, quod Dominus lavet seu purificet hominem per Divinum Verum & Divinum Bonum, & quod Johannes per suum baptismum repræsentaverit illa; nam Spiritus sanctus est Divinum Verum, Ignis est Divinum Bonum, & Aqua est repræsentativum illorum; aqua enim significat Verum Verbi, quod fit bonum per vitam secundum illud, n. 50.

379. *Et dealbaverunt stolas suas in sanguine Agni, significat & purificaverunt illa a falsis mali per vera, & sic a Domino reformati sunt.* Sunt mala falsi & falsa mali, mala falsi apud illos, qui ex religione credunt quod mala non damnent, modo ore confiteantur quod peccatores sint; & falsa mali apud illos qui mala apud se confirmant. Per Stolas significantur hic ut supra n. 378, communia vera ex Verbo, quæ faciunt Religiosa illorum: quod dicatur quod dealbaverint stolas suas in sanguine Agni, est quia album dicitur de veris, n. 167. 231. 232, ita quod purificaverint falsa per vera: quod etiam significetur, quod sic a Domino reformati sint, est quia omnes qui pugnarunt contra mala in mundo, & crediderunt in Dominum, post excessum e Mundo docentur a Domino, & a falsis Religionis suæ per vera abducuntur; & sic reformantur; causa est, quia illi qui fugiunt mala ut peccata, in bono vitæ sunt, & bonum vitæ desiderat vera, & agnoscit & acceptat illa; at nusquam malum vitæ. Creditur quod per Sanguinem Agni hic & alibi in Verbo significetur Passio crucis Domini; sed Passio crucis fuit Ultima Tentatio, per quam Dominus plene vicit Inferna, & plene glorificavit Humanum suum, per quæ duo salvavit hominem, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n.

5. 6

13

XXIX. 4

5 ad

[Matt. III.

22 ad 24. & n. 25 ad 27; tum supra n. 67; & quia Dominus per illam plene glorificavit Humanum suum, hoc est, Divinum fecit, ideo non potest aliud per Carnem & Sanguinem Ipsius intelligi quam Divinum in Ipso & ab Ipso, per Carnem Divinum Bonum Divini Amoris, & per Sanguinem Divinum Verum ab illo Bono. In multis locis in Verbo nominatur Sanguis, & per illum ubivis in Sensu spirituali significatur Divinum Verum Domini, quod etiam est Divinum Verum Verbi, & in opposito sensu Divinum Verum Verbi falsificatum aut prophanatum, ut constare potest a sequentibus locis. PRIMO; quod per Sanguinem significetur Divinum Verum Domini seu Verbi, ex his; quod Sanguis dictus fuerit Sanguis fœderis, & fœdus est conjunctio, & hæc fit a Domino per Divinum Verum Ipsius, ut apud Sachariam, *Per* SANGUINEM FÆDERIS *tui emittam vinctos e fouea*, IX: 11: & apud Mosen „ *Moses postquam legerat Librum legis in auribus populi, sparsit dimidium* SANGUINIS *super populum, & dixit, ecce* SANGUIS FÆDERIS, *quod pepigit Jehovah cum vobis super omnia verba hæc*, Exod. XXIV: 3 ad n. Et *Jesus accipiens poculum, & dedit illis dicens, bibite ex eo omnes, hoc est* SANGUIS *meus, Ille* NOVI FÆDERIS, Matth: XXVI: 27. 28. Marc. XIV: 24. Luc. XXII: 20; per Sanguinem Novi Fœderis seu Testamenti, non aliud significatur quam Verbum, quod vocatur Fœdus & Testamentum, Vetus & Novum, ita Divinum Verum ibi. Quoniam per Sanguinem id significatur, ideo Dominus dedit illis Vinum, dicens hoc est Sanguis meus, & Vinum significat Divinum Verum, n. 316; quare etiam vocatur SANGUIS UVARUM, Genes. XLIX: 11. Deutr. XXXII: 14. Hoc patet adhuc ex his Domini verbis „ *Amen, amen, dico vobis, nisi comederitis Carnem Filii Hominis, & biberitis Ipsius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis; nam Caro mea est vere Cibus, &* SANGUIS *meus est vere potus; qui comedit meam Carnem, & bibit meum* SANGUINEM, *ille in Me manet & Ego in illo*, Joh. VI: 50 ad 58; quod per Sanguinem hic intelligatur Divinum Verum, patet manifeste, quia dicitur quod ille qui bibit, habeat vitam, ac maneat in Domino & Dominus in illo; quod hoc faciat Divinum Verum & vita secundum illud, & quod Sancta Cœna confirmet illud, notum potest esse in Ecclesia. Quoniam Sanguis significabat Divinum Verum Domini, quod etiam est Divinum Verum Verbi, & hoc est Ipsum Fœdus seu Testamentum Vetus & Novum, ideo fuit Sanguis sanctissimum Repræsentativum in Ecclesia Israelitica, in qua omnia & singula erant Correspondentiæ spiritualium, ut, *Quod sumerent de* SANGUINE PASCHALI, *& darent super postes & superliminaria domuum, ne veniret super illos plaga*, Exod. XII: 7. 13. 22. *Quod* SANGUIS HOLOCAUSTI *spargeretur super Altare, ad fundamenta Altaris, super Aharonem, filios ejus, & vestes eorum*, Exod. XXIX: 12. 16. 20. 21. Levit. I: 5. 11. 15. Cap. III: 2. 8. 13. Cap. IV: 25. 30. 34. Cap. V: 9. Cap. VIII: 15. 24. Cap. XVII: 6. Cap. XVIII: 8. Deutr. XII: 27: *tum super Velum quod super Arca, super Propitiatorium ibi, & super cornua Altaris suffitus*, Levit. IV: 6. 7. 17. 18. Cap. XVI: 12. 13. 14. 15. Per Sanguinem Agni simile significatur in sequentibus in Apocalypsi „ *Factum est bellum in Cœlo, Michael & Angeli pugnarunt contra Draconem, & vicerunt illum per* SANGUINEM AGNI, *& per Verbum testimonii sui*, Cap. XII: 7. 11; non enim

enim cogitari potest, quod Michael & Angeli ejus per aliud vicerint draconem, quam per Divinum Verum Domini, in Verbo; nam Angeli in Cælo non cogitare possunt de aliquo Sanguine, nec cogitant de Passione Domini, sed de Divino Vero & de Resurrectione Ipsius; quare cum homo cogitat de Sanguine Domini, Angeli percipiunt Divinum Verum Ipsius, & cum de Passione Domini percipiunt Glorificationem Ipsius, & tunc solum Resurrectionem; quod ita sit datum est per multam experientiam nosse. Quod Sanguis significet Divinum Verum, patet etiam ex his apud Davidem „ *Deus animas egenorum servabit, pretiosus erit* SANGUIS *illorum in oculis Ipsius, & vivent, & dabit illis de auro Schebæ*, Psalm. LXXII: 13. 14. 15. 16; sanguis pretiosus in oculis Dei pro Divino Vero apud illos; aurum schebæ est sapientia inde. Apud Ezechielem „ *Congregate vos ad Sacrificium magnum super montibus Israelis, ut comedatis Carnem & bibatis* SANGUINEM, SANGUINEM principum terræ bibetis, & bibetis SANGUINEM USQUE AD EBRIETATEM, *de sacrificio meo quod sacrifico vobis: sic dabo gloriam meam inter gentes*, XXXIX: 17 ad 21; per sanguinem hic non potest intelligi sanguis, quia dicitur quod bibituri sint sanguinem principum terræ, & quod bibituri sint sanguinem usque ad ebrietatem; sed tunc verus sensus Verbi resultat, dum per Sanguinem intelligitur Divinum Verum: agitur etiam ibi de Ecclesia Domini, quam apud gentes instauraturus est. Secundo; quod Sanguis significet Divinum Verum, clare videri potest ex sensu ejus opposito, in quo significat Divinum Verum Verbi falsificatum aut prophanatum, quod *patet ex his: Qui obturat aures suas, ne audiat* SANGUINES, *& occludit oculos, ne videat malum*, Esaj. XXXIII: 15. *Perdes loquentes mendacium, virum* SANGUINUM *& doli abominatur Jehovah*, Psalm. V: 7. *Omnis scriptus ad vitam in Hierosolyma, cum Dominus abluerit* SANGUINES *ejus e medio ejus per spiritum judicii & per spiritum expurgationis*, Esaj. IV: 3. 4. *In die quo nata es vidi te conculcatam in* SANGUINIBUS, *& dixi in* SANGUINIBUS *tuis vive; lavi & ablui* SANGUINES *a super te*, Ezech. XVI: 5. 6. 9. 22. 36. 38. *Errarunt Cæci in plateis, polluti sunt* SANGUINE, *& quæ non possunt, tangunt vestimentis suis*, Thren. IV: 13. 14. *Vestis est polluta* SANGUINIBUS, Esaj. IX: 4. *Etiam in alis tuis inventus est* SANGUIS *animarum innocentium*, Jerem. II: 33. 34. *Manus vestræ* SANGUINIBUS *plenæ sunt, lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum*, Esaj. I: 15. 16. *Manus vestræ pollutæ sunt* SANGUINE, *& digiti vestri iniquitate, labia vestra loquuta sunt mendacium, festinant ad effundendum* SANGUINEM *innocentem*, Esaj. LIX: 3. 7. *Jehovah exiens ad visitandum iniquitatem terræ, tunc revelabit terra* SANGUINES *suos*, Esaj. XXVI: 20. *Quotquot Ipsum receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, qui non ex* SANGUINIBUS, Joh. I: 12. 13. *In Babylonia* SANGUIS *Prophetarum & Sanctorum inventus est*, Apoc. XVIII: 24. *Mare factum est tanquam* SANGUIS *mortui, & fontes aquarum facti sunt* SANGUIS, Apoc. XVI: 3. 4. Esaj. XV: 6. 9 Psalm. CV: 23. 28. 29. Simile significatur per *quod flumina, collectiones & stagna aquarum in Ægypto versa sint in Sanguinem*, Exod. VII: 15 ad 27. *Luna vertetur in* SANGUINEM *antequam venit dies Jehovæ magnus*, Joel. III: 34. *Luna facta est* SANGUIS, Apoc. VI: 12. In his locis & pluribus aliis, Sanguis significat Verum Verbi falsificatum, & quoque pro-

phanatum; quod tamen manifestius videri potest ex illis locis in Verbo in ſerie lectis. Cum itaque per Sanguinem in opposito sensu significatur Verum Verbi falsificatum aut prophanatum, patet quod per Sanguinem in genuino sensu significetur Verum Verbi non falsificatum.

380. *Propter hoc sunt coram Throno Dei, & serviunt Ipsi die & nocte in Templo Ipsius, & Sedens super Throno habitabit super illis, significat quod in præsentia Domini sint, ac constanter & fideliter vivant secundum vera quæ recipiunt ab Ipso in Ecclesia Ipsius, & quod Dominus veris illorum jugiter indat bonum.* Propter hæc sunt coram Throno Dei, significat quod in præsentia Domini sint; & serviunt Ipsi die & nocte, significat quod constanter & fideliter vivant secundum vera, hoc est, præcepta, quæ recipiunt ab Ipso, per servire Domino non aliud significatur; in Templo Ipsius significat in Ecclesia, n. 191; Sedens super Throno habitabit super illis, significat quod Dominus jugiter indat bonum veris, quæ recipiunt ab Ipso; quod hoc per habitare super illis significetur, est quia in Verbo habitare prædicatur de bono, & servire de vero. Hic nunc hoc Arcanum detegendum est; quod conjugium Domini cum Ecclesia, in eo consistat, quod Dominus influat apud Angelos & Homines cum bono amoris, & quod Angeli & Homines recipiant Ipsum seu bonum amoris Ipsius in veris; quod per id fiat conjugium boni & veri, quod Conjugium est ipsa Ecclesia, & fit cælum apud illos: quia talis est influxus Domini & receptio Ipsius, ideo Dominus aspicit Angelos & Homines in fronte, & illi respiciunt Dominum per oculos: frons enim correspondet bono amoris, & oculi correspondent veris ex illo bono, quæ sic per conjunctionem fiunt vera boni: influxus autem Domini cum veris apud angelos & homines, non est sicut influxus boni apud illos, est enim mediatus profluens ex bono, sicut lux ex igne, & recipitur intellectu ab illis, ac in tantum voluntate, quantum faciunt vera. Hoc itaque est conjugium amoris & sapientiæ, seu boni & veri a Domino, apud recipientes in Cælis & in terris. Hoc arcanum detectum est, ut sciatur quomodo intelligendum est, quod Dominus veris illorum jugiter indat bonum.

381. *Non esurient amplius nec sitient amplius, significat quod posthac non deficient illis bona & vera.* Per non esurire significatur non defectum boni habere, & per non sitire significatur non defectum veri; esurire enim dicitur de pane & cibo, & sitire de vino & aqua, & per panem & cibum significatur bonum, ac per vinum & aquam significatur verum: videatur supra n. 323.

382. *Neque cadet super illos sol neque ullus æstus, significat quod non posthac illis concupiscentiæ ad malum, neque ad falsum mali.* Non cadet super illos sol, significat quod non illis concupiscentiæ ad malum; neque cadet super illos ullus æstus, significat quod non illis concupiscentiæ ad falsum: quod Sol significet Divinum Amorem & inde affectiones boni, & in opposito sensu diabolicum amorem & inde concupiscentias ad malum, videatur supra n. 53: quod autem æstus significet concupiscentias ad falsum mali, est quia falsum producitur ex malo, sicut æstus a sole; dum enim voluntas amat malum, intellectus amat falsum, & æstuat a concupiscentia confirmandi illud, ac confirmatum malum in intellectu est falsum mali; falsum mali est inde malum in sua forma. Æstus & æstuare

æstuare similia significant in sequentibus locis ,, *Beatus vir qui confidit in Jehovah, non videbit cum venit* ÆSTUS, Jerem. XVII: 7. 8. *Factus es refugium egeno ab inundatione, umbra, &* ÆSTU; ÆSTUM *per umbram nubis reprimet*, Esaj. XXV: 4. 5. *Cum* ÆSTUAVERINT, *inebriabo illos, ut dormiant somnum sæculi*, Jerem. LI: 9. *Omnes* ÆSTUANT *sicut clibanus, non clamans inter illos ad Me*, Hosch. VII: 7. *Non respicit viam vinearum, siccitas &* ÆSTUS *rapient aquas nivis*, Hiob XXIV: 18. 19. *Quartus Angelus effudit phialam super solem, & datum est illi adurere homines* ÆSTU MAGNO, *& blasphemarunt Nomen Dei*, Apoc. XVI: 8. 9. *Ad dicendum vinctis exite, non esurient neque sitient, non percutiet illos* ÆSTUS, Esaj. XLIX: 9. 10.

383. *Quoniam Agnus, qui in medio Throni, pascet illos, significat quod Solus Dominus illos docebit.* Per Agnum in medio Throni, significatur Dominus quoad Divinum Humanum in intimo, & sic in omnibus Cæli; in medio est in intimo & sic in omnibus, n. 44; Thronus est Cælum, n. 14; & Agnus est Dominus quoad Divinum Humanum, n. 269. 291; & qui in intimo est & sic in omnibus Cæli, Ille Solus pascit, hoc est, docet omnes. Si quæritur, quomodo Solus potest pascere omnes, sciatur quod quia est Deus, & quia in universo Cælo est sicut anima in suo Corpore, est enim Cælum ab Ipso sicut unus Homo. Quod pascere sit docere, est quia Ecclesia in Verbo vocatur Grex, & homines Ecclesiæ vocantur Oves & Agni, inde Pascere significat docere, & Pastor docentem, & hoc in multis locis, ut ,, *Pascent greges in die illo in prato lato*, Esaj. XXX: 23. *Ut Pastor gregem suum pascet*, Esaj. XL: 11. *Super clivis Pascent, & in omnibus clivis Pascuum eorum*, Esaj. XLIX: 9. *Pascet Israel in Carmele & Baschane*, Jerem. L: 19. *Ego quæram gregem meum, Pascam eos in Pascuo bono, & in Pascuo pingui super montibus Israelis*, Mich. V: 1. 3. *Pasce populum tuum, Pascant in Baschane & Gileade*, Mich. VII: 14. *Reliquiæ Israelis Pascent, & requiescent*, Zeph. III: 13. *Jehovah Pastor meus, non carebo, in Pascuis herbæ cubare faciet me*, Psalm. XXIII: 1. 2. *Dominus elegit Davidem ad Pascendum Jacobum & Israelem, & Pavit illos*, Psalm. LXXVIII: 70. 71. 72. *Jesus dixit Petro, Pasce agnos meos, secundo & tertio dixit, Pasce oves meas*, Joh. XXI: 15. 16. 17.

384. *Et deducet ad vivos fontes aquarum, significat & ducet per vera Verbi ad conjunctionem Secum.* Quoniam per vivum fontem aquarum significatur Dominus & quoque Verbum, & per aquas significantur vera, n. 50, & quia per Divina vera Verbi, dum fiunt vitæ, quod fiunt dum vivitur secundum illa, fit conjunctio cum Domino, ideo per deducere illos ad vivos fontes aquarum, significatur ducere per vera Verbi ad conjunctionem cum Domino. Quod per Fontem & Fontes significetur Dominus & quoque Verbum, constat ex his locis ,, *Omnes* FONTES *mei in Te, Jehovah*, Psalm. LXXVII: 7. *Deseruerunt* FONTEM AQUARUM VIVARUM *Jehovam*, Jerem. XVII: 13. *Populus Me deseruerunt* FONTEM AQUARUM VIVARUM, Jerem. II: 12. 13. *E flumine delitiarum potas eos, quia Tecum est* FONS VITÆ, Psalm. XXXVI: 9. 10. *In die illo erit* FONS *apertus habitatoribus Hierosolymæ*, Sachar. XIII: 1. *Habitavit Israel secure solitarius ad* FONTEM JACOBI, Deutr. XXXIII: 28. *Cum Dominus consedit ad* FON-

39,

Ezech. XXXIV. 12-14.

n

×

[B. a. 8, 9]

FONTEM JACOBI, *dixit mulieri, aqua quam Ego dabo, fiet* FONS *aquæ salientis in vitam æternam*, Joh. IV: 5 ad 20. *Josephus filius fæcundæ juxta* FONTEM, Genes. XLIX: 22. *Benedicite Domino e* FONTE Israelis, Psalm. LXVIII: 27. *Tunc haurietis aquas cum lætitia e* FONTIBUS *salutis*, Esaj. XII: 13. *Sitienti dabo e* FONTE AQUÆ VITÆ *gratis*, Apoc. XXI: 6. *Ducam eos ad* FONTES AQUARUM *in via recti*, Jerem. XXXI: 9. Similia quæ hic & nunc supra in Apocalypsi, dicuntur etiam apud Esajam „ NON ESURIENT NEC SITIENT, NEQUE PERCUTIET EOS ÆSTUS, NAM MISERESCENS EORUM DUCET EOS ETIAM AD FONTES AQUARUM„ Esaj. XLIX: 10.

385. *Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, significat quod non amplius in pugnis contra mala & eorum falsa, & sic non in doloribus, erunt, sed in bonis & veris, & inde in gaudiis cælestibus a Domino.* Quod hæc significentur per quod Agnus absterget omnem lachrymam ex oculis eorum, est quia supra in Versu 14 dicitur, quod sint qui veniunt ex afflictione magna, per quod significatur, quod sint qui in tentationibus fuerunt, & pugnarunt contra mala, n. 377; & qui postea non in pugnis contra mala sunt, illi in bonis & veris, & inde in gaudiis cælestibus sunt. Similia significantur per hæc apud Esajam „ *Absorbebit mortem in æternum, & absterget Dominus Jehovih Lachrymam desuper omnibus faciebus: tunc dicent in die illo, ecce Deus noster Hic, quem exspectavimus, ut liberet nos, Hic Jehovah Quem exspectavimus, exultemus & lætemur in Salute Ipsius*, XXV: 8. 9.



386. His adjiciam hoc MEMORABILE. Quondam cum circumspexi in Mundo spirituali, audivi sicut stridorem dentium, & quoque sicut pulsatile, & illis intermixtum sicut raucum; & quæsivi quid illa; & dixerunt Angeli qui apud me erant, sunt Collegia, quæ a nobis vocantur Diversoria, ubi inter se disceptant; disceptationes illorum ita audiuntur e longinquo, sed prope non audiuntur nisi quam disceptationes: accessi, & vidi domunculas contextas ex juncis luto conglutinatas; & volui inspicere per fenestram, sed non erat; non enim licuit intrare per januam, quia sic lux e Cælo influeret, & confunderet: at subito facta est fenestra a dextro latere, & tunc audivi conquestos, quod in tenebris essent; sed mox facta est fenestra a latere sinistro, clausa fenestra a latere dextro, & tunc paullatim discussæ sunt tenebræ, & visi sibi in luce; & post hæc mihi datum est intrare per januam, & audire: erat mensa in medio, & scamna circum circa, omnes tamen mihi visi super scamnis stare, & acriter inter se disputare de FIDE & CHARITATE, ab una parte quod Fides esset principale Ecclesiæ, ab altera quod Charitas esset; illi qui faciebant Fidem principale, dixerunt, annon fide agimus cum Deo, & Charitate cum hominibus, estne inde Fides Cælestis, & Charitas terrestris, anne per Cæleste salvamur, & non per terrestre; tum, annon Deus potest dare fidem e Cælo, quia est cælestis, & annon homo sibi daturus esset charitatem, quia est terrestris, & quod homo sibi dat, hoc non est Ecclesiæ, & ideo non salvat; num sic

fic aliquis poteſt ex operibus, quæ vocantur charitatis, coram Deo juſtificari; credite nobis, quod per fidem ſolam non modo juſtificemur, ſed etiam ſanctificemur, ſi non fides per meritoria, quæ ſunt ex operibus charitatis, inquinatur; præter plura. At illi, qui Charitatem faciebant principale Eccleſiæ, acriter refellebant illa, dicendo, quod charitas ſalvet & non fides; annon Deus charos habet omnes, & bonum vult omnibus, quomodo poteſt Deus hoc facere niſi per homines; num Deus ſolum dat loqui cum hominibus quæ fidei ſunt, & non dat facere hominibus quæ charitatis ſunt, videtiſne quod abſurde dixeritis de charitate quod ſit terreſtris; charitas eſt cæleſtis, & quia vos non facitis bonum charitatis, eſt fides veſtra terreſtis; quomodo accipitis fidem niſi ſicut truncus aut lapis; dicitis per ſolum auditum Verbi, at quomodo poteſt Verbum modo auditum operari, & quomodo in truncum aut lapidem; forte vivificamini vobis inſciis, ſed quæ vivificatio, niſi quod poſſitis loqui quod ſola fides ſalvet, at quid fides, & quæ fides ſalvans, non ſcitis. Sed tunc ſurrexit unus, qui ab Angelo loquente mecum vocabatur Syncretiſta, is ſumſit tiaram e capite, & poſuit ſuper menſa, ſed ſubito repoſuit, quia calvus erat; ille dixit, audite, erratis omnes, verum eſt quod fides ſit ſpiritualis, & charitas moralis, ſed uſque conjungentur, & conjunguntur per Verbum, per Spiritum ſanctum, & per Effectum, dum homo neſcit, qui quidem vocari poteſt obedientia, ſed in qua homo non aliquam partem habet; de his mecum diu cogitavi, & inveni tandem, quod homo a Deo poſſit accipere fidem, quæ ſpiritualis ſit, ſed quod non poſſit moveri a Deo ad charitatem, quæ ſit ſpiritualis, niſi ſicut ſtatua ſalis. His dictis, adplaudebant qui in ſola fide erant, ſed explodebant qui in charitate: & hi ex indignatione dicebant, audi ſocie, tu non ſcis, quod ſit vita moralis ſpiritualis, & quod ſit vita moralis mere naturalis, vita moralis ſpiritualis apud illos, qui bonum faciunt a Deo & uſque ſicut a ſe, ac vita moralis mere naturalis apud illos qui bonum faciunt ex inferno & uſque ſicut a ſe.

Dictum eſt, quod diſceptatio audita ſit ſicut ſtridor dentium, & ſicut pulſatile, quibus intermixtum erat raucum; diſceptatio audita ſicut ſtridor dentium, erat ab illis qui in ſola fide erant, diſceptatio autem audita ſicut pulſatile, erat ab illis qui in ſola charitate, & raucum intermixtum erat a ſyncretiſta; quod ita auditi ſint e longinquo ſoni illorum, erat quia omnes illi in Mundo diſceptarunt, & non aliquod malum fugerunt, & ideo non aliquod bonum morale ſpirituale fecerunt; & quoque prorſus neſciverunt, quod omne fidei ſit verum, & omne charitatis ſit bonum, & quod verum abſque bono non ſit verum ſpiritu, & quod bonum abſque vero non ſit bonum ſpiritu, & quod ſic unum faciet alterum. Quod tenebræ fierent cum facta eſt feneſtra a latere dextro, eſt quia lux e Cælo ab illo latere influens afficit voluntatem; & quod lux fieret, dum clauſa feneſtra a latere dextro facta ſit feneſtra a latere ſiniſtro, eſt qui lux a latere ſiniſtro e cælo influens afficit intellectum, & omnis homo in luce cæli poteſt eſſe quoad intellectum, modo claudatur voluntas quoad malum ejus.

a/

CAPUT

CAPUT OCTAVUM.

1. ET cum aperuit figillum feptimum, factum eft filentium in Cælo quafi femihoram.

2. Et vidi feptem Angelos, qui coram Deo fteterunt, & datæ funt illis feptem tubæ.

3. Et alius Angelus venit & ftetit ad Altare, habens thuribulum aureum, & dati funt illi fuffitus multi, ut daret precibus fanctorum omnium fuper Altare aureum quod coram Throno.

4. Et afcendit fumus fuffituum precibus fanctorum de manu Angeli coram Deo.

5. Et accepit Angelus thuribulum, & implevit illud de igne Altaris, & projecit in terram, & factæ funt voces & tonitrua & fulgura & terræ motus.

6. Et feptem Angeli habentes feptem tubas pararunt fe ut clangerent.

7. Et Primus Angelus clanxit, & facta eft grando & ignis, mixta fanguine, & miffa in Terram, & tertia pars arborum combufta eft, & omne gramen viride combuftum eft.

8. Et Secundus Angelus clanxit, & quafi mons magnus igne ardens miffus eft in Mare, & facta eft tertia pars maris fanguis.

9. Et mortua eft tertia pars creaturarum illarum in mari habentium animas, & tertia pars navium periit.

10. Et Tertius Angelus clanxit, & cecidit ex Cælo ftella magna ardens quafi lampas, & cecidit fuper tertiam partem Fluviorum & fuper Fontes aquarum.

11. Et nomen ftellæ dicitur abfinthium; & facta eft tertia pars aquarum abfinthium, & multi homines mortui funt ex aquis, quia amaræ factæ funt.

12. Et Quartus Angelus clanxit, & percuffa eft tertia pars folis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ftellarum, & obtenebrabatur tertia pars illarum, ut dies non luceret tertia parte ejus, & nox fimiliter.

13. Et vidi & audivi unum Angelum volantem in medio Cæli, dicentem voce magna, væ, væ, væ habitantibus fuper terra ex reliquis vocibus tubæ trium Angelorum futurorum clangere.

SENSUS SPIRITUALIS.

CONTENTUM TOTIUS CAPITIS. Agitur hic de Ecclefia Reformatorum,

torum, quales sunt illi ibi, qui in sola fide: præparatio Cœli spiritualis ad communicationem cum illis, Vers. 1 ad 6. Exploratio & manifestatio illorum ibi, qui in interioribus illius fidei sunt, Vers. 7. illorum qui in exterioribus ejus, Vers. 8. 9. Quales sunt quoad intellectum Verbi, Vers. 10. 11. Quod sint in falsis & inde malis, Vers. 12. 13.

Contenta Singulorum Versuum. Et aperuit sigillum septimum, *significat* a Domino explorationem status Ecclesiæ & inde vitæ illorum qui in Regno spirituali Ipsius sunt, qui sunt qui in charitate & ejus fide, hic qui in sola fide: factum est silentium in Cælo quasi semihoram, *significat* quod Angeli e Regno spirituali Domini valde obstupescerent, cum viderunt illos qui dixerunt se in fide esse in tali statu: & vidi septem Angelos qui coram Deo steterunt, *sing:* universum Cælum spirituale in præsentia Domini, audiens & faciens quæ præciperet: & datæ sunt illis septem tubæ, *sign:* explorationem & detectionem status Ecclesiæ & inde vitæ illorum qui in sola fide sunt: & alius Angelus venit & stetit ad Altare, habens thuribulum aureum, *sign:* cultum spiritualem, qui fit ex bono charitatis per vera fidei: & dati sunt illi suffitus multi, ut daret precibus sanctorum omnium, super Altare aureum quod coram Throno, *sign:* propitiationem ne Angeli Regni spiritualis Domini læderentur a spiritibus Regni satanici qui infra erant: & ascendit fumus suffituum precibus sanctorum de manu Angeli coram Deo, *sign:* tutelam illorum a Domino: & accepit Angelus thuribulum, & implevit illud igne Altaris, & projecit in terram, *sign:* amorem spiritualem in quo amor cælestis, & ejus influxum in inferiora, ubi illi qui in fide separata a charitate erant: & factæ sunt voces & tonitrua & fulgura & terræ motus, *sign:* quod postquam communicatio aperta est cum illis, auditæ sint ratiocinationes de sola fide & confirmationes pro illa: & septem Angeli habentes septem tubas pararunt se ut clangerent, *sign:* præparatos & accinctos ad explorandum statum Ecclesiæ & inde vitæ apud illos quibus Religio est sola fides: & primus Angelus clanxit, *sign:* explorationem & manifestationem qualis status Ecclesiæ est apud illos qui interius in illa fide sunt: & facta est grando & ignis mixta sanguine, *sign:* falsum ex amore infernali destruens bonum & verum, & falsificans Verbum: & missa in terram, & tertia pars arborum combusta est, *sign:* quod apud illos omnis affectio & perceptio veri, quæ faciunt hominem Ecclesiæ, perirent: & omne gramen viride combustum est, *sign:* sic omne vivum fidei: & secundus Angelus clanxit, *sign:* explorationem & manifestationem, qualis status Ecclesiæ est apud illos qui exterius in illa fide sunt: & quasi mons igne ardens missus est in mare, *sign:* apparentiam amoris infernalis apud illos: & facta est tertia pars maris sanguis, *sign:* quod omnia communia vera apud illos falsificata essent: & mortua est tertia pars creaturarum istarum in mari habentium animas, *sign:* quod qui vixerunt & vivunt illam fidem non possint reformari & vitam accipere: & tertia pars navium periit, *sign:* quod omnes cognitiones

Ee boni

boni & veri ex Verbo inservientes pro usu vitæ apud illos deperditæ essent: & tertius Angelus clanxit, *sign:* explorationem & manifestationem status Ecclesiæ apud illos quibus Religio est sola fides quoad affectionem & receptionem veritatum ex Verbo; & cecidit ex Cælo stella magna ardens quasi lampas, *sign:* apparentiam propriæ intelligentiæ ex fastu oriundo ex amore infernali: & cecidit super tertiam partem fluviorum & super fontes aquarum, *sign:* quod inde omnia vera Verbi prorsus falsificata sint: & nomen stellæ dicitur absinthium, & facta est tertia pars aquarum absinthium, *sign:* falsum infernale ex quo illorum propria intelligentia, per quam omnia vera Verbi falsificata sunt: & multi homines mortui sunt ex aquis quia amaræ factæ sunt, *sign:* exstinctionem vitæ spiritualis ex falsificatis veris Verbi: & quartus angelus clanxit, *sign:* explorationem & manifestationem status Ecclesiæ apud illos quibus Religio est sola fides, quod sint in malis falsi & falsis mali: & percussa est tertia pars solis & tertia pars lunæ & tertia pars stellarum, & obtenebrabatur tertia pars illorum, *sign:* quod propter mala ex falsis ac falsa ex malis non scirent quid amor, quid fides, & ullum verum: ut dies non luceret tertia parte ejus & nox similiter, *sign:* non amplius aliquod verum spirituale nec verum naturale inserviens pro doctrina & vita ex Verbo apud illos: & vidi & audivi unum Angelum volantem in medio Cæli, *sign:* instructionem & prædictionem a Domino: dicentem voce magna, væ, væ, væ habitantibus super terra ex reliquis vocibus tubæ trium Angelorum futurorum clangere, *sign:* summam lamentationem super statum damnatum illorum in Ecclesia, qui doctrina & vita apud se confirmaverunt fidem separatam a charitate.

apud plures

EXPLICATIO.

387. Sunt duo Regna, in quæ Universum Cælum distinctum est, REGNUM CÆLESTE & REGNUM SPIRITUALE; Regnum Cæleste consistit ex illis qui in amore in Dominum sunt & inde in sapientia; ac Regnum spirituale ex illis qui in amore erga proximum sunt & inde in intelligentia; & quia amor erga proximum hodie vocatur charitas, ac intelligentia fides, consistit hoc Regnum ex illis qui in charitate & inde fide sunt. Nunc quia Cælum in duo Regna distinctum est, etiam Infernum in duo Regna illis opposita distinctum est, in REGNUM DIABOLICUM & in REGNUM SATANICUM; Regnum Diabolicum consistit ex illis qui in amore dominandi ex amore sui sunt, & inde in stultitia, est enim amor ille oppositus amori cælesti, ac stultitia ejus opposita sapientiæ cælesti; Regnum autem Satanicum consistit ex illis, qui in amore dominandi ex fastu propriæ intelligentiæ sunt, & inde in insania, est enim ille amor oppositus amori spirituali, ac insania ejus opposita intelligentiæ spirituali: per Stultitiam & Insaniam intelligitur stultitia & insania in rebus cælestibus & spiritualibus. Similia intelligenda sunt de Ecclesia in terris, quæ dicta sunt de Cælo, unum enim faciunt. De binis illis Regnis, videatur opus de CÆLO ET INFERNO, Londini editum, n. 20 ad 28, & pluries alibi. Nunc quia in Apoca-

pocalypsi unice agitur de Statu Ecclesiæ in fine ejus, ut in PRÆFATIONE & n. 2, dictum est, idcirco de illis qui in duobus Regnis Cæli, & de illis qui in duobus Regnis Inferni sunt, & quales sunt, ex nunc agitur; ab hoc Capite VIII. ad Cap. XVI, de illis qui in Regno Spirituali, & in Regno illi opposito Satanico sunt, in Cap. XVII & XVIII, de illis qui in Regno Cælesti & in Regno ei opposito Diabolico sunt; & postea de Ultimo Judicio; & demum de Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma; hæc concludit omnia antecedentia, quia est finis propter quem. In Verbo passim nominatur Diabolus & Satanas, & per utrumque intelligitur Infernum; nominatur ita, quia omnes in uno Inferno vocantur diaboli, & omnes in altero vocantur satanæ.

388. *Et cum aperuit sigillum septimum, significat a Domino explorationem status Ecclesiæ & inde vitæ illorum qui in Regno spirituali Ipsius sunt, qui sunt qui in charitate & ejus fide, hic qui in sola fide.* Quod hæc significentur, constare potest ex singulis hujus Capitis in sensu spirituali intellectis; agitur enim in hoc Capite & in sequentibus ad Cap. XVI, de illis qui in Regno Spirituali sunt, qui sunt, ut mox supra n. 387 dictum est, qui in amore erga proximum & inde intelligentia sunt; sed quia hodie pro amore erga proximum dicitur charitas, & pro intelligentia dicitur fides, & hic non fit exploratio super illos qui in charitate & inde fide sunt, quia hi pertinent ad illos qui in Cælo sunt, quare fit hic exploratio super illos qui in sola fide sunt. Sola fides est quoque fides separata a charitate, quia non est conjunctio, videatur infra n. 417. Quod aperire sigillum significet explorare status vitæ, seu quod idem est, status Ecclesiæ & inde vitæ, videatur supra n. 295. 302. 309. 317. 324.

389. *Factum est silentium in Cælo quasi semihoram, significat quod Angeli e Regno spirituali Domini valde obstupescerent, cum viderunt illos, qui dixerunt se in fide esse, in tali statu.* Per silentium in Cælo, non aliud intelligitur, quam obstupescentia ibi super illos qui se dicunt in fide esse, & tamen in tali statu; status enim illorum describitur in sequentibus, qui qualis est, ab explicatis constare potest: per semihoram significatur valde, quia per horam significatur status plenus. Quod tempus significet statum, videbitur infra.

390. *Et vidi septem Angelos qui coram Deo steterunt, significat universum Cælum spirituale in præsentia Domini, audiens & faciens quæ præciperet.* Quod per septem Angelos significetur universum Cælum, est quia per septem significantur omnes seu omnia, & inde totum & universum, n. 10, ac per Angelos in supremo sensu Dominus, & in sensu respectivo Cælum, n. 5. 66. 342. 344, hic Cælum spirituale, ut constare potest ex supra dictis, n. 387. 388; quod stare coram Deo, significet audire & facere quæ præcipit, videatur supra n. 366.

391. *Et datæ sunt illis septem tubæ, significat explorationem & detectionem status Ecclesiæ & inde vitæ illorum qui in sola fide sunt.* Per tubas hic significatur simile quod per clangere, quia illis clangebant, & per clangere tubis significatur convocare ad solennitates, quæ erant variæ, hic ad explorandum & detegendum quales sunt qui in sola fide, ita quales sunt, qui ab Ecclesiis Reformatorum hodie. Sciendum est, quod Ecclesia in Orbe Refor-

„ formato hodie divisa sint in Tres, ex tribus Antesignanis, qui fuerunt „ LUTHERUS, CALVINUS & MELANCHTON, & quod Tres illæ Ecclesiæ in „ variis discrepent, sed in hoc Articulo, Quod homo justificetur fide absque „ operibus legis, omnes conveniant; quod mirabile est. Quod per clangere „ tubis, significetur convocare; videbitur infra n. 397.

392. *Et alius Angelus venit & stetit ad Altare, habens thuribulum aureum, significat Cultum Spiritualem, qui fit ex bono charitatis per vera fidei.* Per Altare ad quod Angelus stetit, & per thuribulum aureum quod manu habuit, significatur cultus Domini ex amore spirituali, qui cultus est ex bono charitatis per vera fidei. Apud filios Israëlis erant duo Altaria, unum extra Tentorium, alterum intra Tentorium; Altare extra Tentorium vocabatur ALTARE HOLOCAUSTI, quia holocausta & sacrificia super illo fiebant; Altare intra Tentorium vocabatur ALTARE SUFFITUS, ut & ALTARE AUREUM: quod duo Altaria essent, erat causa, quia cultus Domini fit ex Amore cælesti & ex Amore spirituali, ex amore cælesti ab illis qui in Regno cælesti Ipsius sunt, & ex amore spirituali ab illis qui in Regno spirituali Ipsius sunt; de binis illis Regnis videatur supra n. 387. De binis Altaribus videantur sequentia apud Mosen; de Altari Holocausti, Exod. XX: 21 ad fin: Cap. XXVII: 1 ad 9. Cap. XXXIX: 36 ad 43. Levit. VII. 1 ad 5. Cap. VIII: 11. Cap. XVI: 18. 19. 33. 34: De Altari Suffitus, Exod. XXX: 1 ad 12. Cap. XXXII: 6. Cap. XXXVII: 25 ad 29. Cap. XL: 5. 26. Num. VII. 1. Quod Altaria, Thuribula & Suffitus visa sint Johanni, non erat quia talia dantur in Cælo, erant modo repræsentativa cultus Domini ibi; causa est, quia talia apud filios Israëlis instituta fuerunt, & ideo in Verbo sæpius nominata; & illa Ecclesia fuit Ecclesia repræsentativa, omnia enim cultus eorum repræsentabant, & inde nunc significant Divina Cælestia & Spiritualia Domini, quæ sunt Ecclesiæ Ipsius in Cælis & in Terris. Similia itaque per duo illa Altaria significantur in Verbo, in sequentibus; *Mitte lucem tuam & veritatem tuam, hæ ducent me ad habitacula tua, & ingrediar ad* ALTARE DEI *ad Deum*, Psalm. XLIII: 3. 4. *Lavo in innocentia manus meas, & circumdo* ALTARE *tuum, Jehovah, & audiri faciam vocem confessionis*; Psalm. XXVI: 6. 7. *Peccatum Jehudæ scriptum est stylo ferri super tabula cordis eorum, & in cornibus* ALTARIUM *vestrorum*, Jerem. XVII: 1. 2. *Deus Jehovah, qui illuminat nos, ligate festum funibus usque ad cornua Altaris*, Psalm. CXVIII: 27. *In die illo erit* ALTARE *Jehovæ in medio terræ Ægypti*, Esaj. XIX: 19; Altare Jehovæ in medio terræ Ægypti, significat cultum Domini ex amore in naturali homine. *Tribulus & spina ascendent super* ALTARIA *illorum*, Hoseh. X: 7. 8; per quæ significatur cultus ex malis & falsis mali. Præter alibi, ut Esaj. XXVII: 9. Cap. LVI: 6. 7. Cap. LX: 7. Thren. II: 7. Ezech. VI: 3. 4. 6. 13, Hosch. VIII: 11. Cap. X: 1. 2. Amos III: 14. Psalm. LI: 20. 21. Psalm. LXXIV: 3. 4. 5. Matth. V: 23. 24. Cap. XXIII: 18. 19. 20. Quoniam Cultus Domini repræsentabatur & inde significatur per Altare patet quod per Altare hic in Apocalypsi non aliud intelligatur, & quoque alibi, ut, *Vidi sub* ALTARI *animas occisorum propter Verbum Dei*, Apoc. VI: 9. *Adstitit Angelus & dixit*, *Meti-*

Metire Templum Dei & ALTARE, & adorantes in illo, Apoc. XI: 1. *Audivi alium Angelum ex ALTARI dicentem, vera & juſta ſunt judicia tua*, Apoc. XVI: 7. Quoniam Cultus repræſentativus, qui præcipue ſuper binis Altaribus fiebat, abrogatus eſt a Domino cum in Mundum venit, quia Ipſe interiora Eccleſiæ aperuit, quare dicitur apud Eſajam „ *In die illo reſpiciet homo ad Factorem ſuum, & oculi ejus ad Sanctum Iſraelis ſpectabunt, & non ad Altaria opus manuum ſuarum*, XVII: 7. 8.

393. *Et dati ſunt illi ſuffitus multi, ut daret precibus ſanctorum omnium ſuper Altare aureum quod coram Throno, ſignificat propitiationem ne Angeli Regni ſpiritualis Domini læderentur a ſpiritibus Regni Satanici, qui infra erant.* Per ſuffitus & per altare aureum, ſignificatur Cultus Domini ex amore ſpirituali, n. 277. 392; per preces ſignificantur illa quæ charitatis & inde fidei ſunt in Cultu, n. 278; & per ſanctos intelliguntur qui e Regno ſpirituali Domini ſunt, & per juſtos qui e Regno Cæleſti Ipſius, n. 173; ex his conſtare poteſt, quod de illis qui in Regno Spirituali Domini ſunt, hic agatur. Quod hic per ſuffitus multos datos precibus ſanctorum omnium ſuper Altare aureum, ſignificetur propitiatio ne læderentur a ſpiritibus Regni Satanici qui infra erant, eſt quia propitiationes & expiationes fiebant per ſuffitus, imprimis quando pericula imminebant; ut conſtare poteſt ex his „ *Cum murmuravit Concio contra Moſen & Aharonem, & plaga affecti ſunt, ſumſit Aharon ignem ex Altari, & in thuribulum dedit ſuffimentum, & cucurrit inter vivos & mortuos ut expiaret, & coercita eſt plaga*, Num. XVII: 7 ad 15. *Altare ſuffitus etiam poſitum fuit in Tentorio ante Propitiatorium quod ſuper Arca, & quovis mane, cum adornabantur lucernæ, ſuper illo ſuffiebatur*, Exod. XXX: 1 ad 10: & *mandatum eſt, ut quoties Aharon intraret intra velum, ſuffiret, ac nubes ſuffimenti tegeret Propitiatorium, ne moreretur*, Levit. XVI: 11. 12. 13. Ex his conſtare poteſt quod propitiationes in Eccleſia Repræſentativa Iſraelitica factæ fuerint per ſuffitiones; ſimiliter hic, ne læderentur a ſpiritibus ſatanicis, qui infra erant.

394. *Et aſcendit fumus ſuffituum precibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo, ſignificat tutelam illorum a Domino.* Per fumum ſuffituum aſcendentem coram Deo ſignificatur acceptum & gratum; quare ſimile dicit David, *Acceptæ ſint preces, ſuffimentum coram Te*, Pſalm. CXLI; 2; cauſa erat, quia fumus ſuffitus erat fragrans ex aromatibus, quæ erant ſtacte, onyche, galbanum & thus, ex quibus ſuffimentum conficiebatur, Exod. XXX: 34; & fragrantiæ ex illis aromatibus correſpondent talibus quæ amoris ſpiritualis, ſeu charitatis & inde fidei ſunt: in Cælo enim ſentiuntur odores fragrantiſſimi correſpondentes Angelorum perceptionibus ex amore illorum oriundis; quare etiam pluribus in locis in Verbo dicitur, quod Jehovah odoratus ſit odorem quietis. Quod ſignificetur tutela a Domino, ſequitur ex illis, quæ mox ſupra n. 393, dicta ſunt.

395. *Et accepit Angelus thuribulum & implevit illud igne Altaris, & projecit in terram, ſignificat amorem ſpiritualem, in quo amor cæleſtis, & ejus influxus in inferiora, ubi illi qui in fide ſeparata a charitate erant.* Quod per thuribulum æque ac per ſuffitum, ſignificetur cultus ex amore ſpirituali, patet a ſupra oſtenſis; & ex eo, quod in Verbo continens ſignificet idem cum contento, quemadmo-

dum etiam poculum & patina idem cum vino & cibo, Matth. XXIII: 25. 26. Luc. XXII: 20, & alibi: quod per ignem Altaris holocausti, significetur Divinus Amor cælestis, est quia per illud Altare significabatur cultus ex illo amore, videatur supra n. 392; & per ignem in supremo sensu significatur Divinus amor, n. 494. Amor spiritualis, qui est charitas, trahit suam essentiam ex amore cælesti, qui est amor in Dominum; absque hoc amore non est vitale in amore spirituali seu charitate, non enim aliunde est spiritus & vita quam a Domino. Hoc repræsentatum est in Ecclesia Israelitica per quod non aliunde acciperent ignem in thuribula & suffirent, quam ex Altari holocausti, ut constare potest apud Mosen, Levit. XVI: 12. 13. Num. XVII: 11. 12; & *quod duo filii Aharonis consumti fuerint ex igne e Cælo, quia suffiebant ex igne alieno*, hoc est, ex igne non desumpto ex Altari, Levit. X: 1. 2: quare etiam statutum fuit, *Quod Ignis jugiter arderet super Altari holocausti, nec exstingueretur*, Levit. VI: 6; hoc ex causa, quia ignis illius Altaris significabat Divinum Amorem Domini, & inde amorem in Dominum. Per projicere thuribulum in terram, significatur influxus in inferiora.

396. *Et factæ sunt voces & tonitrua & fulgura & terræ motus, significat quod postquam communicatio aperta est cum illis, auditæ sint ratiocinationes de sola fide & confirmationes pro illa, & perceptus status Ecclesiæ apud illos nutans ad interitum.* Quod fulgura, tonitrua & voces, significent illustrationes, perceptiones & instructiones, per influxum e Cælo, videatur supra n. 236; hic autem apud illos qui in sola fide erant, quibus nulla illustratio, perceptio & instructio per influxum e Cælo erant, per voces, tonitrua & fulgura, significantur ratiocinationes de sola fide, & argumentationes & confirmationes pro illa: per terræ motus significantur mutationes status Ecclesiæ, n. 331, hic quod perceptus sit status Ecclesiæ apud illos nutans ad interitum; fiunt enim terræ motus in Mundo spirituum, quando status Ecclesiæ in societatibus pervertitur & invertitur. Quod thuribulum projectum fuerit ab Angelo in terram, antequam septem Angeli inciperent clangere tubis, fuit ut per influxum aperiretur communicatio inter illos qui in Cælo spirituali erant, cum illis infra qui in sola fide erant; ex qua communicatione exortæ sunt ratiocinationes & confirmationes pro illa, & quoque auditæ & perceptæ, quare dicitur quod postquam communicatio aperta est, audita & percepta sint illa.

397. *Et septem Angeli habentes septem tubas pararunt se ut clangerent, significat præparatos & accinctos ad explorandum statum Ecclesiæ & inde vitæ apud illos quibus religio est sola fides.* Quid per tubas significatur, constat ex statuto usuum illarum apud filios Israelis, de quibus ita apud Mosen „ *Jehovah loquutus est ad Mosen, ut faceret tubas argenti pro convocatione concionis, & profectione castrorum; & quod illis clangerent in diebus gaudii, festis, noviluniis, super holocaustis & sacrificiis: tum quod quando venirent in bellum contra hostes infestantes illos, conclamarent Tubis, & quod tunc in memoriam venirent coram Jehovah Deo, & servarentur ab hostibus*, Num. X: 1 ad 11: ex his videri potest quid significatur per clangere tubis: quod hic per quod septem Angeli clangerent, significetur exploratio & manifestatio, qualis est status Ecclesiæ apud illos quibus religio est sola fides,

fides, patet a ſingulis hujus Capitis, & a ſingulis ſequentium Capitum uſque ad XVI[tum] incluſive, in ſenſu ſpirituali intellectis. Ex uſibus tubarum apud filios Iſraelis videri etiam poteſt, quid per tubas & per clangere illis, ſignificatur in ſequentibus locis ,, CLANGITE BUCCINA *in Zione*, *&* CLANGITE *in monte ſanctitatis, quia venit dies Jehovæ*, Joel II: 1. 2. *Jehovah ſuper illis apparebit*, *& exibit ſicut fulgur telum Ipſius*, *& Dominus Jehovih* BUCCINA CLANGET, Sach. IX: 14. *Jehovah ſicut Leo exibit*, *&* CLANGET, Eſaj. XLII: 13. *In die illo clangetur* BUCCINA MAGNA, *& venient pereuntes in terra Aſchuris*, *& expulſi in terra Ægypti*, *& incurvabunt ſe Jehovæ in monte ſanctitatis*, Eſaj. XXVII: 13. *Mittet Angelos cum* TUBÆ VOCE MAGNA, *& congregabunt electos Ipſius a quatuor ventis*, *a terminis cælorum ad terminos illorum*, Matth. XXIV: 31. *Beatus populus*, *qui* CLANGOREM *norunt*, *Jehovah in luce facierum tuarum ambulabunt*, Pſalm. LXXXIX: 16. *Cum canunt ſtellæ matutæ*, *&* CLANGUNT *filii Dei*, Hiob XXXVIII. Quoniam ſoni tubarum talia ſignificabant, & in Eccleſia Iſraelitica omnia ſiſtebantur ad vivum ſecundum correſpondentias & inde ſignificationes; ideo etiam factum eſt, *Cum deſcendit Jehovah ſuper Montem Sinai*, *quod fuerint voces & fulgura & nubes gravis*, *& vox* BUCCINÆ *vehemens*, *& vox* BUCCINÆ *vadens & fortificans ſe valde*, *& populus in caſtris trepidaret valde*, Exod. XIX: 16 ad 25. Ideo etiam factum eſt, *Quod cum trecenti cum Guideone* CLANXERUNT BUCCINIS *contra Midianem*, *tunc gladius viri contra ſocium eſſet*, *& aufugerent*, Judic. VII: 16 ad 22: pariter, *Quod duodecim millia ex filiis Iſraelis cum vaſis ſanctitatis & cum* TUBIS *in manibus Midianem vicerint*, Num. XXXI: 1 ad 8. Ut &, *Quod murus Jerichuntis*, *poſtquam ſeptem ſacerdotes cum ſeptem* BUCCINIS *ſepties circumiverunt urbem*, *ceciderit*, Joſ. VI: 1 ad 20. Quare dicitur apud Jeremiam ,, CLANGITE *contra Babelem circumcirca*, *deſtructi ſunt muri ejus*, L: 15. & apud Zephaniam, *Dies tenebrarum & caliginis*, *dies* BUCCINÆ & CLANGORIS *ſuper urbes munitas*, I: 15. 16.

398. *Et primus Angelus clanxit*, *ſignificat explorationem & manifeſtationem*, *qualis ſtatus Eccleſiæ eſt apud illos qui interius in illa fide ſunt*. Per clangere ſignificatur explorare & manifeſtare, n. 397: quod per Clangorem Primi hujus Angeli, intelligatur exploratio & manifeſtatio ſtatus Eccleſiæ apud illos qui interius in illa fide ſunt, eſt quia operatio ejus facta eſt in Terram, ut ſequitur, & operatio Clangoris ſecundi Angeli in Mare, & per Terram & Mare ubivis in Apocalypſi, dum utrumque nominatur, intelligitur univerſa Eccleſia, per TERRAM Eccleſia ex illis qui in Internis ejus ſunt, & per MARE Eccleſia ex illis qui in Externis ejus ſunt; Eccleſia enim eſt Interna & Externa, Interna apud Clericos, Externa apud Laicos, ſeu Interna apud illos qui interius ſtuduerunt doctrinalibus ejus, & confirmaverunt illa ex Verbo, & Externa apud illos qui non ita. Hi & illi ſunt qui per Terram & Mare intelliguntur in his locis in Apocalypſi ,, *Ne flaret ventus ſuper* TERRAM, *neque ſuper* MARE, VII: 1. *Ne damno afficiatis* TERRAM *neque* MARE, VII: 3. *Angelus deſcendens e Cælo poſuit pedem dextrum ſuper* MARI, *& ſiniſtrum ſuper* TERRA, X: 2. 8. tum Verſ. 5. *Vidi beſtiam aſcendentem e* MARI, *& aliam beſtiam aſcendentem e* TERRA; XIII: 1. 11. *Laudate Deum qui fecit Cælum*, TERRAM & MARE, XIV: 7.

7. *Primus Angelus effudit phialam suam super* Terram, *& Secundus Angelus suam super* Mare, XVI: 2. 3. Quod per Terram & Mare significetur Ecclesia Interna & Externa, ita universa Ecclesia, est quia in Mundo spirituali illi qui in Internis Ecclesiæ sunt, apparent super Arida, & illi qui in Externis ejus sunt sicut in Maribus, sed Maria sunt apparentiæ ex communibus veris, in quibus sunt. Quod Terra significet Ecclesiam, videatur n. 285; quod etiam Orbis, n. 551.

399. *Et facta est grando & ignis mixta sanguine, significat falsum ex amore infernali destruens bonum & verum, & falsificans Verbum.* Per Grandinem significatur falsum destruens bonum & verum; per ignem significatur amor infernalis, & per sanguinem significatur falsificatio veri. Quod grando significet falsum destruens bonum & verum, videbitur infra; quod ignis sit amor in utroque sensu, cælestis & infernalis, videatur n. 468; quod sanguis sit Divinum Verum Domini, quod etiam est Verbum, & in opposito sensu Verbum falsificatum, n. 379: ex his in unum sensum collatis, patet, quod per facta est grando & ignis mixta sanguine, significetur falsum ex amore infernali destruens bonum & verum, & falsificans Verbum. Quod significentur, est quia in Mundo spirituali apparent talia, cum Sphæra Divini Amoris & Divinæ Sapientiæ Domini e Cælo delabitur in societates infra, ubi falsa ex amore infernali sunt, & per illa falsificatur Verbum. Similia per Grandinem & simul Ignem significantur in sequentibus locis „ *A splendore ante Ipsum nubes transiverunt,* Grandine et Prunis ignis: *Altissimus dedit vocem,* Grandinem et Prunas ignis; *& misit tela sua multa, & dispersit illos,* Psalm. XVIII: 13. 14. *Disceptabo peste & sanguine, &* Lapides Grandinis, Ignem, *& sulphur faciam pluere super illos,* Ezech. XXXVIII: 22. *Tunc audiri faciet Jehovah vocem suam, in* Flamma Ignis *comedentis, &* Lapide Grandinis, Esaj. XXX: 30. 31. *Dedit pluvias eorum* Grandinem, Ignem flammarum *in terra eorum, & confregit arborem termini eorum,* Psalm CV: 32. 33. *Percussit* Grando *vitem eorum, & sycomoros* Grandine *gravi, & pecora eorum* Prunis; *misit in excandescentia iræ suæ immissionem Angelorum malorum,* Psalm. LXXXVIII: 47. 48. 49; hæc de Ægypto, de quibus ita apud Mosen „ *Extendit Moses baculum, & Jehovah dedit voces &* Grandinem; *& fuit* Grando et Ignis *simul ambulans in medio* Grandinis gravis; *& percussit Grando omnem herbam agri & omnem arborem agri confregit,* Exod. IX: 28 ad 35; omnia Miracula in Ægypto facta significabant mala & falsa ex amore infernali, quæ erant apud Ægyptios; quodlibet miraculum aliquod malum & falsum; apud illos enim fuerat Ecclesia repræsentativa, sicut in pluribus Regnis Asiæ, sed facta est idololatrica & magica; per Mare Suph significatur Infernum, in quo tandem perierunt. Simile quid per Lapides Grandinis, *a quibus plures ex hostibus perierunt, quam a gladio,* Jos. X: 11, significatur: simile etiam per Grandinem in sequentibus locis „ *Væ coronæ superbiæ, robustus Dominus, sicut inundatio* Grandinis: *evertit* Grando *refugium mendacii,* Esaj. XXVIII: 1. 2. 17. Grandinabit, *donec se demittet sylva,* Esaj. XXXII: 19. *Apertum est Templum Dei in Cælo, & facta sunt fulgura, voces, & tonitrua, & terræ motus, &* Grando magna, Apoc. XI: 19.

Et

Et Grando magna *talenti pondo deſcendit de Cælo ſuper homines*, Apoc. XVI: 21. *Num vidiſti theſauros* Grandinis, *qui inhibentur in diem prælii & belli*, Hiob XXXVIII: 22. 23. *Dic ad incruſtantes ineptum quod cadet, fiet pluvia inundans, qua vos*, Lapides Grandinis, *cadent*, Ezech. XIII: 11; incruſtare ineptum, eſt confirmare falſum ut appareat ſicut verum, quare illi qui hoc faciunt, vocantur Lapides Grandinis.

400. *Et miſſa in terram, & tertia pars arborum combuſta eſt, ſignificat quod apud illos qui in internis Eccleſiæ ſunt & in ſola fide, omnis affectio & perceptio veri, quæ faciunt hominem Eccleſiæ, perierit.* Per Terram, in quam grando & ignis mixta ſanguine miſſa ſunt, ſignificatur Eccleſia apud illos qui internis ejus ſunt & in ſola fide, qui quod ſint Clerici, videatur ſupra n. 398: per tertiam partem ſignificatur omne quoad verum, ſicut per quartam partem omne quoad bonum, n. 322; quod per Tria ſeu Tres, ſignificetur omne, plenum & prorſus, videbitur infra n. 505, inde per Tertium quod eſt Tertia pars, ſignificatur ſimile: per comburi ſignificatur perire, hic per falſum ex amore infernali, quod intelligitur per grandinem & ignem mixta ſanguine, de quibus mox ſupra n. 399. Per Arborem ſignificatur homo; & quia homo eſt homo ex affectione quæ eſt voluntatis & ex perceptione quæ eſt intellectus, ideo hæ quoque per arborem ſignificantur: eſt etiam Correſpondentia inter Hominem & Arborem; quare in Cælo apparent Paradiſi ex Arboribus, quæ affectionibus & inde perceptionibus Angelorum correſpondent; & quoque ſunt alicubi in Inferno Sylvæ ex arboribus, quæ malos fructus ferunt, ſecundum correſpondentiam cum concupiſcentiis & inde cogitationibus illorum ibi. Quod Arbores in genere ſignificent homines quoad affectiones & inde perceptiones illorum, conſtare poteſt ex ſequentibus locis „ *Cognoſcent omnes* Arbores agri, *quod Ego Jehovah humiliem* Arborem *altam, exaltem* Arborem *humilem, & arefaciam* Arborem *viridem, & germinare faciam* Arborem *aridam* „ Ezech. XVII: 24. *Beatus vir qui confidit in Jehovah, erit ſicut* Arbor *plantata juxta aquas, non ceſſabit a ferendo fructum*, Jerem. XVII: 8. *Beatus vir cujus in Lege beneplacitum, erit ſicut* Arbor *plantata juxta rivos aquarum, quæ fructum dabit in tempore ſuo*, Pſalm. I: 3. *Laudate Jehovam* Arbores fructus, Pſalm. CXLVIII: 9. *Saturantur* Arbores *Jehovæ*, Pſalm. CIV: 16. *Securis ad radicem* Arboris *jacet, omnis* Arbor *non faciens fructum bonum exſcindetur*, Matth. III: 10. Cap. VII: 16 ad 21. *Aut facite* Arborem *bonam & fructum bonum, aut facite* Arborem *putrem & fructum putrem, ex fructu enim cognoſcitur* Arbor, Matth. XII: 31. Luc. VI: 43. 44. *Incendam ignem, qui comedet omnem* Arborem *viridem & omnem* Arborem *aridam*, Ezech. XXI: 3. Quoniam Arbor ſignificat hominem, ideo ſtatutum fuit, quod *fructus* Arboris *inſerviens eſui in terra Canaane præputiaretur*, Levit. XIX: 23. 24. 25: tum, *quando aliqua urbs obſidebatur, non ſecurim mitterent in aliquam* Arborem *fructus boni*, Deutr. XX: 19. 20: ut &, *Quod in Feſto Tabernaculorum acciperent fructus* Arboris honoris, *& lætarentur coram Jehovah*, Levit. XXIII: 40. 41; præter plura, quæ hic propter copiam non afferuntur.

401. *Et omne gramen viride combuſtum eſt, ſignificat ſic omne vivum fidei.* Per

Per comburi significatur perire, ut mox supra, n. 400: per gramen viride, in Verbo significatur id bonum & verum Ecclesiæ seu fidei, quod in naturali homine primum nascitur; simile etiam significatur per herbam agri; & quia fides vivit ex bono & vero, ideo per quod omne gramen viride combustum sit, significatur quod omne vivum fidei perierit; & perit omne vivum fidei, quando non aliqua affectio boni & perceptio veri est, de quibus mox supra. Quod per Gramen id significetur, est quoque ex correspondentia; quare illi, qui separant fidem a charitate non modo doctrina sed etiam vita, in Mundo spirituali degunt in deserto, ubi nec gramen. Quoniam arbor fructus significat hominem quoad affectiones boni & perceptiones veri, ita gramen viride significat hominem quoad id Ecclesiæ, quod primum apud illum concipitur & quoque nascitur, & gramen non viride significat id deperditum. In genere omnia quæ in Hortis, Sylvis, Agris & Campis sunt, significant hominem quoad aliquid Ecclesiæ, seu quod idem, aliquid Ecclesiæ apud illum, causa est, quia correspondent: quod Gramen, constare potest ex his locis ,, *Vox dixit, clama, & dixit, quid clamabo*, OMNIS CARO GRAMEN, *exaruit* GRAMEN, *& decidit flos, quia ventus spiravit in illud, vere* GRAMEN POPULUS, *exaruit* GRAMEN, *& decidit flos, & Verbum Dei nostri consistet in æternum*, Esaj. XL: 5. 6. 7. 8. Habitatores facti sunt HERBA AGRI, OLUS GRAMINIS, GRAMEN TECTORUM, *& arvum adustrum ante segetem*, Esaj. XXXVII: 27. II Reg. XIX: 26. *Effundam benedictionem meam super natos tuos, & germinabunt in medio* GRAMINIS, Esaj. XLIV: 3. 4: & alibi, ut Esaj. LI: 12. Psalm. XXXVII: 2. Psalm. CIII: 15. Psalm. CXXIX: 6. Deutr. XXXII: 2. Quod per Virens seu Viride, significetur Vivens seu Vivum, patet apud Jerem. XVII: 8. Cap. XL: 16. Ezech. XVII: 24. Cap. XXI: 3. Hosch. XIV: 9. Psalm. XXXVII: 35. Psalm. LII: 10. Psalm. XCII: 11. Simile quod hic dicitur in Apocalypsi, factum est in Ægypto, quod nempe *ex Grandine & Igne commixtis combusta sit omnis Arbor & omnis Herba agri*, Exod. IX: 28 ad 35. Psalm. LXXVIII: 47. 48. 49. Psalm. CV: 32. 33.

402. *Et secundus Angelus clanxit, significat explorationem & manifestationem, qualis status Ecclesiæ est apud illos qui exterius in illa fide sunt.* Quod clangere tuba, significet explorare & manifestare statum Ecclesiæ & inde vitæ apud illos quibus religio est sola fides, videatur supra n. 397: quod hæc de illis, qui exterius in illa fide sunt, dicantur, est quia hic de illis qui in Mari sunt, agitur, & prius de illis qui super terra, & per illos qui super Terra intelliguntur qui in Internis Ecclesiæ sunt, qui sunt Clerici, & per illos qui in Mari, intelliguntur qui in Externis Ecclesiæ sunt, qui sunt Laici, videatur supra n. 398: quod illi appareant in Mundo spirituali sicut in mari, n. 238. 290.

403. *Et quasi Mons igne ardens missus est in mare, significat apparentiam amoris infernalis apud illos qui in externis Ecclesiæ sunt & in sola fide.* Per Mare significatur Ecclesia apud illos qui in externis sunt, & in sola fide, & illi qui in externis sunt, vocantur communi voce Laici, quia illi qui in internis sunt, vocantur Clerici, n. 397. 402; per montem significatur amor, n. 336; & per montem igne ardentem, significatur amor infernalis, n. 494. 599; apparentia

tia hujus amoris eſt apud illos, de quibus hic agitur, apparet enim ille amor ex illis apud Angelos; cauſa eſt, quia ſola fides eſt fides ſeparata a charitate, n. 388; & ubi non eſt charitas, hoc eſt, amor erga proximum, qui eſt amor ſpiritualis, eſt amor infernalis; non datur amor medius niſi apud tepidos, de quibus, Apoc. III: 15. 16.

404. *Et facta eſt tertia pars maris ſanguis, ſignificat quod omnia communia vera apud illos falſificata eſſent.* Per tertiam partem ſignificantur omnia, n. 400; per ſanguinem ſignificatur falſificatio veri Verbi, n. 379; per mare ſignificatur Eccleſia apud illos qui in externis ejus ſunt, & in ſola fide, n. 397. 402; quod apud hos communia vera falſificata ſint, eſt quia in illis ſolis ſunt, non enim ſciunt ſingularia fidei iſtius, ſicut Clerici; ex communibus veris apud illos eſt, quod appareant ſicut in Mari in Mundo ſpirituali; cauſa eſt, quia aquæ ſignificant vera, n. 50, & Mare eſt commune receptaculum illarum, n. 238.

405. *Et mortua eſt tertia pars creaturarum iſtarum in mari habentium animas, ſignificat quod qui vixerunt & vivunt illam fidem non poſſint reformari & vitam accipere.* Per tertiam partem ſignificantur omnes illi, ut ſupra; per Creaturas intelliguntur qui reformari poſſunt, n. 290, cauſa eſt, quia per Creare ſignificatur Reformare, n. 254; per habentes animas, ſignificatur poſſe per reformationem vitam accipere; per quod mortua ſint, ſignificatur quod illi qui ſolam illam fidem vivunt, non poſſint; quod non poſſint, eſt quia omnes reformantur per fidem unitam charitati, ita per fidem charitatis, & non aliquis per fidem ſolam, charitas enim eſt vita fidei. Quoniam affectiones & inde perceptiones & cogitationes ſpirituum & angelorum, in Mundo ſpirituali e longinquo apparent in formis Animalium ſeu Creaturarum ſuper terra, quæ vocantur beſtiæ, creaturarum in aere quæ vocantur aves, & creaturarum in mari quæ vocantur piſces, ideo in Verbo toties nominantur beſtiæ, aves, & piſces, per quos tamen non aliud intelligitur, ut in his „ *Lis Jehovæ cum habitatoribus terræ, quia non veritas, non miſericordia, & non cognitio Dei, & contabeſcet omnis habitans in ea quoad* BESTIAM AGRI, ET AVEM CÆLORUM, ETIAM PISCES MARIS *colligentur*, Hoſch. IV: 1. 3. *Conſumam Hominem &* BESTIAM, AVEM CÆLORUM ET PISCES MARIS, *offendicula cum impiis*, Zeph. I: 3. *Erit terræ motus magnus ſuper terra Iſraelis, & contremiſcent coram Me* PISCES MARIS, AVIS CÆLORUM, ET BESTIA AGRI, Ezech. XXXVIII: 18. 19. 20. *Dominari feciſti Ipſum ſuper opera manuum tuarum, omnia poſuiſti ſub pedes Ipſius*, BESTIAS AGRORUM, AVEM CÆLI, ET PISCEM MARIS, *tranſeuntem viam marium*, Pſalm. VIII: 7. 8. 9; hæc de Domino. *Quære quæſo* BESTIAS *& docebunt te, aut* AVES CÆLI *& annuntiabunt tibi, &* PISCES MARIS *narrabunt tibi, quis non novit ex his omnibus quod manus Jehovæ faciat illud*, Hiob XII: 7. 8. 9; præter multis aliis in locis. Per Piſces autem ſeu Creaturas maris, de quibus hic, intelliguntur affectiones & inde cogitationes illorum hominum qui in communibus veris ſunt, & ſic qui plus ex naturali quam ex ſpirituali trahunt; hi intelliguntur per Piſces in locis antecedentibus, & quoque in his ſequentibus „ *Per increpationem meam exſicco mare, pono fluvios in deſertum, putreſcet* PISCIS *eorum; & morietur ſiti*,

Eſaj. L: 2. *Rex Ægypti, Balæna magna, qui cubas in medio fluviorum tuorum, dixiſti, meus eſt fluvius, ego feci me, propterea adhærere faciam* PISCEM FLUVIORUM TUORUM *ſquamis tuis, & derelinquam in deſerto te & omnem* PISCEM FLUVIORUM TUORUM, Ezech. XXIX: 3. 4. 5; hæc dicta ſunt ad Regem Ægypti, quia per Ægyptum ſignificatur naturale ſeparatum a ſpirituali, & inde per Piſces fluviorum ejus illi qui in doctrinalibus ſunt, & ex illis in fide ſeparata, quæ fides eſt modo ſcientia: propter quam ſeparationem, etiam inter miracula ibi fuit, *quod Aquæ illorum verſæ ſint in ſanguinem, & quod inde* PISCES *mortui ſint*, Exod. VII: 17 ad 25. Pſalm. CV: 29. Porro, *Quare facis hominem ſicut* PISCES MARIS, *omnis homo extrahit, & congregat in rete*, Habak. I: 14. 15. 16; piſces hic pro illis qui in communibus veris & in fide ſeparata a charitate; at Piſces pro illis qui in communibus veris & in fide conjuncta charitati, apud Ezechielem „ *Dixit ad me, Aquæ hæ exeuntes ad terminum orientalem, veniunt ad Mare, unde fit omnis Anima quæ reptat, vivens, &* PISCIS MULTUS *valde; ſtant ſuper eo* PISCATORES *cum expanſione ſagenarum*, JUXTA SPECIEM ERIT PISCIS EJUS, SICUT PISCIS MARIS MAGNI MULTUS VALDE, XLVII: 1. 9. 10. 11. Apud Matthæum „ *Jeſus dixit, ſimile eſt Regnum Cælorum ſagenæ miſſæ in mare, ac colligerent* PISCES, *ac bonos mitterent in vaſa, & malos ejicerent*, XIII: 47. 48. 49: & apud Jeremiam, *Reducam filios Iſraelis ſuper terram eorum, & mittam ad* PISCATORES *multos qui* PISCABUNTUR *illos*, XVI: 16. Qui itaque ſcit quod tales ac talia per Piſces ſignificantur, videre poteſt, cur *Dominus* PISCATORES *elegerat in Diſcipulos, & dixerat, venite ad Me, & faciam vos* PISCATORES *hominum*, Matth. IV: 18. 19. Marc. I: 16. 17. *Quod Diſcipuli, Domino benedicente,* PISCIUM *multitudinem ingentem captaverint, & Dominus dixerit ad Petrum, ne timeto, ex nunc homines capies*, Luc. V: 2 ad 10. *Cur Dominus, cum ab Ipſo vellent exigere tributum, dixit ad Petrum, quod iret ad Mare, & extraheret* PISCEM, *& ſtaterem in eo inventum daret pro Se & pro illo* „ Matth. XVII: 24 ad 27. *Cur Dominus poſt reſurrectionem dedit Diſcipulis* PISCEM *& panem ad edendum*, Joh. XXI: 2 ad 13: *ac dixit ad illos, ut irent in Mundum univerſum, & prædicarent Evangelium* OMNI CREATURÆ, Marc. XVI: 15; fuerunt enim gentes, quas convertebant, non niſi quam in communibus veris, ac in naturali plus quam in ſpirituali.

406. *Et tertia pars navium periit, ſignificat quod omnes cognitiones boni & veri ex Verbo inſervientes pro uſu vitæ, apud illos deperditæ eſſent.* Tertia pars ſignificat omne, ut ſupra n. 400. 404. 405; Naves ſignificant cognitiones boni & veri ex Verbo inſervientes pro uſu vitæ; quod illæ per Naves ſignificentur, eſt quia Naves tranſeunt Mare, & apportant neceſſaria, quæ naturali homini pro omni ejus uſu ſunt, & cognitiones boni & veri ſunt neceſſaria, quæ ſpirituali homini pro omni uſu ejus ſunt, ex illis enim eſt doctrina Eccleſiæ, & ſecundum illam vita. Naves ſignificant cognitiones illas, quia ſunt continentes, & in Verbo continens multis in locis ſumitur pro contento, ut poculum pro vino, patina pro cibo, tabernaculum & templum pro ſanctitatibus in illis, arca pro lege, altaria pro cultu, & ſic porro. Naves ſignificant cognitiones boni & veri in ſequentibus locis „ *Sebulon ad litus marium habitabit, & is ad portum*

tum NAVIUM, Genes. XLIX: 13; per Sebulonem intelligitur conjunctio boni & veri. *Tyre, architecti perfecerunt pulchritudinem tuam, ex abietibus a Senire ædificarunt tibi omnes* TABULAS, *cedrum e Libano sumserunt ad faciendum* MALUM; *e quercubus e Baschane fecerunt* REMOS *tuos*, ASSEREM *tuum fecerunt ex ebore*, FILIAM GRESSUUM *ex insulis Kitthim; habitatores Sidonis & Arvadi fuerunt* REMIGES TUI, *sapientes tui fuerunt* NAUCLERI *tui*, *omnes* NAVES MARIS & NAUTÆ *illarum fuerunt in te ad negotiandum*; NAVES THARSCHISH *turmæ tuæ in mercatu tuo, unde impleta es & honorata valde in corde marium*, Ezech. XXVII: 4 ad 9. 25; hæc de Tyro, quia per Tyrum in Verbo significatur Ecclesia quoad cognitiones veri & boni, ut constare potest a singulis de illa in hoc Capite, & in seq. XXVIII, in sensu spirituali intellectis; & quia cognitiones veri & boni Ecclesiæ per Tyrum significantur, ideo describitur Navis quoad singula ejus, & per singula significatur aliquod quale illarum conducens ad intelligentiam; quid commune habet Verbum cum navibus Tyri & ejus negotiatione. Devastatio Ecclesiæ istius describitur postea ita „ *Ad vocem Clamoris* NAUCLERORUM *tuorum contremiscent suburbana, & descendent de* NAVIBUS TUIS OMNES TENENTES REMUM, *omnes* NAUTÆ & NAUCLERI *maris super te clamabunt amare*, Ezech. XXVII: 28. 29. 30: tum Esaj. XXIII: 14. 15. Similiter describitur devastatio Babylonis quoad omnes cognitiones veri, in sequentibus in Apocalypsi, *Una hora devastatæ sunt tantæ divitiæ, omnis* GUBERNATOR, & *omnis super* NAVIBUS *versans*, & NAUTÆ, *clamabant dicentes, væ, væ, urbs magna Babylon; in qua divites facti sunt omnes, qui habent* NAVES *in Mari*, XVIII: 17. 19; videatur Explicatio infra. Per Naves significantur cognitiones veri & boni etiam in sequentibus locis „ *Dies mei veloces fuerunt, fugerunt, non viderunt bonum, præterierunt cum* NAVIBUS *desiderii*, Hiob IX: 25. 26. *Qui descendunt in Mare* NAVIBUS, *facientes opus in aquis multis, illi viderunt opera Jehovæ, & mirabilia Ipsius in profundo*, Psalm. CVII: 23. 24. *Mihi Insulæ confident*, & NAVES THARSCHISH *in principio, ad adducendum natos tuos e longinquo*, Esaj. LX: 17. *Reges se congregarunt, terror arripuit eos, per ventum orientalem confringes* NAVES THARSCHISH, Psalm. XLVIII: 5. 7. 8. *Ejutate* NAVES THARSCHISH, Esaj. XXIII: 1. 14; præter alibi, ut Num. XXIV: 24. Jud. V: 17. Psalm. CIV: 26. Esaj. XXXIII: 21.

407. *Et tertius Angelus clanxit, significat explorationem & manifestationem Ecclesiæ apud illos, quibus Religio est sola fides, quales sunt quoad affectionem & receptionem veritatum ex Verbo.* Quod hæc significentur, constat ex nunc sequentibus in sensu spirituali intellectis.

408. *Et cecidit ex cælo stella magna ardens quasi lampas, significat apparentiam propriæ intelligentiæ ex fastu oriundo ex amore infernali.* Quod per cadentem e cælo stellam magnam, significetur apparentia propriæ intelligentiæ ex fastu oriundo ex amore infernali, est quia visa est ardere sicut lampas, & quia nomen ejus erat absinthium, ut sequitur; & per stellam & quoque per lampadem significatur intelligentia, hic propria intelligentia, quia visa est ardere, & omnis propria intelligentia ardet ex fastu, ac fastus ejus oritur ex amore infernali, qui per montem igne ardentem, n. 403, significatur; per absinthium, signi-

significatur falsum infernale, ex quo intelligentia illa existit & conflatur. Quod stella significet intelligentiam, videatur n. 151. 954; pariter lampas seu lucerna, n. 796.

409. *Et cecidit super tertiam partem fluviorum, & super fontes aquarum, significat quod inde omnia vera Verbi prorsus falsificata sint.* Per fluvios significantur vera in copia, quia per aquas significantur vera, n. 50; & per fontes aquarum significatur Verbum, n. 384; quod vera Verbi prorsus falsificata sint, est quia sequitur, quod tertia pars aquarum facta sit absinthium, & per absinthium significatur falsum infernale, n. 410. Quod fluvii significent vera in copia, constare potest a sequentibus locis „ *Ecce Ego faciens novum, dabo in deserto aquas & in solitudine* FLUVIOS, *ad potandum populum meum, electum meum,* Esaj. XLIII: 19. 20. *Effundam aquas super sitientem, &* FLUVIOS *super aridam; effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem super natos tuos*, Esaj. XLIV: 3. *Tunc cantabit lingua muti, quia erumpent in deserto aquæ, &* FLUVII *in planitie deserti*, Esaj. XXXV: 6. *Aperiam super clivis* FLUVIOS, *& in medio vallium* FONTES *ponam, desertum in stagnum aquarum, & terram siccam in* SCATURIGINES *aquarum*, Esaj. XLI: 18. *Jehovah super maria fundavit orbem, super* FLUVIIS *stabilivit eum*, Psalm. XXIV: 2. *Ponam in Mari manum Ipsius, & in* FLUVIIS *dextram Ipsius*, Psalm. LXXXIX: 26. *Num* FLUVIIS *succensuit Jehovah, num contra* FLUVIOS *ira tua, num contra mare excandescentia tua, quia equitas super equis tuis*, Habak. III: 8. FLUVIUS *cujus rivi lætificabunt urbem Dei*, Psalm. XLVI: 3. 4. 5. *ostendit mihi purum* FLUVIUM *aquæ vitæ, exeuntem e Throno Dei & Agni*, Apoc. XXII: 1. *Diffidit petras in deserto, & bibere fecit* ABYSSOS *magnas, percussit petram &* FLUVII *effluxerunt*, Psalm. LXXVIII: 15. 16. 20. Psalm. CV: 41. *Tunc deficient aquæ in mari, &* FLUVIUS *exsiccabitur*, Esaj. XIX: 5. 6. 7. Cap. XLII: 15. Cap. L: 2. Nah. I: 4. Psalm. CVII: 33. Hiob. XIV: 10. 11. *Jesus dixit, si quis venit ad Me, sicut dixit Scriptura,* FLUMINA *e ventre ejus fluent aquæ viventis*, Joh. VII: 37. 38: præter alibi, ut Esaj. XXXIII: 21. Jerem. XVII: 7. 8. Ezech. XXXI: 3. 4. Cap. XLVII: 1 ad 12. Joel. IV: 18. Sach. IX: 10. Psalm. LXXX: 9. Psalm. XCIII: 2. 3. 4. Psalm. XCVIII: 7. 8. Psalm. CX: 7. Num. XXIV: 6. 7. Deutr. VIII: 7. Quod autem Fluvii in opposito sensu significent falsa in copia, constare potest ex his „ *Mittet in mari legatos ad gentem conculcatam, cujus terram deprædati sunt* FLUVII, Esaj. XVIII: 2. *Nisi Jehovah esset pro nobis, aquæ submersissent nos, &* FLUVIUS *transivisset super animam nostram*, Psalm. CXXIV: 2. 4. 5. *Cum transibis per aquas, tecum Ego, & per* FLUVIOS *non submergent te*, Esaj. XLIII: 2. *Circum dederunt me funes mortis, &* FLUMINA *belialis terruerunt me*, Psalm. XVIII: 5. *Draco ejecit post mulierem ex ore suo aquam sicut* FLUVIUM, *ut eam a* FLUMINE *absorptam faceret*, Apoc. XII: 15. *Ecce Jehovah ascendere faciet super vos aquas* FLUVII *validas & multas, ac inundabit & transibit, & usque ad collum pertinget*, Esaj. VIII: 6. 7. 8. *Venerunt* FLUMINA, *& irruerunt in domum illam, & tamen non cecidit, fundata enim erat super Petra*, Matth. VII: 25. 27. Luc. VI: 48. 49; etiam hic Flumina pro falsis in copia, quia per Petram significatur Dominus

minus quoad Divinum Verum: per flumina etiam ſignificantur tentationes, quia tentationes ſunt inundationes falſorum.

410. *Et nomen ſtellæ dicitur abſinthium, & facta eſt tertia pars aquarum abſinthium, ſignificat falſum infernale ex quo illorum propria intelligentia, per quam omnia vera Verbi falſificata ſunt.* Per ſtellam, ſignificatur propria intelligentia ex faſtu oriundo ex amore infernali, n. 408; per nomen ſignificatur quale ejus, n. 81. 122. 165; per abſinthium ſignificatur falſum infernale, de quo ſequitur; per aquas ſignificantur vera, n. 50, hic vera Verbi, quia de fide; per tertiam partem, ſignificantur omnia, ut ſupra; ex his in unum collatis ſenſus ſupra traditus reſultat. Quod abſinthium ſignificet falſum infernale, eſt ex gravi ejus amaritudine, qua cibos & potus reddit abominabiles; ideo tale falſum per abſinthium ſignificatur in ſequentibus locis „ *Ecce Ego cibans populum hunc* ABSINTHIO, *& potabo illos aquis fellis*, Jerem. IX: 14. 15. *Sic dixit Jehovah contra Prophetas, ecce Ego cibans eos* ABSINTHIO, *& potabo eos aquis fellis; quia a Prophetis Hieroſolymæ exivit hypocriſis in univerſam terram*, Jerem. XXIII: 15. *Convertitis in Fel judicium, & fructum juſtitiæ in* ABSINTHIUM, Amos V: 7. Cap. VI: 12. *Ne ſit inter vos radix proferens Fel &* ABSINTHIUM, Deutr. XXIX: 17. Quoniam Eccleſia Judaica falſificaverat omnia vera Verbi, quemadmodum Eccleſia, de qua hic agitur, & Dominus per omnia Paſſionis ſuæ repræſentavit illam, permittendo ut Judæi tractarent Ipſum ſicut Verbum, quia Ipſe erat Verbum, ideo *dederunt Ipſi Acetum felle mixtum*, quod eſt ſicut abſinthium, *ſed id guſtans non voluit bibere*, Matth. XXVII: 34. Marc. XV: 23. Pſalm. LXIX: 22. Quia talis fuit Eccleſia Judaica, ideo deſcribitur ita „ *Satiavit Me amaritudinibus, & inebriavit Me* ABSINTHIO, Thren. III: 15. 18. 19.

411. *Et multi homines mortui ſunt ex aquis, quia amaræ factæ ſunt, ſignificat exſtinctionem vitæ ſpiritualis apud plures ex falſificatis veris Verbi.* Multi homines mortui ſunt, ſignificat exſtinctionem vitæ ſpiritualis, homo enim ex vita ſpirituali apud ſe vocatur vivus, at ex vita naturali ſeparata a vita ſpirituali vocatur mortuus; ex aquis quia amaræ factæ ſunt, ſignificat ex falſificatis veris Verbi; quod aquæ ſint vera Verbi, videatur mox ſupra n. 410, quod amarum ſignificet falſificatum, eſt quia intelligitur amarum abſinthii, & per abſinthium ſignificatur falſum infernale, n. 410. Vita ſpiritualis homini Chriſtiano non aliunde eſt, quam ex veris Verbi, in illis enim eſt vita; at cum vera Verbi falſificata ſunt, & homo illa ſecundum falſa religionis ſuæ intelligit & ſpectat, tunc vita ſpiritualis apud illum exſtinguitur; cauſa eſt quia Verbum communicat cum Cælo, quare dum illud ab homine legitur, vera ibi aſcendunt in Cælum, & falſa quibus vera adjuncta aut conjuncta ſunt, tendunt ad infernum, inde fit diſcerptio, ex qua vita Verbi exſtinguitur: ſed hoc fit ſolum apud illos, qui confirmant falſa per Verbum, non autem apud illos, qui non confirmant: vidi diſcerptiones illas, & audivi ſtrepitus ſicut ligni diſcerpti igne in camino, ex illis. Amarum ſignificat falſificatum etiam in ſequentibus locis „ *Væ dicentibus de malo bonum, & de bono malum, ponentibus* AMARUM *in dulce, & dulce in* AMARUM, Eſaj. V: 20. 22. *Cum cantu non bibent*

bent vinum, AMARA *erit sicera bibentibus illam*, Esaj. XXIV: 9. Simile quid significatur *per Libellum devoratum, qui in ore fuit dulcis, & ex quo venter redditus est* AMARUS, Apoc. X: 9. 10: & per hæc „ *Venerunt ad Marah, sed non potuerunt bibere aquas præ* AMARITUDINE; *sed monstravit illi Jehovah Lignum, quod projecit in aquas, & dulces factæ sunt*, Exod. XV: 23. 24. 25; lignum in Verbo significat bonum. Simile etiam per COLOCYNTHIDAS *missas in pulmentum, ex quo filii prophetarum clamaverunt, mors in olla, quod Elisæus per immissam farinam sanavit*, II. Reg. IV: 38 ad 41; farina significat verum ex bono.

412. *Et quartus Angelus clanxit, significat explorationem & manifestationem status Ecclesiæ apud illos quibus Religio est sola fides, quod sint in malis falsi & falsis mali.* Quod hæc significentur, constat ex nunc sequentibus in sensu spirituali intellectis: clangere significat hic ut supra n. 398. 402. 407, explorare & manifestare.

413. *Et percussa est tertia pars solis, & tertia pars lunæ, & tertia pars stellarum, & obtenebrabatur tertia pars illorum, significat quod propter mala ex falsis & falsa ex malis non scirent quid amor, quid fides, & ullum verum.* Per tertiam partem significatur omne, n. 400; per Solem significatur amor, n. 53; per Lunam significatur intelligentia & fides, n. 332; per stellas significantur cognitiones veri & boni ex Verbo, n. 51; per obtenebrari, significatur non videri & sciri propter mala ex falsis & falsa ex malis; mala ex falsis sunt illis, qui falsa religionis assumunt, & illa confirmant usque dum apparent sicut vera, & dum vivunt secundum illa, faciunt mala ex falsis, seu mala falsi; falsa autem ex malis sunt illis, qui mala ut peccata non reputant, & magis qui per ratiocinia ex naturali homine, & insuper ex Verbo, apud se confirmant, quod mala non peccata sint, ipsæ confirmationes sunt falsa ex malis, & vocantur falsa mali. Quod Tenebræ, significent illa, est quia Lux significat Verum, & exstincta Luce fiunt tenebræ: ad confirmationem primum adducentur loca, ubi similia dicuntur quæ hic in Apocalypsi de Sole, Luna & Stellis, & de Tenebris oriundis ab exstinctione illorum „ SOL VERTETUR IN TENEBRAS, ET LUNA IN SANGUINEM, *antequam venit dies Jehovæ magnus & terribilis*, Joel III: 4. STELLÆ CÆLORUM ET SIDERA ILLORUM NON LUCEBUNT LUCE SUA, OBTENEBRABITUR SOL IN ORTU SUO, ET LUNA NON SPLENDERE FACIET LUMEN SUUM, Esaj. XXIV: 21. 23. *Obtegam cum exstinxero te Cælos*, SOLEM NUBE OBTEGAM, ET LUNA NON LUCERE FACIET LUCEM SUAM, OMNIA LUMINARIA LUCIS IN CÆLIS ATRABO SUPER TE, & *dabo* TENEBRAS *super Terra tua*, Ezech. XXXII: 7. 8. *Propinquus est dies Jehovæ*; SOL ET LUNA ATRATI SUNT, ET STELLÆ CONTRAHENT SPLENDOREM SUUM, Joel II: 10. *Statim post afflictionem dierum illorum*, SOL OBSCURABITUR, ET LUNA NON DABIT LUMEN SUUM, ET STELLÆ CADENT DE CÆLO, Matth. XXIV: 29. Marc. XIII: 24. 25; quis, qui elevat mentem, non videre potest, quod in his locis non Sol, Luna & Stellæ mundi intelligantur. Quod per Tenebras significentur falsa varii generis, constat ex his „ *Væ desiderantibus diem Jehovæ, ille* TENEBRARUM *& non Lucis; nonne* TENE-

BRÆ

BRÆ *dies Jehovæ & non Lux*, CALIGO *& non ſplendor*, Amos V: 18. 20. *Dies Jehovæ dies* TENEBRARUM *&* CALIGINIS, *dies nubis & obnubilationis*, Zeph. I: 15, *In die illo deſpiciet in Terram, quæ ecce* TENEBRÆ, *& Lux* OBTENEBRESCET *in ruinis ſuis*, Eſaj. V: 30. Cap. VIII: 22. *Ecce* TENEBRÆ *obtegunt terram, &* CALIGO *populos*, Eſaj. LX: 2. *Date Jehovæ gloriam, antequam* TENEBRAS *inducat: exſpectamus Lucem, ſed ponit illam in* CALIGINEM, Jerem. XIII: 18. *Exſpectamus Lucem, ſed ecce* TENEBRÆ, *& non Splendores, in* CALIGINIBUS *ambulamus; offendimus in meridie ſicut in crepuſculo, inter vivos ſicut mortui*, Eſaj. LIX: 9. 10. *Væ ponentibus* TENEBRAS *in Lucem, & Lucem in* TENEBRAS, Eſaj. V: 20. *Populus ambulans in* TENEBRIS, *vidit Lucem magnam*, Eſaj. IX: 1, Matth. IV: 6. *Ortus ab alto apparuit illis, qui in* TENEBRIS *& in umbra mortis ſedent*, Luc. I: 79. *Si des famelico animam tuam, exorietur in* TENEBRIS *Lux tua, &* CALIGO *tua ſicut meridies*, Eſaj. LVIII: 10. *In die illo, oculi cæcorum, qui in* CALLIGINE *&* TENEBRIS, *videbunt*, Eſaj. XXIX: 18. Cap. XLII: 16. Cap. XLIX: 9. *Jeſus dixit, Ego ſum Lux mundi, qui Me ſequitur non ambulabit in* TENEBRIS, *ſed habebit Lucem vitæ*, Joh. VIII: 12. *Ambulate quouſque Lucem habetis, ne* TENEBRÆ *vos apprehendant: Ego Lux in mundum veni, ut omnis qui credit in Me, in* TENEBRIS *non maneat*, Joh. XII: 35. 46. *Quando ſedeo in* TENEBRIS, *Jehovah Lux mihi*, Mich. VII: 8. *Hoc eſt judicium, quod Lux venerit in mundum, ſed dilexerunt homines magis* TENEBRAS *quam Lucem*, Joh. III: 19. Cap. I: 4. 5. *Si lumen quod in te* TENEBRÆ *ſunt*, TENEBRÆ *quantæ*, Luc. XI: 34. 35. 36. *Hæc eſt veſtra hora, & poteſtas* TENEBRARUM, Luc. XXII: 53; per Tenebras in illis locis ſignificatur falſum oriundum vel ex ignorantia veri, vel ex falſo principio religionis, vel ex vita mali. De illis qui in falſis Religionis, & inde malis vitæ ſunt, dicit Dominus, *Quod ejiciendi ſint in* TENEBRAS EXTERIORES, Matth. VIII: 12. Cap. XXII: 13. Cap. XXV: 30.

414. *Ut dies non luceret tertia parte ejus & nox ſimiliter, ſignificat non amplus aliquod verum ſpirituale nec verum naturale inſerviens pro doctrina & vita ex Verbo apud illos.* Per quod dies non luceret, intelligitur quod non lux ex ſole, & per quod non nox ſimiliter, intelligitur quod non lux ex luna & ſtellis; per Lucem in genere ſignificatur Divinum Verum, quod eſt Verum ex Verbo; per Lucem Solis Divinum Verum ſpirituale, & per Lucem lunæ & ſtellarum Divinum Verum naturale, utrumque ex Verbo; Divinum Verum in Senſu ſpirituali Verbi eſt ſicut Lux Solis in die, & Divinum Verum in Senſu naturali Verbi eſt ſicut lux lunæ & ſtellarum in nocte; influit etiam Senſus ſpiritualis Verbi in Senſum naturalem ejus, ſicut Sol cum luce ſua in Lunam, & ſiſtit lucem Solis mediate: ita quoque Senſus ſpiritualis Verbi illuſtrat homines, etiam illos qui non ſciunt aliquid de illo Senſu, dum legunt Verbum in Senſu naturali; ſed hominem ſpiritualem, ſicut Lux a Sole oculum ejus, hominem autem naturalem ſicut Lux ex luna & ſtellis oculum ejus; unuſquiſque illuſtratur ſecundum affectionem ſpiritualem veri & boni, & ſimul ſecundum genuina vera, per quæ Rationale ſuum aperuit. Hæc per Diem & Noctem etiam intelliguntur in ſequentibus locis „ *Dixit Deus, ſint Luminaria in Expanſo cælorum*,

lorum, ad distinguendum inter DIEM *& inter* NOCTEM*: & fecit Deus duo Luminaria magna, Luminare magnum ad dominandum in* DIE, *& Luminare minus ad dominandum in* NOCTE, *& Stellas: & posuit illa Deus in Expanso cælorum, ad Lucem dandum super terra, & ad dominandum in* DIE *&* IN NOCTE, *& ad distinguendum inter Lucem & inter Tenebras*, Genes. I: 14 ad 19. *Jehovah fecit Luminaria magna, Solem in Dominium in* DIE, *Lunam & Stellas in Dominium in* NOCTE, Psalm. CXXXVI: 7. 8. 9. *Tibi Jehovah* DIES *& Tibi* NOX, *Tu præparasti Lucem & Solem*, Psalm. LXXIV: 16. *Jehovah dans Solem in lucem* DIEI, *statuta Lunæ & Stellarum in lucem* NOCTIS, Jerem. XXXI: 35. *Si irritum reddideritis fœdus meum* DIEI *& fœdus meum* NOCTIS, *ut non sit* DIES *&* NOX *in tempore suo, etiam fœdus meum irritum fiet cum Davide servo meo; si non fœdus meum* DIEI *&* NOCTIS, *statuta Cæli & Terræ, posuero, etiam semen Jacobi & Davidis reprobarem*, Jerem. XXXIII: 20. 21. 25. 26; hæc allata sunt, ut sciatur quod intelligatur obtenebratio utriusque lucis.

415. *Et vidi & audivi unum Angelum volantem in medio cæli, significat instructionem & prædictionem a Domino.* Per Angelum in supremo sensu intelligitur Dominus, & inde etiam aliquid a Domino, n. 344; & per volare in medio Cæli & dicere, significatur percipere & intelligere, & cum de Domino, prospicere & providere, n. 245, hic vero instruere & prædicere.

416. *Dicentem voce magna, væ, væ, væ habitantibus super terra ex reliquis vocibus tubæ trium Angelorum futurorum clangere, significat summam lamentationem super statum damnatum illorum in Ecclesia, qui doctrina & vita apud se confirmaverunt fidem separatam a charitate.* Per Væ significatur lamentatio super malo apud aliquem, & inde super statu infelice ejus; hic super statu damnato illorum, de quibus in sequente Capite & postea agitur; & per væ, væ, væ, significatur summa lamentatio; triplicatio enim facit superlativum, quia tria significant omne & plenum, n. 505: per habitantes super terra, intelliguntur illi qui in Ecclesia sunt ubi Verbum & per id Dominus notus est; quod Terra significet Ecclesiam, videatur supra n. 285: per voces tubæ trium Angelorum futurorum clangere, significatur exploratio & manifestatio status Ecclesiæ & vitæ apud illos, qui apud se doctrina & vita confirmaverunt fidem separatam a charitate, super quorum statu fit lamentatio. Væ significat lamentationem super aliorum præsente vel futura calamitate, infelicitate, aut damnatione, in his „ *Væ vobis Pharisæi & hypocritæ*, Matth. XXIII: 13. 14. 15. 16. 23. 25. 27. 28. *Væ homini per quem Filius hominis proditur*, Luc. XXII: 22. *Væ illi per quem scandala veniunt*, Luc. XVII: 1. *Væ adjungentibus domum domui. Væ surgentibus mane sub auroram siceram persequuntur. Væ attrahentibus iniquitatem. Væ dicentibus de malo bonum. Væ sapientibus in oculis suis. Væ heroibus ad potandum vinum*, Esaj. V: 8. 11. 18. 20. 21. 22; & alibi pluries.



417. His adjiciam hoc MEMORABILE. Visi sunt in Mundo spirituali bini Gre-

ges, unus erat ex HIRCIS & alter ex OVIBUS; miratus sum quinam essent, quippe novi quod Animalia visa in Mundo spirituali, non sint Animalia, sed quod sint correspondentiæ affectionum & inde cogitationum ex illis qui ibi sunt, quare accessi propius, & sicut accessi, disparatæ sunt similitudines animalium, & loco illorum visi sunt Homines; & manifestatum est, quod qui faciebant Gregem Hircorum essent qui se confimaverunt in Doctrina justificationis per solam fidem, & qui faciebant Gregem Ovium essent qui crediderunt quod Charitas & Fides unum sint, sicut bonum & verum unum sunt: & tunc loquutus sum cum illis, qui visi sunt sicut Hirci, & dixi, cur ita congregati estis; erant plerique ex Clero, qui gloriati sunt ex fama eruditionis, quia noverunt arcana justificationis per solam fidem; dixerunt, quod congregati sint ut sedeant Concilium, quia audiverunt quod dictum Pauli, Rom. III: 28, *Quod homo fide justificetur sine operibus legis*, non rite intellectum sit, quoniam Paulus per Opera legis intellexit Opera legis Mosaicæ quæ pro Judæis; quod etiam vidimus clare ex ejus verbis ad Petrum, quem increpavit quod judaizaret, cum tamen sciret, *quod nemo per Opera legis justificetur*, Gal. II: 14. 15; tum quod distinguat inter Legem fidei & Legem operum, ac inter Judæos & Gentes, seu Circumcisionem & Præputium, & per Circumcisionem intelligit Judaismum, ut ubivis alibi; & quoque quod claudat illa per hæc verba, *Ergone Legem abrogamus per fidem, absit, sed Legem stabilimus*, hæc omnia in una serie dicit Rom. III: 27. 28. 29. 30. 31: & quoque dicit in Capite quod præcedit, *Non auditores Legis justificabuntur a Deo, sed factores Legis justificabuntur*, Rom. II: 13: tum, *Quod Deus reddet unicuique secundum Opera ejus*, Rom. II: 6: & adhuc, *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet quilibet ea quæ per corpus fecit, sive bonum sive malum*, II Cor. V: 10; præter plura apud illum; ex quibus patuit, quod Paulus rejecerit fidem absque bonis operibus, æque ac Jacobus, Epist. Cap. II: 17 ad 26. Quod a Paulo intellecta sint Opera legis Mosaicæ, quæ pro Judæis, insuper confirmati sumus ex eo, quod omnia statuta pro Judæis apud Mosen dicantur Lex, ita Opera legis, quod vidimus ex his, *Hæc Lex Minchæ*, Levit. VI: 7 seq. *Hæc Lex sacrificii*, Levit. VII: 1. *Hæc Lex sacrificii pacificorum*, Levit. VII: 7. 11 seq. *Hæc Lex pro holocausto, pro mincha, pro sacrificio peccati & reatus, pro impletionibus*, Levit. VII: 38. *Hæc Lex bestiæ & avis*, Levit. XI: 46 seq. *Hæc Lex parientis pro filio aut filia*, Levit. XII: 7. *Hæc Lex lepræ*, Levit. XIII: 59. Cap. XIV: 2. 32. 54. 57. *Hæc Lex fluxu affecti*, Levit. XV: 31. *Hæc Lex Zelotypiæ*, Num. V: 29. 30. *Hæc Lex Naziræi*, Num. VI: 13. 21. *Hæc Lex mundationis*, Num. XIX: 14. *Hæc Lex de vacca rufa*, Num. XIX: 2. *Lex pro Rege*, Deutr. XVII: 15 ad 18. 19. Imo *Totus Liber Mosis vocatur Liber Legis*, Deutr. XXXI: 9. 11. 12. 26: tum etiam apud Evangelistas, Luc. II: 22. Cap. XXIV: 44. Joh. I: 46. Cap. VII: 22. 23. Cap. VIII: 5, & alibi. His quoque addiderunt, quod viderint apud Paulum, quod Lex Decalogi vivenda sit, & quod impleatur a charitate, quæ est amor erga proximum, Rom. XIII: 8. 9. 10. 11, ita non a sola fide. Dixerunt, quod propter hæc convocati fuerint. Sed ne turbarem illos recessi, & tunc iterum e longinquo visi

ſunt ſicut Hirci, & quandoque ſicut cubantes, & quandoque ſicut ſtantes; ſed avertebant ſe a Grege ovium; ſicut cubantes apparebant cum deliberabant, & ſicut ſtantes cum concludebant: at viſum meum tenui in Cornibus illorum, & miratus ſum, quod Cornua in frontibus illorum nunc apparerent ſicut porrecta antrorſum & ſurſum, nunc incurvata retrorſum verſus tergum, & tandem prorſus reflexa; & tunc ſubito convertebant ſe omnes ad Gregem ovium, ſed uſque apparebant ut Hirci; quare iterum acceſſi, & interrogavi quid nunc; dixerunt quod concluſerint, quod ſola fides producat bona charitatis, quæ vocantur bona opera, ſicut Arbor producit fructus: at tunc auditum eſt tonitru & viſum eſt fulgur deſuper, & mox apparuit Angelus, ſtans inter binos illos Greges, qui clamavit ad Gregem ovium, ne auſcultate, non receſſerunt a fide ſua priore, quæ eſt, quod Deus Pater miſereatur propter Filium, quæ fides non eſt fides in Dominum; nec fides eſt arbor, ſed homo eſt arbor; at pænitentiam agite, & ſpectate ad Dominum, & habebitis fidem; fides ante illud non eſt fides in qua aliquod vivum eſt: voluerunt tunc Hirci reflexe cornuti accedere ad oves, ſed Angelus ſtans inter illos dividebat Oves in binos Greges, & dixit illis a ſiniſtris, adjungite vos hircis, ſed dico vobis, quod venturus ſit Lupus, qui rapiet illos, & vos cum illis.

Sed poſtquam ſeparati ſunt bini Greges ovium, & illi a ſiniſtris audiverunt minacia verba Angeli, inſpexerunt ſe mutuo, & dixerunt, colloquamur cum priſtinis conſociis noſtris; & tunc ſiniſter Grex loquebatur ad dextrum, dicens, cur receſſiſtis a Paſtoribus veſtris, annon fides & charitas unum ſunt, ſicut arbor & fructus unum ſunt; arbor enim per ramum continuatur in fructum, divellite aliquid e ramo quod influit per continuum in fructum, annon periturus eſt fructus; quærite noſtros Sacerdotes annon ita ſit; & tunc quæſiverunt, & Sacerdotes circumſpexerunt ad reliquos, qui nictabant palpebris ut dicerent, quod bene loquantur, & poſthac reſponderunt, quod ita ſit, conſervatur fides per fructus, ſed non voluerunt dicere continuatur fides in fructus. At tunc unus ex Sacerdotibus, qui fuit inter Oves a dextris, ſurrexit & dixit, reſponderunt ad vos, quod ita ſit, ſed uſque ad ſuos quod non ita ſit, aliter enim cogitant: quare quæſiverunt, quomodo tunc cogitant, cogitantne ſicut docent, dixit ille, non; cogitant quod omne bonum charitatis, quod vocatur bonum opus, quod fit ab homine propter ſalutem aut vitam æternam, non ſit bonum ſed malum, ex cauſa quia homo per opus a ſe vult ſemetipſum ſalvare, vindicando ſibi juſtitiam & meritum unius Salvatoris; & quod ita ſit cum omni bono opere, in quo homo ſentit ſuam voluntatem; quare apud ſe vocant bona opera ab homine non benedicta ſed maledicta, & quod mereantur infernum potius quam cælum: ſed dixerunt e Grege ſiniſtro, loqueris mendacia contra illos, prædicantne charitatem & ejus opera, quæ vocant opera fidei, coram nobis manifeſſe: & ille reſpondit, non intelligitis Prædicationes illorum, ſolum Clericus, qui adeſt, attendit & intelligit; cogitant modo Charitatem moralem, & bona ejus civilia & politica, quæ vocant fidei, & prorſus non ſunt, homo enim atheus poteſt illa ſimiliter & ſub eadem forma facere, quare unanimiter dicunt, quod nemo per aliqua opera ſalvetur, ſed per ſolam fi-

fidem; verum illustretur hoc per comparationes; quod Arbor pomifera producat poma, sed si homo facit bona propter salutem, sicut arbor illa poma per continuum, tunc poma illa intus putida sunt, & plena vermibus; dicunt etiam, quod Vitis producat uvas, sed si homo facturus esset bona spiritualia sicut vitis uvas, faceret labruscas: at tunc quæsiverunt, qualia ergo illis sunt bona charitatis seu opera, quæ sunt fructus fidei, respondit quod sint inconspicua, intus in homine a Spiritu sancto, de quo homo nihil scit; sed dixerunt, si homo nihil scit de illis, omnino erit aliqua conjunctio, alioquin quomodo possunt vocari opera fidei, forte tunc bona illa insensibilia insinuantur in opera voluntaria hominis per aliquem influxum mediantem, ut per aliquam affectionem, aspirationem, inspirationem, incitationem & excitationem voluntatis, tacitam perceptionem in cogitatione & inde exhortationem, contritionem & sic conscientiam & inde adactionem, obedientiam Decalogi & Verbi sicut infans aut sicut sapiens, aut per aliud quoddam illis simile; at respondit, quod non, & si dicunt quod per talia fiat quia *per fidem*, usque confarciunt illa in Sermonibus cum vocibus, ex quibus resultat quod non *ex fide;* quidam usque tradunt talia, *sed ut Signa fidei, non autem ut Vincula ejus cum charitate.* Aliqui tamen excogitaverunt conjunctionem per Verbum, & tunc dixerunt, annon sic conjunctio, quod homo voluntarie faciat secundum Verbum, sed respondit, non hoc cogitant, sed per solum auditum Verbi, ita non per intellectum Verbi, ne per intellectum intret aliquid manifeste in cogitationem & voluntatem hominis; asserunt enim quod omne voluntarium hominis sit meritorium, & quod homo in spiritualibus non possit aliquid inchoare, velle, cogitare, intelligere, credere, operari & cooperari, plus quam stipes: sed usque aliud est cum influxu Spiritus Sancti per fidem in loquelas Prædicatorum, quia hæ sunt actus oris, & non actus corporis, tum quia per fidem agit homo cum Deo, sed per charitatem cum hominibus. Sed unus cum audivit, quod per solum auditum Verbi, & non per intellectum Verbi, indignatus dixit, num sic per intellectum Verbi a solo Spiritu Sancto, dum homo in Concione avertit se aut sedet surdus sicut stipes, aut cum dormit, aut ex solo halitu ex volumine Verbi, sed quid ludicrius. Post hæc, vir quidam e dextro Grege præpollens reliquis judicio petiit ut audiretur, & loquens dixit; audivi quemdam dicentem; plantavi Vineam, nunc bibam vinum usque ad ebrietatem, sed quæsivit alter, num bibiturus es vinum ex tuo schypho per tuam dextram, & dixit, non, sed ex schypho inconspicuo per manum inconspicuam, & respondit alter, certe tunc non inebriaberis: mox idem vir dixit, sed me audite, quæso, ego dico vobis, bibite vinum ex Verbo intellecto, nostisne quod Dominus sit Verbum, estne Verbum ex Domino, estne sic Ipse in illo, si ergo facitis bonum ex Verbo, facitisne id ex Domino, ex Ipsius ore & voluntate, & si tunc spectatis ad Dominum, etiam Ipse ducet vos & faciet, & hoc faciet per vos, & vos sicut ex vobis; quis potest dicere, qui facit aliquid ex Rege, illius ore & voluntate, hoc facio ex me, ex meo ore seu mandato, ex mea voluntate: posthæc convertit se ad Clerum, & dixit, Ministri Dei, ne seducite Gregem. His auditis maxima pars Gregis sinistri recessit, & Gregi dextro se associavit; ali-

aliqui etiam tunc e Clero dicebant, audivimus quod non prius, sumus Pastores, non relinquemus Oves, & recesserunt una cum illis, & dicebant, ille vir loquutus est Verbum verum; quis dicere potest qui facit ex Verbo, ita ex Domino, Ipsius Ore & Voluntate, hoc facio ex me; quis dicit qui facit ex Rege, illius ore & voluntate, hoc facio ex me: nos videmus nunc Divinam Providentiam, cur non inventa fuit fidei & operum conjunctio, quæ ab Ecclesiastica Societate agnita est; non potuit inveniri, quia non potest dari, non enim est fides in Dominum Qui est Verbum, & inde nec est fides e Verbo. Sed reliqui Sacerdotes abibant, & vibrabant pileos suos, & clamabant, Sola fides, Sola fides, vivet usque.



CAPUT

1. ET quintus Angelus clanxit, & vidi Stellam e Cælo delap-
ſam in terram, & data ei clavis putei abyſſi;
2. Et aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus e puteo abyſſi
ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol & aer e fumo
putei.
3. Et e fumo exiverunt Locuſtæ in terram, & data illis pote-
ſtas ſicut habent poteſtatem ſcorpii terræ.
4. Et dictum illis ne læderent gramen terræ, neque ullum vi-
ride, neque ullam arborem, niſi homines ſolos, quicunque non
haberent ſigillum Dei in frontibus ſuis.
5. Et datum illis ut non occiderent illos, ſed ut cruciarent
menſes quinque, & cruciatus illarum ſicut cruciatus ſcorpii cum
percutit hominem.
6. Et in diebus illis quærent homines mortem, & non inve-
nient illam, & cupient mori, & fugiet mors ab illis.
7. Et ſimilitudines Locuſtarum ſimiles equis paratis ad bellum,
& ſuper capitibus illarum ſicut coronæ ſimiles auro, & facies il-
larum ſicut facies hominum.
8. Et habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes il-
larum ſicut leonum erant.
9. Et habebant thoraces ſicut thoraces ferreos, & vox alarum illa-
rum ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum.
10. Et habebant caudas ſimiles ſcorpiis, & aculei erant in
caudis illarum, & poteſtas illarum lædere homines menſibus
quinque.
11. Et habebant ſuper ſe regem, Angelum abyſſi, nomen ei
hebraice Abaddon, & in Græca nomen habet Apollyon.
12. Væ unum præteriit, ecce veniunt adhuc duo væ poſt hæc.
13. Et Sextus Angelus clanxit, & audivi vocem unam ex qua-
tuor cornubus Altaris aurei quod coram Deo,
14. Dicentem Sexto Angelo qui habebat tubam, ſolve quatuor
Angelos vinctos ad flumen magnum Euphratem.
15. Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, qui parati in horam &
diem & menſem & annum, ut occiderent tertiam partem ho-
minum.
16. Et numerus exercituum equitatus, duæ myriades myria-
dum; & audivi numerum illorum.
17. Et ita vidi Equos in viſione, & ſedentes ſuper illis, ha-
ben-

bentes thoraces igneos & hyacinthinos & ſulphureos, & capita equorum ſicut capita leonum, & ex oribus illorum exivit ignis & fumus & ſulphur.

18. A tribus his occiſa eſt tertia pars hominum, ex igne & ex fumo & ex ſulphure exeunte ex oribus illorum.

19. Et poteſtas illorum in ore illorum erat, nam caudæ illorum ſimiles ſerpentibus, habentes capita, & in his lædunt.

20. Et reliqui homines, qui non occiſi ſunt in plagis his, etiam non pænitentiam egerunt ex operibus manuum ſuarum, ut non adorarent dæmonia, & idola aurea & argentea & ænea & lapidea & lignea, quæ neque videre poſſunt neque audire neque ambulare.

21. Et non egerunt pænitentiam ex homicidiis ſuis, neque ex incantationibus ſuis, neque ex ſcortationibus ſuis, neque ex furtis ſuis.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. De Exploratione & Manifeſtatione ſtatus vitæ illorum in Eccleſia Reformatorum, qui vocantur docti & ſapientes ex confirmatione fidei ſeparatæ a charitate, ac juſtificationis & ſalvationis per illam ſolam, de his agitur a Verſu 1 ad 13. De exploratione & manifeſtatione illorum ibi, qui non ita docti & ſapientes ſunt, & in ſola fide, ac vivunt ad lubitum, de his agitur a Verſu 13 ad 20. Demum de illis ibi, qui nihil ſciunt quam quod fides ſit omne per quod homo ſalvatur, & præter id non aliquid, Verſ. 20. 21.

Contenta Singulorum Versuum. Quintus Angelus clanxit, *ſignificat* explorationem & manifeſtationem ſtatus vitæ illorum in Eccleſia Reformatorum, qui vocantur docti & ſapientes ex confirmatione fidei ſeparatæ a charitate, ac juſtificationis & ſalvationis per illam ſolam: & vidi ſtellam e Cælo delapſam in terram, *ſignificat* Divinum Verum ſpirituale influens e Cælo in Eccleſiam apud illos, explorans & manifeſtans: & data ei clavis putei abyſſi, *ſign:* infernum eorum apertum: & aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus e puteo ſicut fumus fornacis magnæ, *ſign:* falſa concupiſcentiarum naturalis hominis ſcaturientium ex malis amoribus illorum: & obſcuratus eſt ſol & aer e fumo putei, *ſign:* quod inde lux veri facta ſit caligo: & ex fumo exiverunt locuſtæ in terram, *ſign:* quod ex illis falſa in extremis, qualia ſunt illis qui ſenſuales facti ſunt, ac omnia vident & judicant ex ſenſibus & eorum fallaciis: & ex

data illis potestas sicut habent potestatem scorpii terræ, *sign:* potentiam persuadendi quod falsa illorum sint vera: & dictum illis ne læderent gramen terræ, neque ullum viride, neque ullam arborem, nisi homines solos, quicumque non haberent sigillum Dei in frontibus suis, *sign:* Divinam Domini Providentiam, quod non possint auferre aliquod verum & bonum fidei, nec affectionem & perceptionem illorum, aliis quam qui non in charitate & inde non in fide sunt: & datum illis ut non occiderent illos, sed ut cruciarent menses quinque, *sign:* quod nec his possint auferre facultatem intelligendi & volendi verum & bonum, sed modo quod possint ad breve tempus inducere stuporem: & cruciatus illarum sicut cruciatus scorpii cum percutit hominem, *sign:* quod hoc sit ex persuasivo illorum: & in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient illam, & cupient mori & mors fugiet illos, *sign:* quod velint ut in rebus fidei intellectus occlusus sit & voluntas obturata, per quæ lux & vita spiritualis exstinguitur, & quod usque hoc non possit fieri: & similitudines locustarum, *sign:* apparentias & imagines illorum, qui fidem separatam a charitate apud se confirmaverunt: similes equis paratis ad bellum, *sign:* quod quia ratiocinari possunt, apparerent sibi sicut pugnantes ex intellectu veri ex Verbo: & super capitibus illarum sicut coronæ similes auro, *sign:* quod apparerent sibi sicut victores: & facies illarum sicut facies hominum, *sign:* quod apparerent sibi sicut sapientes: & habebant capillos sicut capillos mulierum, *sign:* quod apparerent sibi sicut in affectione veri: & dentes illarum sicut leonum erant, *sign:* quod sensualia, quæ sunt ultima vitæ naturalis hominis, apparerent illis in potentia super omnia: & habebant thoraces sicut thoraces ferreos, *sign:* argumentationes ex fallaciis, per quas pugnant & valent, apparerent illis tam validæ ut refelli non possent: & vox alarum illarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, *sing:* ratiocinia illorum sicut ex veris doctrinæ e Verbo plene intellectis, pro quibus ardenter pugnandum est: & habebant caudas similes scorpiis, *sign:* vera Verbi falsificata per quæ inducunt stuporem: & aculei erant in caudis illarum, & potestas illarum lædere homines mensibus quinque, *sign:* astutas falsificationes Verbi, per quas ad breve tempus obtenebrant & fascinant intellectum, & sic fallunt & captant: & habebant super se regem angelum abyssi, nomen ei hebraice Abaddon, & in græca nomen habet Apollyon, *sign:* quod in Inferno Satanico sint, qui in falsis ex concupiscentiis sunt, & per totalem falsificationem Verbi perdiderunt Ecclesiam: & væ unum præteriit, ecce veniunt adhuc duo væ posthæc, *sign:* ulteriores lamentationes super statu Ecclesiæ.

Et Sextus Angelus clanxit, *significat* explorationem & manifestationem status vitæ apud illos in Ecclesia Reformatorum qui non ita sapientes sunt, & usque omne religionis ponunt in fide, & illam solam cogitant, & ad lubitum vivunt: & audivi vocem unam ex quatuor cornubus Altaris aurei quod coram Deo, dicentem sexto Angelo qui habebat tubam, *sign:* mandatum a Domino e Cælo spirituali ad illos qui explorarent & manifestarent: solve quatuor angelos vinctos ad flumen magnum Euphratem, *sign:* ut vincula externa auferantur illis,

lis, ut appareant interiora mentis illorum: & soluti sunt quatuor angeli, *sign:* quod sublatis vinculis externis apparuerint interiora mentis illorum: parati in horam in diem & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum, *sign:* illos in perpetuo conatu auferendi hominibus Ecclesiæ lucem & vitam spiritualem: & numerus exercituum equitatus duæ myriades myriadum, *sign:* ratiocinia de sola fide, quibus interiora mentis eorum referta erant, ex mere falsis mali in copia: & audivi numerum illorum, *sign:* perceptum quale eorum: & ita vidi equos in visione & sedentes super illis, *sign:* tunc detectum quod ratiocinia interiorum mentis illorum de sola fide essent imaginaria & visionaria, ac ipsi insanientes ex illis: habentes thoraces igneos, hyacinthinos & sulphureos, significat argumentationes illorum imaginarias & visionarias ex amore infernali & propria intelligentia & ex concupiscentiis inde: & capita equorum sicut capita leonum, significat phantasias de sola fide tanquam in potentia: & ex oribus illorum exivit ignis & fumus & sulphur, *sign:* quod in cogitationibus & sermonibus illorum interius spectatis non aliud sit & ex illis prodeat quam amor sui & mundi, fastus propriæ intelligentiæ, ac concupiscentiæ mali & falsi ex duobus illis: ex tribus his occisa est tertia pars hominum, ex igne & ex fumo, & ex sulphure, exeunte ex oribus illorum, *sign:* quod ex illis sit quod homines Ecclesiæ pereant: & potestas illorum in ore illorum erat, *sign:* quod solum valeant sermone confirmante fidem: nam caudæ illorum similes serpentibus habentes capita, & in his lædunt, *sign:* causam, quod sensuales sint ac inversi, loquentes ore vera, sed falsificantes illa ex principio quod facit caput religionis eorum, & sic fallunt:

Et reliqui homines qui non occisi sunt in plagis his, *significat* illos in Ecclesia Reformatorum qui non ita sunt spiritualiter mortui ex ratiociniis visionariis, & ex amore sui, fastu propriæ intelligentiæ, & ex concupiscentiis inde, sicut priores, & usque solam fidem faciunt caput religionis suæ: etiam non pænitentiam egerunt ab operibus manuum suarum, *sign:* quod nec illi fugerint propria sua, quæ sunt mala omnis generis, ut peccata: ut non adorarent dæmonia, *sign:* quod sic in malis concupiscentiarum suarum sint, & unum faciant cum similibus in inferno: & idola aurea, & argentea & ænea & lapidea & lignea, *sign:* quod sic in cultu sint ex mere falsis: quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, *sign:* in quibus nihil vitæ spiritualis & vere rationalis est: & non egerunt pænitentiam ex homicidiis suis neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis, neque ex furtis suis, *significat* quod hæreticum de sola fide inducat cordibus stupiditatem, tergiversationem & duritiem, ut non cogitent aliquid de præceptis Decalogi, ne quidem de ullo peccato quod fugiendum sit quia est cum diabolo & contra Deum.

EXPLICATIO.

419. *Et Quintus Angelus clanxit, significat explorationem & manifestationem status*

tus vitæ illorum in Eccleſia Reformatorum, qui vocantur docti & ſapientes ex confirmatione fidei ſeparatæ a charitate, ac juſtificationis & ſalvationis per illam ſolam. Quod de his in nunc ſequentibus uſque ad Verſ. 13. agatur, conſtat ex ſingulis in ſenſu ſpirituali intellectis. Quod per Clangere ſignificetur explorare & manifeſtare ſtatum Eccleſiæ & inde vitæ apud illos, quibus Religio eſt ſola fides, videatur ſupra n. 397.

420. *Et vidi Stellam e Cælo delapſam in terram, ſignificat Divinum Verum ſpirituale influens e Cælo in Eccleſiam apud illos explorans & manifeſtans.* Per Stellam hic ſignificatur Divinum Verum ſpirituale, quia delapſa eſt e Cælo ſpirituali, de quo ſupra n. 387. 388; & per Terram hic ſignificatur Eccleſia apud illos qui in internis ejus ſunt, ut ſupra n. 398. Per Divinum Verum ſpirituale intelligitur Intelligentia ex amore ſpirituali, qui eſt amor erga proximum; & quia Intelligentia illa hodie vocatur Fides, & Amor ille Charitas, eſt Fides ex Charitate, aut ſatius, eſt Verum fidei ex Bono charitatis, quod per Stellam hic ſignificatur. Simile per Stellam in ſingulari ſignificatur, Apoc. II: 28. Cap. XXII: 17; per Stellas enim in plurali ſignificantur cognitiones boni & veri, n. 51, & per illas eſt intelligentia: quod ſit Divinum Verum explorans & manifeſtans, patet a ſequentibus.

421. *Et data ei clavis putei abyſſi, ſignificat infernum eorum apertum.* Per Clavem ſignificatur potentia aperiendi, & quoque aperitio, n. 62. 174. 840; & per Abyſſum ſignificatur infernum, ubi illi ſunt qui apud ſe confirmaverunt juſtificationem & ſalvationem per ſolam fidem, qui omnes ſunt ab Eccleſia Reformatorum, hic tamen qui in ſuis oculis & inde plurium aliorum apparent ſicut docti & eruditi, cum tamen coram Angelis in Cælo apparent ſicut orbati intellectu quoad illa quæ Cæli & Eccleſiæ ſunt, quoniam qui confirmant illam fidem uſque ad interiora ejus, claudunt ſuperiora intellectus ſui, & tandem ita, ut non amplius poſſint videre aliquod verum ſpirituale in luce; cauſa eſt, quia confirmatio falſi eſt negatio veri; quare dum audiunt aliquod verum ſpirituale, quod eſt verum Verbi inſerviens pro doctrina & vita illis qui ab Eccleſia ſunt, tenent mentem in falſis quæ confirmaverunt, & tunc verum auditum vel obvelant falſis, vel rejiciunt ſicut merum ſonum, vel ad illud oſcitant, & ſe avertunt, & hoc eo plus, quo in faſtu ex eruditione ſua ſunt, faſtus enim conglutinat falſa, ut tandem cohæreant ſicut ſpuma maris concreta: quare Verbum illis abſconditum eſt ſicut Liber ſeptem ſigillis obſignatum: quales porro ſunt, & quale illorum infernum, etiam dicetur, quia datum eſt illud videre, tum loqui cum illis qui ibi ſunt, & quoque videre Locuſtas, quæ inde exiverunt: „ Puteus ille, qui eſt ſicut apertura fornacis, apparet in Plaga „ meridionali, & Abyſſus infra eſt multæ extenſionis verſus orientem; eſt ini„ bi lux illis, ſed ſi illuc immittitur lux e Cælo, fiunt ibi tenebræ, quare pu„ teus ille clauſus eſt ſuperne: apparent ibi mapalia lacunata ſicut ex lateri„ bus, quæ diviſa ſunt in cellulas & cellulas, & in quavis eſt menſa, ſuper „ qua jacent chartæ cum aliquibus libris; ad ſuam ſedet quiſque qui in Mundo „ confirmaverat juſtificationem & ſalvationem per ſolam fidem, faciendo „ charitatem actum mere naturalem moralem, & opera ejus modo opera vitæ

„ civilis, ex quibus homines aucupare poſſunt præmia in mundo, ſed ſi face„ rent illa propter ſalutem, condemnant illa, & quidam graviter, quia hu„ mana ratio & voluntas eſt in illis: omnes qui in hac Abyſſo ſunt, fuerunt „ docti & eruditi in Mundo; & inter illos aliqui Methaphyſici & Scholaſtici, „ qui præ reliquis ibi æſtimantur; quando datum eſt loqui cum illis, cognovi „ aliquos. At vero ſors illorum hæc eſt; cum primum illuc immittuntur, ſe„ dent in primis cellulis, ſed ſicut confirmant fidem, excludendo opera cha„ ritatis, relinquunt primas ſedes, ac intrant cellulas propius ad orientem, „ ac ita ſucceſſive uſque verſus finem, ubi ſunt illi qui dogmatica illa confir„ mant ex Verbo, & quia tunc non poſſunt non falſificare Verbum, evaneſ„ cunt mapalia eorum, ac vident ſe in deſerto, & tunc fit illis ſicut ſupra n. „ 153, deſcriptum eſt. Eſt quoque Abyſſus infra illam Abyſſum, ubi ſunt „ illi qui ſimiliter confirmaverunt juſtificationem & ſalvationem per ſolam fi„ dem, ſed qui apud ſe in ſuo ſpiritu negaverunt Deum, & corde ſuo riſe„ runt ad ſancta Eccleſiæ; ibi ſolum rixantur, dilacerant veſtes, ſcandunt „ menſas, calcitrant, pugnant inter ſe vituperiis, & quia non licet ibi alicui „ malefacere quoad corpus, minantur ore & pugnis: eſt ibi immundum & „ ſqualidum: ſed de his non hic agitur.

422. *Et aperuit puteum abyſſi, & aſcendit fumus e puteo ſicut fumus fornacis magnæ, ſignificat falſa concupiſcentiarum naturalis hominis ſcaturientium ex malis amoribus illorum.* Per puteum abyſſi, ſignificatur infernum, de quo mox ſupra n. 421; per fumum inde ſignificantur falſa ex concupiſcentiis, & quia dicitur fumus ſicut fornacis magnæ, intelliguntur falſa concupiſcentiarum ſcaturientium ex malis amoribus, ignis enim ſignificat amorem, n. 468, & ignis inferni malum amorem, n. 490; ſimiliter fornax magna, quoniam hæc fumat ex igne: ſpiritus infernales non ſunt in aliquo igne materiali, ſed in igne ſpirituali, qui eſt illorum amor, quare illi non ſentiunt alium ignem, de quo videatur in Opere de CÆLO ET INFERNO Londini 1758 edito; n. 134. 566 ad 575. omnis amor in Mundo ſpirituali, quando excitatur, apparet e longinquo ſicut ignis, intra inferna ſicut ignis candens, & extra ſicut fumus incendii vel ſicut fumus fornacis. Falſa concupiſcentiarum ſcaturientium ex amoribus malis per fumum ex igne & ex fornace, deſcribuntur etiam alibi in Verbo, ut in his locis „ *Abraham proſpexit contra facies Sodomæ & Amoræ, & ecce aſcendit* FUMUS *terræ ſicut* FUMUS FORNACIS, Geneſ. XIX: 28. *Sol occidit, & caligo facta eſt, & ecce* FORNAX FUMI, *& fax ignis, quæ tranſivit inter ſegmenta*, Geneſ. XV: 17. *Addunt peccare, propterea erunt ſicut* FUMUS EX FUMARIO, Hoſch. XIII: 2. 3. *Impii peribunt, in* FUMO *conſumentur*, Pſalm. XXXVII: 20. *Dabo prodigia in Cælo & in Terra, ignem & columnas* FUMI, Joel III: 3. *Conjicient malos in* CAMINUM IGNIS, *ibi erit ploratus & ſtridor dentium*, Matth. XIII: 41. 42. 49. 51; & alibi.

423. *Et obſcuratus eſt ſol & aer e fumo putei, ſignificat quod inde lux veri facta ſit caligo.* Per ſolem & aerem ſignificatur hic lux veri, per ſolem enim ſignificatur amor, & per lucem inde Divinum Verum, quare cum dicitur quod ſol obſcuratus ſit & ſimul aer, ſignificatur quod Divinum Verum factum

ſit

sit caligo; quod id ex falsis concupiscentiarum, significatur per quod ex fumo putei.

424. *Et ex fumo exiverunt Locustæ in terram, significat quod ex illis falsa in extremis, qualia sunt illis qui sensuales facti sunt, & omnia vident & judicant ex sensibus & eorum fallaciis.* Falsa in extremis dicuntur, quæ sunt in extremis vitæ hominis, quæ vocantur sensualia, de quibus infra; hæc per Locustas in Verbo significantur; at sciendum est, quod non apparuerint sicut Locustæ in campis, quæ subsultant & devastant prata & sata, sed quod apparuerint sicut pygmei seu homunciones, quod etiam a descriptione illarum patet, ut quod haberent coronas super capitibus, facies sicut hominum, capillos sicut mulierum, dentes sicut leonum, thoraces ferreos, & super se regem Angelum abyssi: quod homunciones etiam ab Antiquis dicti fuerint Locustæ, concludi potest ex his „ *Exploratores terræ Canaanis dixerunt, vidimus Nephilim filios Enakim, &* FUIMUS IN OCULIS EORUM SICUT LOCUSTÆ, Num. XIII: 13. *Jehovah qui habitat super circulo terræ, &* HABITATORES EJUS SICUT LOCUSTÆ, Esaj. XL: 21. Sed quia falsa in extremis, qualia apud illos sunt, in Verbo significantur per locustas, ideo vocati sunt Locustæ, ut quoque coronati & imperantes, apud Nahum „ *Comedet te ignis, comedet te sicut bruchus; multiplica te sicut bruchus, multiplica te sicut* LOCUSTA, *coronati tui sicut* LOCUSTA, *& imperantes tui sicut* LOCUSTA LOCUSTARUM, III: 15. 16. 17. Quod falsa in extremis, quia consumunt vera & bona Ecclesiæ nascentia apud hominem, per locustas quæ consumunt gramina in campis & herbas in agris, significentur, constat ex his locis „ *Semen multum educes in agrum, sed consumet illud* LOCUSTA, Deutr. XXVIII: 38. *Residuum Erucæ comedet* LOCUSTA, *& residuum* LOCUSTÆ comedet Melolontha, *& residuum melolonthæ comedet Bruchus*, Joel I: 4. 5. *Compensabo vobis annos quos consumsit* LOCUSTA, *melolontha, bruchus & eruca*, Joel II: 24. 25. Simile significatur per Locustas in Ægypto, de quibus ita apud Mosen „ *Extendit Moses baculum super terram Ægypti, & ventus orientalis produxit* LOCUSTAM, *& ascendit* LOCUSTA *super omnem terram Ægypti; ante illam non fuit talis* LOCUSTA, *& comedit omnem herbam agri: & postea extendit Moses baculum, & conjecta est* LOCUSTA *in Mare Suph*, Exod: X: 10 seq. & apud Davidem, *Dedit brucho proventum eorum, & laborem eorum Locustæ*, Psalm. CV: 34. 35; per Miracula in Ægypto describitur Ecclesiæ vastatio, & per hoc miraculum vastatio per falsa in extremis, & extrema vitæ hominis, quando clausa sunt interiora a quibus pendeant, sunt infernalia, quare Locustæ conjectæ sunt in mare Suph, per quod significatur Infernum.

Quoniam pauci hodie sciunt, quid intelligitur per Sensuale, & qualis est Sensualis homo, ac Locustæ significant illum, ideo adducentur ex ARCANIS NOSTRIS CÆLESTIBUS de illo sequentia „ Quod Sensuale sit ultimum vitæ men„ tis hominis, adhærens & cohærens quinque sensibus corporis ejus, n. 5077 „ 5767. 9121. 9216. 9331. 9730. Quod is Sensualis homo dicatur, qui „ omnia judicat ex sensibus corporis, & qui nihil credit nisi quod oculis vide„ re & manibus tangere potest, hæc dicens esse aliquid, reliqua rejiciens. „ n. 5094. 7693. Quod interiora mentis ejus, quæ vident ex luce cæli, „ clau-

„ clausa sint, ut ibi nihil veri, quod cæli & Ecclesiæ est, videat, n. 6564.
„ 6844. 6845. Quod talis homo cogitet in extremis, & non interius ex ali-
„ qua luce spirituali, n. 5089. 5094. 6564. 7693. Verbo, quod in crasso
„ lumine naturali sint, n. 6201. 6310. 6564. 6844. 6845. 6612. 6614.
„ 6622. 6624. Quod inde interius sint contra illa quæ Cæli & Ecclesiæ sunt,
„ sed quod exterius possint loqui pro illis, ardenter secundum dominationem
„ per illa, n. 6201. 6316. 6844. 6845. 6948. 6949. Quod docti & eruditi,
„ qui se confirmaverunt profunde in falsis, & plus qui contra vera Verbi,
„ præ cæteris sensuales sint, n. 6316. Quod sensuales homines ratiocinentur
„ acriter & solerter, quia cogitatio illorum est tam prope loquelam ut
„ pæne in illa, & sicut in labiis, & quia in loquela ex sola memoria ponunt
„ omnem intelligentiam: tum quod quidam ex illis dextre possint confirmare
„ falsa, & quod post confirmationem credant quod vera sint, n. 195. 196.
„ 5700. 10236. Sed quod ex fallaciis sensuum ratiocinentur & confirment,
„ a quibus captatur & persuadetur vulgus, n. 5084. 6948. 6949. 7693.
„ Quod sensuales homines astuti sint & malitiosi præ reliquis, n. 7693.
„ 10236. Quod avari, adulteri, voluptuosi & dolosi, imprimis sensuales sint,
„ tametsi coram mundo non tales apparent, n. 6310. Quod interiora men-
„ tis eorum sint fœda & spurca, n. 6201. Quod per illa communicent cum
„ infernis, n. 6311. Quod illi, qui in infernis sunt, sensuales sint, & eo
„ plus quo profundius, n. 4623. 6311. Quod sphæra spirituum infernalium
„ se conjungat cum sensuali hominis a tergo, n. 6312. Quod illi qui ratio-
„ cinati sunt ex solis sensualibus, & inde contra genuina vera Ecclesiæ, ab
„ antiquis dicti fuerint serpentes arboris scientiæ, n. 195. 196. 197. 6398.
6399. „ 6349. 10313. Porro, sensuale hominis & sensualis homo describitur, n.
„ 10236: & extensio sensualium apud hominem, 9731. Quod sensualia ulti-
„ mo loco esse debeant & non primo, & quod apud hominem sapientem &
„ intelligentem ultimo loco sint, & subjecta interioribus, at quod apud homi-
„ nem insipientem primo loco sint, & dominantia; hi sunt qui proprie dicun-
„ tur sensuales, n. 5077. 5125. 5128. 7645. Si sensualia ultimo loco sunt,
„ quod per illa aperiatur via ad intellectum, ac elimentur vera per modum
„ extractionis, n. 5580. Quod sensualia illa proxime exstent mundo, & ad-
„ mittant quæ e mundo alluunt, & quasi cribrent illa, n. 9726. Quod homo
„ per sensualia illa communicet cum mundo, & per rationalia cum Cælo, n.
„ 4009. Quod sensualia subministrent illa, quæ inserviunt interioribus men-
„ tis, n. 5077. 5081. Quod sint sensualia subministrantia parti intellectuali
„ & subministrantia parti voluntariæ, n. 5077. Quod nisi cogitatio a sen-
„ sualibus elevatur, homo parum sapiat, n. 5089. Quod sapiens homo su-
„ pra sensualia cogitet, n. 5089. 5094. Quod homo, cum cogitatio ejus
„ supra sensualia elevatur, in lumen clarius veniat, & tandem in lucem cæ-
„ lestem, n. 6183. 6313. 6315. 9407. 9730. 9922. Quod elevatio supra
„ sensualia, & abductio ab illis, antiquis nota fuerit, n. 6313. Quod homo
„ spiritu suo animadvertere possit quæ in Mundo spirituali fiunt, si abduci
„ possit a sensualibus, & elevari in lucem Cæli a Domino, n. 4622; causa
„ est,

„ eſt, quia corpus non cogitat, ſed ſpiritus hominis in corpore, & quantum „ in corpore, tantum obſcure & in tenebris, & quantum non in corpore, „ tantum clare & in luce; ſed in ſpiritualibus, n. 4622. 6614. 6622. Quod „ ultimum intellectus ſit ſcientificum ſenſuale, ac ultimum voluntatis ſit jucundum ſenſuale, n. 9996. Quæ differentia inter ſenſualia communia cum „ beſtiis, & inter ſenſualia non communia cum illis, n. 10236. Quod ſint „ ſenſuales non mali, quia interiora illorum non ita clauſa ſunt, de quorum „ ſtatu in altera vita, n. 6311.

425. *Et data illis poteſtas, ſicut habent poteſtatem ſcorpii terræ, ſignificat potentiam perſuadendi quod falſa illorum ſint vera.* Per ſcorpium ſignificatur lethale perſuaſivum, & per ſcorpium terræ perſuaſivum in rebus Eccleſiæ, nam terra ſignificat Eccleſiam, n. 285; ſcorpius enim, cum pungit hominem, inducit membris ſtuporem, & ſi non ſanatur, lethum; ſimile inducit illorum perſuaſivum intellectui: tale etiam per ſcorpium ſignificatur in his „ *Ne timeto tibi ab illis & verbis illorum, ſunt ſpinoſi, inter* Scorpios *tu habitas, ſunt duri faciebus & obfirmati corde*, Ezech. II: 4. 6. *Jeſus dixit ad ſeptuaginta quos emiſit, ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes &* Scorpios, *& ſuper omnem poteſtatem inimici, ut nihil tamen vobis quicquam noceat*, Luc. X: 19.

426. *Et dictum illis ne læderent gramen terræ, neque ullum viride, neque ullam arborem, niſi homines ſolos, quicunque non haberent ſigillum Dei in frontibus ſuis, ſignificat Divinam Domini Providentiam, quod non poſſint auferre aliquod verum & bonum fidei, nec affectionem & perceptionem illorum, aliis quam qui non in charitate & inde non in fide ſunt.* Per dictum illis, ſignificatur Divina Domini Providentia, quia dictum eſt e Cælo; per non lædere gramen terræ, neque ullum viride, ſignificatur non poſſe auferre aliquod verum & bonum fidei, per gramen enim ſignificatur verum fidei quod primum naſcitur apud hominem, n. 401, & per viride ſignificatur vivum fidei, quod eſt ex bono, n. 401; per non lædere ullam arborem, ſignificatur non poſſe auferre affectionem & perceptionem veri & boni, per arborem enim ſignificatur homo quoad illas, n. 400; per illos qui non habent ſigillum Dei in frontibus ſuis, ſignificantur qui non in charitate & inde fide ſunt, frons enim ſignificat amorem & charitatem, n. 347, & habere ſigillum, ſignificat illos noſſe & diſtinguere ab aliis, n. 345. Quod illi qui confirmaverunt ſolam fidem uſque in arcana juſtificationis & ſalvationis per illam, non poſſint auferre aliquod verum & bonum fidei, nec affectionem & perceptionem, aliis quam qui non in fide charitatis ſint, eſt cauſa, quia vix ullus præter Antiſtitem qui docet & prædicat, comprehendit illa; Laicus audit, ſed involant per unam ejus aurem & evolant per alteram, quod ipſe Sacerdos Arcaniſta pro certo ſcire poteſt ex eo, quod ipſe impenderit omnem ingenii vim ad hauriendum illa in ſua adoleſcentia, & poſtea ad retinendum illa in ſequente ætate, tum quod ſe ex illis prædoctum æſtimet; quid tunc Laicus qui ſimpliciter cogitat de fide ex charitate, cum myſtica illa audit: ex his videri poteſt, quod fides ſola juſtificans ſit fides Clericorum, & non Laicorum, niſi illorum qui ſecure vivunt; hi ex Arcanis illorum ſolum hæc hauriunt, quod ſola fides ſalvet, quod non poſſint facere bonum a ſe, quod nec

nec poſſint implere legem, quod Chriſtus paſſus ſit pro illo; præter univerſalia illis ſimilia pauca.

427. *Et datum illis ut non occiderent illos, ſed ut cruciarent menſes quinque, ſignificat quod ex Divina Domini Providentia ſit, quod non poſſint illis qui non in fide charitatis ſunt, auferre facultatem intelligendi & volendi verum & bonum, ſed modo quod poſſint ad breve tempus inducere ſtuporem.* Per datum illis, ſignificatur quod ex Divina Domini Providentia ſit, ut mox ſupra; non poſſe occidere illos, ſignificat non poſſe auferre illis, qui non in fide charitatis ſunt, facultatem intelligendi & volendi verum & bonum, hac enim facultate ablata homo ſpiritualiter occiſus eſt; per cruciare menſes quinque, *ſignificatur ſtuporem ad breve tempus inducere*, quinque ſignificant aliquid parum ſeu ad breve tempus, & cruciare ſignificat ſtuporem inducere, quia hoc per ſcorpium ſignificatur, n. 425, & per cruciatum ſicut ſcorpii, ut ſequitur n. 428: quod homini non poſſit auferri facultas intelligendi verum & volendi illud, ſeu rationalitas & libertas, multis oſtenſum eſt in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 73. 74. 82 ad 86 92 ad 98. 138 ad 149. 322. Quod Menſes quinque ſignificent aliquid parum & ad breve tempus, eſt quia id per quinque ſignificatur; tempora enim, ſive ſint horæ, dies, ſeptimanæ, ſive menſes, anni, non ſignificant tempus, ſed ſtatum, ac numeri determinant quale ejus, n. 4. 10. 348. 947. Quod Quinque ſignificent aliquid, & quoque parum, conſtare poteſt ex his locis „ *Mille coram increpatione* QUINQUE *fugient*, Eſaj. XXX: 17. QUINQUE *perſequentur centum*, Levit. XXVI: 8. *Jeſus dixit, quod Regnum cælorum ſimile ſit decem virginibus, quarum* QUINQUE *erant prudentes &* QUINQUE *ſtultæ*, Matth. XXV: 1. 2; per decem virgines ſignificantur omnes in Eccleſia, per quinque ſignificantur quædam pars aut aliqui. Similia ſignificantur per decem & per quinque in Parabola, *Quod datæ ſint ſervis minæ ut negotiarentur, & quod unus ex mina acquiſiverit decem minas, & alter* QUINQUE, Luc. XIX: 13 ad 20, decem minæ ſignificant multum, & quinque minæ parum; præter alibi, ut Eſaj. XVII: 6. Cap. XIX: 18. 19. Matth. XIV: 15 ad 22.

428. *Et cruciatus illarum ſicut cruciatus ſcorpii cum percutit hominem, ſignificat quod hoc ſit ex perſuaſivo illorum.* Hoc ſequitur ex nunc 427 dictis; per cruciatum enim ſignificatur ſtupor, quem perſuaſivum eorum inducit intellectui, ſicut ſcorpius corpori cum pungit; ſcorpius ſignificat perſuaſivum illud, n. 425. In Mundo ſpirituali datur perſuaſivum, quod aufert intellectum veri, & inducit ſtuporem & ſic dolorem animo, ſed hoc perſuaſivum in Mundo naturali ignotum eſt.

429. *Et in diebus illis quærent homines mortem, & non invenient illam, & cupient mori & mors fugiet illos, ſignificat quod illi, qui in doctrina fidei ſeparatæ ſunt, velint ut in rebus fidei intellectus occluſus ſit, & voluntas obturata, & ſic quod illis non ſit aliqua lux & vita ſpiritualis; ſed quod uſque proviſum ſit a Domino, quod intellectus non occludatur, nec voluntas obturetur, ne lux & vita ſpiritualis apud hominem exſtinguatur.* In diebus illis, ſignificat ultimum ſtatum Eccleſiæ, quando doctrina de ſola fide univerſaliter recepta eſt; quærent homines mortem, ſigni-

gnificat quod velint ut intellectus in rebus fidei occlusus sit; & non invenient illam, significat quod provisum sit a Domino, quod non fiat; & cupient mori, significat quod velint ut etiam voluntas in illis obturata sit; & mors fugiet illos, significat quod provisum sit quod nec id fiat; sic enim exstingueretur lux & vita spiritualis, & homo spiritualiter moreretur; quærere prædicatur de intellectu, & cupere de voluntate, ac mors de utroque. Quod hæc per illa verba significentur, patet; quid alioquin foret, quod homines in diebus illis quærent mortem & non invenient illam, ac cupient mori & mors fugiet illos; per mortem enim non alia mors intelligitur quam mors spiritualis, quæ inducitur cum removetur intellectus a credendis, sic enim homo nescit num cogitet & faciat verum aut falsum, ita num cum angelis cæli vel num cum diabolis inferni.

v. 7. 430. *Et similitudines locustarum, significat apparentias & imagines illorum qui fidem separatam a charitate apud se confirmaverunt.* Per similitudines significantur apparentiæ illorum in imagine repræsentativa; per locustas significantur falsa in extremis, n. 424; & quia falsa unum faciunt cum illis qui in falsis sunt, etiam ipsi per locustas significantur: quod illi qui apud se confirmaverunt solam fidem, seu falsa illorum, per Locustas intelligantur, patuit mihi clare ex eo, quod Presbyteri, qui in fide illa erant, Locustas visas amplexi sint & osculati, ac in domos suas introducere vellent; imagines enim, quæ sunt formæ repræsentativæ affectionum & cogitationum angelorum & spirituum in mundo spirituali, apparent sicut vivæ, similiter ut animalia, volucres & pisces, de quibus prius.

431. *Similes equis paratis ad bellum, significat quod, quia ratiocinari possunt, apparerent sibi sicut pugnantes ex intellectu veri ex Verbo.* Per equum significatur intellectus Verbi, n. 298; per bellum significatur bellum spirituale, quod fit per ratiocinationes & argumentationes, n. 500. 586; per similes seu similitudines significantur apparentiæ, ut mox supra n. 430.

432. *Et super capitibus illarum sicut coronæ similes auro, significat quod apparerent sibi sicut victores.* Per coronas super capitibus similes auro, significantur insignia victoriæ, quia Reges olim in præliis gestaverunt coronas aureas, n. 300. nam dictum est quod visi sint similes equis, hoc est, super equis parati ad bellum, n. 431, erant enim illis facies hominum, ut sequitur; & illi in tali persuasione sunt, quod non vinci possent.

433. *Et facies illarum sicut facies hominum, significat quod apparerent sibi sicut sapientes.* Per hominem in Verbo significatur sapiens & intelligens, n. 243, & per faciem ejus sapientia & intelligentia, inde est, quod per facies illarum sicut facies hominum, significetur quod apparerent sibi sicut sapientes; vocantur quoque sapientes, docti & eruditi, tametsi sunt, *inter virgines stultas, quæ non habebant oleum in lampadibus*, Matth. XXV: 1. 2; oleum significat amorem & charitatem; & *inter stultos, qui audiunt* Dominum, hoc est, legunt Verbum, *& non faciunt illud*, Matth. VII: 26. [3]

v. 8. 434. *Et habebant capillos sicut capillos mulierum, significat quod apparerent sibi in affectione veri.* In Verbo per Virum significatur intellectus veri, & per

Mulierem affectio veri, quia vir naſcitur intellectus, & mulier affectio, de quo, in SAPIENTIA ANGELICA DE CONJUGIO; per Capillos in Verbo ſignificatur ultimum vitæ hominis, quod eſt ſenſuale, de quo n. 424; hoc eſt quod illis apparet ſicut in affectione veri, cum tamen ſunt in affectione falſi, hoc enim credunt eſſe verum. Quod Mulier ſignificet affectionem veri, conſtare poteſt a multis locis in Verbo, inde eſt quod Eccleſia dicatur Uxor, Mulier, Filia, Virgo, & Eccleſia eſt Eccleſia ex amore ſeu affectione veri, ex hac enim fit intellectus veri. Eccleſia vocatur Mulier in his locis „ DUÆ MULIERES *unius Matris, quæ ſcortatæ ſunt in Ægypto, Ohola quæ Samaria, & Oholiba quæ Hieroſolyma*, Ezech. XXIII: 2. 3. 4. *Quaſi* MULIEREM *deſertam & afflictam ſpiritu vocavit te Jehovah*, & MULIEREM JUVENTUTIS, Eſaj. LIV: 6. 7. *Creabit Jehovah novum in terra*, MULIER *circumdabit virum*, Jerem. XXXI: 21. 22. Per MULIEREM *circumdatam ſole, quam Draco perſequutus eſt*, Apoc. XII, ſignificatur Nova Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma. Per Mulieres ſignificantur affectiones veri, ex quibus Eccleſia eſt Eccleſia, pluribus in locis, ut in his „ MULIERES *populi mei expellitis e domo delitiarum ejus*, Mich. II: 8. *Plangent familiæ domuum ſeorſim*, & MULIERES *ſeorſim*, Sach. XII: 11. 12. 13. *Mulieres ſecuræ conſiſtite, audite ſermonem meum*, Eſaj. XXXII: 9. *Quare facitis malum ad exſcindendum vobis* VIRUM ET MULIEREM, Jerem. XLV: 17. *Diſpergam* VIRUM ET MULIEREM, Jerem. LI: 22, per Virum & Mulierem, hic & alibi in ſenſu ſpirituali ſignificatur intellectus veri & affectio veri.

435. *Et dentes illarum ſicut leonum erant, ſignificat quod ſenſualia, quæ ſunt ultima vitæ naturalis hominis, apparerent illis in potentia ſuper omnia.* Dentes ſignificant ultima vitæ naturalis hominis, quæ vocantur ſenſualia, de quibus ſupra, n. 424; ſunt duo genera ſenſualium, unum quod eſt voluntatis, alterum quod eſt intellectus, ſenſualia voluntatis ſignificantur per capillos mulierum, de quibus mox ſupra n. 434, & ſenſualia intellectus ſignificantur per dentes; hæc ſenſualia, hoc eſt, ſenſuales qui in falſis ex confirmatione ſunt, apparent ſibi in potentia ſuper omnia, ut non poſſint vinci; quare dentes locuſtarum, per quas ſignificantur talia ſenſualia, erant ſicut leonum, per leonem ſignificatur potentia, n. 241. Quod dentes ſignificent ultima vitæ hominis, quæ vocantur ſenſualia, quæ, dum ab interioribus mentis ſeparata ſunt, in meris falſis ſunt, ac violentiam inferunt veris ac deſtruunt illa, conſtare poteſt ex ſequentibus his locis „ *Anima mea in medio* LEONUM *cubo*, DENTES *eorum haſta & tela*, Pſalm. LVII: 5. *Deus deſtrue* DENTES *in ore eorum*, MOLARES LEONUM JUVENUM *averte*, Pſalm. LVIII: 7. *Gens aſcendit ſuper terram meam, rubuſta*, DENTES EJUS DENTES LEONIS, & MOLARES EJUS LEONIS *illi*, Joel I: 6. 7. *Jehovah* DENTES *impiorum confringis*, Pſalm. III: 8. *Aſcendit beſtia e mari terribilis, formidabilis & robuſta valde, cui* DENTES *ferri magni, comedit & contrivit*, Dan. VII: 7. *Benedictus Jehovah, Qui non tradidit nos rapinam* DENTIBUS *illorum*, Pſalm. CXXIV: 6. Quoniam ſenſuales homines non vident aliquod verum in ſua luce, ſed ratiocinantur & altercantur de omni re num ita ſit, & hæ altercationes in infernis audiuntur extra illa ſicut ſtridores dentium, qui in ſe ſpectati ſunt colliſiones falſi & veri, patet quid ſignificatur per

per STRIDOREM DENTIUM, Matth. VIII: 12. Cap. XIII: 42. 50. Cap. XXII: 13. Cap. XXIV: 51. Cap. XXV: 30. Luc. XIII: 28; & quodammodo quid per STRIDERE DENTIBUS, Psalm. XVI: 9. Psalm. XXXV: 15. 16. Psalm. XXXVII: 12. Psalm. CXII: 10. Mich. III: 5. Thren. II: 16.

436. *Et habebant thoraces sicut thoraces ferreos, significat argumentationes ex fallaciis, per quas pugnant & valent, quæ apparerent illis tam validæ ut refelli non possent.* Per thoraces significantur tutationes, quia tutantur pectus; hic tutationes falsorum, quæ fiunt per argumentationes ex fallaciis, per quas falsum principium defenditur; ex falso enim principio non possunt nisi quam falsa profluere, si vera afferuntur, illa non spectantur nisi extrorsum seu superficietenus, ita quoque sensualiter, & sic falsificantur, & fiunt apud illos fallaciæ. Quod Thoraces significent talia, est quia bella in Verbo significant bella spiritualia, & inde arma belli significant varia quæ illius belli sunt, ut apud Jeremiam, *Alligate equos, & ascendite equites, & sistite vos in* GALEIS, *expolite* LANCEAS, *induite* LORICAM, XLVI: 4 apud Esajam, *Induit justitiam sicut* LORICAM, & GALEAM *salutis super caput suum*, LIX: 17. Apud Davidem „ *Sub alis Ipsius confides*, CLYPEUS & PARMA *veritas Ipsius*, Psalm. XCI: 4; præter alibi, ut Ezech. XXIII: 24. Cap. XXXVIII: 4. Cap. XXXIX: 9. Nah. II: 4. Psalm. V: 13. Psalm. XXXV: 2. 3. Quod thoraces essent sicut ferrei, significat quod argumentationes apparerent illis tam validæ, ut non refelli possent, ferrum enim ex duritie significat validum.

437. *Et vox alarum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, significat ratiocinia illorum sicut ex veris doctrinæ e Verbo plene intellectis, pro quibus ardenter pugnandum est.* Vox alarum significat ratiocinia, quia volare significat percipere & instruere, n. 245. 415; currus significant doctrinalia, de quibus sequitur; equi significant intellectum Verbi, n. 298, & equi multi plenarium; quod currere in bellum, significet ardorem pugnandi, patet. Quod Currus significet doctrinam, constat ex his locis „ CURRUS DEI *sunt binæ myriades, milleni pacificorum*, *Dominus in illis*, Psalm. LXVIII. 18. *Jehovah ponit nubes* CURRUS SUOS, *ambulat super alis venti*, Psalm. CIV: 2. 3. *Jehovah equitas super equis tuis*, CURRUS TUI salus, Habak. III: 8. *Ecce Jehovah in igne veniet, & sicut procella* CURRUS IPSIUS, Esaj. LXVI: 15. *Satiabimini super mensa mea Equo &* CURRU; *sic dabo gloriam meam inter gentes*, Ezech. XXXIX: 20. *Exscindam Equum ex Ephraimo, &* CURRUM *ex Hierosolyma*, Sach. IX: 10. *Evertam Thronum regnorum, evertam* CURRUM, *& equitantes in eo*, Hagg. II: 22. *Constitue speculatorem, qui spectet, nuntiet, vidit ergo* CURRUM, *par equitum*, CURRUM *Cameli, &* CURRUM *viri, & dixit, cecidit, cecidit Babel*, Esaj. XXI: 6. 7. 8. 9 Quoniam Elias & Elisæus repræsentabant Dominum quoad Verbum, & inde significabant Doctrinam e Verbo, sicut omnes Prophetæ, n. 8, ideo vocati sunt CURRUS ISRAELIS ET EQUITES EJUS; & ideo *Elias visus est in Cœlum auferri in* CURRU IGNIS, & *circum Elisæum a puero ejus visi sunt* CURRUS ET EQUI IGNEI, II Reg. II: 11. 12. Cap. VI: 17. Cap. XIII: 14; præter alibi, ubi Currus, ut Esaj. XXXI: 1. Cap. XXXVII: 24. Cap. LXVI: 20. Jerem. XVII: 25. Cap. XXII: 4. Cap. XLVI: 2. 3.

 8. 9.

8. 9. Cap. L: 37. 38. Cap. LI: 20. 21. Ezech. XXVI: 7. 8. 10. 11. Dan. XI: 40. Nah. III: 1. 2. 3. Joel III: 1. 2. 3.

438. *Et habebant caudas ſimiles ſcorpiis, ſignificat vera Verbi falſificata per quæ inducunt ſtuporem.* Per Caudam ſignificatur ultimum Capitis, quia Cerebrum per ſpinam dorſi continuatur in caudam, quare Caput & Cauda unum faciunt ſicut Primum & Ultimum; dum itaque per Caput ſignificatur ſola fides juſtificans & ſalvans, per Caudam ſignificantur omnes ejus confirmationes in ſumma, quæ ſunt ex Verbo, ita vera Verbi falſificata: omnis qui ex propria intelligentia ſumit principium Religionis, & ponit id in Caput, ille ex Verbo ſumit confirmantia, & ponit hæc in caudam, ſic inducit aliis ſtuporem, & ſic lædit; quare dicitur, quod *haberent caudas ſimiles ſcorpiis*, & mox, *quod aculei eſſent in caudis illarum, & poteſtas illarum lædere homines*; per ſcorpium enim ſignificatur perſuaſivum inducens intellectui ſtuporem, n. 425. Quod Cauda ſit continuatio Cerebri per ſpinam dorſi ad ultimum ſuum, quære Anatomicum, & docebit; aut ſpecta Canem vel aliam feram cui eſt cauda, ac ei fave & adblandire, & videbis criſtam dorſi molleſcere, & caudam correſpondenter moveri, & viciſſim quod erigatur criſta, ſi exacerbas. Primum intellectus, quod pro principio ſumitur, ſignificatur per Caput, ac ultimum ejus per Caudam, etiam in his locis „ *Exſcindet ex Iſraele* CAPUT ET CAUDAM, *Senex & Honoratus* CAPUT, *Propheta autem doctor mendacii* CAUDA, Eſaj. IX: 13. 14. *Non erit Ægypto opus, quod faciat* CAPUT ET CAUDAM, Eſaj. XIX: 13. *Per draconis* SEPTEM CAPITA, *& per* CAUDAM, *qua detraxit tertiam partem ſtellarum Cœli, & projecit in terram*, Apoc. XII: 3. tum etiam, per CAUDAS *ſimiles ſerpentibus, habentes capita, quibus lædunt*, Verſ. 19, hujus Capitis, nec aliud ſignificatur. Quoniam per Caudam ſignificatur ultimum, & ultimum eſt complexus omnium, ideo dixit Jehovah ad Moſen „ *Prehende* CAUDAM *ſerpentis, & prehendit, & factus eſt in baculum*, Exod. IV: 3. 4: ac ideo mandatum eſt „ *Quod* CAUDAM *integram juxta ſpinam dorſi removerent, & illam cum adipibus, qui ſuper extis, renibus, inteſtinis & jecore, ſacrificarent*, Levit. III: 9. 10. 11. Cap. VIII: 25. Cap. IX: 19. Exod. XXIX: 22; quod ultimum ſit continens & complexus omnium priorum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 38. 65: & in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINO SAPIENTIA n. 209 ad 216. n. 217. ad 222.

439. *Et aculei erant in caudis illarum, & poteſtas illarum lædere homines menſibus quinque, ſignificat aſtutas falſificationes Verbi, per quas ad breve tempus obtenebrant & faſcinant intellectum, & ſic fallunt & captant.* Per aculeos in caudis ſignificantur aſtutæ falſificationes Verbi, per aculeos aſtutiæ, & per caudas, vera Verbi falſificata, n. 438; per poteſtatem lædendi, ſignificatur quod per illas poſſint inducere ſtuporem, hoc eſt, obtenebrare & faſcinare intellectum, & ſic fallere & captare, caudæ enim erant ſimiles ſcorpiis, & per ſcorpios talia ſignificantur, n. 425; per menſes quinque ſignificatur ad breve tempus, ut ſupra n. 427; hoc ſit cum aliqua ex Verbo depromunt & applicant: Verbum enim per correſpondentias conſcriptum eſt, & correſpondentiæ ſunt quoad

quoad partem apparentiæ veri, & hæ intus in ſe recondunt genuina vera: ſi hæc in Eccleſia non ſciuntur, poſſunt e Verbo plura deſumi, quæ primum apparent ſicut concordantia cum hæreſi; at dum in Eccleſia ſciuntur genuina vera, tunc apparentiæ veri nudantur, & genuina vera in conſpectum veniunt: ſed antequam hoc fit, poteſt Hæreticus per varia e Verbo obvelare & faſcinare intellectum, & ſic fallere & captare. Quod ita fiat ab illis, qui aſſerunt remitti homini peccata, quod eſt juſtificari, per actum fidei, de quo nemo aliquid ſcit, & hoc in momento, & ſi non prius, in ultima mortis hora, per exempla illuſtrari poteſt; ſed hoc non hujus loci eſt. Per Aculeos ſignificantur falſa ex malo lædentia, etiam apud Amos „ *Ecce dies venient ſuper vos, quibus extrahent vos* ACULEIS, IV: 2: & apud Moſen „ *Quod exſtirparent habitatores terræ, ne forent in ſpinas oculis, & in* ACULEOS *lateribus*, Num. XXXIII: 55: ſpinæ, ſentes, tribuli & cardui, ſignificant etiam falſa mali ex aculeis illorum.

440. *Et habebant ſuper ſe regem angelum abyſſi, nomen ei hebraice Abaddon, & in græca nomen habet Apollyon, ſignificat quod in Inferno Satanico ſint, qui in falſis ex concupiſcentiis ſunt, & per totalem falſificationem Verbi perdiderunt Eccleſiam.* Per regem Angelum abyſſi, non ſignificatur aliquis angelus rex ibi, ſed falſum ibi regnans; per regem enim in genuino ſenſu ſignificatur qui in veris ex affectione boni eſt, & abſtracte ipſum illud verum, n. 20, & inde in oppoſito ſenſu per regem ſignificatur qui in falſis ex concupiſcentia mali eſt, & abſtracte ipſum illud falſum; per abyſſum ſignificatur infernum ſatanicum, ubi illi, n. 387. 428; per nomen ſignificatur quale ſtatus, n. 81. 122. 165. Abaddon in Lingua hebræa eſt Perdens & Perditor, ſimile Apollyon in Lingua græca, & hoc eſt falſum in extremis, quod per totalem falſificationem Verbi perdiderat Eccleſiam. Per ABADDON in textu Hebræo ſignificatur Perditio in his locis „ *Veritas tua in* PERDITIONE, Pſalm. LXXXVIII: 12. *Nudum Infernum coram illo, & non operimentum* PERDITIONI, Hiob XXVI: 6. *Num ignis uſque ad* PERDITIONEM *devorabit*, Hiob XXXI: 12. PERDITIO *& mors dicunt*, Hiob XXVIII: 12. Alioquin vocatur Infernum & Diabolus PERDITIO & PERDITOR, Eſaj. LIV: 16. Ezech. V: 16. Cap. IX: 1. Exod. XII: 13, ſed alia voce.

441. *Et væ unum præteriit, ecce veniunt adhuc duo væ poſthæc, ſignificat ulteriores lamentationes ſuper devaſtatione Eccleſiæ.* Quod Væ ſignificet lamentationem ſuper calamitate, infelicitate & damnatione, videatur n. 416; hic itaque per duo Væ poſthæc, ſignificantur ulteriores lamentationes ſuper ſtatu Eccleſiæ.

442. *Et ſextus Angelus clanxit, ſignificat explorationem & manifeſtationem ſtatus vitæ apud illos in Eccleſia Reformatorum, qui non ita ſapientes ſunt, & uſque omne religionis ponunt in fide, & illam ſolam cogitant, & nihil præter illam, & cultum ſolennem, & ſic ad lubitum vivunt.* Quod de his uſque ad finem Capitis agatur, ab explicatione ſequentium patebit. Quod clangere ſignificet explorare & manifeſtare ſtatum Eccleſiæ & inde vitæ, quibus Religio eſt ſola fides, videatur ſupra n. 397.

„ Hi, de quibus nunc agitur, prorsus distincti sunt ab illis, de quibus huc „ usque in hoc Capite actum est, & quorum falsa fidei in formis locustarum „ visa sunt; distincti sunt in eo, quod illi de quibus actum est, incumbant stu- „ dio explorandi arcana justificationis per fidem, & quoque tradendi signa „ ejus, tum etiam testimonia ejus, quæ illis sunt bona vitæ moralis & civilis, „ stabiliendo quod præcepta Verbi in se quidem Divina sint, sed quod apud „ hominem, quia ab ejus voluntate procedent, fiant naturalia, qui cum spi- „ ritualibus fidei non conjunctionem habent; & quia hæc per rationalia, quæ „ sapiunt ex eruditione, confirmant, in plaga meridionali in abysso degunt, „ secundum descriptionem supra n. 421. At vero illi de quibus in nunc se- „ quentibus ad finem Capitis agitur, non student arcanis illis, sed modo nu- „ dam fidem faciunt omne religionis, & nihil præter illam & solennem cul- „ tum, & sic ad lubitum vivunt: hos datum etiam est videre, & cum illis lo- „ qui; degunt in plaga septentrionali in casis structis ex juncis & calamis calce „ incrustatis, in quibus humus est solum; casæ illæ sparsæ sunt; ingeniosiores, „ qui ex naturali lumine per ratiocinia sciunt constabilire illam fidem, & con- „ firmare quod illa nihil commune habeat cum vita, habitant anterius, simpli- „ ciores post illos, & stupidiores versus occidentem illius plagæ; est illorum „ tanta multitudo, ut non credi possit. Erudiuntur a spiritibus angelicis, sed „ qui non recipiunt vera fidei, & secundum illa vivunt, demittuntur in in- „ fernum, quod sub illis est, & incarcerantur.

443. *Et audivi vocem unam ex quatuor cornubus Altaris aurei quod coram Deo, dicentem sexto Angelo qui habebat tubam, significat mandatum a Domino e Cœlo spirituali ad illos qui explorarent & manifestarent.* Per vocem unam, significatur Divinum mandatum; per Altare aureum, seu Altare super quo fiebant suffitus, significatur Cælum spirituale, n. 277. 392; per quatuor cornua illius Altaris, significatur potentia ejus, n. 270, hic potentia solvendi quatuor angelos vinctos ad flumen Euphratem, ut sequitur; per sextum Angelum qui habebat tubam, significatur ad illos, quibus munus explorandi & manifestandi illa injunctum fuit, n. 442.

444. *Solve quatuor Angelos vinctos ad flumen magnum Euphratem, significat ut vincula externa auferantur illis, ut appareant interiora mentis illorum.* Quod hæc per illa verba significentur, nemo potest scire, & vix suspicari, nisi sciat quid per flumen magnum Euphratem, & quid per quatuor angelos ibi vinctos, intelligitur; per Euphratem in Verbo significantur Interiora mentis hominis, quæ vocantur Rationalia, quæ apud illos qui in veris ex bono sunt, plena sapientia sunt, at apud illos qui in falsis ex malo, plena insania sunt; hæc per Euphratem fluvium in Verbo significantur, causa est, quia fluvius ille terminabat Terram Canaanem ab Assyria, & per Terram Canaanem significabatur Ecclesia, & per Assyriam Rationale ejus, & inde per flumen terminans, significantur Interiora mentis quæ vocantur Rationalia in utroque sensu; sunt enim tria quæ faciunt hominem Ecclesiæ, Spirituale, Rationale seu Intellectuale, ac Naturale, quod etiam est scientificum; Spirituale Ecclesiæ significabatur per Terram Canaanem ac per fluvios in illa, Rationale seu Intellectuale Eccle-

siæ

ſiæ per Aſchurem ſeu Aſſyriam & per ejus flumen Euphratem, ac Naturale Eccleſiæ quod etiam eſt ſcientificum, per Ægyptum & ejus flumen Nilum, ſed de his videantur plura infra n. 503; per quatuor Angelos ad flumen Euphratem vinctos, ſignificantur interiora illa apud homines Eccleſiæ, quæ vincta dicuntur quia non propalantur; ſunt enim ſpiritus infernales, qui per quatuor hos angelos intelliguntur, quia de illis dicitur, quod parati eſſent ad occidendum tertiam partem hominum, ut mox ſequitur n. 446, ac interiora hominum cum ſpiritibus, vel infernalibus vel cæleſtibus, unum faciunt, quoniam cohabitant; per ſolvere illos, ſignificatur auferre vincula externa ut appareant interiora mentis eorum: hæc ſunt quæ per illa verba ſignificantur. Quod per Euphratem ſignificentur Interiora mentis hominis contermina ſpiritualibus Eccleſiæ ejus, conſtare poteſt ex locis in Verbo ubi nominatur Aſchur ſeu Aſſyria: Euphrates autem occurrit in oppoſito ſenſu, in quo ſignificat Interiora plena falſis & inde inſaniis, in his locis „ *Ecce* ~~*Deus*~~ *aſcendere facit ſuper eos aquas* FLUVII (Euphratis) *validas & multas*, REGEM ASCHURIS, *hic ibit per Jehudam, inundabit & tranſibit*, Eſaj. VIII: 7. 8. *Quid tibi cum via Ægypti ut bibas aquas Schichoris, & quid tibi cum via* ASSYRIÆ, *ut bibas aquas* FLUVII, Jerem. II: 18. *Devovebit Jehovah linguam maris Ægypti, & agitabit manum ſuper* FLUVIUM EUPHRATEM, Eſaj. ~~XV: 15. 16.~~ *Sextus Angelus effudit phialam ſuper* FLUVIUM EUPHRATEM, *cujus exſiccata eſt aqua*, Apoc. XVI: 12. *Mandatum eſt Prophetæ ut poneret Cingulum ſuper lumbis, & illud poſtea in foramine petræ juxta* EUPHRATEM *abſconderet, & cum illud poſt breve tempus recepit, ecce erat corruptum, nec proderat ad quicquam*, Jerem. XIII: 1 ad 7. 11. Et quoque mandatum illi, *ut poſtquam abſolverit legere librum, projiceret illum in medium* EUPHRATIS, *& diceret, ſic ſubmergetur Babel, & non reſurget*, Jerem. LI: 63. 64; per hæc repræſentabantur interiora ſtatus Eccleſiæ apud filios Iſraelis. Quod fluvius Ægypti Nilus, & fluvius Aſſyriæ Euphrates, fuerint termini Terræ Canaanis, patet ex his „ *Pepigit Jehovah cum Abramo fœdus, Semini tuo dabo Terram hanc, a* FLUVIO ÆGYPTI USQUE AD FLUVIUM MAGNUM EUPHRATEM, Geneſ. XV: 18: quod Euphrates fuerit terminus, videatur Exod. XXIII: 31. Deut. I: 7. 8. Cap. XI: 24. Joſ. I: 4. Mich. VII: 12.

445. *Et ſoluti ſunt quatuor Angeli, ſignificat quod ſublatis vinculis externis apparuerint interiora mentis eorum*: hoc ſequitur ex ſupra dictis.

446. *Parati in horam in diem & menſem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum, ſignificat illos in perpetuo conatu auferendi hominibus Eccleſiæ lucem & vitam ſpiritualem.* Per paratum eſſe ſignificatur in conatu eſſe; per horam, diem, menſem, annum, ſignificatur continue & perpetuo, ſimile quod per omni tempore; per occidere, ſignificatur auferre hominibus Eccleſiæ lucem & vitam ſpiritualem, n. 325; & per tertiam partem ſignificantur omnes, n. 400.

447. *Et numerus exercituum equitatus duæ myriades myriadum, ſignificat ratiocinia de ſola fide, quibus interiora mentis illorum referta erant, ex mere falſis mali in copia.* Per Exercitus ſignificantur bona & vera, & in oppoſito ſenſu mala & falſa, hic falſa mali, de quibus ſequitur; per equitatum ſignificantur ratiocinia de

de sola fide, quia per Equum significatur intellectus Verbi, n. 298, & quoque intellectus Verbi deperditus, n. 305. 312. 321, inde per equitatum significantur ratiocinia ex intellectu Verbi deperdito, hic de sola fide, quia de iis, qui in illa sunt, agitur; per duas myriades myriadum, non intelliguntur totidem numero, sed multa copia; quod dicantur duæ, est quia duo prædicantur de bono, & in opposito sensu de malo, n. 322, & myriades prædicantur de veris, & in opposito sensu de falsis, n. 336. Ex his videri potest, quod per numerum exercituum equitatus duas myriades myriadum, significentur ratiocinia de sola fide, quibus interiora mentis illorum plena erant, ex mere falsis mali in copia. Quod per Exercitus in Verbo significentur bona & vera Cæli & Ecclesiæ, & in opposito sensu mala & falsa, constare potest ex locis, ubi Sol, Luna & Stellæ vocantur Exercitus, & per solem significatur bonum amoris, per lunam verum fidei, & per stellas cognitiones boni & veri, ac vicissim in opposito sensu, n. 51. 53. 332. 413: illa & hæc nominantur Exercitus in his locis „ *Laudate Jehovam omnes* EXERCITUS IPSIUS, *laudate Ipsum Sol & Luna, laudate Ipsum omnes stellæ*, Psalm. CXLVIII: 2. 3. *Manus meæ expanderunt Cælos, & omni* EXERCITUI EORUM *præcepi*, Esaj. XLV: 12. *Per Verbum Jehovæ Cæli facti sunt, & per spiritum oris Ipsius omnis* EXERCITUS EORUM, Psalm. ~~LXIII~~: 6. *Absoluti sunt Cæli & Terra, & omnis* EXERCITUS ILLORUM, Genes. II: 1. *Cornu Hirci crevit usque ad* EXERCITUM CÆLORUM, *& dejecit in terram de* EXERCITU *& stellis, imo usque ad Principem* EXERCITUS *extulit se: &* EXERCITUS *traditus super juge in prævaricationem, quia projecit veritatem in terram: Sanctus dixit, quo usque datur Sanctum &* EXERCITUS *conculcationi*, Dan. VIII: 10 ad 14. *Jehovah edidit vocem suam coram* EXERCITU, Joel II: 11. *Super tectis domuum suffiverunt omni* EXERCITUI CÆLORUM, Jerem. XIX: 13. *Ne incurves te & servias soli, lunæ, stellis, & omni* EXERCITUI CÆLORUM, Deutr. IV: 19. Cap. XVII: 3. Jerem. VIII: 2: similiter Esaj. XIII: 4. Cap. XXXIV: 4. Cap. XL: 26. Jerem. XXXIII: 22. Sach IX: 8. Apoc. XIX: 14. Quoniam per Exercitus Cælorum significantur bona & vera Cæli & Ecclesiæ, ideo Dominus vocatur JEHOVAH ZEBAOTH, hoc est, Jehovah Exercituum: & ideo ministerium Levitarum vocabatur MILITIA, Num. IV: 3. 23. 30. 39: & dicitur apud Davidem „ *Benedicite Jehovæ omnes* EXERCITUS IPSIUS, *Ministri Ipsius facientes voluntatem Ipsius*, Psalm. CIII: 21. Mala & falsa in Ecclesia significantur per EXERCITUM GENTIUM, Esaj. XXXIV: 2. Per EXERCITUM *Regis septentrionis, quo venit contra Regem meridiei*, Dan. XI: 13. 15. 20. Rex septentrionis est falsum mali in Ecclesia, & Rex meridiei est verum boni ibi. Dicitur a Domino, *Quando videritis Hierosolymam Exercitibus circumdatam, scito quod prope sit devastatio ejus*, Luc. XXI: 20; per Hierosolymam ibi significatur Ecclesia, & per Exercitus mala & falsa, quæ devastabunt eam; agitur ibi de Consummatione sæculi, quæ est ultimum tempus Ecclesiæ: mala & falsa significantur per Exercitus apud Joelem „ *Compensabo vobis annos, quos consumsit locusta, melolontha, bruchus & eruca*, EXERCITUS *magnus, quos misi inter vos*, II: 25, quod per locustam & reliqua, significetur falsum in extremis, videatur supra, n. 424.

448. *Et audivi numerum illorum, significat perceptum quale eorum, quod esset si-*

cut

cut sequitur. Per audire significatur percipere; per numerum significatur quale rei & status, n. 10. 348. 364; quod sit quale status eorum ut sequitur, est quia id in nunc sequentibus describitur, quare dicitur, *& ita* vidi.

v. 17. 449. *Et ita vidi equos in visione & sedentes super illis, significat tunc detectum quod ratiocinia interiorum mentis illorum de sola fide, essent imaginaria & visionaria, ac ipsi insanientes ex illis.* Per videre significatur detegere quale eorum; per equos significantur ratiocinia interiorum mentis eorum de sola fide, hic illa imaginaria & visionaria, quia dicitur quod viderit illos *in visione*; per sedentes super equis, significantur intelligentes ex Verbo intellecto, hic insanientes ex imaginariis & visionariis quæ sunt contra Verbum. Quia interiora mentis illorum sub talibus formis apparuerunt, per quæ significantur imaginaria & visionaria de sola fide, propalanda de his sunt aliqua, quæ ex ore illorum accepi; ut hæc; Annon sola fides post lapsum hominis tam gravem facta est unicum medium salutis; quomodo possumus apparere coram Deo absque illo medio; annon id medium est solum; sumusne nati in peccatis, estne natura nostra a prævaricatione Adami prorsus corrupta, num aliud medium sanationis est quam sola fides; quid facient opera nostra ad hæc, quis potest facere aliquod bonum opus a se, quis semet potest purificare, absolvere, justificare & salvare; annon latet in unoquovis opusculo, quod homo facit a se, meritum & propria justitia; & si forte faceremus aliquid quod foret bonum, num facere possemus omnia, ac implere legem, & amplius, si quis peccat contra unum, peccat contra omnia, quia cohærent: cur Dominus in mundum venit, & passus est tam gravem crucem, nisi ut nobis auferret damnationem & maledictionem legis, propitiaret Deum Patrem, fieret meritum & justitia solus, quæ homini imputarentur per fidem, quid boni aut cui bono alioquin adventus Ipsius: cum itaque Christus pro nobis passus est, & pro nobis implevit legem, & sustulit jus damnationis ejus, num tunc amplius malum potest nos damnare, & num bonum potest nos salvare, quare nos qui fidem habemus, sumus in plena libertate cogitandi, volendi, loquendi & faciendi quicquid lubet, modo non jacturam famæ, honoris & lucri faciamus, & pœnas legis civilis nobis irrogemus, ex quo infamia & damnum: quidam, qui remotius in septentrione vagabantur, dicebant quod bona opera, quæ fiunt salutis gratia, damnosa, perniciosa & maledicta sint; inter hos erant etiam aliqui presbyteri. Hæc sunt quæ audivi, sed blaterabant & mussitabant plura, quæ non audivi. Præterea loquebantur in omni licentia proterve, ac lasciviebant & verbis & factis, absque timore pro ullo facinore, nisi ex simulatione propter apparentiam honesti. Talia sunt interiora mentis, & inde exteriora corporis eorum, qui omne religionis faciunt solam fidem. Sed illa omnia, quæ ab illis dicta sunt, cadunt, si Ipse Dominus Salvator immediate aditur, ac in Ipsum creditur, & bonum agitur, utrumque propter salutem, & ab homine sicut ab illo, cum fide tamen quod a Domino; quæ nisi fiunt sicut ab homine, non datur aliqua fides, nec aliqua charitas, ac ita non religio, & sic non salvatio.

450. *Habentes thoraces igneos, hyacinthinos & sulphureos, significat argumentationes illorum imaginarias & visionarias ex amore infernali & propria intelligentia, &*

& ex concupiscentiis inde. Per thoraces significantur argumentationes, ex quibus pro sola fide pugnant, n. 436; per ignem significatur amor cælestis, & in opposito sensu amor infernalis, n. 452. 465. 495; per hyacinthinum significatur intelligentia ex amore spirituali, & in opposito sensu intelligentia ex amore infernali, quæ est propria intelligentia, de quo infra; & per sulphur significatur concupiscentia ex amore illo per intelligentiam propriam, n. 452; ex his sequitur quod per thoraces igneos, hyacinthinos & sulphureos talia significentur. Causa quod argumentationes illorum pro sola fide ita describantur, est quia omnes illi qui credunt se justificari, hoc est, absolvi a peccatis, per solam fidem, nusquam cogitant de pænitentia, & homo impænitens est in meris peccatis, & omnia peccata derivantur & inde trahunt ex amore infernali, propria intelligentia, & ex concupiscentiis inde; & illi qui in his sunt, non modo agunt ex illis, sed etiam loquuntur, imo cogitant & volunt, proinde ratiocinantur & argumentantur ex illis, sunt illa homo illorum, quia sunt vita illorum, sed homo diabolus, & vita ejus quæ est vita infernalis. Verum enim vero illi qui moralem vitam solum propter se & mundum vivunt, hoc non sciunt, causa est, quia Interiora illorum talia sunt, Exteriora autem similia Exterioribus illorum qui vitam Christianam vivunt; at sciant, quod unus quisque dum moritur, in Interiora sua veniat, quia fit spiritus, & ille est Internus homo; & tunc interiora accomodant sibi exteriora, & fiunt similia; quare moralia vitæ illorum in Mundo fiunt tunc sicut squamæ piscium quæ abstergun tur; aliter prorsus fit cum illis qui præcepta moralis vitæ Divina faciunt, & tunc quoque civilia quia sunt amoris erga proximum. Quod Hyacinthinum significet intelligentiam ex affectione amoris spiritualis, est quia color ille trahit ex rubro ignis & ex candido lucis; & per ignem significatur amor, & per lucem intelligentia; hæc intelligentia significatur per *Hyacinthinum in* TEGUMENTIS ET VELIS TABERNACULI, Exod. XXVI: 31. 36. Cap. XXVII: 16; in EPHODO AHARONIS, Exod. XXVIII: 6. 15: per PANNUM HYACINTHINI *positum super Arca, Mensa, Candelabro & Altari, cum proficiscebantur*, Num. IV: 6. 7. 9. 11. 12. Per FILUM HYACINTHINI *super alis vestium*, Num. XV: 38. 39: & per HYACINTHINUM, Ezech. XXVII: 7. 24. Intelligentia autem ex affectione amoris infernalis, significatur per Hyacinthinum apud Ezechielem „ *Obola seu Samaria scortata est, & dilexit amasios Assyrios propinquos, vestitos* HYACINTHINO, *equites equitantes equis*, XXIII: 4. 5. 6, describitur sic Ecclesia, quæ per ratiocinia ex propria intelligentia falsificaverat vera Verbi: & apud Jeremiam „ *Infatuantur & stultescunt, disciplina vanitatum lignum est; argentum extensum ex Tharschisho adfertur, opus fabri & manuum conflatoris*, HYACINTHINUM *& purpura vestis eorum, opus sapientum tota*, X: 8. 9; opus fabri & manuum conflatoris, ac opus sapientum tota, significant ibi, quod illa ex propria intelligentia.

451. *Et capita equorum sicut capita leonum, significat phantasias de sola fide tanquam in potentia.* Per capita significantur imaginaria & visionaria de sola fide apud illos, de quibus hic agitur, quæ una voce vocantur phantasiæ; per equos significantur ratiocinia interiorum mentis illorum, quæ talia sunt, n. 449; per

leones

leones significatur potentia n. 241; quod sit potentia ex fallaciis, est quia sensuales sunt, & sensuales ratiocinantur ex fallaciis, per quas persuadent & captant, n. 424. Quod Argumentationes illorum pro sola fide sint imaginariæ & visionariæ, quisque qui aliquantum elevat mentem, potest videre; quid fides actu & fides statu, secundum illorum ideam, nisi visionaria, quis ex illis scit aliquid de fide actu, & quid facit fides in statu, cum nihil boni ingreditur ab homine in fidem actu: quid remissio peccatorum & inde salvatio momentanea, nisi cogitationis visionariæ; quod sit prester volans in Ecclesia, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 340: quid reputatio immunitatis, meriti, justitiæ, sanctitatis ex imputatione, nisi visionaria, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n 18. Quid Divina operatio in internis absque cooperatione hominis in externis sicut ab illo, separare enim internum ab externo ut non sit conjunctio, est mere visionarium, videatur infra n. 606. Tale visionarium est fides separata a charitate, charitas enim in operibus est fidei continens & firmamentum, est ejus humus & terra, tum essentia & vita, verbo fides ex charitate est homo, fides autem absque charitate est larva, & est ens imaginativum rationis, simile bullæ aqueæ volanti in aere. Sed forte quis dicturus est, si removes intellectum a fide, non visurus es visionaria; at sciat, quod qui potest removere intellectum a fide, potest etiam cuivis religioso obtrudere mille visionaria, ut factum est a sæculis retro a Romano Catholicis.

452. *Et ex oribus illorum exivit ignis & fumus & sulphur, significat quod in cogitationibus & sermonibus illorum, interius spectatis, non aliud sit & ex illis prodeat, quam amor sui & mundi, qui est proprium voluntatis, fastus propriæ intelligentiæ qui est proprium intellectus, & concupiscentia mali & falsi quæ est proprium commune profluens ex duobus illis.* Ex oribus illorum est ex cogitationibus & sermonibus; per ignem significatur amor sui & mundi, qui amor est proprium voluntatis hominis, n. 450. 465. 495; per fumum significatur fastus propriæ intelligentiæ, qui est proprium intellectus ejus, ex amore sui & mundi exiens sicut fumus ex igne, n. 422; & per sulphur significatur concupiscentia mali & falsi, quæ est proprium commune profluens ex duobus illis. Sed hæc non apparent ex sermonibus illorum coram hominibus in mundo, verum manifeste coram Angelis in Cælo, quare dicitur quod interius spectata sint talia. Ignis significat amorem infernalem, & sulphur concupiscentias ex illo amore per fastum propriæ intelligentiæ profluentes, in sequentibus locis „ IGNEM ET SULPHUR *pluere faciam super illum*, Ezech. XXXVIII: 22. *Jehovah pluet super impios* IGNEM ET SULPHUR, Psalm. XI: 6. *Dies vindictæ Jehovæ, convertentur torrentes in picem, & pulvis ejus in* SULPHUR, *in æternum ascendet* FUMUS EJUS, Esaj. XXXIV: 8. 9. 10. *Quo die Lothus egressus est e Sodoma, pluit* IGNE ET SULPHURE *e Cælo; juxta hoc fiet, quo die Filius Hominis revelabitur*, Luc. XVII: 29. 30. Genes. XIX: 24. *Qui Bestiam adorat & imaginem ejus, cruciabitur* IGNE ET SULPHURE, Apoc. XIV: 9. 10. *Bestia, Pseudopropheta & Diabolus conjecti sunt in stagnum* IGNIS ET SULPHURIS, Apoc. XIX: 20. Cap. XX: 10. Cap. XXI: 8. *Flatus Jehovæ sicut fluvius* SULPHURIS *accendet rogum*, Esaj. XXX:

XXX: 33. Sulphur, *Sal & Combustio tota terra, non conseretur, non germinabit, juxta eversionem Sodomæ & Amorræ,* Deut. XXIX: 21. 22. *Spargetur super habitationem impii* Sulphur, Hiob XVIII: 15.

453. *Ex tribus his occisa est tertia pars hominum, ex fumo & ex igne & ex sulphure exeunte ex oribus illorum, significat quod ex illis sit, quod homines Ecclesiæ pereant.* Quod occisa sit tertia pars hominum, significat quod homines Ecclesiæ ex tribus illis, de quibus nunc supra n. 452, pereant; per occidi enim significatur spiritualiter occidi, quod est quoad animam perire; & per tertiam partem significantur omnes qui in illis falsis sunt, ut supra sæpius; quid per ignem, fumum & sulphur, & quid per exire ex oribus illorum significatur, videatur mox supra n. 452. Ex falsis illis est, quod in toto Orbe Christiano nesciatur, quod Ignis, de quo hic, sit amor sui & mundi, & quod ille amor sit diabolus; tum quod fumus ex illo igne sit fastus propriæ intelligentiæ, & quod ille fastus sit satanas; ut & quod sulphur ab illo igne per illum fastum accensum sint concupiscentiæ mali & falsi; & quod hæ concupiscentiæ sint turba diaboli & satanæ, ex qua Infernum; & cum illa nesciuntur, non potest sciri quid peccatum; peccatum enim omne suum jucundum & amænum trahit ex illis.

454. *Et potestas illorum in ore illorum erat, significat quod solum valeant sermone confirmante fidem.* Per potestatem in ore, significatur potentia in sermone confirmante doctrinam; sermonis enim concinnitas, elegantia, fictitius zelus, confirmatio ingeniosa falsi, imprimis ex apparentiis veri in Verbo, auctoritas, occlusio intellectus, & similia plura, faciunt omnia, & non aliquid Veritas, nec Verbum; Veritas enim non lucet coram aliis, quam qui in charitate sunt & inde fide, nec Verbum docet alios.

455. *Nam caudæ illorum similes serpentibus habentes capita, & in his lædunt, significat causam, quod sensuales sint ac inversi, loquentes ore vera, falsificantes illa ex principio quod facit caput doctrinæ religionis illorum, & sic fallunt.* Similia hic significantur, quæ prius de locustis, n. 438. 439, sed ibi dicitur quod haberent caudas similes scorpiis, hic autem similes serpentibus, quia illi, qui per locustas describuntur, ex Verbo, ex scientiis & eruditione loquuntur & persuadent, hi autem solum ex argumentis, quæ sunt apparentiæ veri & fallaciæ, & qui ex illis concinne & sicut sapienter loquuntur, fallunt quidem, sed non in tantum. Per Serpentes in Verbo significantur sensualia, quæ sunt ultima vitæ hominis, de quibus supra n. 424; causa est, quia omnia animalia significant affectiones hominis, quare etiam affectiones Angelorum & Spirituum in Mundo spirituali apparent e longinquo sicut animalia, & affectiones mere sensuales sicut serpentes; causa est, quia serpentes humi repunt, & pulverem lambunt, ac sensualia sunt infima intellectus & voluntatis, exstant enim mundo proxime, & ex ejus objectis & jucundis, quæ solum sensus corporis materiales afficiunt, nutriuntur. Serpentes noxii, qui plurium generum sunt, significant sensualia, quæ pendent ab affectionibus malis, quæ faciunt interiora mentis apud illos qui ex falsis mali insaniunt, ac serpentes innoxii significant sensualia, quæ pendent ab affectionibus bonis, quæ faciunt interiora mentis apud illos qui ex veris boni sapiunt. Sensualia pendentia ex affectionibus ma-

lis,

lis, significantur per serpentes in his locis „ *Lambent pulverem sicut* SERPENS, Mich. VII: 17. SERPENTIS *panis pulvis*, Esaj. LXV: 25. *Dictum* SERPENTI, *super ventre tuo ambulabis*, *& pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ*, Genes. III: 14, describitur sic sensuale, quod, quia communicat cum Inferno, ubi omnes sensuales sunt, vertit sapientiam cælestem in insaniam infernalem in rebus spiritualibus. *Ne læteris Philisthæa, nam e radice* SERPENTIS *exibit basiliscus*, *cujus fructus Prester volans*, Esaj. XV: 9. *Ova* ASPIDIS *ponunt*, *qui comedit de ovis ejus moritur*, *& quando quis exprimit*, *excluditur Vipera*, Esaj. LIX: 5. Quia *filii Israelis cupiverunt redire in Ægyptum*, *morsi sunt a Serpentibus*, Num. XXI: 1 ad 16; redire in Ægyptum, significabat a spirituali fieri sensualis; quare dicitur „ *Mercenarii Ægypti averterunt se*, *vox ejus sicut* SERPENTIS *ibit*, Jerem. XLVI: 21. Quia Dan erat altima Tribuum, & inde significabat ultimum Ecclesiæ, quod est sensuale subjectum interioribus, ideo de illo ita dicitur „ *Dan Serpens super via mordens calcaneos equi*, *& cadet eques ejus retrorsum*, Genes. XLIX: 17; per calcaneos equi, significantur ultima intellectus, quæ sunt sensualia, per mordere significatur eis adhærere, per equitem significatur inscitia ex illis, qua pervertit vera, quare dicitur, cadet eques ejus retrorsum. Quoniam sensuales homines sunt callidi ac astuti sicut vulpes, ideo dicit Dominus „ *Estote prudentes sicut* SERPENTES, Matth. X: 16; sensualis enim homo loquitur & ratiocinatur ex apparentiis & fallaciis, & si dote argumentandi pollet, solerter scit confirmare omne falsum, & quoque hæreticum de sola fide, & usque est hebes acie videndi verum, ut vix alius hebetior.

456. *Et reliqui homines*, *qui non occisi sunt in plagis his*, *significat illos in Ecclesia Reformatorum*, *qui non ita sunt spiritualiter mortui ex ratiociniis visionariis*, *& ex amore sui*, *fastu propriæ intelligentiæ*, *& ex concupiscentiis inde*, *sicut priores*, *& usque solam fidem fecerunt caput religionis suæ*. Per reliquos homines, intelliguntur illi qui non tales sunt, sed usque solam fidem faciunt caput religionis suæ; per qui non occisi sunt, significantur qui non ita spiritualiter mortui sunt; per plagas in quibus, intelliguntur amor sui, fastus propriæ intelligentiæ, & concupiscentiæ mali & falsi ex illis, quæ tria significantur per ignem, fumum & sulphur, de quibus supra n. 452. 453, quod plagæ significent talia, videbitur infra: sed de his primum aliquid dicetur „ Hos quoque datum est videre, & cum illis loqui; degunt in Plaga septentrionali versus occidentem, ubi aliquibus sunt mapalia cum tectis, & aliquibus sine tectis; spondæ eorum sunt ex juncis; vestes ex pilis hircinis; in luce influente e Cælo apparet in faciebus illorum livor & quoque stupor; causa est, quia nihil aliud ex Religione sciunt, quam quod Deus sit, quod tres Personæ sint, quod Christus passus sit crucem pro illis, & quod sola fides sit per quam salvantur, & insuper per cultum in Templis, & per preces statis temporibus: ad reliqua quæ Religionis & ejus doctrinæ sunt, nihil attendunt; mundana enim & corporea, quibus mentes illorum refertæ & oppletæ sunt, occludunt eorum aures ad illa. Sunt plures ex Presbyteris inter illos, quos quæsivi, quid cogitavistis, cum in Verbo legistis de Operibus, de Amore &

,, Charitate, de Fructibus, de Præceptis vitæ, de Pœnitentia, verbo de Faciendis, responderunt quod quidem illa legerint & sic viderint, sed usque non viderint, quia mentem tenuerunt in sola fide, & inde quod illa omnia sint fides, & quod non cogitaverint quod sint effecta fidei. Quod talis inscitia & stupiditas sit illis, qui solam fidem semel amplexi sunt, & illam omne religionis suæ fecerunt, vix potest credi, cum tamen id per multam experientiam datum est scire". Quod per Plagas significentur plagæ spirituales, per quas homo moritur spiritu seu anima, patet ex his locis; *Desperatum confractioni tuæ, ægra* PLAGA *tua, ascendere faciam sanitatem tibi, a* PLAGIS *tuis sanabo te*, Jerem. XXX: 12. 14. 17. *Omnis transiens super Babelem, sibilabit super omnibus* PLAGIS *ejus*, Jerem. L: 30. *In una die venient* PLAGÆ *Babyloni, mors & planctus*, Apoc. XVIII: 18. *Vidi septem Angelos habentes septem* PLAGAS *ultimas, per quas consummanda est ira Dei*, Apoc. XV: 16. *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, a vola pedis usque ad caput non in eo integritas, Vulnus & Cicatrix &* PLAGA *recens, non expressa, non obligata, non emollita oleo*, Esaj. I: 4. 6. *In die, quo obligabit Jehovah fracturam populi sui, & vulnus* PLAGÆ *ejus sanabit*, Esaj. XXX: 26. Præter alibi, ut Deutr. XXVIII: 59. Jerem. XLIX: 17. Sach. XIV: 12. 15. Luc. VII: 21. Apoc. XI: 6. Cap. XVI: 21.

457. *Etiam non pœnitentiam egerunt ab operibus manuum suarum, significat quod nec illi fugerint propria sua, quæ sunt mala omnis generis, ut peccata.* Quod per opera manuum hominis, significentur propria hominis, quæ sunt mala & inde falsa, est quia per manus significantur in summa, illa quæ procedunt ab homine, vires enim mentis & inde corporis ejus determinantur in manus, & ibi terminantur, quare per manus in Verbo significatur potentia: inde est, quod per opera manuum hominis, significentur propria ejus, quæ sunt mala & falsa omnis generis; propria voluntatis ejus sunt mala, & propria intellectus ejus sunt falsa inde. Quod de illis, de quibus hic agitur, dicatur, quod non pœnitentiam egerint, est quia illi qui solam fidem faciunt omne religionis, dicunt in se, quid opus pœnitentia, cum per solam fidem remittuntur peccata, & salvamur, quid faciunt opera nostra ad hoc; scio quod in peccatis natus sim, & quod peccator sim, si hoc confiteor, & oro, ut nævi mei non imputentur mihi, actane tunc est pœnitentia, quid opus pluribus; & sic non cogitat aliquid de peccatis; usque ut non sciat quod peccata sint, quare fertur ex jucundo & amæno continue ex illis, in illis, & in illa, sicut navis secundo vento & flumine in scopulos, dormiente & nauclero & nauta. Per opera manuum hominis in Verbo in sensu ejus naturali, intelliguntur sculptilia, fusilia & idola, sed in sensu spirituali per illa significantur mala & falsa omnis generis, quæ sunt propria hominis; ut in his locis,, *Ne ad iram provocetis Me per* OPUS MANUUM VESTRARUM; *si provocaretis Me in iram per* OPUS MANUUM VESTRARUM, *in malum vobis: retribuam illis juxta* OPUS *illorum, & juxta* FACTUM MANUUM *illorum*, Jerem. XXV: 6. 7. 14. *Filii Israelis provocarunt Me ad iram per* OPUS MANUUM *illorum*, Jerem. XXXII: 30. Cap. XLIV: 8. *Loquar judicia cum illis super omni malitia*

malitia illorum, quod incurvaverint se OPERIBUS MANUUM *suarum*, Jerem. I: 16. *In die illo spectabunt oculi ad Sanctum Israelis, & non ad Altaria* OPUS MANUUM *suarum, & quod* FECERUNT DIGITI *eorum*, Esaj. XVII: 7. 8. Cap. XXXI: 7. Cap. XXXVII: 19. Jerem. X: 9. Quod opus manuum hominis sit proprium ejus, & inde malum & falsum, manifeste constare potest ex eo, quod propter illam causam prohibitum fuerit ædificare Altare & Templum ex lapidibus cæsis, ac super lapides istos movere ferrum, per hæc enim significabatur Opus manuum hominis „ *Si Altare lapidum facias Mihi, non ædificabis illos Cæsos, quia si cælum moveris super illo; prophanabis illud*, Exod. XX: 22. *Josua ædificavit Altare lapidum, super quo non movit ferrum*, Jos. VIII: 30. 31. *Templum Hierosolymæ ædificatum est ex lapide integro, & malleus & securis, atque ulla instrumenta ferri, non audita sunt, cum ædificabatur*, I Reg. VI: 6. Omnia quæ a Domino fiunt, etiam vocantur Opera manuum Ipsius, quæ sunt Propria Ipsius, & in se Bona & Vera; ut in his „ OPERA MANUUM JEHOVÆ *Veritas & Judicium*, Psalm. CXI: 7. *Jehovah, Misericordia tua in æternum*, OPERA MANUUM TUARUM *ne omittas*, Psalm. CXXXVIII: 8. *Sic dixit Jehovah Sanctus Israelis, & Formator ejus, signa petite a Me, super filiis meis, super* OPERE MANUUM MEARUM *præcipite Mihi*, Esaj. XLII: 11. *Populus tuus omnes justi, surculus plantarum mearum*, OPUS MANUUM MEARUM, Esaj. LX: 21. *Jehovah, Pater noster Tu, nos lutum, & Tu Figulus noster, &* OPUS MANUUM TUARUM *omnes nos*, Esaj. LXIV: 7.

458. *Ut non adorarent dæmonia, significat quod sic in malis concupiscentiarum suarum sint, & unum faciant cum sui similibus in inferno.* Per dæmonia significantur concupiscentiæ mali oriundæ ex amore mundi, causa est, quia in Inferno illi vocantur Dæmones qui in illis concupiscentiis sunt, & quoque homines, qui in iisdem sunt, fiunt dæmones post mortem; est quoque conjunctio talium hominum cum illis; unusquisque enim homo conjunctus est spiritibus quoad affectiones, usque adeo ut unum faciant: ex quibus patet, quod adorare dæmonia sit litare concupiscentiis illis ex amore illarum. Qui itaque solam fidem invocat, sicut religionis suæ caput, aut sicut suum idolum, ille quia non inquirit aliquod malum apud se quod dicat peccatum, & ideo non vult illud per pænitentiam removere, manet in illo; & quia omne malum ex concupiscentiis conflatum est, & non est nisi quam fasciculus concupiscentiarum, sequitur quod qui non inquirit aliquod malum apud se, ac fugit illud ut peccatum contra Deum, quod unice fit per pænitentiam, fiat post mortem Dæmon. Non aliud per dæmones & dæmonia, quam tales concupiscentiæ, significantur in sequentibus locis „ *Sacrificant* DÆMONIBUS, *Deo non* „ Deutr. XXXII. 17. *Filii Israelis non sacrificabant amplius* DÆMONIBUS, *post quos scortati sunt*, Levit. XVII: 7. Psalm. CVI: 37. *Occurrent Ziim cum Ijim, &* DÆMON SYLVESTRIS *socio suo obviabit*, Esaj. XXXIV: 14. *Cantabunt ibi Ziim, & implebuntur Domus eorum Ochim, & habitabunt ibi Filiæ noctuæ, &* DÆMONES SYLVESTRES *saltabunt ibi*, Esaj. XIII: 21; per Ziim, Iiim, Ochim, Filias noctuæ, significantur variæ Concupiscentiæ; Dæmones sylvestres sunt concupiscentiæ quales Priaporum & Satyrorum. BABYLON *facta est habitaculum* DÆMONUM,

NUM, *& custodia omnis spiritus immundi*, Apoc. XVIII: 2. Dæmones, quos Dominus ejecit, fuerant tales Concupiscentiæ cum vixerunt in mundo, de quibus Matth. VIII: 16. 28. Cap. IX: 32. 33. Cap. X: 8. Cap. XII: 22. Cap. XV: 22. Marc. I: 32. 33. 34. Luc. IV: 33 ad 38. 41. Cap. VIII: 2. 26 ad 40. Cap. IX: 1. ~~37 ad 44 ad 50.~~ Cap. XIII: 32.

459. *Et idola aurea & argentea & ænea & lapidea & lignea, significat quod sic in cultu sint ex mere falsis.* Per idola in Verbo significantur falsa cultus, & inde per adorare illa, significatur cultus ex falsis, & per adorare idola aurea, argentea, ænea, lapidea & lignea, significatur cultus ex omnis generis falsis, & simul sumta ex meris falsis; etiam idolorum materiæ, formæ & vestes apud Antiquos repræsentabant falsa religionis, ex quibus fuit illorum cultus; idola aurea significabant falsa de Divinis, idola argentea falsa de spiritualibus, idola ænea falsa de charitate, idola lapidea falsa de fide, & idola lignea falsa de bonis operibus: hæc omnia falsa sunt illis qui non pænitentiam agunt, hoc est, fugiunt mala ut peccata contra Deum. Hæc per idola, quæ fuerunt sculptilia & fusilia, in sensu spirituali significantur in sequentibus locis „ *Stultus factus est omnis homo a scientia, pudore affectus est omnis* CONFLATOR A SCULPTILI, *quia mendacium* FUSILE *ejus, neque spiritus in iis, vanitas illa, opus errorum, in tempore visitationis eorum peribunt*, Jerem. X: 14. 15. Cap. LI: 17. 18. SCULPTILIA *sunt opus manuum fabri, non loquuntur, simul infatuantur & stultescunt, disciplina vanitatum* LIGNUM *est, opus sapientum tota*, Jerem. X: 3. 4. 5. 8. 9. 10. *Quid prodest* SCULPTILE, *quia sculpsit illud fabricator, & doctor mendacii, quia confidit fabricator mendacii super hoc; spiritus non in medio ejus*, Habak. II: 18. 19. ~~20.~~ *In die illo projiciet homo* IDOLA ARGENTI SUI, ET IDOLA AURI SUI, *quæ fecerunt sibi ad incurvandum se talpis & vespertilionibus*, Esaj. II: 18. 20. *Fecerunt sibi* FUSILE *ex argento suo, in intelligentia sua* IDOLA, *opus artificum tota*, Hosch. XIII: 2. *Spargam super vos aquas mundas, ut mundemini ab omnibus immunditiis vestris, & ab omnibus* IDOLIS *vestris*, Ezech. XXXVI: 25; aquæ mundæ sunt vera, idola sunt falsa cultus. *Immundum judicabitis tegmen* SCULPTILIUM ARGENTI TUI, *& amictum* FUSILIS AURI *tui, disperges ea sicut menstruum, stercus vocabis id*, Esaj. XXX: 22. Nec aliud quam falsa religionis & inde cultus significantur per DEOS AURI, ARGENTI, ÆRIS, FERRI, LIGNI ET LAPIDIS, *quos laudavit* (coluit) *Rex Babelis Belthschazar, quando cum magnatibus, uxoribus & pellicibus bibit vinum ex vasis auri & argenti Templi Hierosolymitani; propter quod Rex expulsus est ab homine, & factus est sicut bestia*, Dan. V: 1 ad 5 seq. præter in multis aliis locis, ut Esaj. X: 10. 11. Cap. XXI: 9 Cap. XXXI: 7. Cap. XL: 19. 20. Cap. XLI: 29. Cap. XLII: 17. Cap. XLVIII: 5. Jerem. VIII: 19. Cap. L: 38. 39. Ezech. VI: 4. 5. Cap XIV: 3. 4. 5. 6. Mich. I: 7. Cap. V: 12. Psalm. CXV: 4. 5. Psalm. CXXXV: 15. 16. Levit. XXVI: 30. Per Idola proprie significantur falsa cultus ex propria intelligentia; quomodo homo illa fingit & postea accommodat, ut appareant sicut vera, plene describitur apud Esajam, Cap. XLIV: 9 ad 20.

460. *Quæ neque videre possunt, neque audire, neque ambulare, significat in quibus*

bus nihil vitæ spiritualis & vere rationalis est. Quod hæc dicantur, est quia idololatra credit, quod idola eorum videant & audiant, illa enim faciunt deos: at usque non hæc per illa verba intelliguntur, sed intelligitur quod in falsis cultus nihil vitæ spiritualis nec vere rationalis sit, per videre enim & audire significatur intelligere & percipere, n. 7. 25. 87; & per ambulare significatur vivere, n. 167; inde per illa tria, significatur vita spiritualis & vere rationalis: hæc significantur quia per idola significantur falsa cultus, & in his nihil vitæ spiritualis & rationalis est. Quod idola non videant, audiant & ambulent, manifestius est quam ut hic dicatur, nisi insit aliquid quod significatur. Similia etiam de Idolis in Verbo alibi dicuntur, ut in his „ *Non cognoscunt, nec intelligunt, & non vident oculi illorum, non cognoscunt corda illorum, non illis scientia & intelligentia est*, Esaj. XLIV: 9. 20. *Non loquuntur nec ambulant*, Jerem. X: 3 ad 10. *Os illis sed non loquuntur, & oculi illis sed non vident*, Psalm. CXV: 15. Psalm. CXXXV: 15. 16; per quæ similia significantur, quia per idola significantur falsa cultus, & in falsis cultus nihil vitæ, quæ vita, est.

461. *Et non egerunt pænitentiam ex homicidiis suis, neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis, neque ex furtis suis, significat quod hæreticum de sola fide inducat cordibus stupiditatem, tergiversationem & duritiem, ut non cogitent aliquid de præceptis decalogi, ne quidem de ullo peccato, quod fugiendum sit quia est cum diabolo & contra Deum.* Quid homicidia, scortationes & furta in omni sensu significant, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA EX PRÆCEPTIS DECALOGI, ubi ostensum est; quare non opus est, ut hic explicentur: quid autem Incantationes significant, in sequente Articulo dicetur. Quod sola fides inducat stupiditatem, tergiversationem, & duritiem cordibus illorum qui in Ecclesiis Reformatorum sunt, est quia Bonum vitæ non est Religio, ubi sola fides est, & si non bonum vitæ est religio, tunc Tabula secunda Decalogi, quæ est Tabula pænitentiæ, esi sicut Tabula rasa, in qua non apparet aliquid scriptum: quod Tabula secunda Decalogi sit Tabula pænitentiæ, patet, quoniam in illa non dicitur quod bona opera facienda sint, sed quod mala opera non facienda, ut, Non occides, non scortaberis, non furaberis, non false testaberis, non concupisces illa quæ proximi sunt, & si hæc non Religionis sunt, fit hoc, *Et non egerunt pænitentiam ex homicidiis suis, neque ex incantationibus suis, neque ex scortationibus suis, neque ex furtis suis.* Quod bonum vitæ non sit religio, ubi sola fides est, in sequentibus clare videbitur.

462. Quoniam nescitur hodie quid per INCANTATIONES intelligitur, dicetur paucis. Incantationes mox supra dicuntur loco Octavi præcepti in Decalogo, NON FALSE TESTABERIS, nam tria reliqua, quæ sunt Homicidia, Scortationes & Furta, ibi nominata sunt: per *Falsum testari* significatur in naturali sensu falsum testem agere, mentiri & diffamare, & in spirituali sensu confirmare & persuadere quod falsum sit verum & quod malum sit bonum; ex quo patet, quod per Incantare significetur persuadere falsum, & sic destruere verum. Incantationes fuerunt apud Antiquos in usu, & fiebant tribus modis; PRIMO; quod tenerent alterius auditum & sic mentem continenter in verbis & dictis suis,

non relaxando aliquid de illis, ſimul tunc aſpirando & inſpirando cogitationem conjunctam cum affectione per halitum in ſono loquelæ, ex quo audiens non potuit cogitare aliquid ex ſe; ita falſarii infundebant falſa ſua cum violentia. SECUNDO; quod infunderent perſuaſivum, quod factum eſt per detentionem mentis ab omni contrario, ac intenſionem ejus in ſola idea dictorum a ſe, inde ſphæra ſpiritualis mentis ejus diſpulit ſphæram ſpiritualem mentis alterius, & ſuffocavit illam; hoc erat faſcinum ſpirituale, quo magi olim utebantur, & vocabatur vincire & ligare intellectum: hoc genus Incantationis erat ſolius ſpiritus ſeu cogitationis, prius autem erat quoque oris ſeu ſermonis. TERTIO; quod Audiens teneret mentem ſuam in ſua opinione tam fixe, ut pæne occluderet aures ſuas ad audiendum aliquid a loquente, quod factum eſt per retentionem ſpiritus oris, & quandoque per tacitam muſſitationem, & ſic per continentem negationem ſententiæ adverſarii ſui: hoc genus incantationum erat audientium alios, duo autem priora erant loquentium ad alios. Hæc tria genera Incantationum fuerunt apud antiquos, & adhuc ſunt apud ſpiritus infernales; apud homines autem in Mundo eſt modo Tertium genus reſiduum apud illos, qui falſa religionis ex faſtu propriæ intelligentiæ apud ſe confirmaverunt, hi enim dum audiunt contraria, non admittunt illa propius in cogitationem ſuam quam ad contactum, & tunc ex interiori ſinu mentis ſuæ emittunt ſicut ignem qui conſumit illa, de quo alter non aliquid ſcit niſi per auguria ex facie & ſono in reſponſo, ſi incantator ignem illum, hoc eſt, iram faſtus ſui non ſimulatione coercet. Hæc Incantatio facit hodie, ut vera non acceptentur, & apud multos quod non intelligantur. Quod Antiquis temporibus plures artes magicæ fuerint, & inter illas Incantationes, patet apud Moſen „ *Quando veneris in terram, non diſces facere juxta abominationes gentium illarum, non invenietur in te qui tradat filium ſuum aut filiam ſuam per ignem, Præſtigator per præſtigias, Divinator ac Hariolans, & Veneficus, & INCANTATOR INCANTATIONIS, & Interrogans pythonem, & Augurans, & Quærens mortuos; nam abominatio Jehovæ omnia illa*, Deutr. XVIII: 9. 10. 11. Perſuaſio falſi & ſic deſtructio veri per Incantationes ſignificantur in his locis „ *Sapientia tua & ſcientia tua ſeduxit te, ex eo veniet ſuper te malum, perſta in INCANTATIONIBUS tuis, & in multitudine præſtigiarum tuarum*, Eſaj. XLVII: 10. 11. 12. *Ex* INCANTATIONE *Babylonis ſeductæ ſunt omnes gentes*, Apoc. XVIII: 23. *Foris ſtabunt Canes*, INCANTATORES, *Scortatores*, *Homicidæ*, Apoc. XXII: 15. *Jehoramus dixit ad Jehu, num pax; dixit, uſque ad ſcortationes Iſabelis matris, &* INCANTATIONES *ejus multas*, II Reg. IX: 22; per ſcortationes ejus ſignificantur falſificationes, n. 134. & per incantationes ejus deſtructiones veri per perſuaſiones falſi. Quod viciſſim Incantatio ſignificet rejectionem falſi per vera, quæ etiam fiebat tacite cogitando & muſſitando ex zelo veri contra falſum, patet ex his „ *Jehovah removebit ex Sione fortem, virum belli, conſiliarium, doctum* MUSSITATIONIS, *peritum* INCANTATIONIS, Eſaj. III: 1. 2. 3. *Venenum illorum ſicut venenum aſpidis ſurdæ, obturat aurem ſuam ut non audiat vocem* MUSSITANTIUM INCANTATORIS INCANTATIONUM *ſapientis*, Pſalm. LVIII: 5. 6. *Ecce Ego mitto in vos ſerpentes baſiliſcos, contra quos non* INCAN-

TA-

TATIO, Jerem. VIII: 17. *In angustia quæsiverunt Te, clamaverunt* MUSSITATIONE, Esaj. XXVI: 16.



463. His adjiciam hoc MEMORABILE. Prospexi ad Oram maritimam in Mundo Spirituali, & vidi ibi magnificum Navale; accessi & introspexi, & ecce ibi navigia magna & parva, & in illis merces omnis generis, & super transtris pueri & puellæ distribuentes volentibus; & dixerunt, exspectamus videre pulchras nostras Testudines, (Skillpadde), quæ jamjam e mari ad nos exsurgent; & ecce vidi Testudines magnas & parvas, super quarum conchis & squamis sedebant testudines infantes, quæ spectabant ad insulas circum: Testudines patres habebant bina Capita, unum magnum, circumductum concha simili conchæ corporis illarum, unde rutilabant; & alterum parvum, quale est testudinibus, quod retrahebant in anteriora corporis, & quoque insertabant modo inconspicuo Capiti majori; sed tenebam oculos in magno Capite rutilo, & vidi quod hoc haberet faciem sicut homo, & loqueretur cum pueris & puellis super transtris, & lamberet manus eorum; & tunc pueri & puellæ palpabant illos, & dabant illis edulia & opipara, & quoque pretiosa, ut holosericum ad vestes, lignum thyinum ad tabulas, purpuram ad decorationes, & coccinum ad infucationes. His visis, desiderabam scire quid illa repræsentabant, quia novi quod omnia quæ in Mundo spirituum apparent, sint correspondentiæ, & repræsentant aliquod spirituale delabens e Cælo; & tunc loquebantur mecum e Cælo, & dicebant; nosti ipse quid repræsentat Navale, tum quid navigia, & quid pueri & puellæ super transtris, sed non scis quid Testudines; & dixerunt, Testudines repræsentant illos e Clero ibi, qui prorsus separant fidem a charitate & ejus bonis operibus, affirmantes apud se, quod plane non sit aliqua conjunctio, sed quod Spiritus sanctus per fidem in Deum Patrem propter meritum Filii, intret apud hominem, ac purificet interiora ejus usque ad propriam voluntatem ejus, ex qua faciunt sicut planum ovale, & quod cum operatio Spiritus sancti ad illud planum appropinquat, a parte ejus sinistra circum id deflectat se, & prorsus illud non tangat; & quod ita pars interior seu superior ingenii hominis sit pro Deo, & quod pars exterior seu inferior sit pro homine, & quod sic non appareat coram Deo aliquid quod homo facit, neque bonum neque malum, non bonum quia hoc est meritorium, & non malum quia hoc est malum; quoniam si illa apparerent coram Deo, homo ex utroque periret; & quia ita est, quod liceat homini velle, cogitare, loqui & facere, quicquid lubet, modo caveat sibi pro mundo; quæsivi num etiam afferant, quod liceat cogitare de Deo, quod non omnipræsens & omnisciens sit, dixerunt e Cælo, quod quoque illis liceat, quia Deus apud illum, qui semel purificatus & sic justificatus est, non videt ad aliquid cogitationis & voluntatis ejus, & quod usque retineat in sinu interiori aut regione superiore mentis seu ingenii fidem quam in actu ejus acceperat, & quod ille actus quandoque possit redire, homine nesciente: hæc sunt quæ repræsentat CAPUT

PARVUM, quod in anteriora corporis intrahunt, & occultant, & quoque infertant Capiti magno, dum loquuntur cum Laicis; nam ex parvo Capite non loquuntur cum illis, sed ex magno, quod antrorsum apparet sicut facie humana præditum, & loquuntur cum illis ex Verbo, de amore, de charitate, de bonis operibus, de præceptis decalogi, de pœnitentia, & ex Verbo desumunt pæne omnia quæ ibi sunt de illis; sed tunc infertant Caput parvum in magnum, ex quo intus apud se intelligunt, quod omnia illa non facienda sint propter Deum, Cælum, & Salutem, sed modo propter bonum publicum & privatum; verum quia loquuntur de illis ex Verbo, imprimis de Evangelio, Operatione spiritus sancti & Salvatione, suaviter & eleganter, ideo apparent coram auditoribus sicut homines pulchri, & præ reliquis in universo terarum orbe sapientes; quare etiam vidisti, quod data illis essent a pueris & puellis sedentibus super transtris navigiorum opipara & pretiosa. Hi ergo sunt, quos repræsentatos vidisti ut Testudines. In Mundo tuo parum dignoscuntur ab aliis, solum per id, quod credant se omnibus sapientiores esse, ac rideant alios, imprimis socios quos dicunt non sapientes esse sicut illi, quos aspernantur; sigillum quoddam secum in veste ferunt, ex quo se faciunt ab illis internosci. Dixit loquens cum me, non dicam tibi, quid sentiunt de cæteris rebus fidei, ut quid de Electione, de Libero Arbitrio, de Baptismo, de Sacra Cæna, quæ sunt talia quæ non evulgant, sed nos in Cælo scimus. Verum quia tales sunt in Mundo, & post mortem non licet alicui loqui aliter quam cogitat, ideo quia tunc non possunt aliter quam loqui ex insaniis cogitationum suarum, reputantur ut insani, ac ejiciuntur e Societatibus, & tandem demittuntur in puteum abyssi, & fiunt spiritus corporei, & apparent sicut mumia; callus enim inductus est interioribus mentis eorum, quia in Mundo etiam interposuerunt sepem. Societas infernalis ex illis est in confinio ad societatem infernalem ex Machiavellistis, ac intrant quandoque ab una in alteram, & vocant se sodales, sed exeunt quia diversitas est, ex eo, quod aliquod religiosum de fide actu apud illos fuerit, sed non aliquod apud Machiavellistas.

Postquam vidi illos ejectos ex Societatibus, & collectos ut dejicerentur, visum est Navigium in aere cum septem velis volans, & inibi naucleros & nautas indutos veste purpurea, habentes super pileis magnificas laurus, clamantes, en nos in Cælo, sumus Doctores purpurati, & præ omnibus laurati, quia sumus Capita sapientum ex omni Clero in Europa: miratus sum quid hoc, & dictum est mihi, quod essent imagines fastus, ac cogitationes ideales, quæ vocantur phantasiæ, ex illis qui prius visi sunt ut Testudines, & nunc ut insani ejecti e Societatibus, ac in unum collecti, ac starent simul in uno loco: & tunc desiderabam loqui cum illis, & accessi ad locum ubi stabant, ac salutabam illos, & dicebam; estis vos qui separavistis Interna hominum ab Externis illorum, ac operationem Spiritus Sancti sicut in fide a cooperatione Ejus cum homine sicut extra fidem, & sic separavistis Deum ab homine; annon vos ita non modo removistis ipsam charitatem & ejus opera a fide, sicut multi alii doctores e Clero, sed etiam ipsam fidem quoad manifestationem ejus

coram

coram Deo ab homine: sed quæso, num velitis ut de illa re loquar vobiscum ex ratione, vel num ex Scriptura Sacra; dixerunt, loquere primum ex ratione, & loquutus sum, dicens; quomodo potest Internum & Externum apud hominem separari; quis non ex communi perceptione videt, aut videre potest, quod omnia Interiora hominis pergant & continuentur in Exteriora & usque in Extrema ejus, ut efficiant effectus suos, ac operentur opera sua; suntne Interna propter Externa, ut desinant in illa, & subsistant in illis, & sic existant, vix aliter quam sicut columna super stylobata sua; potestis videre, quod si non continuatio foret, & sic conjunctio, Extrema dissolverentur, ac diffluerent sicut bullæ in aere; quis negare potest, quin interiores operationes Dei apud homines sint myriades myriadum, de quibus homo nihil scit, & quid juvat illa scire, modo sciat Extrema, in quibus cum sua cogitatione & voluntate cum Deo simul est; sed hoc illustrabitur per Exemplum; num scit homo interiores operationes Loquelæ suæ, ut quomodo Pulmo attrahit aerem, & illo implet vesiculas, bronchias & lobos, quomodo illum aerem emittit in Tracheam, & ibi vertit illum in sonum, quomodo sonus ille in glottide ope laryngis modificatur, & quomodo lingua dein articulat illum, & labia articulationem complent, ut fiat loquela; nonne omnes illæ interiores operationes, de quibus homo nihil scit, sunt propter Extremum, ut homo possit loqui; remove aut separa unum ex internis illis a suo continuo cum extremis, num homo potuisset loqui plus quam stipes. Sit adhuc exemplum; binæ Manus sunt ultima hominis; numne Interiora, quæ illuc continuantur, sunt a Capite per Cervicem, tum per Pectus, Scapulas, Brachia, & Ulnas, suntque innumeri Musculares textus, innumeræ phalanges fibrarum motricium, innumeri manipuli nervorum & vasorum sanguineorum, ac plures ginglymi ossium cum suis membranis & ligamentis, num homo de illis aliquid scit, & tamen operantur manus ejus ex omnibus illis; suppone quod Interiora illa circa poplitem manus se sinistrorsum deflecterent, & non intrarent, annon manus ab ulna decideret, ac sicut aliquod avulsum inanimatum putresceret; imo, si velitis credere, foret sicut cum corpore, si homo decollaretur: prorsus simile foret cum voluntate & cogitatione hominis, si Divina Operatio desineret ante illas, & non influeret in illas; hæc sunt secundum rationem. Nunc si vultis audire, sunt eadem etiam secundum Scripturam Sacram; annon Dominus dicit, *Manete in Me & Ego in vobis; Ego sum Vitis & vos palmites, qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum; quia sine Me non potestis facere quicquam*, Joh. XV: 4. 5; numne fructus sunt bona opera, quæ Dominus facit per hominem, & homo illa sicut a se. Annon Dominus etiam dicit, *quod stet ad ostium & pulset, & quod ad illum qui aperit, ingrediatur, ac cœnet cum illo, & ille cum Ipso*, Apoc. III: 20. Annon Dominus *dat minas & talenta, ut homo negotietur cum illis & lucretur, & quod sicut lucratur, det vitam æternam*, Matth. XXV: 14 ad 34. Luc. XIX: 13 ad 26. Tum *quod mercedem det cuivis secundum laborem in Vinea Ipsius*, Matth. XX: 1 ad 17; sed hæc pauca sunt, possunt Membranæ impleri ex Verbo, de eo, quod homo operaturus sit fructus sicut arbor, facturus sit præcepta, amaturus Deum & proximum, & plura; sed scio, quod

propria intelligentia veſtra cum illis quæ ex Verbo ſunt, non poſſit tale commune habere, quale eſt in ſe, quæ tametſi loquimini, uſque ideæ veſtræ pervertunt illa; & non poteſtis aliter, quia removetis omnia Dei ab homine quoad communicationem & inde conjunctionem; quid tunc ſupereſt niſi etiam omnia cultus." Poſtea illi mihi viſi ſunt in luce Cæli, quæ detegit & manifeſtat, qualis quiſque eſt, & tunc non viſi ſunt ſicut prius in Navigio in aere quaſi in Cælo, nec inibi purpurati quoad veſtes, ac laurati quoad caput, ſed in loco arenoſo, inque veſtibus ex fruſtis, ac cincti retibus quaſi piſcatoriis circum lumbos, trans quæ nuditates eorum apparebant; & tunc demiſſi ſunt in Societatem, quæ in confinio ad Machiavelliſtas erat, de qua ſupra.



CAPUT

C A P U T   D E C I M U M.

1. ET vidi alium Angelum fortem deſcendentem e Cælo, circumdatum nube, & iris ſupra caput, & facies Ejus ſicut Sol, & pedes Ejus ſicut columnæ ignis.

2. Et habebat in manu ſua libellum apertum, & poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mari, & ſiniſtrum ſuper terra.

3. Et clamavit voce magna, ſicut leo rugit, & cum clamavit loquuta ſunt ſeptem tonitrua ſuas voces.

4. Et cum loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas, futurus ſum ſcribere, & audivi vocem e Cælo dicentem mihi, obſigna quæ loquuta ſunt ſeptem tonitrua, & ne illa ſcribas.

5. Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mari & ſuper terra, ſuſtulit manum ſuam in Cælum.

6. Et juravit per Viventem in ſæcula ſæculorum, qui creavit Cælum & quæ in eo, & Terram & quæ in ea, & Mare & quæ in eo, quod tempus non erit amplius.

7. Sed in diebus vocis ſeptimi Angeli, quando futurus eſt clangere, & conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit ſuis ſervis Prophetis.

8. Et vox, quam audivi e Cælo, iterum loquens cum me, & dicens, abi, accipe libellum apertum in manu Angeli ſtantis ſuper terra. mari et super

9. Et abivi ad Angelum, dicens ei, da mihi libellum, & dixit mihi, accipe & devora illum, & amaricabit tuum ventrem, ſed in ore tuo erit dulcis ſicut mel.

10. Et accepi libellum e manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo ſicut mel dulcis, & cum devoravi illum, amaricatus eſt venter meus.

11. Et dixit mihi, oportet te iterum prophetare ſuper populos & gentes & linguas & reges multos.

S E N S U S   S P I R I T U A L I S.

Contentum totius Capitis. Agitur adhuc de exploratione & manifeſtatione illorum, qui in Eccleſiis Reformatorum ſunt, hic quid credunt de Domino, quod ſit Deus Cœli & Terra, ut Ipſe docuit, Matth. XXVIII: 18, & quod Humanum Ipſius ſit Divinum: & quod hoc ibi non receptum ſit, & quod ægre poſſit recipi, quamdiu dogma de juſtificatione per ſolam fidem cordibus inſidet. Con-

Contenta Singulorum Versuum. Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem e Cælo, *ſignificat* Dominum in Divina Majeſtate & Potentia: circumdatum nube, & iris ſupra caput, *ſign*: Divinum Naturale & Divinum Spirituale Ipſius: & facies Ejus ſicut ſol, *ſign:* Divinum Amorem & ſimul Divinam Sapientiam: & pedes Ejus ſicut columnæ ignis, *ſign*: Divinum Naturale Domini quoad Divinum Amorem, quod ſuſtentat omnia: & habebat in manu ſua libellum apertum, *ſign:* Verbum quoad id doctrinæ ibi, quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, & quod Humanum Ipſius ſit Divinum: & poſuit pedem dextrum ſuper mari & ſiniſtrum ſuper terra, *ſign:* quod Dominus ſub ſuo Auſpicio & Dominio habeat univerſam Eccleſiam: & clamavit voce magna ſicut leo rugit, *ſign:* lamentationem gravem quod Ipſi Eccleſia ſit ablata: & cum clamavit, loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas, *ſign:* quod Dominus per univerſum Cælum detexerit quid in libello: & cum loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas, futurus ſum ſcribere, & audivi vocem e Cælo dicentem mihi, obſigna quæ loquuta ſunt ſeptem tonitrua, & ne illa ſcribas, *ſign*: quod illa quidem manifeſtentur, ſed quod non recipiantur quam poſtquam illi, qui per draconem, beſtiam & pſeudoprophetam intelliguntur, e mundo ſpirituum ejecti ſunt, quia periculum ſi prius: & Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mari & ſuper terra, ſuſtulit manum ſuam in Cælum, & juravit per Viventem in ſæcula ſæculorum, *ſign:* conteſtationem & teſtificationem Domini per Se Ipſum: & Qui creavit Cælum & quæ in eo, & Terram & quæ in ea, & Mare & quæ in eo, *ſign*: qui vivificat omnes qui in Cælo & qui in Eccleſia ſunt, ac omnia & ſingula apud illos: quod tempus non erit amplius, *ſign:* quod non aliquis ſtatus Eccleſiæ ſeu aliqua Eccleſia, niſi agnoſcitur unus Deus, & quod Dominus ſit Ille: ſed in diebus vocis ſeptimi Angeli quando futurus clangere, *ſign:* explorationem & manifeſtationem ſtatus Eccleſiæ finalem, quod peritura ſit, ſi non Nova a Domino inſtauretur: & conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit ſuis ſervis prophetis, *ſign:* quod tunc appariturum ſit quod in Verbo utriuſque Teſtamenti prædictum eſt & hactenus occultatum, quod poſt ultimum judicium ſuper illos, qui devaſtaverunt Eccleſiam, venturum ſit Regnum Domini: & vox quam audivi e cælo iterum loquens cum me, dicens, recipe libellum apertum in manu Angeli ſtantis ſuper mari & ſuper terra, *ſign*: mandatum e Cælo ut haurirent illam doctrinam, ſed ut manifeſtaretur per Johannem quomodo illa in Eccleſia reciperetur, antequam illi, qui per draconem, beſtiam & pſeudoprophetam intelliguntur, remoti ſunt: & abivi ad Angelum, dicens ei da mihi libellum, *ſign:* motionem animi apud plures ad recipiendum doctrinam: & dixit mihi, accipe & devora illum, & amaricabit tuum ventrem, ſed in ore tuo erit dulcis ſicut mel, *ſign:* quod receptio ex agnitione quod Dominus ſit Salvator & Redemptor, ſit grata & amæna, at quod agnitio quod Solus ſit Deus Cæli & Terræ, & quod Humanum Ipſius ſit Divinum, ſit ingrata & moleſta ex falſificationibus: & accepi libellum e manu Angeli & devoravi illum, & erat in ore meo ſicut mel dulcis, & cum devoravi illum amaricatus eſt venter meus, *ſign:* ita factum, & ſic manifeſtatum: & dixit mihi, oportet te iterum prophetare ſuper populos & gentes & linguas &

reges

reges multos, *ſign*: quod quia ita eſt, adhuc docendum ſit quales ſunt qui in ſola fide.

EXPLICATIO.

464. In hoc & in ſequente Capite agitur de Domino, quod ſit Deus Cæli & Terræ, & quod ſit Deus etiam quoad Humanum; conſequenter quod Jehovah ſit Ipſe. Quod de Hoc in binis his Capitibus agatur, videri poteſt ex ſingulis in ſenſu ſpirituali, & ex clauſula eorum, Cap. XI: 15. 16. 17.

465. *Et vidi alium Angelum fortem deſcendentem e Cælo*, *ſignificat Dominum in Divina Majeſtate & Potentia.* Quod Angelus hic ſit Dominus, patet a deſcriptione Ejus, quod circumdatus nube, iris ſupra caput, facies Ejus ſicut Sol, pedes Ejus ſicut columnæ ignis, & quod teneret pedes ſuos ſuper mari & ſuper terra; tum quod clamaverit ſicut leo rugit, & loquutus ſicut tonitru. Quod viſus ſit ſicut Angelus, eſt quia apparet in Cælis & infra Cælos, quando ſe manifeſtat, ut Angelus; implet enim aliquem Angelum Divino ſuo accommodate ad receptionem illorum quibus Se dat videndum; ipſam præſentiam Ipſius, qualis eſt in Se aut ſua Eſſentia, non aliquis Angelus, & minus aliquis homo, ſuſtinet; quare apparet ſupra Cælos ut Sol, qui diſtat ab Angelis ſicut ſol mundi ab hominibus; ibi eſt in Divino ſuo ab æterno & ſimul in Divino ſuo Humano, quæ unum ſunt ſicut anima & corpus. Vocatur hic Angelus fortis ex Divina potentia: & dicitur alius Angelus ex eo, quod aliud Divinum Ipſius hic deſcribatur quam prius.

466. *Circumdatum nube & iris ſupra caput*, *ſignificat Divinum Naturale & Divinum Spirituale Ipſius.* Per nubem, qua circumdatus, ſignificatur Divinum Naturale, quare Verbum in Senſu naturali, quod etiam eſt ab Ipſo, ita Ipſius & Ipſe, ſignificatur per nubem, n. 24; per iridem ſignificatur Divinum Spirituale, quod quia eſt ſupra Naturale, ideo Iris viſa eſt ſupra caput: ſciendum eſt, quod Dominus in Divino ſuo Naturali ſit apud homines, in Divino autem Spirituali apud Angelos Regni ſpiritualis, & in Divino Cæleſti apud Angelos Regni cæleſtis, ſed uſque non eſt diviſus, at apparet cuique ſecundum quale ejus. Divinum Spirituale Domini etiam ſignificatur per Iridem apud Ezechielem „ *Super expanſo Cheruborum ſimilitudo Throni, & ſuper illo aſpectus Hominis; & ex igne lumborum Ejus ſicut aſpectus* IRIDIS *quæ in nube in die pluviæ, hic aſpectus gloriæ Jehovæ*, I: 26. 28. 29; per Thronum ſignificatur Cælum, per Hominem ſuper illo Dominus, per ignem lumborum amor cæleſtis, & per Iridem Divinum Verum ſpirituale, quod etiam eſt Divinæ Sapientiæ Ipſius. Per Iridem, de qua hæc apud Moſen „ ARCUM MEUM DEDI IN NUBE, *qui erit in ſignum fœderis inter Me & inter Terram, & cum videro illum in Nube, recordabor fœderis æterni*, Geneſ. IX: 12 ad 17, non aliud intelligitur quam Divinum Verum ſpirituale in naturali apud hominem qui regeneratur, ſit enim homo, cum regeneratur, a naturali ſpiritualis; & quia tunc eſt conjunctio Domini cum illo, ideo dicitur, quod arcus in nube eſſet in ſignum fœderis, fœ-

dus ſignificat conjunctionem; quod non aliqua conjunctio Domini cum homine ſit per irides in mundo, patet.

467. *Et Facies Ejus ſicut Sol, quod ſignificet Divinum Amorem & ſimul Divinam Sapientiam*, patet ab explicatis ſupra n. 53, ubi ſimilia dicuntur de Filio Hominis.

468. *Et pedes Ejus ſicut columnæ ignis, ſignificat Divinum Naturale Domini quoad Divinum amorem, quod ſuſtentat omnia.* Hoc etiam patet ab explicatis ſupra n. 49, ubi de Filio Hominis dicitur, quod *Pedes Ipſius eſſent ſimiles chalcolibano tanquam in camino igniti*: cauſa, quod Pedes Ipſius viſi ſint ſicut Columnæ ignis, eſt quia Divinum Naturale Domini, quod in ſe eſt Divinum Humanum quod in Mundo ſuſcepit, ſuſtentat Divinum Ipſius ab æterno, ſicut corpus animam, & ſimiliter ſicut ſenſus naturalis Verbi ſuſtentat Senſum ſpiritualem & cæleſtem ejus, de quo videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 27 ad 49; quod Pedes ſignificent Naturale, videatur n. 49, & Columna ſuſtentaculum, n. 191; quod Ignis ſignificet amorem, eſt quia ignis ſpiritualis non aliud eſt; quare in ſolenni cultu oratur, ut Ignis cæleſtis accendat corda, hoc eſt, amor cæleſtis; quod ſit correſpondentia inter ignem & amorem, noſcitur ex eo, quod homo incaleſcat ex amore, ac frigeſcat ex deprivatione ejus, non aliud eſt quod facit calorem vitalem, quam amor in utroque ſenſu; origo correſpondentiarum eſt ex duobus Solibus, uno in Cælis qui eſt purus Amor, & alter in Mundo, qui eſt purus ignis; inde quoque eſt correſpondentia omnium Spiritualium & Naturalium. Quoniam Ignis ſignificat Amorem Divinum, ideo *Jehovah viſus eſt Moſi ſuper Monte Chorebo in rubo in* IGNE, Exod. III: 1. 2. 3. *Et deſcendit ſuper montem Sinai in* IGNE, Deutr. IV: 36. Et ideo *Septem lucernæ Candelabri in Tabernaculo quavis veſpera* ACCENDEBANTUR, *ut* ARDERENT *coram Jehovah*, Levit. XXIV: 2. 3. 4. Tum, *quod* IGNIS *jugiter* ARDERET *ſuper Altari, & non exſtingueretur*, Levit. VI: 6. *Quodque ex Altari acciperent* IGNEM *in thuribulis & ſuffirent*, Levit. XVI: 12. 13. Num. XVII: 11. 12. *Quod Jehovah iverit coram filiis Iſraelis noctu in* COLUMNA IGNIS, Exod. XIII: 21. 22. *Quod ſuper Habitaculo eſſet* IGNIS *noctu*, Exod. XL: 38. Pſalm. CV: 37. 39. Eſaj. IV: 5. 6. Quod IGNIS E CÆLO *conſumſerit holocauſta ſuper Altari*, in ſignum beneplaciti, Levit. IX: 24. I Reg. XVIII: 38: quod *Holocauſta vocata ſint* IGNITA JEHOVÆ, & IGNITA ODORIS QUIETIS JEHOVÆ, Exod. XXIX: 18. Levit. I: 9. 13. 17. Cap. II: 2. 9. 10. 11. Cap. III: 5. 16. Cap. IV: 15. Cap. V: 12. Cap. VI: 30. Cap. XXI: 6. Num. XXVIII: 2. Deutr. XVIII: 1. *Quod oculi Domini viſi ſint ſicut* FLAMMA IGNIS, Apoc. I: 13. Cap. II: 18. Cap. XV: 12. Dan. X: 5. 6. *Quod ſeptem* LAMPADES IGNIS *arderent coram Throno*, Apoc. IV: 5; inde patet, quid ſignificatur per *Lampades cum oleo & abſque oleo*, Matth. XXV: 1 ad 11, per oleum intelligitur ignis, & ſic amor: præter multis aliis in locis. Quod Ignis in oppoſito ſenſu ſignificet amorem infernalem, patet a tam multis locis in Verbo, ut vanum ſit illa adducere propter copiam; videatur aliquid de eo in Opere de CÆLO ET INFERNO Londini edito, n. 566 ad 575.

469. *Et habebat in manu ſua libellum apertum, ſignificat Verbum quoad id doctri-*

næ

næ ibi, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & quod Humanum Ipsius sit Divinum. Quod per Librum, quem Agnus accepit ex Sedente super Throno, & cujus septem sigilla solvit, Apoc. V: 1. 7. Cap. VI: 1, intelligatur Verbum, videatur supra n. 256. 259. 295 seq. quare per Libellum in manu Angeli, qui etiam est Dominus n. 465, hic non aliud intelligitur quam Verbum quoad aliquod Essentiale ibi; quod hoc sit id doctrinæ in Verbo, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & quod Humanum Ipsius sit Divinum, patet a singulis in hoc Capite, & in sequente in sensu spirituali, & quoque ex sensu naturali Cap. seq. XI: Vers. 15. 16. 17: dicitur Libellus apertus, quia illud exstat manifeste in Verbo, & patet cuivis, qui legit, si attendit: de hoc nunc agitur, quia hoc est ipsum Essentiale Ecclesiæ Novæ; causa est, quia a cognitione & agnitione Dei pendet salus cujusvis, est enim sicut dicitur in PRÆFATIONE, „ Quod super justa idea Dei fundetur universum Cælum, & in Terris „ universa Ecclesia, & in genere omnis Religio, quia per illam est conjun„ ctio, & per conjunctionem lux, sapientia, & felicitas æterna": nunc quia Dominus est Ipse Deus Cæli & Terræ, quare si Ipse non agnoscitur, non aliquis admittitur in Cælum, Cælum enim est Corpus Ipsius, sed is stat infra, & mordetur a serpentibus, hoc est, a spiritibus infernalibus, a quibus non datur sanatio, nisi quæ fuerat filiis Israelis, ut spectarent ad Serpentem æneum, Num. XXI: 1 ad 16, per quem quod intelligatur Dominus quoad Divinum Humanum, patet ex his apud Johannem „ *Sicut Moses exaltavit Serpentem in deserto, ita oportet exaltari Filium Hominis, ut omnis qui credit in Ipsum, non pereat, sed vitam æternam habeat*, III: 14. 15.

470. *Et posuit pedem dextrum super mari & sinistrum super terra, significat quod Dominus sub suo Auspicio & Dominio habeat universam Ecclesiam, tam illos ibi qui in externis ejus sunt, quam illos ibi qui in internis ejus.* Per Mare & Terram significatur Universa Ecclesia, per Mare Ecclesia externa, hoc est, illi qui in Externis ejus sunt, & per Terram Ecclesia interna, hoc est, illi qui in Internis ejus sunt, n. 398; per ponere pedes super illis, significatur omnia sibi subjecta habere, proinde sub Divino suo Auspicio & Dominio. Quoniam Ecclesia Domini in Terris est sub Cælis, ideo vocatur illa Scabellum pedum Ipsius, ut in his locis „ *Projecit e Cælo in terram decus Israelis, non recordatur* SCABELLI PEDUM SUORUM, Thren. II: 1. *Terra* SCABELLUM PEDUM *meorum*, Esaj. LXVI: 1. *Intrabimus in Habitacula Ipsius, incurvabimus nos* SCABELLO PEDUM *Ipsius*, Matth. V: 34. 35. *Non jurabis per Cælum, quia Thronus Dei est, neque per* TERRAM, *quia* SCABELLUM PEDUM *Ipsius*, Matth. V: 34. 35. LOCUM PEDUM *meorum honorabilem reddam*, Esaj. LX: 13. *Dominari fecisti Ipsum super omnia manuum tuarum, omnia posuisti sub* PEDES *Ipsius*, Psalm. VIII: 7, hæc de Domino. Quod Pedem dextrum posuerit super Mari, & sinistrum super Terra, est quia illi qui in Ecclesiæ Externis sunt, non ita confirmaverunt falsa apud se, sicut qui in Internis ejus sunt.

471. *Et clamavit voce magna sicut leo rugit, significat lamentationem gravem quod Ipsi Ecclesia sit ablata.* Quod per clamare sicut leo rugit, significetur lamentatio gravis de Ecclesia, & quod illa Ipsi sit ablata, patet ab explicatis in

præcedente Capite, ubi explorati & manifestati sunt status vitæ illorum qui ab Ecclesia, qui erant lamentabiles; tum ab his in hoc Capite, quod Angelus juraverit per Viventem in sæcula sæculorum, quod tempus non erit amplius, per quod significatur quod non Ecclesia; ut & in sequente Capite, quod bestia ascendens ex abysso occiderit binos testes Ipsius; imprimis quod non agnoscatur & adeatur, tametsi est Deus Cæli & terræ. Lamentatio de his significatur per quod rugiverit sicut leo, leo enim rugit cum videt hostes suos & insultus eorum, & cum videt auferri catulos suos & prædam suam, ita comparative Dominus, cum videt auferri Ecclesiam suam a diabolis: quod hoc per rugire sicut leo, significetur, constare potest ex his locis „ *Quemadmodum* RUGIT LEO *&* JUVENIS LEO *super rapina sua, cum occurrit contra illum plenitudo pastorum, sic descendit Jehovah Zebaoth ad militandum super monte Sionis*, Esaj. XXXI: 4. *Ira accensa est Jehovæ contra populum Ipsius*, RUGITUS ILLI SICUT LEONIS, RUGIT SICUT LEONES JUVENES, *& fremit & apprehendit prædam; quia ecce tenebræ, anxietas, & lux obtenebrescit in ruinis suis*, Esaj. V: 25 ad 30. *Jehovah ex alto* RUGIET, *& ex Habitaculo sanctitatis suæ edet vocem*, RUGIENDO RUGIET *contra habitacula sua*, Jerem. XXV: 29. 30. 31. *Jehovah e Sione* RUGIET, *& ex Hierosolyma dabit vocem suam*, Joel IV: 16. *Non perdam Ephraimum, post Jehovam ibunt, sicut* LEO RUGIET, *quia ille* RUGIET, Hosch. XI: 10. 11. LEO RUGIT, *quis non timeat, Dominus Jehovih loquutus est, quis non prophetet*, Amos III: 7. 8. Deus RUGIT *voce sua, tonat voce majestatis suæ*, Hiob XXXVII: 4. 5. Quod Rugitus significet lamentationem gravem, constat ex his „ *Inveterata sunt ossa mea per* RUGITUM *meum omni die*, Psalm. XXXII: 3. *Debilitatus & contritus sum*, RUGIVI, *præ* RUGITU *cordis mei*, Psalm. XXXVIII: 9. *Ante panem suspirium meum, & effunduntur sicut aquæ* RUGITUS *mei*, Hiob III: 24.

472. *Et cum clamavit, loquuta sunt septem tonitrua voces suas, significat quod Dominus per Universum Cælum detexerit quid in Libello.* Quod hoc significetur, est quia sequitur quod vellet scribere quæ septem tonitrua loquuta sunt, sed quod e cælo illi dictum sit ut obsignaret illa, & non scriberet: & postea, quod devoraret libellum, & quod ille in ore ejus esset dulcis sicut mel, sed quod ex eo amaricatus sit venter ejus; per quæ significatur, quod talia inessent, quæ adhuc non reciperentur; causa videatur in Articulo sequente. Sed aperiam quid in Libello; in Libello erant illa, quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, a principio ad finem, continentur, quæ sunt sequentia.

Quod Universa Scriptura Sacra sit de Domino, & quod Dominus sit Verbum, n. 1 ad 7.

Quod Dominus impleverit omnia Legis sit quod impleverit omnia Verbi, n. 8 ad 11.

Quod Dominus in mundum venerit, ut subjugaret Inferna, & glorificaret Humanum, & quod Passio crucis fuerit ultima pugna, per quam plene vicit Inferna, & plene glorificavit Humanum suum, n. 12 ad 14.

Quod

Quod Dominus per Paſſionem crucis non abſtulerit peccata, ſed quod portaverit illa, n. 15 ad 17.

Quod imputatio meriti Domini non aliud ſit quam remiſſio peccatorum poſt pænitentiam, n. 18.

Quod Dominus quoad Divinum Humanum dicatur Filius Dei, & quoad Verbum dicatur Filius Hominis, n. 19 ad 28.

Quod Dominus Humanum ſuum fecerit Divinum ex Divino in Ipſo, & quod ſic unum factus ſit cum Patre, n. 29 ad 36.

Quod Dominus ſit Ipſe Deus a Quo & de Quo Verbum, n. 37 ad 44.

Quod Deus unus ſit, & quod Dominus ſit Ille Deus, n. 45.

Quod Spiritus Sanctus ſit Divinum procedens a Domino, & quod illud ſit Ipſe Dominus, n. 46 ad 54.

Quod Doctrina Fidei Athanaſianæ concordet cum veritate, dum modo per Trinitatem Perſonarum intelligatur Trinitas Perſonæ, quæ eſt in Domino, n. 55 ad 61.

Quod dicatur quod ſeptem tonitrua loquuta ſint voces ſuas, eſt quia loquela Domini per Cælos delapſa in inferiora auditur ſicut tonitru, & quia loquitur ſimul per totum Cælum, ita plene, dicuntur ſeptem tonitrua, per ſeptem enim ſignificantur omnes, omnia, & totum, n. 10. 391; quare etiam per tonitru ſignificatur inſtructio & perceptio veri, n. 236, hic etiam detectio & manifeſtatio. Quod vox e Cælo audiatur ſicut tonitru, quando a Domino, patet ab his ,, *Jeſus dixit, Pater glorifica Nomen tuum, & exiit vox e Cælo & dixit, & glorificavi & glorificabo; turba audivit hoc ſicut* TONITRU, Joh. XII: 28. 29. 30. *Deus rugit voce ſua*, TONAT *voce majeſtatis*, Hiob XXXVII: 4. 5. TONAVIT *e Cælo Jehovah, & Altiſſimus dedit vocem ſuam*, II. Sam. XXII: 14. *Audivi vocem e Cælo tanquam vocem* TONITRUI MAGNI, Apoc. XIV: 2. *Invocaſti Me, & reſpondi tibi in occulto* TONITRU, Pſalm. LXXXI: 8, B.a.7.

V.4 473. *Et cum loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas, futurus ſum ſcribere, & audivi vocem e Cælo dicentem mihi, obſigna quæ loquuta ſunt ſeptem tonitrua, & ne illa ſcribas*, ſignificat *quod illa quidem manifeſtentur, ſed quod non recipiantur, quam poſtquam illi, qui per draconem, beſtiam & pſeudoprophetam intelliguntur, e Mundo ſpirituum ejecti ſunt, quia periculum ſi prius.* Voces quas loquuta ſunt ſeptem tonitrua, ſunt illa de quibus nunc ſupra n. 472, quæ quia ipſa Eſſentialia Novæ Eccleſiæ ſunt, ter dicuntur: per ſcribere in ſenſu naturali ſignificatur mandare chartæ, & ſic poſteritati in recordationem, ſed in ſenſu ſpirituali per ſcribere ſignificatur mandare cordi ad receptionem; inde per obſignare & non ſcribere illa, ſignificatur quod non mandentur cordi & recipiantur, quam poſtquam draco, beſtia & pſeudopropheta e Mundo ſpirituum ejecti ſunt, quia periculum ſi prius; cauſa eſt, quia per draconem, beſtiam & pſeudoprophetam, ſignificantur illi qui in fide ſeparata a charitate ſunt, & hi conſtanter & tena-

tenaciter hærent in fide ſua, quod Deus Pater adeundus ſit, & non Dominus immediate, tum quod Dominus non ſit Deus Cæli & Terræ quoad Humanum ſuum; quare ſi Doctrina illa, de qua mox ſupra n. 472, quæ manifeſtata eſt & adhuc manifeſtatur, quod ſignificatur per quod *Libellus apertus* fuerit, reciperetur ab aliis quam qui in charitate & ejus fide ſunt, qui etiam ſunt qui per Johannem ſignificantur, n. 5. 17, antequam draco ejectus eſt, illa rejiceretur non modo ab illis, ſed etiam per illos a reliquis; & ſi non rejiceretur, uſque falſificaretur, imo prophanaretur. Quod ita ſit, manifeſte patet a nunc ſequentibus in Apocalypſi in ſerie viſis, quæ ſunt, quod occiderint binos Domini Teſtes, Cap. XI; quod Draco ſteterit juxta Mulierem parituram ut devoraret fætum ejus, & poſtquam pugnaverat cum Michaele, perſequutus ſit Mulierem illam, Cap. XII: quodque binæ Beſtiæ, una e mari & altera e terra aſcendentes, unum fecerint cum illo, Cap. XIII; tum quod in bellum congrevarint ſuos ad locum dictum Armageddon Cap. XVI: & ultimo quod in bellum convocaverint Gentes, Gogum & Magogum, Cap. XX: 8. 9: at quod draco, beſtia & pſeudopropheta conjecti ſint in ſtagnum ignis & ſulphuris, Cap. XX: 10, quibus factis, Nova Eccleſia, quæ futura eſt Uxor Agni, deſcendit e Cælo, Cap. XXI. XXII. Hæc ſunt, quæ per hæc, *Obſigna quæ loquuta ſunt ſeptem tonitrua, & ne illa ſcribas*, intelliguntur; tum per hæc in hoc Capite, *In diebus vocis ſeptimi Angeli conſummabitur myſterium Dei ſicut evangelizavit ſervis ſuis prophetis*, Verſ. 7: ut & per hæc in ſequente Capite „ *Et ſeptimus angelus clanxit, & factæ ſunt voces magnæ in Cælo, dicentes, facta ſunt Regna mundi Domini noſtri & Chriſti Ipſius*, Verſ. 15; & inſuper per plura ſimilia in Capitibus quæ ſequuntur. Videatur de hac re aliquid in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n 61.

474. *Et Angelus quem vidi ſtantem ſuper mari & terra, ſuſtulit manum ſuam in cælum & juravit per Viventem in ſæcula ſæculorum, ſignificat conteſtationem & teſtificationem Domini per Seipſum.* Per Angelum ſtantem ſuper mari & terra, intelligitur Dominus, n. 470; per tollere manum in Cælum, ſignificatur conteſtatio, hæc, quod tempus non erit amplius, Verſ. 6; per jurare ſignificatur teſtificatio, hæc, quod in diebus vocis ſeptimi angeli conſummabitur myſterium Dei, Verſ. 7; per Viventem in ſæcula ſæculorum, intelligitur Ipſe Dominus, ut ſupra Cap. I: 18. Cap. IV: 9. 10. Cap. V: 14. Dan. IV: 31; quod Dominus teſtificetur per Seipſum, videbitur mox; ex his patet, quod per hæc, Et Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mari & terra, ſuſtulit manum ſuam in Cælum, & juravit per Viventem in ſæcula ſæculorum, ſignificetur conteſtatio & teſtificatio Domini per Seipſum. Quod Jehovah juret, hoc eſt, teſtificetur per Seipſum, conſtat ex his locis „ PER ME JURAVI, *exivit ex ore meo verbum quod non revocabitur*, Eſaj. XLV: 23. PER ME JURAVI, *quod in deſolationem futura ſit Domus hæc*, Jerem. XXII: 5. JURAVIT JEHOVAH PER ANIMAM SUAM, Jerem. LI: 14. Amos VI: 8. JURAVIT JEHOVAH PER SANCTITATEM SUAM, Amos IV: 1. JURAVIT JEHOVAH PER DEXTRAM SUAM, *& per brachium roboris ſui*, Eſaj. LXII. 8. *Ecce* EGO JURAVI PER NOMEN MEUM *magnum*, Jerem. XLIV: 26; quod Jehovah, hoc eſt, Dominus jura-

juraverit per Seipsum, significat quod Divinum Verum testetur, est enim Ipse Divinum Verum, & hoc testatur a se & per se: præter illa, quod Jehovah juraverit, videatur Esaj. XIV: 24. Cap. LIV: 9. Psalm. LXXXIX: 4. 36. Psalm. XCV: 11. Psalm. CX: 4. Psalm. CXXXII: 11; quod dicatur quod Jehovah juraverit, est quia Ecclesia apud filios Israelis instituta fuit Ecclesia repræsentativa, & inde repræsentata est conjunctio Domini cum Ecclesia per fædus, qualiter fit inter duos, qui pacta sua jurant; quare quia juramentum fuit fæderis, dicitur quod Jehovah juraverit; per quod tamen non intelligitur quod juraverit, sed quod Divinum Verum id testetur. Quod Juramentum fuerit fæderis, patet ex his „ JURAVI *tibi*, & *inii fædus ut esses Mibi*, Ezech. XVI: 8. *Ad recordandum fæderis*, JURAMENTI QUOD JURAVIT, Luc. I: 72. 73. Psalm. CV: 9. Jerem. XI: 5. Cap. XXXII: 22. Deutr. I: 32. Cap. X: 11. Cap. XI: 9. 21. Cap. XXVI: 3. 15. Cap. XXXI: 20. Cap. XXXIV: 4. Quia fædus erat repræsentativum conjunctionis Domini cum Ecclesia, & reciproce Ecclesiæ cum Domino, ac juramentum erat fæderis, ac jurandum erat ex vero in se, ita quoque per illud, ideo permissum fuit filiis Israelis jurare per Jehovam, & sic per Divinum Verum, Exod. XX: 7. Levit. XIX: 12. Deutr. VI: 13. Cap. X: 20. Esaj. XLVIII: 1. Cap. LXV: 16. Jerem. IV: 2. Sach. V: 4: sed postquam Repræsentativa Ecclesiæ abrogata sunt, etiam juramenta fæderis a Domino abrogata sunt, Matth. V: 33 ad 37. Cap. XXIII: 16 ad 22.

475. *Qui creavit Cælum & quæ in eo, & Terram & quæ in ea, & Mare & quæ in eo, significat qui vivificat omnes qui in Cælo & qui in Ecclesia sunt, ac omnia & singula apud illos.* Per Creare in naturali sensu significatur creare, in spirituali autem sensu per creare significatur reformare & regenerare, n. 254. 290, quod etiam est vivificare; per Cælum intelligitur Cælum ubi sunt Angeli; per Terram & Mare, significatur Ecclesia, per terram illi qui in Internis ejus sunt & per mare illi qui in Externis ejus, n. 398. 470; per quæ in illis, significantur omnia & singula apud illos.

476. *Quod tempus non erit amplius, significat quod non aliquis status Ecclesiæ, seu aliqua Ecclesia, nisi agnoscitur unus Deus, & quod Dominus sit Ille.* Per Tempus significatur status, & quia hic de Ecclesia agitur, significatur status Ecclesiæ; inde per quod tempus non erit amplius, significatur quod non aliquis status Ecclesiæ: quod etiam intelligatur, quod non aliqua Ecclesia sit, nisi agnoscitur unus Deus, & quod Dominus sit Ille, sequitur; at quid hodie, quod Deus sit unus, non negatur, sed quod Dominus sit Ille, negatur, & tamen non datur unus Deus, & simul Trinitas in Quo, nisi Dominus; quod Ecclesia sit ab Ipso Qui est Salvator & Redemptor, non negatur, at quod Ipse ut Salvator & Redemptor immediate adeundus sit, negatur: inde patet, quod Ecclesia exspiratura sit, nisi Nova existat, quæ Dominum Solum pro Deo Cæli & Terræ agnoscit, & propterea Ipsum immediate adit, videatur Matth. XXVIII: 18; quare hoc, quod *tempus non erit amplius*, hoc est, quod non Ecclesia, se refert ad illa quæ in hoc Capite sequuntur Vers. 7, & hæc ad illa quæ in Cap. XI: Vers. 15, ubi dicitur quod futura sit Ecclesia, quæ

Solius

Solius Domini erit. Quod per Tempus ſignificetur Status, eſt quia in Mundo Spirituali non metiuntur tempora per dies, ſeptimanas, menſes & annos, ſed per Status, qui ſunt progreſſiones vitæ eorum, ex quibus recordantur præteritorum, de quibus videatur Opus de Cælo et Inferno, Londini, an. 1758. editum, n. 162 ad 169, ubi de Tempore in Cælo actum eſt. Quod ſtatus Eccleſiæ hic per tempus intelligatur, eſt quia dies & nox, mane & veſpera, æſtas & hyems, faciunt tempus in mundo, & illa in Spirituali ſenſu intellecta faciunt ſtatus Eccleſiæ; quare dum hi ſtatus non amplius ſunt, non eſt aliqua Eccleſia; & tunc non eſt, quando non bonum & verum eſt amplius, ita quando lux veri eſt caligo, & calor boni eſt frigus; hæc ſunt quæ intelliguntur per quod non tempus amplius. Similia intelliguntur per hæc in Verbo „ *Beſtia quarta cogitabit immutare* Tempora, Dan. VII: 25. *Erit dies unus qui notus Jehovæ, non dies nec nox*, ita non tempus, Sach. XIV: 7. *Occidere faciam ſolem in meridie, & obtenebrabo terram in die lucis*, ita nec tempus, Amos VIII: 9. *Malum unum ecce venit, finis venit, venit finis, venit mane ſuper te habitator terræ, venit* Tempus, Ezech. VII: 5. 6. 7; mane eſt principium Eccleſiæ Novæ, n. 151, quare dicitur venit tempus.

477. *Sed in diebus vocis ſeptimi angeli quando futurus clangere, ſignificat explorationem & manifeſtationem ſtatus Eccleſiæ finalem, quod peritura, ſi non Nova a Domino inſtauretur.* Quod per clangere tuba, ſignificetur explorare & manifeſtare ſtatum vitæ illorum qui ab Eccleſia ſunt, proinde etiam ſtatum Eccleſiæ, videatur ſupra n. 397; & quia ſeptem angeli clangebant, per vocem ſeptimi angeli, ſignificatur exploratio & manifeſtatio finalis, quæ eſt quod Eccleſia peritura ſit, ſi non Nova a Domino inſtauretur; quod peritura ſit, intelligitur per quod tempus non erit amplius, n. 476, & quod nova Eccleſia a Domino inſtauranda ſit, intelligitur per illa quænunc ſequuntur.

478. *Et conſummabitur myſterium Dei, ſicut evangelizavit ſuis ſervis prophetis, ſignificat quod tunc appariturum ſit quod in Verbo utriuſque Teſtamenti prædictum eſt & hactenus occultatum, quod poſt ultimum Judicium ſuper illos, qui devaſtaverunt Eccleſiam, venturum ſit Regnum Domini.* Per conſummari ſignificatur impleri, finem habere, & tunc apparere; per myſterium Dei evangelizatum prophetis, ſignificatur id quod a Domino prædictum eſt in Verbo & hactenus occultatum; per evangelizare, ſignificatur annuntiare adventum Domini & Regnum Ipſius, evangelium enim eſt lætus nuntius; quod hoc exſtiturum ſit, poſtquam ultimum Judicium ſuper illos, qui devaſtaverunt Eccleſiam, factum eſt, etiam in Verbo prædictum eſt, quare hoc quoque ſignificatur: ex his conſtare poteſt, quod hæc omnia per illa verba intelligantur. Hic primum aliquid de prædictione Adventus Domini & Regni Ipſius in Verbo utriuſque Teſtamenti, dicetur: in Verbo Veteris Teſtamenti, quod Propheticum vocatur, in ſenſu ejus ſpirituali, & quoque, ubi ille ſenſus elucet, in ſenſu naturali, agitur de Solo Domino, videlicet de Adventu Ipſius in plenitudine temporum, quæ eſt, quando non amplius bonum charitatis & verum fidei in Eccleſia eſſet, qui ſtatus ejus vocatur conſummatio, devaſtatio, deſola-

solatio, & decisio; tum de Pugnis Ipsius cum infernis ac de Victoriis super illa, quæ etiam sunt Ultimum judicium ab Ipso factum; & post hæc, de Creatione Novi Cæli & de Instauratione Novæ Ecclesiæ, quæ sunt Regnum Domini venturum; de his quoque agitur in Verbo Novi Testamenti, quod Apostolicum vocatur, & in specie in Apocalypsi. Quod sit Regnum Domini, quod in diebus vocis septimi angeli evangelizabitur, patet in Capite sequente XI, ex his „ *Et septimus Angelus clanxit, & factæ sunt voces magnæ in Cælo, dicentes,* FACTA SUNT REGNA MUNDI DOMINI NOSTRI ET CHRISTI IPSIUS, ET REGNABIT IN SÆCULA SÆCULORUM: *& viginti quatuor Seniores ceciderunt super facies suas, & adoraverunt Deum, dicentes, gratias agimus Tibi Domine Deus, Qui Es & Qui Eras & Qui Venturus, quod adeptus sis potentiam tuam magnam, &* REGNUM INIERIS, Vers. 15. 16. 17. Hoc mysterium pæne similiter ut hic in Apocalypsi, describitur apud Danielem, ubi hæc „ *Audivi Virum indutum linteis, quod sustulerit manus suas ad Cælum, & juraverit per Viventem in æternum, quod ad tempus statum temporum statorum & dimidium, quum consummanda sunt omnia hæc: verum dixit, abi Daniel, quia occlusa & obsignata verba usque ad tempus finis*, XII: 7. 9; usque ad tempus finis est usque ad hoc tempus: quod tunc Filius Hominis accepturus sit Regnum, prædicit his verbis „ *Videns fui in Visionibus noctis, & ecce cum nubibus cælorum, sicut* FILIUS HOMINIS, *veniens fuit; & Huic datum est Dominium, & Gloria, & Regnum, & omnes populi, gentes & linguæ Ipsum colent, Dominium Ipsius Dominium sæculi quod non transibit, & Regnum Ipsius quod non peribit*, Dan. VII: 13. 14. Quod Evangelizare significet Adventum Domini, & tunc Regnum Ipsius, patet ex his locis „ *Super Montem ascende tibi* EVANGELIZATRIX SION; *extolle cum virtute vocem tuam*, EVANGELIZATRIX HIEROSOLYMA; *dic, ecce Deus vester, ecce Dominus Jehovih in forti venit, & brachium Ipsius dominabitur Ipsi*, Esaj. XL: 9. 10. 11. *Quam jucundi sunt super montibus pedes* EVANGELIZANTIS, *audire facientis pacem*, EVANGELIZANTIS *bonum, audire facientis salutem, dicentis Sioni, regnabit Rex tuus*, Esaj. LII: 7. 8. Nah. II: 1. *Cantate Jehovæ, benedicite in Nomine Ipsius*, EVANGELIZATE *de die in diem Salutem Ipsius, Jehovah quia venit*, Psalm. XCVI: 2. 13. *Spiritus Domini Jehovih super Me, ideo unxit Jehovah Me ad* EVANGELIZANDUM *pauperibus, ad prædicandum captivis libertatem, ad proclamandum annum beneplaciti Jehovæ*, Esaj. LXI: 1. 2. *Angelus ad Sachariam, ecce uxor tua pariet filium, qui præcedet coram Domino Deo in spiritu & virtute Eliæ, & ad parandum Domino populum: ego sum Gabriel, & missus sum ad* EVANGELIZANDUM *tibi hoc*, Luc. I: 13. 17. 19. *Angelus dixit pastoribus, ne timete, ecce* EVANGELIZO *vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in urbe Davidis*, Luc. II: 10. 11. *Quod Dominus* EVANGELIZAVERIT *Regnum Dei*, Matth. IV: 23. Cap. IX: 3. Marc. I: 15. Luc. VII: 22. Cap. VIII: 1. Cap. IX. 1. 2. *Quod Johannes Baptista*, Luc. III: 18. *Jesus etiam dixit ad Discipulos, Euntes in universum mundum, prædicate* EVANGELIUM *omni creaturæ*, Marc. XVI: 15. Hoc etiam est EVANGELIUM ÆTERNUM *quod Angelus volans in medio Cæli habebat ad* EVANGELIZANDUM *habitantibus super terra*, Apoc. XIV: 6. Dicitur quod consummabitur mysterium Dei, per quod

 intel-

intelligitur, quod nunc implebitur, quod non impletum est prius, quod est, quod Regnum futurum sit Domini; non enim impletum est a Judæis, quia illi non agnoverunt Dominum; nec impletum est a Christianis, quia hi nec agnoscunt Dominum pro Deo Cæli & Terræ etiam quoad Humanum, Hoc enim faciunt simile humano alterius hominis, quare non Ipsum immediate adeunt, cum tamen Ipse est Jehovah Qui in mundum venit.

V. 8. n/ 479. *Et vox quam audivi e Cælo iterum loquens cum me dicens, recipe libellum apertum in manu Angeli stantis super mari & super terra, significat mandatum e Cælo ut hauriret illam doctrinam de Domino, sed ut manifestaretur per Johannem quomodo illa in Ecclesia reciperetur, antequam illi qui per draconem, bestiam & pseudoprophetam intelliguntur, remoti sunt.* Per vocem quam audivit e Cælo nunc iterum loquentem cum illo, intelligitur vox quæ dixit illi, quod obsignaret quæ loquuta sunt septem tonitrua, & ne illa scriberet, Vers. 4, per quæ significatum est, quod doctrina illa de Domino non reciperetur, quam postquam illi, qui per draconem, bestiam & pseudoprophetam intelliguntur, e mundo spirituum ejecti sunt, quia periculum si prius, videatur supra n. 473; quod ita sit, manifestatur nunc per Johannem, per quod devoraret libellum, de quo sequitur: quod per libellum, intelligatur doctrina de Domino, videatur n. 469. 472; & quod per Angelum stantem super mari & terra, intelligatur Dominus, n. 465. 470.

V. 9. 480. *Et abivi ad Angelum, dicens ei, da mihi libellum, significat motionem animi apud plures in Ecclesia ad recipiendum doctrinam.* Hoc significatur, quia per Johannem hic manifestatur, quomodo Doctrina de Domino in Ecclesia a pluribus recipitur, ut mox supra dictum est; motio animi apud hos ad recipiendum illam intelligitur, quia inclinatio apud Johannem, abivit enim & petiit. Quoniam hæc involvunt talia, ideo primum dictum est Johanni ut acciperet, libellum, dein abivit & petiit, tum dixit Angelus quod daturus illum, sed quod libellus amaricaturus ventrem, & demum quod datus sit, & quod ita factum; omnia illa significant.

481. *Et dixit mihi, accipe & devora illum, & amaricabit tuum ventrem, sed in ore tuo erit dulcis sicut mel, significat quod receptio ex agnitione quod Dominus sit Salvator & Redemptor, sit grata & amæna, at quod agnitio quod Solus sit Deus Cæli & terræ, & quod Humanum Ipsius sit Divinum, sit ingrata & molesta ex falsificationibus.* Per accipere libellum, significatur recipere doctrinam de Domino; per devorare illum, significatur agnoscere illam; per amaricare ventrem, significatur quod ingrata & molesta futura sit ex falsificationibus, per amarum enim significatur verum falsificatum, n. 411; per esse in ore dulcis sicut mel, significatur quod primum receptionis sit gratum & jucundum. Hæc nunc applicata ad Doctrinam illam, quæ intelligitur per Libellum apertum in manu Angeli, n. 469. 472, significant quod receptio ex agnitione quod Dominus sit Salvator & Redemptor, sit grata & jucunda, sed quod agnitio quod Solus sit Deus Cæli & Terræ, & quod Humanum Ipsius sit Divinum, sit ingrata & molesta ex falsificationibus. Falsificationes, ex quibus Doctrina illa percipietur ingrata & molesta, sunt præcipuæ, quod Dominum non agnoverint

unum

unum cum Patre, ut tamen Ipse docuit; & quod nec agnoverint Humanum Domini Divinum, quod tamen est Filius Dei, Luc. I: 35; & sic, ut ita dicatur, quod Deum fecerint Tres, ac Dominum Duos; præter falsa continua ex illis: ex his falsis fluit Sola fides, ac Sola fides postea illa falsa confirmat. Quod ex his tanta amaritudo ac interna repugnantia existat, ut ne quidem nominari possit Divinum Humanum ex agnitione in cogitatione ab illis post mortem, videatur supra n. 294.

482. *Et accepi libellum e manu Angeli & devoravi illum, & erat in ore meo sicut mel dulcis, & cum devoravi illum, amaricatus est venter meus*, significat ita factum, & sic manifestatum, qualis foret receptio illius doctrinæ, antequam illi, qui per draconem, bestiam & pseudoprophetam intelliguntur, remoti sunt. Hoc quia est consequens ex supradictis, non ulterius explicatur. Legitur quod etiam Propheta Ezechiel ex mandato *comederit Volumen libri, & quod illud fuerit in ore ejus dulce sicut mel*, Ezech. II: 8. 9. 10, Cap. III: 1 ad 4.

483. *Et dixit mihi, oportet te iterum prophetare super populos & gentes, & linguas & reges multos*, significat quod, quia ita est, adhuc docendum sit quales sunt qui in sola fide. Quod hoc significetur, patet a sequentibus, quod de illis, qui in sola fide sunt, agatur usque ad Caput XVII; & postea de Religioso Romano Catholico, & post hæc de ejectione draconis, bestiæ & pseudoprophetæ in infernum, & sic de Nova Ecclesia, in qua Solus Dominus coletur. Per prophetare significatur docere, n. 8. 133, inde per iterum prophetare, adhuc docere; per populos significantur qui in veris aut falsis doctrinæ sunt, & per gentes qui in bonis aut malis vitæ, de quibus sequitur; per linguas significantur qui exterius in illis sunt, n. 282; & per reges significantur qui interius in illis; quod per reges significentur qui in veris ex bono sunt, & in opposito sensu qui in falsis ex malo, & abstracte vera ex bono aut falsa ex malo, videatur n. 20. 664. 704. 720. 830. 921; & quia de illis, qui in interioribus falsis sunt, in sequentibus in specie agitur, dicitur, *& reges multos*, per quos significantur falsa mali in copia. Dicuntur populi, gentes, linguæ & reges, ut intelligantur omnes qui tales sunt in Ecclesia. Quod dictum sit Johanni, quod illum oporteat iterum prophetare, significat ut adhuc doceatur, quales sunt qui in sola fide, ob causam, ut falsa illorum detegantur & sic aboleantur, quoniam non aboletur aliquod falsum, prius quam detectum est. Quod Populi significent illos qui in veris aut falsis doctrinæ sunt, ac Gentes illos qui in bonis aut malis vitæ, constare potest ex multis locis in Verbo, ubi Populi & Gentes nominantur, sed ad id confirmandum adducentur hic solum loca ubi Populi & Gentes simul nominantur, ex quibus hoc concludi potest, quoniam in Verbo in omnibus & singulis ejus est Conjugium Domini & Ecclesiæ, & inde Conjugium boni & veri, ac Populi se referunt ad verum & gentes ad bonum; quod tale Conjugium sit in omnibus & singulis Verbi, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 80 ad 90. Loca in Verbo sunt hæc, „ *Væ* GENTI *peccatrici*, POPULO *gravi iniquitate*, Esaj. I: 4. *Contra* GENTEM *hypocriticam mittam illum*, *contra* POPU-

LUM *excandescentiæ meæ mandabo illum*, Esaj. X: 5. 6. *Jehovah percutiens* POPULOS *plaga non curabili, dominans cum ira* GENTIBUS, Esaj. XVI: 6. *In die illo adducentur munus Jehovæ* POPULUS *distractus & expilatus*, & GENS *dilineata & conculcata*, Esaj. XVI: 2. *Honorabunt Te* POPULUS *validus*, *urbs* GENTIUM *potentium timebunt Te*, Esaj. XXV: 3. *Jehovah absorbebit obvolutionem super omnes* POPULOS, & *velamen super omnes* GENTES, Esaj. XXV: 8. *Appropinquate* GENTES, & POPULI *auscultate*, Esaj. XXXIV: 1. *Vocavi Te in fœdus* POPULORUM, & *in lucem* GENTIUM, Esaj. XLII: 6. *Omnes* GENTES *congregentur una*, & *conveniant* POPULI, Esaj. XLIII: 9. *Ecce tollam erga* GENTES *manum meam*, & *erga* POPULOS *signum meum*, Esaj. XLIX: 22. *In Testem* POPULIS *dedi Ipsum*, *Principem & Legislatorem* GENTIBUS, Esaj. LIV: 5. 6. *Ecce* POPULUS *veniens e terra septentrionis*, & GENS *magna a lateribus terræ*, Jerem. VI: 22. 23. *Venient* POPULI *multi*, & GENTES *numerosæ ad quærendum Jehovam Zebaoth in Hierosolyma*, Sachar. VIII: 22. *Jehovah irritum reddit consilium* GENTIUM, *subvertit cogitationes* POPULORUM, Psalm. XXXIII: 10. *Jehovah subjiciet* POPULOS *sub nos*, & GENTES *sub pedes nostros*: *regnavit Jehovah super* GENTES, *spontanei* POPULORUM *congregati sunt*, Psalm. XLVII: 4. 9. 10. *Confitebuntur Te* POPULI, *lætabuntur* GENTES, *eo quod judicaturus sis* POPULOS *in rectitudine*, & GENTES *in terra ducturus*, Psalm. LXVII: 3. 4. 5. *Memento mei Jehovah in beneplacito* POPULI tui, *ut læter in gaudio* GENTIUM *tuarum*, Psalm. CVI: 4. 5. OMNES POPULI, GENTES & LINGUÆ FILIUM HOMINIS COLENT, Dan. VII: 14. Præter alibi, ut Psalm. XVIII: 44. Esaj. IX: 1. 2. Cap. XI: 10. Ezech. XXXVI: 15. Joel II: 17. Zeph. II: 9. Apoc. V: 9. Luc. II: 30. 31. 32.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

484. His adjiciam tria Memorabilia, quæ contigerunt in Mundo spirituali; PRIMUM MEMORABILE fuit; Quondam ibi audivi sonum sicut molæ, erat in Plaga ejus septentrionali; primum miratus quid hoc, sed recordatus sum quod per Molam & Molere in Verbo intelligatur ex Verbo inquirere quod inservit doctrinæ, n. 794; quare accessi ad locum, ubi auditus est ille sonus, & cum prope eram, evanescebat sonus, & tunc videbam lacunatum quid supra terram, in quod patebat aditus per antrum; quo viso descendi & intravi, & ecce erat Camera, in qua vidi Virum Senem sedentem inter libros, tenentem ante se Verbum, & inquirentem inde quod inserviebat doctrinæ ejus; schedulæ jacebant circum, quibus inservientia inscripsit; in Camera contigua erant Scribæ, qui schedulas colligebant, & integræ chartæ mandabant. Quæsivi primum de Libris circum eum, dixit, quod omnes agerent de FIDE JUSTIFICANTE, profunde illi qui ex Suionia & Danemarkia sunt, profundius illi qui ex Allemannia, & adhuc profundius illi qui ex Britannia, ac profundissime illi qui ex Batavia; & addidit, quod discrepent in variis, sed quod in Articulo de justificatione & salvatione per solam fidem, omnes conveniant: postea dixit mihi, quod ex Verbo nunc colligat hoc primum fidei justificantis, quod Deus Pater

Pater exciderit gratia erga Genus humanum propter iniquitates ejus, & quod ideo Divina necessitas ad salvandum homines fuerit, ut fieret satisfactio, reconciliatio, propitiatio, mediatio per aliquem, qui in se susciperet damnationem justitiæ, & quod hoc nullatenus potuisset fieri quam per Unicum suum Filium; & quod postquam hoc factum est, apertus sit aditus ad Deum Patrem propter Ipsum; & dixit, video & vidi quod hoc secundum omnem rationem sit; quomodo alioquin potuisset Deus Pater adiri, nisi per fidem in id meritum Filii; nunc etiam inveni, quod hoc quoque sit secundum Scripturam. Audivi hæc, & obstupui quod dixerit id esse secundum rationem & secundum Scripturam, cum tamen est contra rationem & contra Scripturam, quod etiam aperte ei dixi; ille tunc in excandescentia zeli sui regessit, quomodo potes ita loqui; quare aperui mentem meam, dicens, annon contra rationem est cogitare, quod Deus Pater exciderit gratia erga Genus humanum, & reprobaverit illud; estne Divina Gratia Attributum Divinæ Essentiæ, quare excidere gratia foret excidere Divina sua Essentia, & excidere Divina sua Essentia foret non magis esse Deus; num potest Deus abalienari a Se Ipso; crede mihi, quod Gratia a parte Dei, sicut est infinita, etiam sit æterna; gratia Dei a parte hominis potest amitti, si non recipit illam, sed nusquam a parte Dei; si Gratia a Deo recederet, actum foret cum Universo Cælo & cum universo Genere humano, usque adeo, ut homo non quoad aliquod minimum ejus foret homo amplius; quare permanet Gratia a parte Dei in æternum, non modo erga Angelos & Homines, sed etiam erga ipsum Diabolum: cum hoc secundum rationem est, cur dicis quod ad Deum Patrem unicus accessus sit per fidem in meritum Filii, cum tamen perpetuus accessus est per gratiam. Sed cur dicis accessum ad Deum Patrem propter Filium, & cur non ad Deum Patrem per Filium, estne Filius Mediator & Salvator, cur non adis Ipsum Mediatorem & Salvatorem, estne Ille Deus & Homo; quis in terris adit immediate aliquem Cæsarem, Regem aut Principem, annon procurator & introductor erit; scisne quod Dominus in mundum venerit, ut Ipse introducat ad Patrem, & quod non detur nisi per Ipsum accessus; inquire nunc in Scriptura, & visurus es quod hoc sit secundum illam, & quod tua via ad Patrem sit contra Scripturam, sicut est contra rationem; dico tibi etiam, quod sit protervitas scandere ad Deum Patrem, & non per Ipsum qui in sinu Patris est, ac Solus apud Illum, anne legisti Joh. XIV: 6. His auditis, Senex ille excanduit in tantum, ut exsiliret e solio, & clamaret ad Scribas suos, ut me ejicerent, & cum actutum ex meipso egressus sum, projecit post me extra fores librum, quem forte manus ejus apprehendit, & ille liber erat Verbum.

SECUNDUM MEMORABILE fuit hoc. Postquam egressus sum, audivi iterum stridorem, sed sicut duorum lapidum molarium collidentium inter se; accessi ad sonum, & evanescebat, & vidi angustam portam tendentem oblique deorsum in quoddam Lacunar divisum in cellulas, in quarum unaquavis sedebant duo, qui etiam ex Verbo colligebant confirmantia pro Fide, unus colligebat & alter scribebat, & hoc alternis: accessi ad unam cellulam, & steti in ostio, & quæsivi quid vos colligitis & scribitis; dicebant, de ACTU JUSTIFICATIONIS

ſeu de FIDE ACTU, quæ eſt ipſa Fides juſtificans, vivificans & ſalvans, & caput doctrinæ in Chriſtianiſmo: & tunc dixi ad illum, dic mihi aliquod ſignum Actus, quando fides illa in cor ac in animam hominis infertur; reſpondit, ſignum Actus eſt in momento, cum homo percitus dolore quod damnatus ſit, cogitat de Chriſto quod damnationem legis abſtulerit, & hoc meritum Ipſius cum fiducia apprehendit, & cum hoc in cogitatione adit Deum Patrem & orat; tunc dixi, ſit ita actus, & eſt hoc momentum; & quæſivi, quomodo comprehendam, quod dicitur de hoc Actu, quod ad illum non concurrat aliquid hominis plus quam concurrit, ſi foret ſtipes aut lapis, & quod homo quoad illum Actum nihil poſſit inchoare, velle, intelligere, cogitare, operari, cooperari, ſe applicare & accommodare; dic mihi quomodo hoc cohæret cum dictis tuis, quod Actus tunc incidat, cum homo cogitat de jure legis, de damnatione ejus a Chriſto ſublata, de fiducia ex qua apprehendit id Ipſius meritum, & in cogitatione de hoc adit Deum Patrem & orat, fiuntque omnia illa ab homine ſicut ab ipſo; ſed dixit, non fiunt active ab homine, ſed paſſive; & reſpondi, quomodo poteſt quis cogitare, fiduciam habere, ac orare paſſive; aufer homini activum aut reactivum tunc, annon etiam aufers receptivum, ita omne, & cum omni ipſum Actum, quid tunc ſit tuus actus, niſi pure ideale quod vocatur ens rationis: ſcio quod non credas cum quibusdam talem actum dari ſolum apud prædeſtinatos, qui nihil quicquam de infuſione fidei apud ſe ſciunt; hi poſſunt ludere talis, & inquirere num ſit: quare, mi amice, crede quod homo in rebus fidei operetur & cooperetur ſicut a ſeipſo, & quod abſque illa cooperatione Actus fidei, quem vocaſti caput doctrinæ & religionis, non ſit niſi quam Statua uxor Lothi, tinniens ex mero ſale ſtricta penna ſcribæ aut ungue digiti ejus, Luc. XVII: 32; hoc dixi, quia facitis voſmet ipſos quoad Actum illum ſimiles ſtatuis. Cum hoc dixi, ſurrexit, & ſumſit lychnuchum vi manus conjecturus in faciem meam, at ſubito tunc extincto lychno & facta caligine, conjecit in frontem ſodalis; & abivi ridens.

TERTIUM MEMORABILE hoc fuit. In Plaga ſeptentrionali Mundi ſpiritualis audivi ſicut ſtrepitum aquarum; quare illuc acceſſi, & cum prope eram, ceſſavit ſtrepitus, & audivi ſonorum ſicut ex congregatione; & tunc viſa eſt Domus foraminoſa, circumcincta macerie, e qua auditum eſt ſonorum illud; acceſſi, & erat ibi Oſtiarius, quem quæſivi, quinam ibi, dixit, quod eſſent ſapientum ſapientes, qui inter ſe concludunt res ſupranaturales, loquebatur ita ex ſimplici ſua fide, & dixi, liceatne intrare, dixit quod liceat, modo ne aliquid loquaris; poſſum admittere, quia ex venia admitto gentiles qui in oſtio mecum ſtent; quare intravi, & ecce erat Circus & in ejus medio Pulpitum, & Cœtus ſapientum ita dictorum ventilabant arcana fidei; & tunc materia ſeu propoſitio ventilationi ſubjecta fuit, num Bonum, quod homo in STATU JUSTIFICATIONIS PER FIDEM, ſeu in progreſſione ejus poſt actum, facit, ſit bonum religionis vel non; dixerunt unanimiter quod per Bonum religionis intelligatur bonum quod confert ad ſalutem; ventilatio acris fuit; ſed prævaluerunt qui dixerunt, quod bona quæ homo in ſtatu ſeu progreſſione fidei facit, ſint modo bona moralia, civilia & politica, quæ nihil ad ſalutem conferunt, ſed ſo-

la-

erret

lumodo fides; & confirmaverunt illud ita; quomodo poteſt aliquod opus hominis conjungi cum gratuito, ſitne ſalvatio gratis; quomodo poteſt aliquod bonum hominis conjungi cum merito Chriſti, eſtne per id unice ſalvatio; & quomodo poteſt operatio hominis conjungi cum operatione Spiritus Sancti, facitne ille omnia abſque ope hominis; ſuntne illa tria unice ſalvifica in actu fidei, permanentque etiam illa tria ut unice ſalvifica in ſtatu ſeu progreſſione fidei; quare bonum acceſſorium ab homine nequaquam poteſt vocari bonum religionis, quod, ut dictum eſt, conferat ad ſalutem; ſed ſi quis id facit propter ſalutem, potius vocandum eſt malum religionis. Stabant bini Gentiles juxta Oſtiarium in veſtibulo, & audiverunt hæc, & dicebant inter ſe, his non eſt aliqua Religio; quis non videt, quod bonum facere proximo propter Deum, ita cum Deo, & a Deo, ſit quod vocatur Religio; & alter dixit, fides illorum infatuavit illos; & tunc quæſiverunt Oſtiarium, quinam ſunt illi; dixit Oſtiarius, ſunt ſapientes Chriſtiani; & reſponderunt, garris, mentiris, ſunt ludiones, ita loquuntur: & ego abivi; & cum poſt tempus ſpectavi ad locum, ubi fuit domus illa, ecce erat Palus.

Hæc, quæ vidi & audivi, in vigilia corporis mei & ſimul ſpiritus mei vidi & audivi, ita enim Dominus univit ſpiritum corpori meo, ut ſimul in utroque ſim. Quod ad illas domos venerim, & quod tunc deliberaverint de rebus illis, & quod factum ſit ſicut deſcribitur, fuit ex Auſpicio Divino Domini.



CAPUT

1. ET datus est mihi calamus similis baculo, & Angelus adstitit, dicens, surge, & metire Templum Dei & Altare & Adorantes in eo.

2. Et Atrium quod extra Templum, ejice foras, & ne illud metiaris, quia datum est gentibus, & Civitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus.

3. Et dabo duobus Testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, circuminduti saccis.

4. Hi sunt duæ Olivæ & duo Candelabra, quæ coram Deo terræ stantia.

5. Et si quis illis voluerit nocere, ignis egredietur ex ore illorum, & devorabit inimicos illorum; & si quis illos voluerit damno afficere, ita oportet illum occidi.

6. Hi habent potestatem claudere Cælum, ut non pluat pluvia in diebus illorum prophetiæ; & potestatem habent super aquas convertere illas in sanguinem; & percutere terram omni plaga, quotiescunque voluerint.

7. Et cum absolverint testimonium suum, bestia ascendens ex abysso faciet bellum cum illis, & vincet illos, & occidet illos.

8. Et corpora illorum super platea urbis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus noster crucifixus est.

9. Et videbunt ex populis & tribubus & linguis & gentibus corpora illorum dies tres & dimidium, & corpora illorum non permittent poni in monumenta.

10. Et habitantes super terra gaudebunt super illis & lætabuntur, & munera mittent invicem, quia illi duo Prophetæ cruciaverunt habitantes super terra.

11. Et post tres dies & dimidium, spiritus vitæ ex Deo intravit in illos, & steterunt super pedibus suis; & timor magnus cecidit super videntes illos.

12. Et audiverunt vocem magnam ex Cælo dicentem illis, ascendite huc, & ascenderunt in Cælum in nube, & viderunt illos inimici illorum.

13. Et in illa hora factus est terræ motus magnus, & decima pars urbis cecidit, & occisa sunt in terræ motu nomina hominum millia septem; & reliqui territi facti sunt, & dederunt gloriam Deo Cæli.

14. Væ

14. Væ ſecundum præteriit, ecce væ tertium venit cito.

15. Et ſeptimus Angelus clanxit, & factæ ſunt voces magnæ in Cælo, dicentes, facta ſunt regna mundi Domini noſtri & Chriſti Ipſius, & regnabit in ſæcula ſæculorum.

16. Et viginti & quatuor Seniores, qui coram Deo ſedentes ſuper thronis ſuis, ceciderunt ſuper facies ſuas, & adoraverunt Deum.

17. Dicentes, gratias agimus Tibi, Domine Deus Omnipotens, Qui Es & Qui Eras & Qui Venturus, quod adeptus ſis potentiam tuam magnam & Regnum inieris.

18. Et gentes iratæ ſunt; & venit ira tua, & tempus mortuos judicandi, & dandi mercedem ſervis tuis prophetis, & ſanctis, & timentibus Nomen tuum, parvis & magnis; & perdendi perdentes terram.

19. Et apertum eſt Templum Dei in Cælo, & viſa eſt Arca fœderis Ipſius in Templo Ipſius; & facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræ motus, & grando magna.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Agitur adhuc de ſtatu Eccleſiæ apud Reformatos, quales ſunt qui interius in ſola Fide contra duo Eſſentialia Novæ Eccleſiæ, quæ ſunt quod Dominus Solus ſit Deus Cæli & Terræ, quodque Humanum Ipſius ſit Divinum, & quod ſecundum præcepta Decalogi vivendum ſit. Quod illa duo prædicata ſint coram illis, Verſ. 3 ad 6. Sed quod prorſus rejecta, Verſ. 7 ad 10. Quod a Domino reſuſcitata, Verſ. 11. 12. Quod perierint qui illa rejecerunt, Verſ. 13. Quod e Novo Cælo manifeſtatus ſit Novæ Eccleſiæ ſtatus, Verſ. 15 ad 19.

Contenta singulorum Versuum. Et datus eſt mihi calamus ſimilis baculo, *ſignificat* quod data ſit facultas & potentia cognoſcendi & videndi ſtatum Eccleſiæ in Cælo & in Mundo: & Angelus adſtitit dicens, ſurge & metire Templum Dei, & Altare, & adorantes in eo, *ſignificat* præſentiam Domini & mandatum Ipſius, ut videret & cognoſceret ſtatum Eccleſiæ in Novo Cælo: & atrium quod extra Templum ejice foras, & ne illud metiaris, *ſignificat* quod ſtatus Eccleſiæ in terris, qualis adhuc eſt, removendus ſit, & non cognoſcendus: quia datum eſt gentibus, *ſign:* quia ſtatus illius Eccleſiæ a malis vitæ deperditus & deſolatus eſt: & civitatem ſanctam conculcabunt menſibus quadraginta duobus, *ſign:* quod diſperſerit omne verum Verbi uſque ut non aliquid

aliquid superſit: & dabo duobus Teſtibus meus, *ſign:* illos qui confitentur & agnoſcunt ex corde quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, ac Humanum Ipſius Divinum, & qui conjunguntur Ipſi per vitam ſecundum præcepta Decalogi: & prophetabunt diebus mille ducentis, *ſign:* quod duo illa, agnitio Domini, & vita ſecundum præcepta Decalogi, quæ ſunt duo Eſſentialia Novæ Eccleſiæ, docenda ſint uſque ad finem & principium: circuminduti ſaccis, *ſign:* luctum interea ob non receptionem veri: ſunt duæ Olivæ & duo Candelabra, quæ coram Deo terræ ſtantia, *ſign:* amorem ac intelligentiam, ſeu charitatem & fidem, a Domino apud illos: & ſi quis illis voluerit nocere, ignis exibit ex ore illorum, & devorabit inimicos illorum, *ſign:* quod qui duo illa Eſſentialia Novæ Eccleſiæ vult deſtruere, ex amore infernali pereat: & ſi quis voluerit illos damno afficere, ita oportet illum occidi, *ſign:* quod qui illa condemnat, ſimiliter condemnetur: hi habent poteſtatem claudere cælum, ut non pluat pluvia in diebus illorum prophetiæ, *ſign:* quod qui avertunt ſe a duobus illis Eſſentialibus, non poſſint aliquod verum recipere e Cælo: & poteſtatem habent ſuper aquas convertere illas in ſanguinem, *ſign:* quod qui avertunt ſe ab illis, vera Verbi falſificent: & percutere terram omni plaga, quotieſcunque voluerint, *ſign:* quod qui volunt illa deſtruere, ſemet in omnis generis mala & falſa conjiciant, quoties & quantum id faciunt: & cum abſolverint teſtimonium, *ſign:* quod poſtquam Dominus docuit illa duo Eſſentialia Novæ Eccleſiæ: beſtia aſcendens ex abyſſo faciet bellum cum illis, & vincet illos, & occidet illos, *ſign:* quod illi qui in internis doctrinæ ſunt de ſola fide, illa duo rejecturi ſint: corpora illorum ſuper platea Urbis magnæ, *ſign:* quod illa prorſus rejecta ſint: quæ ſpiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, *ſign:* binos amores infernales, qui ſunt amor dominandi ex amore ſui, & amor regnandi ex faſtu propriæ intelligentiæ, qui in Eccleſia ſunt ubi non unus Deus eſt, & Dominus non colitur, & ubi non ſecundum præcepta decalogi vivitur: ubi & Dominus noſter crucifixus eſt, *ſign:* non agnitionem Divini Humani Domini, & ſic ſtatum rejectionis: & videbunt ex populis & tribubus & linguis & gentibus corpora illorum dies tres & dimidium, *ſign:* cum omnes qui in falſis doctrinæ & malis vitæ ex ſola fide fuerunt & erunt, ad finem Eccleſiæ quæ adhuc eſt, ad principium Novæ, audiverunt & audituri ſunt de binis illis Eſſentialibus: & corpora illorum non permittent poni in monumenta, *ſign:* quod damnaverint & damnaturi ſint illa: & habitantes ſuper terra gaudebunt ſuper illis & lætabuntur, *ſign:* jucundum affectionis cordis & animæ in Eccleſia apud illos qui in ſola fide erant: & munera mittent invicem, *ſign:* conſociationem per amorem & amicitiam: quia illi duo prophetæ cruciaverunt habitantes ſuper tera, *ſign:* quod bina illa Eſſentialia Novæ Eccleſiæ ex contrarietate cum binis Eſſentialibus in Eccleſia Reformatorum receptis ſint contemtui, moleſtiæ & averſationi: & poſt tres dies & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intravit in illos & ſteterunt ſuper pedibus ſuis, *ſign:* quod bina illa Eſſentialia, dum Nova Eccleſia inchoat & progreditur, a Domino vivificentur apud illos qui recipiunt: & timor magnus cecidit ſuper videntes illos, *ſign:* commotionem animi & conſternationem pro Divinis veris: & audiverunt vocem magnam e Cælo, dicentem

tem illis, ascendite huc, *sign:* bina illa Essentialia Novæ Ecclesiæ a Domino in Cælum, unde sunt & ubi sunt, sublata, & illorum tutelam: & ascenderunt in Cælum in nube, *sign:* significat sublationem in Cælum, & conjunctionem cum Domino ibi per Divinum Verum Verbi in sensu literæ ejus: & viderunt illos inimici illorum, *sign:* quod qui in fide separata a charitate sunt, audiverint illa, sed permanserint in suis falsis: & in illa hora factus est terræ motus magnus, & decima pars urbis cecidit, *sign:* tunc mutationem status apud illos insignem factam, & illos divulsos e Cælo in infernum delapsos: & occisa sunt in terræ motu nomina hominum millia septem, *sign:* quod omnes illi qui confessi sunt solam fidem, & propterea nihili fecerunt opera charitatis, perierint: & reliqui territi facti sunt, & dederunt gloriam Deo Cæli, *sign:* quod illi qui viderunt interitum illorum, agnoverint Dominum, & separati sint: væ secundum præteriit; ecce væ tertium venit cito, *sign:* lamentationem super statu Ecclesiæ perverso, & lamentationem ultimam demum, de qua posthac: & septimus angelus clanxit, *sign:* explorationem & manifestationem status Ecclesiæ post consummationem, quando adventus Domini & Regni Ipsius: & factæ sunt voces magnæ in Cælo, dicentes, facta sunt Regna mundi Domini nostri & Christi Ipsius, & regnabit in sæcula sæculorum, *sign:* celebrationes ab Angelis, quod Cælum & Ecclesia facta sint Domini, sicut fuerunt ab initio, & quod nunc etiam facta sint Divini Humani Ipsius, ita quod Dominus nunc quoad utrumque super Cælum & Ecclesiam regnaturus sit in æternum: & viginti quatuor Seniores, qui coram Deo sedentes super thronis suis, ceciderunt super facies suas, & adoraverunt Deum, *sign:* agnitionem ab omnibus Angelis Cæli, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & summam adorationem: dicentes, gratias agimus Tibi Dominus Deus Omnipotens, Qui Es & Qui Eras & Qui Venturus es, *sign:* confessionem & glorificationem ab Angelis Cæli, quod Dominus sit Qui Est, Qui Vivit, & Potest ex Se Ipso, & Regit omnia, quia Solus est Æternus & Infinitus: quod adeptus sis potentiam tuam magnam, & regnum inieris, *sign:* Novum Cælum & Novam Ecclesiam, ubi agnoscent Ipsum Solum Deum: & gentes iratæ sunt, *sign:* illos qui in sola fide & inde in malis vitæ, quod excandescerent & infestarent illos qui contra fidem illorum sunt: & venit ira tua, & tempus mortuos judicandi, *sign:* exitium illorum, & ultimum judicium super illos quibus non aliqua vita spiritualis: & dandi mercedem servis suis prophetis & sanctis, *sign:* felicitatem vitæ æternæ illis qui in veris doctrinæ ex Verbo sunt, & in vita secundum illa: & timentibus Nomen tuum parvis & magnis, *sign:* qui amant illa quæ Domini sunt in minori & majori gradu: & perdendi perdentes terram, *sign:* dejectionem illorum in infernum qui destruxerunt Ecclesiam: & apertum est Templum Dei in Cælo, & visa est Arca fæderis Ipsius in Templo Ipsius, *sign:* Novum Cælum, in quo Dominus in Divino Humano suo colitur, & secundum præcepta Decalogi Ipsius vivitur, quæ sunt duo Essentialia Novæ Ecclesiæ, per quæ conjunctio: & facta sunt fulgura, & voces & tonitrua, & terræ motus, & grando magna, *sign:* tunc in inferioribus ratiocinationes, commotiones, & falsificationes boni & veri.

EXPLICATIO.

485. *Et datus eſt mihi calamus ſimilis baculo*, *ſignificat quod data ſit illi a Domino facultas & potentia cognoſcendi & videndi ſtatum Eccleſiæ in Cælo & in Mundo.* Per calamum ſignificatur potentia debilis, qualis eſt homini a ſe, & per baculum ſignificatur potentia valida, qualis eſt homini a Domino; quare per quod datus ſit calamus ſimilis baculo, ſignificatur potentia a Domino: quod ſit facultas & potentia cognoſcendi & videndi ſtatum Eccleſiæ in Cælo & in Mundo, patet a ſequentibus in hoc Capite uſque ad finem. Quod per calamum ſeu cannam ſignificetur potentia debilis qualis eſt homini a ſe, patet ex his ,, *Ecce confiſus es ſuper* BACULO CALAMI *contuſi*, *ſuper Ægypto*, *ſuper quo quando vir nititur*, *intrat in manum ejus*, *& perforat illam*, Eſaj. XXXVI: 7. *Ut cognoſcant habitatores Ægypti*, *quod Ego Jehovah*, *propterea quod illi fuerunt* BACULUS CALAMI *domui Iſraelis*; *quando tenuerunt te manu*, *confractus eſt*, *& perfodiſti illis omnem humerum*, Ezech. XXIX: 6. 7; per Ægyptum ſignificatur naturalis homo qui fidet propriis viribus, quare vocatur baculus calami contuſi: per calamum ſignificatur debilis potentia, apud Eſajam ,, CALAMUM *contuſum non confringet*, *& linum fumigans non exſtinguet*, Eſaj. XLII: 3. Per Baculum autem ſignificatur potentia valida, quæ eſt a Domino, hic cognoſcendi ſtatum Eccleſiæ, quia per baculum metiebatur Templum & Altare, & per metiri ſignificatur cognoſcere, ac per Templum & Altare ſignificatur Eccleſia, de quo ſequitur. Quod per Baculum ſignificetur potentia, eſt quia lignum, ex quo baculi apud veteres in Eccleſia erant, ſignificat bonum, & quia loco dextræ eſt, & illam fulcit, & per dextram ſignificatur potentia; inde eſt, quod ſceptrum ſit curtus baculus, & per ſceptrum ſignificatur potentia Regis; etiam ſceptrum & baculus ſunt eadem vox in Lingua Hebræa. Quod Baculus ſignificet potentiam, patet ex his locis ,, *Dicite*, *quomodo fractus eſt* BACULUS ROBORIS, BACULUS DECORIS, *deſcende de gloria*, *& ſede in ſiti*, Jerem. XLVIII: 17. 18. BACULUM ROBORIS *tui mittet Jehovah e Sione*, Pſalm. CX: 2. *Perfodiſti* BACULIS *caput infidelium*, Hab. III: 14. *Iſrael* BACULUS *hæreditatis Jehovæ*, Jerem. X: 14. 16. Cap. LI: 19. *Virga tua &* BACULUS *tuus conſolabuntur me*, Pſalm. XXIII: 4. 5. *Confregit Jehovah* BACULUM *impiorum*, Eſaj. IX: 3. Cap. XIV: 5. Pſalm. CXXV: 3. *Populus meus lignum interrogat*, *&* BACULUS *ejus reſpondet illi*, Hoſch. IV: 12. *Jehovah removens ex Hieroſolyma omnem* BACULUM *panis*, *& omnem* BACULUM *aquæ*, Eſaj. III: 1. 2. Ezech. IV: 16. Cap. V: 16. Cap. XIV: 13. Pſalm. CV: 16. Levit. XXVI: 26; per baculum panis & aquæ ſignificatur potentia boni & veri, & per Hieroſolymam Eccleſia. *Per* BACULUM LEVI, *ſuper quo nomen Aharonis erat*, *qui in Tentorio floruit amygdalis*, Num. XVII: 17 ad 25, non aliud in ſenſu ſpirituali ſignificatur, quam potentia veri & boni, quia per Levim & Aharonem ſignificabatur verum & bonum Eccleſiæ. Quod per Baculum ſignificetur potentia, patet a potentia Baculi Moſis ,, *Quod per extenſionem* BACULI *aquæ verſæ ſint in ſanguinem*, Exod. XVII: 21. *Quod per illum aſcenderint ranæ ſuper terram Ægypti*, Exod.

Exod. VIII: 1 seq. *Quod per illum facti sint pediculi*, Exod. VIII: 12 seq. *Quod per illum facta sint tonitrua & grando*, Exod. IX: 23 seq. *Quod per illum prodierint locustæ*, Exod. X: 12 seq. *Quod per illum Mare Suph sit divisum & reversum*, Exod. XIV: 16. 21. 26. *Quod per illum aquæ ex petra e Chorebo effluxerint*, Exod. XVII: 5 seq. Num. XX: 7 ad 13. *Quod per illum apud Mosen Josua prævaluerit super Amalekitas*, Exod. XVII: 9 ad 12. *Quod ignis exiverit e petra per Baculum Angeli*, Judic. VI: 21: ex his patet quod per Baculum significetur potentia; & quoque alibi, ut Esaj. X: 5. 25. 26. Cap. XI: 4. Cap. XIV: 24. Cap. XXX: 31. 32. Ezech. XIX: 10 ad 14. Thren. III: 1. 2. Mich. VII: 14. Sach X: 11. Num. XXI: 17.

486. *Et Angelus adstitit, dicens, surge & metire Templum Dei, & Altare & Adorantes in eo, significat præsentiam Domini & mandatum Ipsius, ut videret & cognosceret statum Ecclesiæ in Novo Cælo.* Per Angelum intelligitur Dominus, hic ut s. 415, & alibi, quoniam Angelus nihil facit ex se sed ex Domino; quare dixit, *dabo duobus Testibus meis*, Vers. 3, & illi erant testes Domini; per adstitit significatur præsentia Domini, & per dixit significatur mandatum Ipsius; per surgere & metiri significatur videre & cognoscere, quod metiri significet cognoscere & scrutari quale status, videbitur infra; per Templum, Altare & Adorantes in eo, significatur status Ecclesiæ in Novo Cælo, per Templum Ecclesia quoad Verum doctrinæ, n. 191, per Altare Ecclesia quoad Bonum amoris, n. 392; & per Adorantes significatur Ecclesia quoad cultum ex illis binis, per adorantes hic significatur adoratio, quæ est cultus, quoniam sensus spiritualis est abstractus a personis, n. 78. 79. 96, quod etiam hic patet ex eo, quod dicatur metiri adorantes; sunt etiam tria illa quæ faciunt Ecclesiam, Verum doctrinæ, Bonum amoris, & Cultus ex illis. Quod sit Ecclesia in Novo Cælo, quæ intelligitur, patet a Versu ultimo hujus Capitis, ubi dicitur quod *apertum sit Templum Dei in Cælo, & visa Arca fœderis in Templo*, Vers. 19. Quod in principio hujus Capitis de metiendo Templo dicatur, est ut videatur & cognoscatur status Ecclesiæ in Cælo, antequam illa conjuncta esset Ecclesiæ in mundo; Ecclesia in mundo intelligitur per Atrium extra Templum, quod ille non metiretur, quia datum gentibus, Vers. 2; & dein describitur per magnam urbem, quæ vocatur Sodoma & Ægyptus, Vers. 7. 8; at postquam magna illa urbs cecidit, Vers. 13; sequitur quod Ecclesia facta sit Domini, Vers. 15 seq. Sciendum est, quod in Cælis æque sit Ecclesia ut in terris; & quod unum faciant sicut Internum & Externum apud homines; quare Ecclesia in Cælis primum providetur a Domino, & ex illa seu per illam Ecclesia in terris; inde dicitur quod Nova Hierosolyma a Deo e Novo Cælo descenderit, Cap. XXI: 1. 2. Per Novum Cælum intelligitur Novum Cælum ex Christianis, de quo in sequentibus pluries agitur. Quod Metiri significet cognoscere & scrutari quale, est quia per mensuram significatur quale rei aut status; hoc significatur per omnes mensuras Novæ Hierosolymæ, Cap. XXI, & per hæc ibi, *Quod Angelus habens calamum aureum*, Mensus *sit urbem & portas ejus*; *& quod* Mensus *sit murum 144 cubitorum*; Mensura *hominis quæ est angeli*, Vers. 15. 17; & quia per Novam Hierosolymam significatur Nova Ec-

Ecclesia, patet quod per metiri illam & quæ ejus sunt, significetur cognoscere quale. Simile significatur per Metiri apud Ezechielem, ubi dicitur, *Quod Angelus* MENSUS *sit Domum Dei*, *Templum*, *Altare*, *Atrium*, *Cubicula*, Cap. XL: 3 ad 17. Cap. XLI: 1 ad 5. 13. 14. 22. Cap. XLII: & Cap. XLIII: & quod MENSUS *aquas*, Cap. XLVII: 3. 4. 5. 9: quare dicitur „ *Ostende domui Israelis Formam*, *& pudefient ab iniquitatibus suis;* & METIENTUR FORMAM *& exitus ejus & introitus ejus & omnes Formas ejus*, *ut custodiant omnem Formam*, Ezech. XLIII: 10. 11. Simile significatur per Metiri in his locis, *Sustuli oculos meos*, *& ecce vir*, *cujus in manu funiculus mensuræ*, *& dixi*, *quo pergis*, *& dixit*, *ad* METIENDUM HIEROSOLYMAM, Sach. II: 5. 6. 8. *Stetit &* MENSUS *est terram*, Habak. III: 6. *Dominus Jehovih* MENSUS EST *pugillo aquas*, *& Cælos spithama exæquavit*, *& appendit in lance montes*, *& colles in libra*, Esaj. XL: 12. *Ubi fuisti cum fundarem terram*, *quis posuit* MENSURAS *ejus*, *& quis extendit super ea lineam*, Hiob XXXVIII: 4. 5. 6.

487. *Et Atrium quod extra Templum ejice foras*, *& ne illud metiaris*, *significat quod status Ecclesiæ in terris*, *qualis adhuc est*, *removendus sit*, *& non cognoscendus.* Per Atrium extra Templum, significatur Ecclesia in terris, quia hæc extra Cælum est, quod est Templum, n. 486; per ejicere foras significatur removere, hic a Cælo, quia talis ejus status est; & per non metiri significatur non scrutari & cognoscere quale ejus, n. 486: causa sequitur „ *quia datum est gentibus*, *& Civitatem sanctam conculcabunt mensibus quadraginta duobus.* Quod per Atrium extra Templum hic significetur Ecclesia in terris, qualis adhuc est, patet a sequentibus in hoc Capite, ubi illa describitur per magnam Urbem, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, in qua occisi jacuerunt bini Domini Testes, & quæ postmodum in terræ motu magno cecidit, & in eo occisa sunt ibi nomina hominum millia septem; præter plura ibi. Alioquin per Atrium in Verbo significatur Externum Ecclesiæ; fuerunt enim bina Atria, quæ transiebantur dum intrarent ipsum Templum in Hierosolyma, & quia per Templum significabatur Ecclesia quoad Internum ejus, ideo per Atria significabatur Ecclesia quoad Externum ejus; quare in Atria admittebantur Alienigenæ, qui erant ex Gentibus, non autem in ipsum Templum: & quia Externum Ecclesiæ per Atrium significatur, ideo etiam per illud significatur Ecclesia in terris, & quoque Cælum in ultimis, quia Ecclesia in terris est introitus in Cælum, similiter Cælum in ultimis: hoc per Atrium significatur in his locis „ *Beatus quem eligis*, *inhabitabit* ATRIA TUA; *saturabimur bono Domus tuæ*, *sancto Templi tui*, Psalm. LXV: 5. *Laudate Nomen Jehovæ qui stant in Domo Ipsius*, *in* ATRIIS DOMUS *Dei nostri*, Psalm. CXXXV: 1. 2. *Quam amabilia Habitacula tua Jehovah*, *imo consumta est anima mea erga* ATRIA JEHOVÆ, Psalm. LXXXIV: 2. 3. *Intrate portas Ipsius in confessione*, ATRIA *Ipsius in laude*, Psalm. C: 4. *Justus sicut palma florebit*, *plantati in Domo Jehovæ*, *in* ATRIIS *Dei nostri germinabunt*, Psalm. XCII: 13. 14. *Bonus dies in* ATRIIS TUIS *præ millibus*, *elegi ad januam stare in Domo Dei mei*, Psalm. LXXXIV: 11; præter alibi, ut Psalm. XCVI: 8. Psalm. CXVI: 7. Esaj. I: 12. Cap. LXII: 9. Sach. III: 7. Ezech. X: 3. 4. 5. *De* ATRIIS *Templi Hiero-*

roſolymitani, I Reg. VI: 3. 37. De ATRIIS *novi Templi*, Ezech. XL: 17 ad 31, ad 44. Cap. XLII: 1 ad 14. Cap. XLIII: 4 ad 7. Et de ATRIO *extra Tabernaculum*, Exod. XXVII: 9 ad 18.

488. *Quia datum eſt gentibus, quod ſignificet quia ſtatus illius Eccleſiæ a malis vitæ deperditus & deſolatus eſt*, conſtat ex ſignificatione gentium, quod ſint qui in malis vitæ ſunt, & abſtracte mala vitæ, n. 147. 483.

489. *Et Civitatem ſanctam conculcabunt menſibus quadraginta duobus, ſignificat quod diſperſerit omne verum Verbi uſque ut non aliquid ſuperſit.* Per ſanctam civitatem ſeu urbem, intelligitur ſancta Hieroſolyma, & per Sanctam Hieroſolymam intelligitur Nova Eccleſia quæ in veris Doctrinæ eſt, ſanctum enim prædicatur de Divino Vero, n. 173; & Urbs ſignificat doctrinam, n. 194; quare per conculcare illam civitatem ſeu urbem, ſignificatur diſpergere vera doctrinæ ejus; per menſes quadraginta duos ſignificatur uſque ad finem dum non aliquid ſupereſt: per vera doctrinæ intelliguntur vera ex Verbo, quia inde eſt doctrina Eccleſiæ & omne ejus. Quod illi qui in internis Eccleſiæ hodie ſunt, ita diſperſerint vera Verbi & inde doctrinæ Eccleſiæ, & omne ejus, deſcribitur in hoc Capite per Beſtiam aſcendentem ex abyſſo, quod occiderit binos teſtes, Verſ. 7; & quoque videri poteſt ex MEMORABILIBUS e Mundo ſpirituali, quæ ſingulis Capitibus annexa ſunt. Quod per Menſes quadraginta duos ſignificetur uſque ad finem dum non aliquod verum & bonum Eccleſiæ ſupereſt, eſt quia per quadraginta duo ſimile ſignificatur quod per ſex ſeptimanas, ſexies enim ſeptem ſunt quadraginta duo, & per ſex ſeptimanas ſignificatur completum uſque ad finem; numerus enim ſex id ſignificat, ac ſeptimana ſtatum, & ſeptima ſeptimana ſtatum ſanctum, qui eſt ſtatus novus Eccleſiæ, quando Dominus init Regnum: ſimile ſignificatur per hunc nomerum in ſequentibus „ *Datum beſtiæ aſcendenti ex mari os loquens magna & blaſphemias, & data eſt illi poteſtas faciendi illud* MENSES QUADRAGINTA DUOS, Apoc. XIII: 5. n. 583. Quod Sex ſignificent completum ad finem, eſt quia Tria id ſignificant, n. 505, & ſex ſunt duplum eorum, ac duplum & ſimplex in numeris, ejusdem ſignificationis ſunt: præterea ſimile ſignificatur per hunc numerum, quod per tria & dimidium, quia 42 menſes faciunt 3½ annos. Quod dicantur Menſes, eſt quia pes Menſem ſignificatur ſtatus plenus, ut Eſaj. LXVI: 23. Apoc. XXII: 1. 2. Geneſ. XXIX: 14. Num. XI: 18. 19. 20. Deutr. XXI: 11. 13.

490. *Et dabo duobus Teſtibus meis, ſignificat illos qui confitentur & agnoſcunt ex corde quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, ac Humanum Ipſius Divinum, & qui conjunguntur Ipſi per vitam ſecundum præcepta Decalogi.* Quod illi ſint qui per duos Teſtes hic intelliguntur, eſt quia duo illa ſunt duo Eſſentialia Novæ Eccleſiæ: quod PRIMUM ESSENTIALE, quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, & quod Humanum Ipſius ſit Divinum, ſit Teſtimonium; & inde quod illi ſint Teſtes qui id confitentur & agnoſcunt corde, videatur n. 6. 846, & adhuc ex his „ *Sum conſervus fratrum tuorum habentium* TESTIMONIUM JESU; TESTIMONIUM *enim* JESU EST SPIRITUS PROPHETIÆ, Apoc. XIX: 10. *Michaelis angeli vicerunt draconem per Sanguinem Agni & per* VERBUM TESTIMO-

NII

nii Ipsius: "*& draco abivit ut faceret bellum cum reliquis ſeminis ejus; qui tenebant mandata Dei, & habent* Testimonium Jesu Christi," Apoc. XII: 11. 17. *Animæ ſecuri percuſſorum propter* Testimonium Jesu, *& propter Verbum Dei*, Apoc. XX: 4; hi ſunt, qui agnoverunt Dominum: illud vocatur Teſtimonium Jeſu, quia Dominus id teſtatur ex ſuo Verbo, ita ex Seipſo, quare Ipſe vocatur Testis Fidelis et verus, Apoc. I: 5. Cap. III: 14; & dicit „ Ego Testor de Meipso, *& verum eſt* Testimonium meum, *quia ſcio unde veni, & quo vado*, Joh. VIII: 14: tum, *Cum venerit Paracletus ſpiritus veritatis, Ille* Testabitur *de Me*, Joh. XV: 26; quod Paracletus Spiritus veritatis, qui etiam eſt Spiritus Sanctus, ſit Divinum procedens, & quod Illud ſit Ipſe Dominus, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino, n. 46 ad 54. Nunc quia Ipſe Dominus eſt Teſtis, ideo etiam per Teſtes intelliguntur qui a Domino teſtantur illud, ut Johannes, *Jeſus dixit, vos miſiſtis ad Johannem, & ille* Testis *fuit veritati: Ego tamen non ab homine accipio* Testimonium, Joh. V: 33. 34. *Johannes venit in* Testimonium, *ut Teſtaretur de Luce, non erat ille Lux, ſed ut* Testaretur *de Luce. Verbum quod fuit apud Deum, & quod Deus, erat Lux vera*, Joh. I: 1. 2. ſeq. 14. 34. Quod Alterum Essentiale Novæ Eccleſiæ, quod eſt conjunctio cum Domino per vitam ſecundum præcepta Decalogi, ſit Teſtimonium, patet ex eo quod Decalogus dicatur Teſtimonium, ut in his „ *Dabis in Arcam* Testimonium, *quod dabo tibi*, Exod. XXV: 16. *Moſes dedit* Testimonium *in arcam*, Exod. XL: 20. *Propitiatorium quod ſuper* Testimonio, Levit. XVI: 13. *Relinque baculos Tribuum coram* Testimonio, Num. XVII: 19; præter alibi, ut Exod. XXV: 22. Cap. XXXI: 7. 18. Cap. XXXII: 15. Pſalm. LXXVIII: 5. Pſ. CXXXII: 12. Aliquid hic dicetur de conjunctione cum Domino per vitam ſecundum præcepta Decalogi: ſunt binæ Tabulæ, quibus inſcripta ſunt illa præcepta, una pro Domino, altera pro homine; Prima Tabula continet quod non plures Dii colendi ſint, ſed Unus, Altera Tabula continet quod non facienda ſint Mala; quando itaque Unus Deus colitur, & homo non facit mala, ſit conjunctio; nam quantum homo deſiſtit a malis, hoc eſt, pœnitentiam agit, tantum acceptatur a Deo, & facit bonum ab Ipſo. Sed quis nunc eſt Deus Unus; Deus Trinus aut Deus Triunus non eſt Deus Unus, dum eſt Trinus & Triunus in tribus Perſonis, ſed Ille, Cui Trinum aut Triunum in una Perſona eſt, Ille eſt Deus Unus, & Ille Deus eſt Dominus; intrica ideas quouſque potes, at uſque non extricaberis quod Deus Unus ſit, niſi etiam Unus ſit Perſona: quod ita ſit, docet totum Verbum, tam Vetus Propheticum quam Novum Apoſtolicum, ut manifeſte poteſt videri ex Doctrina Novæ Hierosolymæ de Domino.

491. *Et prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, ſignificat quod duo illa, agnitio Domini, & vita ſecundum præcepta Decalogi, quæ ſunt duo Eſſentialia Novæ Eccleſiæ, docenda ſint uſque ad finem & principium.* Quod duo illa, agnitio Domini & vita ſecundum præcepta Decalogi, ſint duo Eſſentialia Novæ Eccleſiæ, & intelligantur per duos Teſtes, videatur mox ſupra n. 490, & quod per prophetare, ſignificetur docere n. 8. 133: per dies 1260 ſignificatur

catur ad finem & principium, hoc eſt, ad finem prioris Eccleſiæ ſic ad principium Novæ; quod hoc per illum numerum ſignificetur, eſt quia per illum numerum ſimile ſignificatur, quod per tria & dimidium, nam numerus 1260 in annos redactus facit annos tres & dimidium, ac per tria & dimidium ſignificatur finis & principium, n. 505. Simile, quod hic, ſignificatur per illum numerum in Capite ſequente „ Et *Mulier fugit in deſertum, ubi habet locum præparatum a Deo, ut ibi alant eam* DIES MILLE DUCENTOS SEXAGINTA, Apoc. XII: 6.

492. *Circuminduti ſaccis, ſignificat luctum interea ob non receptionem veri.* Per indui ſacco, ſignificatur luctus propter devaſtatum verum in Eccleſia; veſtimenta enim ſignificant vera, n. 166. 212. 318. 378. 379; quare indui ſacco, qui non eſt veſtis, ſignificat luctum quod non verum, & ubi non verum ibi non eſt Eccleſia. Filii Iſraelis luctum repræſentabant per varia, quæ ex correſpondentiis erant ſignificativa, ut quod cinerem mitterent ſuper caput, quod in pulvere ſe volutarent, quod ſuper terra ſederent diu in ſilentio, quod ſe raderent, quod plangerent & ejularent, quod veſtes ſcinderent, & quoque quod ſaccos induerent, præter alia; & ſingula ſignificabant aliquod malum Eccleſiæ apud illos, propter quod puniebantur; & cum puniebantur, per talia repræſentabant pænitentiam, & propter repræſentationem pænitentiæ, & ſimul humiliationis tunc, audiebantur. Quod luctus propter devaſtatum verum in Eccleſia repræſentatus ſit per induere ſaccos, videri poteſt ex his „ *Aſcendit leo ex vepreto, exivit e loco ſuo ad redigendum terram in vaſtitatem, propter hoc* ACCINGITE SACCOS, *plangite, ejulate,* Jerem. IV: 7. 8. *Filia populi mei,* CINGE TE SACCO, *& volve te in cinere, quia ſubito veniet vaſtator ſuper vos,* Jerem. VI: 26. *Væ tibi Chorazin & Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, in* SACCO *& Cinere pænitentiam egiſſent,* Matth. XI: 21. Luc. X: 13. *Rex Ninives, poſtquam audivit verba Jonæ, depoſuit chlamydem deſuper ſe, &* OBDUXIT SACCUM, *& ſedit ſuper cinere, & proclamavit jejunium, ac ut* OPERIRENTUR SACCIS *homo & beſtia,* Jon. III: 5. 6. 8: præter alibi, ut Eſaj. III: 24. Cap. XV: 2. 3. Cap. XXII: 12. Cap. XXXVII: 1. 2. Cap. L: 3. Jerem. XLVIII: 37. 38. Cap XLIX: 3. Thren. II: 10. Ezech. VII: 17. 18. Cap. XXVII: 31. Dan. IX: 3. Joel I: 8. 13. Amos VIII: 10. Hiob XVI: 15. 16. Pſalm. XXX: 12. Pſalm. XXXV: 13. Pſ. LXIX: 11. 12. II Sam. III: 31. I Reg. XXI: 27. II Reg. VI: 30. II Reg XIX: 1. 2.

493. *Sunt duæ Olivæ & duo Candelabra, quæ coram Deo terræ ſtantia, ſignificat amorem & intelligentiam, ſeu Charitatem & Fidem, utramque a Domino apud illos.* Per olivam ſignificatur amor & charitas, de quo ſequitur; & per candelabrum ſignificatur illuſtratio in veris, n 43, & inde intelligentia & fides, quia ex illuſtratione in veris eſt intelligentia, & ex hac fides; per ſtare coram Deo, ſignificatur audire & facere quæ præcipit, n. 366, hic itaque quod illa duo apud illos ſint a Domino, qui eſt Deus terræ, hoc eſt, apud illos qui in duobus Eſſentialibus Novæ Eccleſiæ ſunt, de quibus ſupra; inde patet, quod per quod duo teſtes eſſent duæ olivæ & duo candelabra, ſignificetur quod eſſent amor & intelligentia, ſeu charitas & fides; hæc enim duo faciunt Eccleſiam, amor & charitas vitam, ac intelligentia & fides doctri-

nam ejus. Quod Oliva significet amorem & charitatem, est quia Olea significat Ecclesiam cælestem, & inde Oliva, quæ est fructus ejus, amorem cælestem, qui amor est amor in Dominum; inde est, quod hic amor etiam per Oleum, quo omnia sancta Ecclesiæ ungebantur, significetur; oleum, quod vocabatur oleum sanctitatis, erat ex olivis & ex aromatibus commixtis, Exod. XIX: 23. 24; & quoque *ex oleo olivæ accendebantur lucernæ Candelabri in Tabernaculo singulis vesperis*, Exod. XXVII: 20. Levit. XXIV: 2. Similia per Oleam & Olivas significantur apud Sachariam, „ *Duæ* OLEÆ *juxta Candelabrum erant, una a dextra lechyti, altera a sinistra ejus, &* DUÆ BACCÆ OLIVARUM: *hi sunt duo filii* OLEÆ STANTES CORAM DOMINO TOTIUS TERRÆ, IV: 3. 11. 12. 14. Apud Davidem, *Ego sicut* OLEA VIRENS *in Domo Dei*, Psalm. LII: 10: & apud Jeremiam „ OLEAM VIRENTEM *pulchram fructu formæ vocavit Jehovah nomen tuum*, XI: 16. 17; præter alibi. Quoniam per Hierosolymam significabatur Ecclesia, ideo etiam per plura quæ erant in illa & circum illam, significabantur talia quæ Ecclesiæ sunt; prope illam etiam erat MONS OLIVARUM, & per illum significabatur Divinus Amor, quare *Jesus fuit diebus in Templo docens, & noctibus egrediens pernoctavit in* MONTE OLIVARUM, Luc. XXI: 37. Cap. XXII: 39. Joh. VIII: 1: & *Jesus super illo Monte loquutus est cum Discipulis de consummatione sæculi, & de Adventu suo tunc*, Matth. XXIV: 3 seq. Marc. XIII: 3 seq. *Et quoque ex illo Monte ivit Hierosolymam, & passus*, Matth. XXI: 1. Cap. XXVI: 30. Marc. XI: 1. Cap. XIV: 16. Luc. XIX: 26. 37: & hoc secundum prædictionem apud Sachariam, *Stabunt pedes Ipsius in die illo super* MONTE OLIVARUM, *qui ante facies Hierosolymæ ab oriente*, XIV: 4. Quia Olea significabat Cæleste Ecclesiæ, ideo *Cherubi in medio Templi Hierosolymæ facti sunt ex* LIGNO OLEI; *similiter fores ad adytum, & postes*, I Reg. VI: 23 ad 33.

494. *Et si quis illis voluerit nocere, ignis exibit ex ore illorum, & devorabit inimicos illorum, significat quod qui bina illa Essentialia Novæ Ecclesiæ vult destruere, ex amore infernali pereat.* Binis Testibus velle nocere, significat bina illa Essentialia Novæ Ecclesiæ, quæ sunt agnitio Domini quod sit Deus Cæli & Terræ etiam quoad Humanum, & vita secundum præcepta Decalogi, velle destruere; quod Testes illa sint, videatur supra n. 490. Ignis egredietur ex ore illorum, significat quod amor infernalis; & devorabit inimicos illorum, significat quod ex illo perituri sint, qui illis nocent; sed hic non intelligendum est, quod ignis ex ore testium egressurus sit, sed quod ab illis, qui duo illa Essentialia Ecclesiæ Novæ, quæ per Testes intelliguntur, n. 490, volunt destruere, ignis est amor infernalis, nam qui non secundum præcepta Decalogi vivit, & non adit Deum Salvatorem & Redemptorem, non potest aliter quam in amore infernali esse, & perire. Hoc simile est sicut alibi in Verbo, ubi dicitur quod a Jehovah sit Ignis qui consumit impios, & quod Jehovah ex igne excandescentiæ, iræ & furoris, faciat, præter similia alia, per quæ non intelligitur quod a Jehovah, sed quod ab impiorum amore infernali: talia in Verbo dicuntur, quia sunt apparentiæ, & Verbum in sensu literæ per Apparentias & Correspondentias conscriptum est. Quoniam dicitur, quod ignis exiret ex ore illorum, & quod per id intelligatur, quod ex illis qui in amore infernali

sunt

sunt, adducentur aliqua loca, ubi dicitur ignis ex Jehovah „ *Flatus Jehovæ sicut fluvius sulphuris consumet eum*, Esaj. XXX: 33. *Ascendit fumus ex naso Ejus*, & IGNIS EX ORE EJUS, *prunæ arserunt ex Eo*, Psalm. XVIII: 9. *Effundam super eos excandescentiam iræ meæ, quoniam in Igne* ZELI MEI *comedetur tota terra*, Zeph. III: 8. *Ecce Jehovah in* IGNE VENIET, *ad retribuendum in excandescentia iræ suæ, & increpatio Ejus in* FLAMMIS IGNIS, Esaj. LXVI: 15. *Visitaberis a Jehovah* FLAMMA IGNIS COMEDENTIS, Esaj. XXIX: 6. Cap. XXX: 30; præter pluries alibi.

495. *Et si quis voluerit illos damno afficere, ita oportet illum occidi, significat quod qui illa condemnat, similiter condemnetur.* Per damno afficere hic significatur condemnare, quia sequitur, ita oportet illum occidi, & per occidi in Verbo significatur spiritualiter occidi, quod est condemnari; nam Dominus dicit, *quo judicio judicatis, judicabimini*, Matth. VII: 1.

496. *Hi habent potestatem claudere cælum, ut non pluat pluvia in diebus illorum prophetiæ, significat quod qui avertunt se a duobus Essentialibus Novæ Ecclesiæ, non possint aliquod verum recipere e Cælo.* Per Cælum hic intelligitur Cælum Angelicum; inde per pluviam significatur verum Ecclesiæ inde; quare per claudere Cælum ut non pluat pluvia, significatur quod non possint aliquod verum Ecclesiæ e Cælo recipere; verum Ecclesiæ e Cælo est verum doctrinæ e Verbo: dicitur quod Testes illam potestatem habeant, sed intelligitur hic ut supra n. 494, quod illi non potestatem habeant claudendi Cælum, sed quod illi sibi claudant illud qui se avertunt a duobus illis Essentialibus Ecclesiæ novæ, quia manent in suis falsis. Quod Pluvia significet Divinum Verum e Cælo, constat ex his locis „ *Defluet sicut* PLUVIA *doctrina mea, stillabit sicut ros verbum meum*, Deutr. XXXII: 2. *Si serviveritis aliis diis, Jehovah claudet Cælum, ut non sit* PLUVIA, Deutr. XI: 11. 14. 16. 17. *Ponam vineam meam in desolationem, & nubibus præcipiam, ut non faciant pluere super eam* PLUVIAM, Esaj. V: 6. *Prohibiti sunt* IMBRES, *&* PLUVIA SEROTINA *non facta est, sed tamen frons mulieris meretricis mansit tibi*, Joh. III: 3. *Sicut descendit* PLUVIA *e Cælo, sic erit verbum meum, quod exibit ex ore meo*, Esaj. LV: 10. 11. *Filii Sionis gaudete & lætamini in Jehovah, quia dabit vobis* PLUVIAM TEMPESTIVAM *in justitiam*, Joel II: 13. PLUVIAM BENEVOLENTIARUM *stillare facis Deus*, Psalm. LXVIII: 10. *Descendet sicut* PLUVIA *super herbam prati, in diebus ejus florebit justus*, Psalm. ~~CXLVII: 8. 9.~~ *Jehovah veniet sicut* PLUVIA *nobis, sicut* PLUVIA SEROTINA *irrigat terram*, Hosch. VI: 3. *Super illos* STILLABIT *verbum meum, & exspectabunt sicut* PLUVIAM *Me, & os suum aperiet ad* PLUVIAM SEROTINAM, Hiob XXIX: 22. 23. *Fili hominis, dic, tu terra, quæ non mundata, cui non* PLUVIA *in die iræ, conjuratio prophetarum in medio ejus*, Ezech. XXII: 24. 25: præter alibi, Esaj. XXX: 23. Jerem. V: 24. Cap. X: 12. 13. Cap. XIV: 3. 4. Cap. LI: 16. Ezech. XXXIV: 26. 27. Amos IV: 7. 8. Sach. X: 1. Psalm. LXV: 10. 11. Psalm. CXXXV: 7. II Sam. XXIII: 3. 4. Pluvia inundans, pro devastatione veri, Ezech. XIII: 11. 13. 14. Cap. XXXVIII: 23. Pro tentatione, Matth. VII: 24 ad 27.

497. *Et potestatem habent super aquas convertere illas in sanguinem, significat* quod

quod qui avertunt se a duobus illis Essentialibus, vera Verbi falsificent. Per aquas significantur vera, n. 50; & per sanguinem falsificatio veri Verbi, n. 379, inde per convertere aquas in sanguinem, significatur falsificare vera Verbi: hoc similiter intelligitur ut prius, nempe, quod qui avertunt se a duobus Essentialibus Novæ Ecclesiæ, non possint aliter quam videre falsa, in quibus sunt, quæ si confirmant per Verbum, falsificant vera ejus.

498. *Et percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint, significat quod qui volunt duo illa Essentialia Novæ Ecclesiæ destruere, semet in omnis generis mala & falsa conjiciant, quoties & quantum id faciunt.* Per terram significatur Ecclesia, n. 285; & per plagam significatur malum & falsum, n. 456; inde per percutere terram omni plaga, significatur Ecclesiam omnis generis malis & falsis pessumdare: sed hoc, sicut priora intellecta sunt, intelligendum est, videlicet, quod illi qui volunt duo illa Essentialia Novæ Ecclesiæ plaga percutere, hoc est, destruere, quod fit ex malo per falsa, semetipsos in omnis generis mala & falsa conjiciant; & quia invertitur ita sensus naturalis dum fit spiritualis, ideo etiam similiter invertitur hoc, quotiescunque voluerint, in hoc, quoties & quantum illi hoc faciunt: causa est, quod quantum aliquis destruit duo illa Essentialia, tantum destruat vera Verbi, & quod quantum vera Verbi destruit, tantum se in mala & falsa conjiciat; nam duo illa Essentialia sunt vera Verbi, ut manifeste constare potest ex BINIS DOCTRINIS NOVÆ HIEROSOLYMÆ, una de DOMINO, & altera quæ vocatur DOCTRINA VITÆ EX PRÆCEPTIS DECALOGI. Hoc, quod Testes potestatem habeant percutiendi terram omni plaga quotiescunque voluerint, simile est cum multis in Verbo, quod tribuatur Jehovæ, hoc est, Domino, quod percutiat homines plaga, & quod hoc Ejus voluntatis sit, cum tamen intelligendum est, quod non percutiat, nec quod Ejus voluntatis sit, sicut apud Sachariam, *Hæc erit Plaga, qua percutiet Jehovah omnes populos, qui pugnabunt contra Hierosolymam*, XIV: 12 seq. & apud Jeremiam „ *Plaga hostis percussi te, castigatione tyranni, propter multitudinem iniquitatis tuæ*, XXX: 14, similiter alibi pluries. Videatur etiam supra n. 494.

499. *Et cum absolverint testimonium suum, significat quod postquam Dominus docuit quod Ipse sit Deus Cœli & Terræ, & quod cum Ipso conjunctio sit per vitam secundum præcepta Decalogi.* Cum absolverint, significat postquam Dominus docuit; bini quidem testes docuerunt, verum non a se, sed a Domino; quod Testimonium significet illa duo, videatur supra, n. 490.

500. *Bestia ascendens ex abysso faciet bellum cum illis, & vincet illos & occidet illos, significat quod illi qui in internis doctrinæ de sola fide sunt, se oppositurі sint, & illa duo Essentialia Novæ Ecclesiæ impugnaturi, & apud se, & quantum valent apud alios, rejecturi.* Per Bestiam ascendentem ex abysso, intelliguntur qui ex abysso ascenderunt, & visi sunt sicut Locustæ, Cap. IX: 1 ad 12, qui quod fuerint qui in internis doctrinæ de sola fide sunt, videatur in Explicatione ibi; per bellum facere, significatur se opponere, & illa duo Essentialia Ecclesiæ impugnare, de quo sequitur; per vincere illos & occidere, significatur illa apud se, & quantum valent apud alios, rejicere & exstirpare. Causa quod illi qui in internis doctrinæ de sola fide sunt, duo illa Essentialia impugnaturi & re-

rejecturi sint, est quia apud se confirmaverunt Duo illis adversantia, Primum, quod non Dominus, sed quod Deus Pater adeundus sit; & Alterum, quod vita secundum præcepta Decalogi, non sit vita spiritualis, sed solum vita moralis & civilis, & hoc confirmant, ne aliquis credat quod salvetur per opera, sed per solam illorum fidem. Omnes illi qui hæc dogmata alte impresserunt mentibus suis in scholis & gymnasiis, postea non recedunt ab illis; causæ sunt tres, hactenus ignotæ; *Prima*, quod se in societatem cum similibus in Mundo spirituali quoad spiritum suum immiserint, ubi plerique sunt satanæ, qui unice falsis delectantur, a quibus nullatenus possunt exsolvi, nisi rejiciant falsa illa; quod nec fieri potest nisi immediate adeant Deum Salvatorem, & inchoent vitam Christianam secundum præcepta Decalogi: *Secunda causa* est, quod credant dari remissionem peccatorum & sic salvationem momento in actu fidei, & postea in statu seu in progressione per eundem actum a Spiritu sancto continuatum, conservatum & retentum, separatim a charitatis exercitiis; ac qui semel illa imbuerunt, illi postea nihili faciunt peccata coram Deo, & sic in suis immundis vivunt: & quia talia sciunt argute confirmare per falsificationes Verbi apud ineruditos, & per Sophistica apud eruditos, dicitur hic quod bestia ex abysso binos illos testes vicerit & occiderit; sed hoc non fit apud alios, quam apud illos qui amant vivere genio, & feruntur a jucundis concupiscentiarum suarum, hi cum cogitant de salute, corde illis favent, & ambabus manibus amplectuntur fidem illorum, quia sic possunt per aliquas voces cum sono fiduciæ enuntiatas salvari, & non opus habere ut attendant ad aliquod vitæ suæ propter Deum, sed modo propter mundum. *Tertia causa* est, quod qui fidei istius interna, quæ vocantur arcana justificationis, in adolescentia hauserant, postea Ministerio honorato admoti apud se non cogitent de Deo & Cælo, sed de se & mundo, solum retinendo arcana suæ fidei propter famam ut sicut sapientes honorentur, & propter sapientiam digni æstimentur remunerari opibus: quod hoc sit effectus illius fidei, est quia nihil religionis in illa est; quod ita sit, videatur Tertium Memorabile supra, n. 484. Quod per Bella in Verbo significentur bella spiritualia, quæ sunt impugnationes veri, & fiunt per ratiocinia ex falsis, constat ex his locis „ *Spiritus dæmonum exeunt ad congregandum illos in* Bellum *in die magno Dei Omnipotentis*, Apoc. XVI: 14. *Iratus draco contra Mulierem, & abivit ut faceret* Bellum *cum reliquis seminis ejus qui tenebant mandata Dei, & habebant testimonium Jesu Christi*, Apoc. XII: 17. *Datum est Bestiæ draconis facere* Bellum *cum sanctis*, Apoc. XIII: 7. *Sacrate contra filiam Sionis* Bellum, *& ascendamus in meridie*, Jerem. VI: 4. *Non ascendistis in rupturas ad standum in* Bello *in die Jehovæ*, Ezech. XIII: 5. *In Schalem habitaculum Dei, & habitatio in Sione, ubi fregit jacula ignita, arcus, &* Bellum, Psalm. LXXVI: 3. *Jehovah sicut Heros exibit, sicut* Vir bellorum *suscitabit zelum*, Esaj. XLII: 13. Psalm. XXIV: 8. *In die illo erit Jehovah in spiritum judicii, sedenti super judicio, qui repellunt* Bellum *a porta*, Esaj. XXVIII: 6. *Libera me ab homine malo, & a viro violentiarum serva me, toto die congregant ad* Bella, *exacuunt linguam suam sicut serpentes*, Psalm. CXL: 2. 3. 4. *Multi venient in Nomine meo, dicentes Ego sum Christus, & multos se-*

ducent, *& audituri estis* Bella *& rumores* Bellorum, *videte ne turbemini*, Matth. XXIV: 6. 7. 8. Marc. XIII: 7. 8. 9. Luc. XXI: 9. 10. 11. Bella *Regum septentrionis & meridiei*, *& reliqua*, apud Danielem, Cap. X. XI. XII, non alia Bella quam Spiritualia significant; præter Bella aliis in locis, ut Esaj. II: 3. 4. 5. Cap. XIII: 4. Cap. XXI: 14. 15. Cap. XXXI: 4. Jerem. XLIX: 25. 26. Hosch. II: 18. Sach. X: 5. Cap. XIV: 3. Psalm. XXX: 4. Psalm. XLVI: 9. 10. Quoniam per Bella in Verbo significantur Bella spiritualia, ideo Ministerium Levitarum vocabatur Militia, ut patet ex his ,, *Mandatum est ut numerarentur Levitæ*, *ad exercendum* Militiam, *ad faciendum opus in Tentorio conventus*, Num. IV: 23. 35. 39. 43. 47. *Hoc Levitarum officium ad* Militandum militiam *in ministerio Tentorii conventus; sed a filio 50 annorum recedet a* Militia ministerii, *nec ministrabit amplius*, Num. VIII: 24. 25; videatur etiam supra, n. 447, ubi confirmatur ex Verbo, quod Exercitus significent bona & vera Ecclesiæ, & in opposito sensu mala & falsa ejus.

501. *Et corpora illorum super platea Urbis magnæ*, *significat quod duo Essentialia Novæ Ecclesiæ ab illis qui interius in falsis doctrinæ de justificatione per solam fidem sunt*, *prorsus rejecta sint.* Per corpora duorum testium, significantur duo Essentialia Novæ Ecclesiæ, quæ sunt, Agnitio Domini quod Solus sit Deus Cæli & Terræ, & quod conjunctio cum Ipso sit per vitam secundum præcepta Decalogi, n. 490 seq. per plateam urbis magnæ, significatur falsum doctrinæ de justificatione per solam fidem, per plateam significatur falsum, de quo sequitur, & per urbem significatur doctrina n. 194; vocatur urbs magna, quia est Doctrina regnans in toto Christiano Reformato orbe apud Clericos, non autem similiter apud Laicos. Per Plateas in Verbo, significatur pæne simile, quod per Vias, quia plateæ sunt viæ in urbe; at usque per plateas significantur vera aut falsa doctrinæ, quia urbs significat doctrinam, n. 194, & per vias significantur vera aut falsa Ecclesiæ, quia terra significat Ecclesiam, n. 285. Quod Plateæ significent vera aut falsa doctrinæ, videri potest a sequentibus locis ,, *Rejectum est judicium*, *& justitia e longinquo stetit*, *nam impegit in* Platea *veritas*, *& rectitudo non potest venire*, Esaj. LIX: 14. *In* Plateis *insaniverunt currus*, *discurrerunt in* Vicis, Nah. II: 5. *In diebus Jaelis cessarunt* Viæ, Vici *in Israele cessarunt*, Jud. V: 6. 7. *Quomodo relicta est urbs gloriæ*, *quare cadent juvenes ejus in* Plateis, Jerem. XLIX: 25. 26. Cap. L: 30. *Qui comederunt lautitias*, *devastati sunt in* Plateis. *Obscurata est præ nigredine forma Naziræorum*, *non cognoscuntur in* Plateis. *Errarunt cæci in* Plateis. *Venati sunt gressus nostros*, *ut non ire possint in* Plateis, Thren. IV: 5. 8. 14. 18. *Exscindam gentes*, *devastabuntur anguli eorum*, *desolabo* Plateas *eorum*, Zeph. III: 6. *Postea septimanis sexaginta duabus ædificabitur* Platea Hierosolymæ, *sed in angustia temporum*, Dan. IX: 25. Platea urbis novæ Hierosolymæ *aurum purum*, *quasi vitrum pellucidum*, Apoc. XXI: 21. *In medio* Plateæ *ejus hinc inde arbor faciens fructus duodecim*, Apoc. XXII: 1. 2. præter alibi, ut Esaj. XV: 3. Cap. XXXVI: 10. 11. Cap. LI: 20. Jerem. V: 1. Cap. VI: 11. Cap. VII: 17. Cap. IX: 20. Cap. XI: 13. Cap. XVI: 24. 25. 31. Cap. XLIV: 18. Cap. XLV: 9. Thren. II: 11. 19. Ezech. XI: 6. Cap.

Cap. XXVI: 11. 12. Amos V: 16. Sach. VIII: 3. 4. 5. Pſalm. CXLIV: 13. Hiob V: 10. Quoniam Plateæ ſignificant vera doctrinæ Eccleſiæ, ideo *Docebant in* PLATEIS, I Sam. I: 20: ac dicitur, *Edimus coram Te & bibimus coram Te, & in* PLATEIS *noſtris docuiſti*, Luc. XIII: 26: & ideo, *Hypocritæ orabant in angulis* PLATEARUM, Matth. VI: ℣. 5: & ideo, *Paterfamilias juſſit ſervis, ut irent in* PLATEAS *&* VICOS, *ac introducerent*, Luc. XIV: 21. Propterea etiam falſum & falſificatum vocatur *Lutum, Cænum & Stercus* PLATEARUM, Eſaj. V: 25. Cap. X: 6. Mich. VII: 10. Pſalm. XVIII: 43. *Quod Prophetæ prophetantes falſum abjicerentur in* PLATEAS HIEROSOLYMÆ, *& non ſepeliens*, Jerem. XIV: 16. B. a. 42.

502. *Quæ ſpiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, ſignificat binos amores infernales, qui ſunt amor dominandi ex amore ſui, & amor regnandi ex faſtu propriæ intelligentiæ, qui in Eccleſia ſunt ubi non Unus Deus eſt, ac Dominus non colitur, & ubi non ſecundum præcepta Decalogi vivitur.* Per Sodomam in ſenſu ſpirituali ſignificatur amor dominandi ex amore ſui, de quo ſequitur, & per Ægyptum in ſenſu ſpirituali ſignificatur amor regnandi ex faſtu propriæ intelligentiæ, de quo etiam ſequitur; & quia illi bini amores ſignificantur, ideo dicitur ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus: quod illi amores ſint in Eccleſia, ubi non unus Deus eſt, ac Dominus non colitur, & ubi non ſecundum præcepta Decalogi vivitur, eſt quia homo in binos illos amores naſcitur, & in illos venit dum adoleſcit, & illi amores non removeri poſſunt, niſi a Deo Salvatore, & per vitam ſecundum præcepta Ipſius; & a Deo Salvatore non poſſunt, niſi adeatur, nec vita ſecundum præcepta Ipſius datur, niſi homo ducatur ab Ipſo; dari quidem poteſt, ſed non vita in qua eſt aliquid Cæli & inde Eccleſiæ: illa vita datur ſolum ab Ipſo Qui eſt Vita; quod Dominus ſit Vita illa, videatur Joh. I: 1. 4. Cap. V: 26. Cap. VI: 33. 34. 35 ſeq. Cap. XI: 25. 26. Cap. XIV: 6. 19, & multoties alibi. Quod amor dominandi ex amore ſui, & amor regnandi ex faſtu propriæ intelligentiæ, ſint Capita omnium amorum Inferni, & ſic capita omnium malorum & inde falſorum in Eccleſia, hodie neſcitur; jucunditates illorum amorum, quæ excedunt jucunditates omnium voluptatum animi, faciunt ut neſciatur, cum tamen ſunt ſpiritualiter Sodoma & Ægyptus. Quod Sodoma ſit Amor dominandi ex amore ſui, conſtare poteſt ex deſcriptione Sodomæ apud Moſen, Quod Angelis illuc venientibus voluerint violentiam inferre in domo Lothi; & quod ignis & ſulphur e Cælo pluerint ſuper illos, Geneſ. XIX: 1 ſeq. per ignem & ſulphur ille amor cum ejus concupiſcentiis, ſignificatur. Similia vidi, cum urbes & ſocietates ex talibus die ultimi Judicii everſæ ſunt, & illi dejecti in Infernum. Illi amores & illorum mala ſignificantur per Sodomam & Gomorrham in his locis, Eſaj. I: 10. Cap. III: 8. 9. 19. Jerem. XXIII: 14. Cap. XLIX: 18. Cap. L: 37. 40. Thren. IV: 6. Ezech. XVI: 46 ad 50. Amos IV: 11. Zeph. II: 9. 10. Deutr. XXIX: 22. Cap. XXXII: 32. Matth. X: 14. 15. Cap. XI: 23. Marc. VI: 11. Cap. X: 10. 11. 13. Luc. XVII: 28. 29. Quod ille Amor per Sodomam ſignificetur, neſcitur in Mundo, ſed retine hoc, & recordare, dum in Mundum ſpirituum, quod fit poſt mortem, venis, & plene conſir-

[Cap. XIII]
B. a. 23.

firmaberis. At ſciendum eſt, quod ſit amor dominandi ex amore ſui, & amor dominandi ex amore uſuum, hic amor eſt cæleſtis, ille autem infernalis; quare cum unus facit caput, alter facit pedes, hoc eſt, cum amor dominandi ex amore ſui facit caput, tunc amor dominandi ex amore uſuum, qui etiam eſt amor inſerviendi proximo ex Domino, facit primum pedes, poſtea plantas pedum, & demum proculcatur; at vero cum amor dominandi ex amore uſuum, qui, ut dictum, eſt amor cæleſtis, facit caput, tunc amor dominandi ex amore ſui, qui, ut dictum, eſt amor infernalis, primum facit pedes, poſtea plantas pedum, & demum proculcatur. Sed bini illi amores in Mundo ab homine ægre poſſunt diſtingui, cauſa eſt, quia externæ formæ illorum ſunt ſimiles; at dignoſcuntur per id, quod Cæleſtis ille amor ſit apud illos, qui adeunt Dominum, & vivunt ſecundum præcepta Decalogi, & quod infernalis ille amor ſit apud illos, qui non adeunt Dominum, & non vivunt ſecundum præcepta Decalogi.

503. Quid ÆGYPTUS in Verbo ſignificat, dicetur: Ægyptus ſignificat Naturalem hominem conjunctum ſpirituali, & tunc affectionem veri, & inde ſcientiam & intelligentiam; ac in oppoſito ſenſu ſignificat Naturalem hominem ſeparatum a ſpirituali, & tunc faſtum propriæ intelligentiæ, & inde inſaniam in ſpiritualibus. Ægyptus ſignificat Naturalem hominem conjunctum ſpirituali, & tunc affectionem veri, & inde ſcientiam & intelligentiam, in ſequentibus locis „ *In die illo erunt quinque urbes in Terra Ægypti, jurantes Jehovæ Zebaoth. In die illo erit Altare Jehovæ in medio Terræ Ægypti; tunc notus fiet Jehovah Ægypto, & cognoſcent Ægyptii Jehovam in die illo*, Eſaj. XIX: 17 ad 21. *In die illo erit ſemita ex Ægypto in Aſchurem, ut veniat Aſchur in Ægyptum, & Ægyptus in Aſchurem, ſerviantque Ægyptii cum Aſchure: in die illo erit Iſrael trina Ægypto & Aſchuri, benedictio in medio Terræ; Cui benedicet Jehovah Zebaoth dicendo, Benedictus populus meus Ægyptus, & opus manuum mearum Aſchur, & hæreditas mea Iſrael*, Eſaj. XIX: 23. 24. 25; Ægyptus ibi eſt Naturale, Aſchur eſt Rationale, & Iſrael eſt Spirituale, hæc tria faciunt hominem Eccleſiæ. Inde *Rex Ægypti dictus fuit Filius ſapientum*; *Filius regum antiquitatis*; *ac Ægyptus dicta Lapis angularis tribuum*, Eſaj. XIX: 11. 13: & de Salomone dicitur, quod *Sapientia ejus fuerit præ ſapientia Ægyptiorum*, I Reg. V: 10. Et quod acceperit filiam *Pharaonis in uxorem, & adduxerit illam in urbem Davidis*, I Reg. III: 1. Et *quod ædificaverit filiæ Pharaonis domum juxta porticum*, I Reg. VII: 8. Propterea etiam *Joſephus delatus eſt in Ægyptum, & factus eſt totius Terræ Dominator ibi*, Geneſ. XLI. Quoniam Ægyptus ſignificabat Naturalem hominem quoad affectionem veri, & inde ſcientiam & intelligentiam, ideo *Joſephus conjux Mariæ ex monito Angeli cum Domino infante abivit in Ægyptum*, Matth. II: 14. 15: ſecundum prædictionem, *Cum puer Iſrael, tunc amavi illum, & ex Ægypto vocavi Filium meum*, Hoſch. XI: 1. *Vitem ex Ægypto profeciſci feciſti, plantaſti eam, & radicari feciſti radices ejus*, Pſalm. LXXX: 9. 10; homo enim naſcitur naturalis, fit rationalis, & poſtea ſpiritualis, ita vitis ex Ægypto plantatur & radicatur. Propter illam repræſentationem, etiam *Abraham peregrinatus eſt in Ægypto*, Gen. XII: 10 ſeq. Et *Ja-*

Jacobus cum filiis suis jussus est abire in Ægyptum, & quoque ibi morati sunt, Genes. XLVI, seq. Inde quoque Terra Canaan, per quam significatur Ecclesia, describitur quoad extensionem suam, *usque ad fluvium Ægypti*, Genes. XV: 18. I Reg. V: 1. Mich. VII: 12: & Ægyptus æquiparatur *Horto Eden*, *Horto Dei*, Ezech. XXXI: 2. 8. Gen. XIII: 10: ac scientiæ naturalis hominis vocantur *desiderabilia Ægypti*, Dan. XI: 43; ac *Byssus in acupictura ex Ægypto*, Ezech. XXVII: 7; præter alibi de Ægypto bene, ut Esaj. XXVII: 12. 13. Ezech. XXIX: 13 ad 16. Cap. XXXI: 1 ad 8. Hosch. XI: 11. Sach. X: 10. 11. Cap. XIV: 16. 17. 18. Psalm. XLVIII: 32. 33. II Reg. XIX: 23. 24. Ægyptus autem in opposito sensu significat hominem naturalem separatum a spirituali, & tunc fastum propriæ intelligentiæ, & inde insaniam in spiritualibus, in sequentibus locis „ *Quoniam elatum est cor Pharaonis in altitudine sua, & dedit fastigium inter implexa, exscindent eum alieni, & dejicient eum. In die quo descensurus es in infernum, obtegam super eo abyssum, & in medio præputiatorum cubabis*, Ezech. XXXI: 10 ad 18. *Evertentur fundamenta Ægypti; descendet superbia roboris ejus, & devastabuntur urbes ejus in medio urbium desolatarum: dabo ignem in Ægyptum, & dispergam Ægyptum inter gentes, & disjiciam eos in terras*, Ezech. XXX: 1 ad fin. *Væ descendentibus in Ægyptum pro auxilio, & non respiciunt ad Sanctum Israelis; nam Ægyptus homo & non deus, & equi ejus caro & non spiritus*, Esaj. XXXI: 1. 3. *Ægyptus sicut flumen ascendit, dicit, ascendam, obtegam terram, & perdam: ascendite equi, insanite currus, comedet vos gladius, & inebriabitur sanguine; sanatio non tibi*, Jerem. XLVI: 2. 7. 8. 9. *Quomodo dicitis ad Pharaonem, filius sapientum ego, & filius regum antiquitatis, ubi nunc sapientes tui, cognoscant, stulti facti sunt principes Zoanis, seduxerunt Ægyptum, angularem lapidem tribuum; non erit Ægypto opus, quod faciat caput & caudam*, Esaj. XIX: 1 ad 17. *Propheta contra Ægyptum; Balæna magna, quæ cubas in medio fluviorum tuorum; quia dixit, meus fluvius, & ego feci me, ideo dabo hamos in maxillas tuas; & adhærere faciam piscem fluviorum tuorum squamis tuis, & derelinquam te in deserto: & ideo fiet terra Ægypti solitudo & vastitas*, Ezech. XXIX: 1 ad 12: præter alibi, ut Esaj. XXX: 1. 7. Jerem. II: 17. 18. 36. Cap. XLII: 13 ad 18. Ezech. XVI: 26. 28. 29. Cap. XXIII: 2 ad 33. Hosch. VII: 11. 13. 16. Cap. IX: 1. 3. 6. Cap. XI: 5. Cap. XII: 2. Joel IV: 19. Thren. V: 2. 4. 6. 8. Deutr. XVII: 16. I Reg. XIV: 25. 26. II Reg. XVIII: 21. Quoniam Ægyptii tales facti sunt, ideo quoad omnia bona & vera Ecclesiæ devastati sunt; devastationes illorum describuntur per Miracula ibi facta, quæ erant plagæ, & significabant totidem cupiditates naturalis hominis separati a spirituali, qui unice agit ex propria intelligentia & ejus fastu; plagæ significativæ ejus cupiditatum fuerunt, *Quod aquæ in flumine conversæ sint in sanguinem, ita ut moreretur piscis, & fœteret flumen*, Exod. VII. *Quod ex fluviis & stagnis productæ sint ranæ super terram Ægypti. Quod pulvis terræ versus sit in pediculos. Quod colluvies volatilium noxiorum immissa sit*, Exod. VIII. *Quod ulcus efflorescens pustulis factum sit super hominem & bestiam. Quod pluvia grandinis mixta igne depluerit*, Exod. IX. *Quod locusta immissa sit. Quod caligo facta sit in omni terra Ægypti*, Exod. X. *Quod omnia primogenita in terra*

terra Ægypti mortua ſint, Cap. XII: & demum, *quod Ægyptii ſubmerſi ſint in Mari Suph*, Exod. XIV, per quod ſignificatur Infernum. Quid per hæc omnia in ſpecie ſignificatur, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, ubi explicata ſunt. Inde patet, quid ſignificatur per *Plagas & Morbos Ægypti*, Deut. VII: 15. Cap. XXVIII: 60: quid per *Submergi flumine Ægypti*, Amos VIII: 8. Cap. IX: 15: & unde eſt, quod Ægyptus dicatur *Terra ſervitutis*, Mich. VI: 4. *Terra Chami*, Pſalm. CXXVI: 23; tum *Fornax ferri*, Deutr. IV: 20. I Reg. VIII: 5. Cauſa, quod Ægyptus ſignificet tam intelligentiam quam inſaniam in ſpiritualibus, erat, quia Eccleſia Antiqua, quæ in plura Regna Aſiæ extenſa fuerat, etiam in Ægypto fuit, & tunc Ægyptii præ cæteris Scientiam correſpondentiarum inter ſpiritualia & naturalia excoluerunt, ut patet ex Hieroglyphicis ibi; at vero cum apud illos ſcientia illa verſa eſt in magicam, & facta idololatrica, tunc intelligentia illorum in ſpiritualibus facta eſt inſania; inde Ægyptus hanc in oppoſito ſenſu ſignificat. Ex his videri poteſt, quid intelligitur per Urbem magnam, quæ ſpiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus.

504. *Ubi & Dominus noſter crucifixus eſt*, *ſignificat non agnitionem Divini Humani Domini*, *& ſic ſtatum rejectionis.* In Eccleſia dicitur, quod illi crucifigant Dominum, qui blaſphemant Ipſum; tum etiam qui, ſicut Judæi, negant Ipſum eſſe Filium Dei: quod Judæis ſimiles ſint illi, qui negant quod Humanum Ipſius ſit Divinum, eſt quia omnis homo ſpectat Dominum ut Hominem, & qui Humanum Ipſius ſpectat æquale humano alterius hominis, non poteſt tunc cogitare Divinum Ipſius, utcunque Hoc dicitur Filius Dei, natum ab æterno, æquale Divino Patris: hoc cum dicitur & legitur, quidem auditur, ſed uſque non ſimul in fide eſt, cum cogitatur de Domino quod ſit Homo materialis ſicut alius homo, retinens pares proprietates carnis, & quia tunc removet Divinum Ipſius & non ſpectat illud, ideo in eo ſtatu eſt, ſicut neget illud, nam negat quod Humanum Ipſius ſit Filius Dei, ſicut etiam fecerunt Judæi, ac propterea crucifixerunt Ipſum; quod tamen Humanum Domini ſit FILIUS DEI, aperte dicitur, Luc. I: 32. 35. Matth. III: 16. 17, & alibi. Ex his patet cauſa, cur homines Eccleſiæ immediate adeunt Deum Patrem, ac multi etiam immediate Spiritum ſanctum, & raro aliquis immediate Dominum. Quoniam Judæi ex negatione quod Dominus eſſet Meſſias Filius Dei, crucifixerunt Ipſum, ideo Hieroſolyma illorum etiam vocatur Sodoma, Eſaj. III: 9. Jerem. XXIII: 14. Ezech. XVI: 46. 48; ac Dominus dicit, *Qua die egreſſus eſt Lothus e Sodoma*, *pluit igne & ſulphure e Cælo*, *& perdidit omnes*; *juxta hæc fiet*, *qua die Filius Hominis revelabitur*, Luc. XVII: 29. 30; quid ignis & ſulphur, videatur n. 452. 494.

505. *Et videbunt ex populis & tribubus & linguis & gentibus corpora illorum dies tres & dimidium*, *ſignificat cum omnes qui in falſis doctrinæ & inde in malis vitæ ex ſola fide fuerunt & erunt*, *ad finem Eccleſiæ quæ adhuc eſt ad principium Novæ*, *audiverunt & audituri ſunt de binis Eſſentialibus*, *quæ ſunt Agnitio Domini & Operum ſecundum Decalogum.* Per populos & tribus & linguas & gentes, intelliguntur omnes ex Reformatis qui in falſis doctrinæ & inde in malis vitæ ex ſola

sola fide fuerunt & erunt, per populos significantur qui in falsis doctrinæ sunt, n. 483, per tribus falsa & mala Ecclesiæ, n. 349, per linguas confessio & receptio illorum, n. 483, & per gentes qui in malis vitæ, n. 483, inde per quatuor illa, omnes & singuli qui fuerunt & erunt, ita qui fuerunt in magna illa urbe, & erunt qui e mundo adhuc venturi sunt illis similes; per corpora illorum, seu duorum testium, significantur duo Essentialia Ecclesiæ Novæ, de quibus supra n. 501; per videbunt, significatur dum audiverunt & audituri sunt de illis, quoniam videre dicitur de corporibus, & audire de binis illis Essentialibus; per dies tres & dimidium, significatur ad finem & principium, hoc est, ad finem Ecclesiæ quæ adhuc est & ad principium Novæ; ex his nunc in unum sensum collatis, patet, quod per videbunt ex populis & tribubus & linguis & gentibus corpora illorum tres dies & dimidium, in sensu spirituali supradicta significentur. Quod dies tres & dimidium, significent ad finem & principium, est quia dies significat statum, numerus tria completum usque ad finem, ac dimidium principium; simile enim per dies tres & dimidium significatur quod per septimanam, cujus sex dies significant completum usque ad finem, & dies septimus significat sanctum; nam numerus $3\frac{1}{2}$ est dimidius numeri 7, qui facit septimanam, ac duplicatum & divisum ex quo, simile significant. Quod tria significent completum, ita ad finem, videri potest ex his in Verbo „ *Quod Esajas iret nudus & discalceatus* TRES ANNOS," Esaj. XX: 3. *Quod Jehovah* TER *vocaverit Samuelem, & Samuel* TER *cucurrerit ad Eli, & quod Eli* TERTIA VICE *intellexerit*, I Sam. III: 1 ad 8. *Quod Elias se mensus sit super filium viduæ* TRIBUS VICIBUS," I Reg. XVII: 21. *Quod Elias jusserit quod funderent aquam super holocaustum* TRIBUS VICIBUS, I Reg. XVIII: 34. *Quod Jesus dixerit, quod Regnum cælorum sit simile fermento; quod accipiens mulier abscondidit in* TRIBUS SATIS, *donec fermentaretur totum*," Matth. XIII: 33. [farinae] *Quod Jesus dixerit ad Petrum, quod* TER *abnegaturus sit Ipsum*, Matth. XXVI: 34. *Quod Dominus* TER *interrogaverit Petrum, "amasne Me*," Joh. XXI: 15. 16. 17. *Quod Jonas fuerit in ventre ceti* TRIBUS DIEBUS ET TRIBUS NOCTIBUS," Jon. II: 1. B. a. 2. 17. *Quod Jesus dixerit, quod Templum dissolveret, & Ipse illud per* TRES DIES *ædificaret*, Matth. XXVI: 61. *Quod Jesus in Gethsemane* TRIBUS VICIBUS *oraverit*, Matth. XXVI: 39 ad 44. *Quod Jesus* TERTIO DIE *resurrexerit*, Matth. XXVIII: 1; præter pluries alibi; ut Esaj. XVI: 14. Hosch. VI: 2. Exod. III: 18. Cap. X: 22. 23. Cap. XIX: 1. 11. 15. 16. 18. Levit. XIX: 23. 24. 25. Num. XIX: 11 ad fin. Cap. XXXI: 19 ad 25. Deut. ~~X: 2. 3. 4.~~ XIX. 2. 3 Cap. XXVI: 12. Jos. I: 11. Cap. III: 2. I Sam. XX: 5. 12. 19. 20. 35. 36. 41. II Sam. XXIV: 11. 12. 13. Dan. X: 2. 3. 4. Marc. XII: 2. 4. 5. 6. Luc. XX: 12. 19. Cap. XIII: 32. 33. Septem æque ac Tria significant plenum & completum, at Septem dicuntur de rebus sanctis, Tria autem de rebus non sanctis.

506. *Et corpora illorum non permittent poni in monumenta, significat quod damnaverint & damnaturi sint illa.* Per corpora hic significantur duo illa Essentialia Novæ Ecclesiæ, de quibus n. 505 & supra; & per non permittere poni in monumenta, significatur rejicere sicut damnata; quod hoc significetur, est

 quia

quia per poni in monumenta seu sepeliri, significatur resurrectio & continuatio vitæ, tunc enim terræ mandantur quæ ex terra sunt, ita quæ terrestria & inde immunda sunt; inde per non poni in monumenta seu non sepeliri, significatur manere in terrestribus & immundis, & propterea rejici sicut damnatum. Inde erat quod in Ecclesia apud filios Israelis, quæ fuit Ecclesia repræsentativa, fuerit statum, quod qui spectabantur ut damnati, projicerentur & non sepelirentur, ut patet ab his „ *Jehovah dixit de illis, mortibus ægris morientur, non plangentur* NEQUE SEPELIENTUR, *in stercus super faciebus terræ erunt, & erit cadaver eorum in cibum avibus cælorum & bestiæ terræ*, Jerem. XVI: 3. 4. *Prophetæ prophetantes mendacium erunt abjecti in plateis Hierosolymæ*, NEC SEPELIENS, Jerem. XIV: 16. *In die illo extrahent ossa Regum Jehudæ, ossa principum ejus, & ossa sacerdotum, & ossa prophetarum e sepulchris eorum, non* COLLIGENTUR, NEQUE SEPELIENTUR, *in stercus super faciebus terræ erunt*, Jerem. VIII: 1. 2. *Quod Jesabelem comederent canes in agro*, NEC SEPELIENS, II Reg IX: 10. *Tu projectus es e sepulchro tuo sicut surculus abominabilis, sicut cadaver conculcatum*, Esaj. XIV: 19. 20; præter alibi, ut Jerem. XXV: 32. 33. Cap. XXII: 19. Cap. VII: 32. 33. Cap. XIX: 11. 12. II Reg. XXIII: 16.

507. *Et habitantes super terra gaudebunt super illis & lætabuntur, significat propterea jucundum affectionis cordis & animæ in Ecclesia apud illos qui in sola fide quoad doctrinam & vitam erant.* Per habitantes super terra, intelliguntur qui in Ecclesia, hic qui in Ecclesia sunt ubi sola fides, terra significat Ecclesiam in qua, n. 285; per gaudere & lætari, significatur jucundum affectionis cordis & animæ habere, jucundum affectionis cordis est voluntatis, ac jucundum affectionis animæ est intellectus, nam in Verbo per cor & animam intelligitur hominis voluntas & intellectus; inde est, quod dicatur gaudere & lætari, tametsi gaudium & lætitia apparent sicut una res, sed in duobus illis est conjugium voluntatis & intellectus, quod etiam est conjugium boni & veri, quod est in omnibus & singulis Verbi, de quo in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 80 ad 90: inde est quod utrumque, gaudere & lætari, seu gaudium & lætitia, etiam pluries alibi in Verbo dicatur, ut in his „ *Ecce* GAUDIUM ET LÆTITIA *occidere bovem*, Esaj. XXXV: 10. Cap. LI: 11. *Excisum est e Domo Dei nostri* GAUDIUM ET LÆTITIA, Joel I: 16. *Abrogabitur vox* GAUDII *& vox* LÆTITIÆ, Jerem. VII: 34. Cap. XXV: 10. *Jejunium decimi erit in* GAUDIUM & LÆTITIAM, Sach. VIII: 19. LÆTEMINI *in Hierosolyma*, GAUDETE *in ea*, Esaj. LXVI: 10. GAUDE & LÆTARE *filia Edomi*, Thren. IV: 21. LÆTABUNTUR *Cæli*, GAUDETE *terræ*, Psalm. LXVIII: 4. *Audire me faciet* GAUDIUM & LÆTITIAM, Psalm. LI: 10. GAUDIUM & LÆTITIA *invenietur in Sione*, Esaj. LI: 3. *Erit* LÆTITIA, *multi super nativitate ejus* GAUDEBUNT, Luc. I: 14. *Cessare faciam vocem* GAUDII *& vocem* LÆTITIÆ, *vocem Sponsi & vocem Sponsæ*, Jerem. VII: 34. Cap. XVI: 9. Cap. XXV: 10. Cap. XXXIII: 10. 11. GAUDEANT & LÆTENTUR *omnes quærentes Te*, Psalm. XL: 17. Psalm. LXX: 5. *Justi* LÆTABUNTUR & GAUDEBUNT IN LÆTITIA, Psalm. LXVIII: 5. LÆTAMINI *in Hierosolyma*, GAUDETE *cum ea* GAUDIUM, Esaj. LXVI: 10.

508.

508. *Et munera mittent invicem*, *significat consociationem per amorem & amicitiam.* Quod munera mittere significet consociari per amorem & amicitiam, est quia munus consociat, producit enim amorem, & facit amicitiam; invicem significat mutuo.

509. *Quia illi duo Prophetæ cruciaverunt habitantes super terra*, *significat quod duo illa Essentialia, unum de Domino & de Divino Humano, & alterum de vita secundum præcepta Decalogi, contrarientur binis Essentialibus in Ecclesia Reformatorum receptis, quorum unum est de Trinitate Personarum, & alterum de sola fide salvante absque operibus legis, & quod ex contrarietate illa, bina illa Essentialia Novæ Ecclesiæ, quæ est Nova Hierosolyma, sint contemtui, molestiæ & aversationi.* Quod hæc significentur, dum per duos Prophetas, seu Testes, intelliguntur Bina illa Essentialia Novæ Ecclesiæ, & cum per habitantes super terra intelliguntur illi qui in duobus illis Essentialibus Ecclesiæ Reformatorum sunt, ex se ut conclusum sequitur; per cruciare significatur esse contemtui, molestiæ & aversationi.

510. *Et post tres dies & dimidium spiritus vitæ a Deo intravit in illos, & steterunt super pedibus suis*, *significat quod duo illa Essentialia Novæ Ecclesiæ in fine prioris dum Nova Ecclesia inchoat & progreditur, a Domino vivificentur apud illos qui recipiunt.* Per dies tres & dimidium, significatur ad finem & principium, n. 505, ita a fine Ecclesiæ, quæ adhuc est, ad principium Novæ, hic apud quos Nova Ecclesia inchoat & progreditur, quia dicitur nunc de Testibus, quod spiritus vitæ intraverit in illos & steterint super pedibus; per spiritum vitæ a Deo, significatur vita spiritualis, & per stare super pedibus significatur vita naturalis cum vita spirituali concordans, ac ita a Domino vivificari; quod hoc significetur, est quia per spiritum vitæ intelligitur internum hominis, quod vocatur internus homo, qui in se spectatus est spiritualis, spiritus enim hominis cogitat & vult, ac cogitare & velle in se est spirituale; per stare super pedibus significatur externum hominis quod etiam vocatur externus homo, qui in se est naturalis, corpus enim loquitur & facit, quod spiritus ejus cogitat & vult, ac loqui & facere est naturale; quod Pedes significent Naturalia, videatur n. 49. 468. Quid in specie per hoc intelligitur, dicetur; omnis homo qui reformatur, primum reformatur quoad Internum hominem, & postea quoad Externum; Internus homo non reformatur per solum scire & intelligere vera & bona per quæ homo salvatur, sed per velle & amare illa, Externus autem homo per loqui & facere illa quæ internus homo vult & amat, & quantum hoc fit, tantum homo regeneratur; quod non prius regeneretur, est quia internum ejus non prius est in effectu, sed solum in causa, & causa, nisi sit in effectu, dissipatur; est sicut domus fundata super glacie, quæ cadit in fundum cum glacies a sole liquescit; verbo, est sicut homo absque pedibus super quibus stet & ambulet; simile est cum Interno seu spirituali homine nisi fundetur in Externo seu naturali: hoc nunc est quod significatur per quod bini testes steterint super pedibus postquam spiritus a Deo intraverit in illos; & quoque per similia apud Ezechielem „ *Jehovah dixit ad me, propheta super spiritu, & cum prophetavi*, INTRAVIT IN ILLOS SPIRITUS, ET STETERUNT SUPER PEDI-

BUS, XXXVII: 9. 12: apud Eundem, *Vox loquens ad me dixit, fili hominis, sta super pedibus tuis*, tunc INTRAVIT IN ME SPIRITUS ET STATUIT ME SUPER PEDES, II: 1. 2: & apud Eundem, *Cecidi super facies meas, sed* VENIT IN ME SPIRITUS, ET EREXIT ME SUPER PEDES MEOS, III: 23. 24. Hoc etiam est quod intelligitur per Domini verba ad Petrum, *Dixit Petrus, non laves pedes meos tantum, sed & manus & caput; dixit illi Jesus, qui lotus est, non opus habet nisi quoad pedes lavetur, & mundus est totus*, Joh. XIII: 9.

511. *Et timor magnus cecidit super videntes illos, significat commotionem animi, & consternationem pro Divinis veris.* Timor significat varia secundum rem quæ afficit; hic timor magnus commotionem animi & consternationem pro Divinis veris; Divina enim vera illos effectus habent apud malos, terrent enim cum simul auditur infernum & damnatio æterna; sed terror ille brevi dissipatur, una cum fide quod sit aliqua vita post mortem.

512. *Et audiverunt vocem magnam e Cælo, dicentem illis, ascendite huc, significat bina illa Essentialia Novæ Ecclesiæ a Domino in Cælum, unde sunt & ubi sunt, sublata, & illorum tutelam.* Per vocem magnam e Cælo, significatur a Domino, nam vox e Cælo non aliunde est; per ascendite huc, significatur sublatio illorum in cælum, unde sunt & ubi sunt, ac illorum tutela.

513. *Et ascenderunt in Cælum in nube, significat sublationem in Cælum, & conjunctionem cum Domino ibi per Divinum Verum Verbi in sensu literæ ejus.* Per ascendere in Cælum significatur sublatio a Domino in Cælum, ut mox supra n. 512, hic quoque conjunctio cum Domino ibi, quia ascenderunt in nube, per nubem enim significatur sensus literæ Verbi, n. 24, & per hunc est conjunctio cum Domino, & consociatio cum angelis, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 62 ad 69.

514. *Et viderunt illos inimici illorum, significat quod illi qui in fide separata a charitate sunt, audiverint illa, sed permanserint in suis falsis.* Per videre binos testes significatur audire duo illa Essentialia Novæ Ecclesiæ, & quoque videre confirmantia ex Verbo, quia viderunt illos ascendentes in nube, & per nubem significatur sensus literæ Verbi, n. 24. 513; quod tamen non receperint, sed quod permanserint in suis falsis, patet ex eo, quod non plus dicatur quam quod viderint, & sequitur quod terræ motus magnus factus sit, & in illo perierint: per inimicos intelliguntur qui in magna urbe, quæ spiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, qui quod fuerint qui in fide separata a charitate, videatur supra n. 501. 502 seq.

515. *Et in illa hora factus est terræ motus magnus, & decima pars urbis cecidit, significat tunc mutationem status apud illos insignem factam, & illos divulsos e Cælo in infernum delapsos.* In illa hora, significat tunc cum viderunt binos Testes in Cælum ascendisse, & tamen in suis falsis permanserunt, ut mox supra n. 314, nam bini illi Testes prophetarunt, hoc est, docuerunt illos, Vers. 3, & postquam occisi sunt, & revixerunt, etiam viderunt illos ascendisse in Cælum, & usque non a falsis suis recesserunt, tunc terræ motus ille magnus factus est: quod simile factum sit cum duabus DOCTRINIS NOVÆ HIEROSOLYMÆ, UNA DE DOMINO, ET ALTERA DE VITA SECUNDUM PRÆCEPTA

DE-

Decalogi, ex Memorabilibus poſt ſingula Capita aliquantiſper videri poteſt; Duæ illæ Doctrinæ sunt Duo Testes de quibus hic; per terræ motum ſignificatur mutatio ſtatus, n. 331, hic illorum interitus, quia in illo decima pars urbis cecidit; per decimam partem ſignificantur omnes ibi, nam decem ſignificant multum & omne, n. 101, ſimiliter decima pars ſeu decimum, ſicut quarta pars ſeu quartum, idem cum quatuor, n. 322, & tertia pars ſeu tertium idem cum Tribus, n. 400; per cadere ſignificatur delabi in infernum, quod fit quando evulſi ſunt e cælo; nam Urbes in Mundo Spirituum quæ in malis & falſis ſunt, poſtquam illi qui ibi, viſitati, informati & commoniti ſunt, & uſque permanent in ſuis malis & falſis, concutiuntur terræ motu, & per illum aperitur barathrum, in quod ſubſidunt, & tunc habitatores ſibi apparent in fundo ſicut in deſerto, e quo ſingillatim amandantur in ſua loca in Inferno; quod ita factum ſit cum hac Urbe, videbitur infra n: 531.

516. *Et occiſa ſunt in terræ motu nomina hominum millia ſeptem, ſignificat quod in illo ſtatu omnes illi qui confeſſi ſunt ſolam fidem, & propterea nihili fecerunt opera charitatis, perierint.* Per occidi ſignificatur hic ut prius ſpiritualiter occidi, quod eſt quoad animam perire; per terræ motum, ſignificatur mutatio ſtatus apud illos, ac interitus, ut mox ſupra; per nomina hominum millia ſeptem, ſignificantur omnes qui confeſſi ſunt ſolam fidem, & propterea nihili fecerunt opera charitatis, & idcirco damnaverunt duo ſancta illa Eſſentialia Eccleſiæ Novæ; per nomina ſignificantur qui tales ſunt, nomen enim ſignificat quale hominis, n. 122. 165, & per millia ſeptem ſignificantur omnes qui tales, idem enim per ſeptem millia quod per ſeptem ſignificatur, ſicut per duodecim millia idem quod per duodecim, n: 348; quod ſeptem ſignificent omnes & omnia, ac prædicentur de Sanctis Cæli & Eccleſiæ, & in oppoſito ſenſu de illis prophanatis, videatur n. 10. 391.

517. *Et reliqui territi facti ſunt, & dederunt gloriam Deo cæli, ſignificat quod illi qui aliqua bona charitatis adjunxerunt fidei, cum viderunt interitum illorum, agnoverint Dominum, & ſeparati ſint.* Per reliquos intelliguntur hic qui aliqua bona charitatis adjunxerunt fidei; per territos factos, ſignificatur ex timore cum viderunt interitum aliorum; per dare gloriam Deo Cæli, ſignificatur agnoſcere Dominum pro Deo Cæli & Terræ, per dare gloriam ſignificatur agnoſcere & colere, & per Deum Cæli & Terræ intelligitur Dominus, quia Ille eſt Deus Cæli & Terræ, Matth. XXVIII: 18. Hi quia ex timore agnoverunt Dominum, ſeparati ſunt, ut explorarentur ex qua origine fecerunt bona, num ex ſe vel num ex Domino; omnes illi faciunt bona ex ſe, qui non fugiunt mala ut peccata, hoc eſt, qui non vivunt præcepta Decalogi, at ex Domino qui fugiunt & vivunt.

518. *Væ ſecundum præteriit, ecce væ tertium venit cito, ſignificat lamentationem ſuper ſtatu Eccleſiæ perverſo, & lamentationem ultimam demum, de qua poſthac.* Quod væ ſignificet lamentationem ſuper ſtatu Eccleſiæ perverſo, videatur ſupra n. 416; per væ tertium ſignificatur lamentatio ultima quando completum eſt & finis, tria enim & tertium illa ſignificant, n. 505; venire cito, ſigni-

significat posthac, & posthac est a Cap. seq. XII ad XVII, & demum Cap. XX ubi de ultimo judicio super illos agitur.

v. 15. 519. *Et septimus Angelus clanxit, significat explorationem & manifestationem status Ecclesiæ post consummationem, quando adventus Domini & Regni Ipsius.* Per clangere tuba, significatur explorare & manifestare statum Ecclesiæ post consummationem ejus, quando adventus Domini & Regni Ipsius, causa est quia id per septimum angelum clangentem significatur; per sex enim angelos & illorum tubas clangentes, significatæ sunt explorationes & manifestationes status Ecclesiæ consummatæ, ut patet a Capite præcedente, ubi solum de consummatione ejus agitur, at quod nunc de statu ejus post consummationem, qui est Adventus Domini & Regni Ipsius, patet ex his quæ sequuntur in hoc Versu & postea; in hoc Versu, *Et septimus Angelus clanxit, & factæ sunt voces magnæ in Cælo, dicentes, facta sunt Regna mundi Domini nostri & Christi Ipsius, & regnabit in sæcula sæculorum*, seq. Causa quod per clangorem septimi Angeli hæc manifestatio fiat, est quia Septem simile significant quod septimana, & sex dies ejus sunt dies laboris & proprii hominis, & septimus est sanctus & Domini. Quod per consummationem intelligatur devastatio Ecclesiæ quando non amplius est verum doctrinæ & bonum vitæ ibi, ita quando est finis ejus, videatur n. 658. 750; & quia tunc est adventus Domini & Regni Ipsius, ideo utrumque, consummatio sæculi & adventus Domini, dicitur, Matth. XXIV: 3, & quoque utrumque prædicitur in illo Capite.

520. *Et factæ sunt voces magnæ in Cælo, dicentes, facta sunt Regna mundi Domini nostri & Christi Ipsius, & regnabit in sæcula sæculorum, significat celebrationes ab Angelis, quod Cælum & Ecclesia facta sint Domini, sicut fuerunt ab initio, & quod nunc etiam facta sint Divini Humani Ipsius, ita quod Dominus nunc quoad utrumque super Cælum & Ecclesiam regnaturus sit in æternum.* Factæ sunt voces magnæ, significat celebrationes ab Angelis; dicentes facta sunt Regna mundi Domini nostri & Christi Ipsius, significat quod Cælum & Ecclesia facta sint Domini, sicut fuerunt ab initio, & nunc etiam Divini Humani Ipsius; & regnabit in sæcula sæculorum, significat quod Dominus quoad utrumque super illa regnaturus sit: quod voces magnæ in Cælo, significent celebrationes Domini, quod nunc potentiam suam magnam adeptus sit, patet a Vers. seq. 17, ubi voces illæ magnæ in summa exstant. Per Dominum hic intelligitur Dominus ab æterno, Qui est Jehovah, & per Christum intelligitur Divinum Humanum Ipsius, quod est Filius Dei, Luc. I: 32. 35. Quod Dominus etiam quoad Divinum Humanum suum regnaturus sit, patet manifeste ab his „ *Pater dedit omnia in manum Filii*, Joh. III: 35. *Pater dedit Filio potestatem omnis carnis*, Joh. XVII: 2. *Pater, omnia Mea Tua sunt & Tua Mea*, Joh. XVII: 10. *Mihi data est omnis potestas in Cælo & in Terra*, Matth. XXVIII: 18. De Divino Humano suo etiam dicit, *Quod Pater & Ipse unum sint. Quodque Ipse in Patre & Pater in Ipso sit*, Joh. X: 30. 38. Cap. XIV: 5 ad 12. Accedit, quod nisi Humanum Domini agnoscitur Divinum, pereat Ecclesia, quoniam tunc non *Dominus in homine & homo in Domino posset esse*, ut Ipse docet

cet Joh. XIV: 20. Cap. XV: 4. 5. 6. Cap. XVII: 9, & hæc conjunctio facit hominem Eccleſiæ, ita Eccleſiam. Quod per Chriſtum intelligatur Divinum Humanum Domini, eſt quia Chriſtus eſt Meſſias, & Meſſias eſt Filius Dei, quem venturum in mundum exſpectaverunt. Quod Chriſtus ſit Meſſias, patet ex his „ *Invenimus* Messiam, *quod eſt ſi interpreteris*, Christus, Joh. I: 42. *Dixit mulier ſcio quod* Messias *veniet, qui dicitur* Christus, Joh. IV: 25; Meſſias enim in Lingua Hebræa eſt Unctus, ſimiliter Chriſtus in Lingua Græca. Quod Meſſias ſit Filius Dei, ex his „ *Princeps ſacerdotum interrogavit, num eſſet* Christus (Meſſias) Filius Dei, Matth. XXVI: 63. Marc. XI: 27. Joh. XX: 31. *Tu es* Christus Filius Dei, *qui in mundum venturus eſt*, Joh. XI: 27. *Dixit Petrus, credimus & agnoſcimus, quod* Tu sis Christus Filius Dei Viventis, Joh. VI: 69. Quod Dominus quoad Divinum Humanum ſit Filius Dei „ *Angelus ad Mariam; Concipies in utero, & paries Filium, Hic erit magnus &* Filius Altissimi *vocabitur. Spiritus Sanctus veniet ſuper te, & virtus Altiſſimi obumbrabit te, unde quod naſcitur ex te Sanctum, vocabitur* Filius Dei, Luc. I: 32. 35; & pluries alibi. Ex his patet quid ſignificatur per, Facta ſunt Regna Domini noſtri & Chriſti Ipſius.

521. *Et viginti quatuor Seniores, qui coram Deo ſedentes ſuper thronis ſuis, ceciderunt ſuper facies ſuas, & adoraverunt Deum, ſignificat agnitionem ab omnibus Angelis Cæli, quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, & ſummam adorationem.* Per viginti quatuor Seniores ſedentes ſuper thronis, ſignificantur omnes in Cælo, in ſpecie in Cælo Spirituali, n. 233. 251; & cadere ſuper facies & adorare Deum, ſignificatur ſumma adoratio, & agnitio quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ

522. *Dicentes, gratias agimus Tibi Dominus Deus Omnipotens, Qui Es & Qui Eras & Qui Venturus es, ſignificat confeſſionem & glorificationem ab Angelis Cæli, quod Dominus ſit Qui Eſt, Qui Vivit & Poteſt ex Seipſo, & Regit omnia, quia Solus eſt Æternus & Infinitus.* Per gratias agere, ſignificatur agnitio & glorificatio Domini; quod Filius Hominis, qui eſt Dominus quoad Divinum Humanum, ſit Omnipotens, Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus, tum Qui Eſt & Qui Erat & Qui Venturus, videri poteſt ſupra in Apocalypſi, Cap. I: 8. 11. 17. Cap. II: 8 Cap. IV: 8, & quod illa ſignificent, quod ſit Qui Eſt, Vivit & Poteſt ex Seipſo, Regit omnia, ac Solus Æternus & Infinitus, & Deus, videatur ſupra n. 13. 29. 30. 31. 38. 57. 92.

523. *Quod adeptus ſis potentiam tuam magnam, & regnum inieris, ſignificat Novum Cælum & Novam Eccleſiam, ubi agnoſcent Ipſum Solum Deum, ſicut eſt & ſicut fuit.* Quod adeptus ſis potentiam tuam magnam, ſignificat Divinam Omnipotentiam, quæ Ipſi eſt, & quæ Ipſi fuit ab æterno; quod regnum inieris, ſignificat quod Ipſi nunc Cælum & Eccleſia, ut prius; per Regnum Ipſius hic intelligitur Novum Cælum & Nova Eccleſia, de quibus in Apocalypſi Cap. XXI. XXII. In Apocalypſi a principio ad finem agitur ſolum de ſtatu prioris Cæli & Eccleſiæ, & de illorum abolitione, & poſtea de Novo Cælo & Nova Eccleſia, & de horum inſtauratione, in quibus agnoſcetur Deus Unus

in Quo Trinitas, & quod Ille Deus sit Dominus: hoc Apocalypsis docet a principio ad finem; docet enim quod Filius Hominis, qui est Dominus quoad Divinum Humanum, sit Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus, Est, Fuit, & Venturus, ac Omnipotens, n. 522; & demum quod Ecclesia Nova, quæ est Nova Hierosolyma, futura sit Ecclesia Agni, hoc est, Divini Humani Ipsius, ita simul Divini a Quo, ut manifeste patet ab his,, *Gaudeamus & exultemus, quia venit* TEMPUS NUPTIARUM AGNI, ET UXOR IPSIUS PARAVIT SE, Apoc. XIX: 7. *Venit unus septem Angelorum, & dixit ad me, veni, ostendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM, *& ostendit mihi Urbem Sanctam Hierosolymam*, Apoc. XXI: 9. 10. *Ego Jesus sum radix & genus Davidis, stella splendida & matutina; Spiritus &* SPONSA *dicunt, veni, & qui audit, dicito veni*, Apoc. XXII: 16. 17. *Datum est Filio hominis dominium, & gloria, & regnum, Dominium Ipsius dominium sæculi, & Regnum Ipsius non peribit*, Dan. VII: 14.

524. *Et gentes iratæ sunt, significat illos qui in sola fide sunt, & inde in malis vitæ, quod excandescerent ac infestarent illos qui contra fidem illorum sunt.* Per gentes intelliguntur qui in malis vitæ sunt, & abstracte mala vitæ, n. 147. 483; hic autem illi qui in sola fide, quia de illis hic agitur, & hi in malis vitæ sunt, quia religio illorum est, quod Lex illos non damnet, modo fidem habeant quod Christus sustulerit damnationem ejus: quod iratæ sint, & significat non solum quod excandescerent, sed etiam quod infestarent illos qui contra illam fidem sunt, ut constare potest ex sequentibus de Dracone Cap. XII: 17, & postea.

525. *Et venit ira tua, & tempus mortuos judicandi, significat exitium illorum & ultimum judicium super illos, quibus non aliqua vita spiritualis est.* Per iram tuam significatur ultimum judicium, n. 340, ita exitium illorum; quod hoc per iram Domini significetur, est quia apparet illis, sicut Dominus ex ira dejiciat illos in infernum, cum tamen malus seipsum conjicit, est enim sicut maleficus tribuat legi quod puniatur, aut igni quod uratur si manum immittit, aut ensi extenso in manu tutantis se, dum in mucronem incurrit, si transfigatur; sic fit cum unoquovis qui contra Dominum est, & ex ira ruit contra illos quos Dominus tutatur: per mortuos qui judicandi sunt, in universali sensu intelliguntur mortui e mundo, in proprio autem sensu intelliguntur illi quibus non aliqua vita spiritualis est, de his prædicatur judicium, Joh. III: 18. Cap. V: 24. 29; causa est, quia vivi dicuntur, quibus vita spiritualis est; vita spiritualis est unice apud illos qui Dominum adeunt, & simul fugiunt mala ut peccata. Illi, quibus non aliqua vita spiritualis est, intelliguntur in his locis ,, *Adhæserunt Baalpeori & comederunt sacrificia* MORTUORUM, Psalm. CVI: 28. *Persequitur hostis animam meam, sedere me fecit in tenebris sicut* MORTUOS *mundi*, Psalm. CXLIII: 3. *Ad audiendum gemitum vincti, & ad aperiendum* FILIIS MORTIS, Psalm. CII: 21. *Novi opera tua, quod nomen habeas quod vivas, sed* MORTUUS ES: *esto vigilans, & stabili reliqua quæ* MORIBUNDA *sunt*, Apoc. III: 1. 2; quod illi per mortuos intelligantur, est quia intelligitur mors spiritualis, quare etiam per occisos significantur qui illa morte exstincti sunt, n. 321.

325,

325, & alibi. Mortui autem e mundo intelliguntur per mortuos in his „ *Judicati sunt* MORTUI *juxta ea quæ scripta sunt in libris*, Apoc. XX: 12. *Reliqui* MORTUI *non revixerunt*, Apoc. XX: 5; causa est quia per Mortem primam intelligitur ibi Mors naturalis quæ est e mundo, & per mortem secundam mors spiritualis, quæ est damnatio.

526. *Et dandi mercedem servis suis Prophetis & Sanctis*, *significat felicitatem vitæ æternæ illis qui in veris doctrinæ ex Verbo sunt, & in vita secundum illa*: Per mercedem significatur felicitas vitæ æternæ, de qua sequitur; per prophetas significantur illi qui in veris doctrinæ ex Verbo sunt, n. 8. 133; & per sanctos illi qui in vita secundum illa sunt, n. 173. Per mercedem hic intelligitur felicitas vitæ æternæ oriunda ex jucundo & amæno amoris & affectionis boni & veri; omnis enim affectio amoris suum jucundum & amænum secum habet, ac affectio amoris boni & veri jucundum & amænum quale est angelis cœli; & omnis affectio permanet apud hominem post mortem, causa est, quia affectio est amoris, & amor est vita hominis, quare unicuique talis est vita post mortem, qualis ei in mundo fuerat amor regnans; & amor regnans veri & boni est illis, qui amaverunt vera Verbi, & vixerunt secundum illa. Non aliud quam jucundum boni & amænum veri intelligitur per Mercedem in sequentibus locis „ *Ecce Dominus Jehovih in forti venit, ecce* MERCES *Ipsius cum Ipso*, Esaj. XL: 10. Cap. LX: 11. *Ecce venio cito, &* MERCES *mea Mecum*, Apoc. XXII: 12. *Judicium meum apud Jehovam, &* MERCES *operis mei apud Deum meum*, Esaj. XLIX. 4. *Ego Jehovah amans judicium, dabo* MERCEDEM *operis eorum*, Esaj. LXI: 8. *Benefacite & nihil inde sperantes, tunc erit* MERCES *vestra multa, & eritis filii Altissimi*, Luc. VI: 35: præter alibi, ut Jerem. XXXI: 15. 16. 17. Matth. II: 18. Cap. V: 2 ad 6. 11. 12. Cap. X: 41. 42. Marc. IX: 41. Luc. VI: 22. 23. Cap. XIV: 12. 13. 14. Joh. IV: 35. 36.

527. *Et timentibus Nomen tuum, parvis & magnis*, *significat qui amant illa quæ Domini sunt in minori & in majori gradu.* Per timere Nomen Domini, significatur amare illa quæ Domini sunt, per timere significatur amare, & per Nomen Domini significantur omnia per quæ colitur, n. 8; per parvos & magnos, significantur qui in minori & majori gradu timent Dominum. Quod timere hic significet amare, est quia omnis qui amat, etiam timet malefacere illi quem amat, genuinus amor absque illo timore non datur; proinde qui amat Dominum, timet mala facere, quia mala sunt contra Ipsum, sunt enim contra Divinas leges Ipsius in Verbo, quod est ab Ipso, ita Ipse; imo sunt contra Divinam Essentiam Ipsius, quæ est quod velit omnes salvare, est enim Salvator, & non potest salvare hominem, nisi vivat secundum Leges & Præcepta Ipsius; & quod plus est, qui mala amat, etiam amat mafacere Domino, imo crucifigere Ipsum; hoc latet intime in omni malo, etiam apud illos qui in Mundo ore confitentur Ipsum; quod ita sit ignotum est hominibus, sed notissimum angelis. Quod Timere Deum significet amare illa quæ Dei sunt, faciendo illa, & non volendo facere illa quæ contra Ipsum sunt, patet ex his locis „ *Quid Jehovah Deus petit a te, nisi ut* TIMEAS JEHOVAM DEUM TUUM, *ad*

eundum in omnibus viis Ipsius, & ad AMANDUM IPSUM, Deutr. X: 20. *Post Jehovam Deum vestrum ibitis,* IPSUMQUE TIMEBITIS, *ut præcepta Ipsius custodiatis;* Deutr. XIII: 5. JEHOVAM DEUM TUUM TIMEBIS, *Ipsi servies, Ipsique adhærebis,* Deutr. X: 12. Cap. VI: 2. 13. 14. 24. Cap. VIII: 6. Cap. XVII: 19. Cap. XXVIII: 58. Cap. XXXI: 12. *Quis dabit ut sit cor illis ad* TIMENDUM ME, *& ad custodiendum præcepta mea,* Deutr. V: 26. *Doce me Jehovah viam tuam, aduna cor meum* TIMORI NOMINIS TUI, Psalm. LXXXVI: 11. *Beatus* TIMENS JEHOVÆ, *qui ambulat in viis Ipsius,* Psalm. CXXVIII: 1. Psalm. CXII: 1. Jerem. XLIV: 9. *Si Pater Ego, ubi honor meus, si Dominus Ego, ubi* TIMOR MEI, Malach. I: 6. Cap. II: 5. Esaj. XI: 2. 3. *Dabo illis cor unum, & viam unam ad* TIMENDUM ME, *&* TIMOREM MEI *dabo in cor eorum, ut non recedant ab apud Me,* Jerem. XXXII: 39. 40. *Principium sapientiæ* TIMOR JEHOVÆ, Psalm. CXI: 10. Præter alibi, ut Esaj. VIII: 13. Cap. XXV: 13. Cap. XXIX: 13. Cap. L: 10. Jerem. XXXIII: 9. Psalm. XXII: 24. Psalm. XXXIII: 8. 18. Psalm. XXXIV: 8. 10. Psalm. LV: 20. Psalm. CXV: 10. 11. Psalm. CXLVII: 11. Apoc. XIV: 7. Luc. I: 50. Timor Dei autem apud malos non est amor, sed timor pro Inferno.

528. *Et perdendi perdentes terram, significat dejectionem illorum in infernum, qui destruxerunt Ecclesiam.* Quod per perdere perdentes terram, significetur dejectio illorum in Infernum qui destruxerunt Ecclesiam, est quia per terram significatur Ecclesia, n. 285, & quia sequitur hoc post hæc „*Venit tempus mortuos judicandi*" per quæ significatur ultimum Judicium super illos, quibus non aliqua vita spiritualis est, n. 525; ita hic per venit tempus perdendi perdentes terram, significatur dejectio illorum in infernum qui destruxerunt Ecclesiam. Simile dicitur de Lucifero, per quem intelligitur Babel, apud Esajam, *Terram tuam perdidisti, & populum tuum occidisti,* XIV: 20.

529. *Et apertum est Templum Dei in Cælo, & visa est Arca fœderis in Templo Ipsius, significat Novum Cælum, in quo Dominus in Divino Humano suo colitur, & secundum præcepta Decalogi Ipsius vivitur, quæ sunt duo Essentialia Novæ Ecclesiæ, per quæ conjunctio.* Per Templum Dei significatur Divinum Humanum Domini, tum Cælum ubi Angeli, ut & Ecclesia in terris; quod hæc tria significentur per Templum Dei, & quod non separari possint, videatur, n. 191; hic autem per Templum Dei, significatur Dominus in Divino Humano suo in Cælo ubi Angeli, quia dicitur Templum Dei in Cælo; per Arcam in Templo, intelligitur Decalogus, nam in Arca fuerunt solum Duæ Tabulæ, quibus inscriptus erat Decalogus; per apertum, significatur quod illa duo, Divinum Humanum & Decalogus, quæ sunt duo Essentialia Novæ Ecclesiæ, nunc visa sint, ac visa sunt postquam mali in Infernum conjecti sunt, n. 528; quod dicatur Arca fœderis Ipsius in Templo Ipsius, est quia fœdus significat conjunctionem, de quo infra; sed primum aliquid dicetur de Decalogo; Quænam Gens in universo terrarum Orbe non novit, quod malum sit occidere, adulterari, furari, falso testari; nisi hæc scirent, & ne talia faciant per leges caverent, actum foret de illis, nam Societas, Respublica & Regnum, absque illis legibus caderent: quis autumare potest, quod Gens Israelitica præ omnibus

bus

bus aliis gentibus tam ſtupida fuerit, ut ignoraverit quod illa eſſent mala; quapropter mirari quis poteſt, cur Leges illæ univerſaliter in terrarum Orbe cognitæ cum tanto Miraculo e monte Sinai ab Ipſo Jehovah promulgatæ, ut & digito Ipſius ſcriptæ fuerint. Sed audi, cum tali Miraculo a Jehovah promulgatæ & digito Ipſius ſcriptæ fuerunt, ut ſcirent quod Leges illæ non modo Leges civiles & morales eſſent, ſed etiam Leges ſpirituales, & quod facere contra illas non modo eſſet malum facere contra concivem & contra ſocietatem, ſed etiam eſſet peccare contra Deum; quare Leges illæ per promulgationem e monte Sinai a Jehovah, factæ ſunt Leges Religionis: evidens enim eſt, quod quicquid Jehovah Deus mandat, hoc mandet ut Religionis ſit, & quod faciendum ſit propter Ipſum, & propter hominem ut ſalvetur. Illæ Leges, quia fuerunt primitiæ Eccleſiæ a Domino apud Gentem Iſraeliticam inſtaurandæ, & quia erant in brevi ſummario complexus omnium Religionis, per quæ conjunctio Domini cum homine & hominis cum Domino datur, ideo tam ſanctæ fuerunt, ut nihil ſanctius. Quod ſanctiſſimæ fuerint, conſtare poteſt ex eo, *quod Ipſe Jehovah, hoc eſt Dominus deſcenderit in igne, & quod tunc fumaverit & contremuerit Mons, & quod fuerint tonitrua, fulgura, nubes gravis & vox buccinæ*, Exod. XIX: 16. 18. Deut. V: 19 ad 23. *Quod Populus ante deſcenſum Jehovæ ſe præparaverit & ſanctificaverit per tres dies*, Exod. XIX: 10. 11. 15. *Quod Mons circumſeptus fuerit, ne quiſquam ad ima ejus appropinquaret, ne moreretur*, Exod. XIX: 12. 13. 20 ad 23. Cap. XXIV. 1. 2. *Quod Lex illa inſcripta ſit binis tabulis lapideis, & quod ſcripta ſit digito Dei*, Exod. XXXI: 18. Cap. XXXII: 15. 16. Deutr. IX: 10. *Quod Moſes, cum illas Tabulas ſecunda vice e Monte deportavit, facie radiaverit*, Exod. XXXIV: 29 ad 35. *Quod Tabulæ illæ repoſitæ ſint in Arca*, Exod. XXV: 16. Cap. XL: 20. Deutr. X: 5. I Reg. VIII: 9. *Quod Locus in Tabernaculo ubi Arca, dictus ſit ſanctum ſanctorum*, Exod. XXVI: 33, & alibi. *Quod Arca ex Lege in illa, dicta ſit Jehovah ibi*, Num. X: 35. 36. II Sam. VI: 2. Pſalm. CXXXII: 28. *Quod Jehovah loquutus ſit cum Moſe ſupra Arcam*, Exod. XXV: 22. Num. VII: 89. *Quod propter ſanctitatem illius Legis non licuerit Aharoni intrare intra Velum, ubi Arca, niſi cum ſacrificiis & ſuffitu, ne moreretur*, Levit. XVI: 2 ad 14 ſeq. *Quod ex præſentia & potentia Domini in Lege quæ in Arca, aquæ Jordanis diſciſſæ ſint, & quamdiu illa in medio quieſcebat, populus in ſicco tranſiverit*, Joſ. III: 1 ad 17. Cap. IV: 5 ad 20. *Quod per circumlationem Arcæ muri Jerichuntis deciderint*, Joſ. VI: 1 ad 20. *Quod Dagon deus Philiſthæorum coram Arca in terram deciderit, & poſtea ſuper limine fani divulſus a capite jacuerit*, I Sam. V: 3. 4. *Quod Ekronitæ & Bethſchemitæ percuſſi fuerint propter Arcam ad plura millia*, I Sam. V & VI. *Quod Arca a Davide introducta ſit in Sionem cum ſacrificiis & jubilo*, II Sam. VI: 1 ad 19. *Quod tunc Uſa, quia tetigit illam, mortuus ſit*, II Sam. VI: 6. 7. *Quod Arca in Templo Hieroſolymitano fecerit Adytum*, I Reg. VI: 19 ſeq. Cap. VIII: 3 ad 9. *Quod Tabulæ, quibus Lex erat inſcripta, dictæ ſint Tabulæ fœderis, & Arca ex illis dicta ſit Arca fœderis, & ipſa Lex fœdus*, Num. X: 33. Deutr. IV: 13. 23. Cap. V: 2. 3. Cap. IX: 9. Joſ. III: 11. I Reg. VIII: 19. 21, & alibi: quod Lex illa dicta ſit fœdus ſignificat conjunctionem; cau-

causa est, quia fœdera fiunt amoris, amicitiæ, consociationis, ita conjunctionis gratia; inde est, quod dicatur de Domino, *Quod erit in* Fœdus *populo*, Esaj. XLII: 6. Cap. XLIX: 8: & vocatur Angelus fœderis, Malach. III: 1: & Sanguis Ipsius Sanguis fœderis, Matth. XXVI: 28. Sach. IX: 11. Exod. XXIV: 4 ad 10. Et ideo Verbum dicitur Fœdus Vetus et Fœdus Novum.

530. *Et facta sunt fulgura, & voces & tonitrua, & terræ motus, & grando magna*, *significat tunc in inferioribus ratiocinationes, commotiones, & falsificationes boni & veri.* Per fulgura, voces & tonitrua, significantur ratiocinationes, n. 396; per terræ motus significantur mutationes status Ecclesiæ, n. 331, hic commotiones; per grandinem magnam significantur falsificationes veri & boni, n. 399. Hæc facta sunt in inferioribus, ubi adhuc mali commorati sunt, antequam Ultimum Judicium super illos factum est, nam dicitur in præcedente Versu 18; *Venit tempus mortuos judicandi, & perdendi perdentes terram:* talia existunt in Mundo spirituum ex præsentia & influxu Cæli quod supra illos est.



531. His adjiciam hoc Memorabile. Subito correptus sum morbo pæne lethali; totum caput ingravatum est; immissus fuit fumus pestilentus ex Hierosolyma, quæ vocatur Sodoma & Ægyptus; fui semimortuus cum sævo dolore, exspectavi extremum, ita jacui in meo lecto per tres dies & dimidium; spiritus meus talis factus est, & ex illo corpus meum; & tunc audivi circum me voces dicentium, en jacet in platea Urbis nostræ mortuus, qui prædicavit pænitentiam in remissionem peccatorum, & solum Christum hominem; & interrogabant aliquos e Clero, num ille sepultura dignus sit, dixerunt quod non, jaceat, spectetur, abibant, redibant, subsannabant; ex veritate ita mihi contigit, cum explicabatur hoc Caput Apocalypseos: auditæ sunt tunc voces subsannantium graves, imprimis hæ; quomodo potest pænitentia agi absque fide, quomodo potest Christus homo adorari ut Deus; dum gratis salvamur absque ullo nostro merito, quid opus tunc nisi sola fide quod Deus Pater miserit Filium qui damnationem legis auferret, imputaret nobis meritum Ipsius, & sic coram se justificaret nos, & absolveret nos præcone Sacerdote a peccatis, & tunc daret Spiritum Sanctum, qui omne bonum in nobis operetur; annon hæc sunt secundum Scripturam, & quoque secundum rationem; his cohors adstans adplaudebat. Audiebam hæc, nec potui respondere, quia jacui pæne mortuus; at post tres dies & dimidium spiritus meus convaluit, & quoad illum exivi a platea in Urbem, & dixi iterum, Pænitentiam agite, & credite in Christum, & remittentur vobis peccata, & salvabimini, si non, peribitis; annon Ipse Dominus prædicavit pænitentiam in remissionem peccatorum, ac ut crederent in Ipsum, annon mandavit Discipulis ut idem prædicarent; anne plenaria securitas vitæ sequitur vestræ fidei dogma: sed dixerunt, quid garris, Filiusne satisfecit, Paterne id imputavit, nos, qui credidimus hoc, justificavit,

vit, ducimur sic spiritu gratiæ, quid tunc in nobis peccatum, quid tunc cum nobis mors; capis hoc evangelium, præco peccati & pœnitentiæ? Sed tunc exivit vox e Cælo, dicens, quid fides impænitentis nisi mortua; venit finis, venit finis super vos securos, in oculis vestris inculpatos, in fide vestra justificatos, diabolos: & subito tunc barathrum aperiebatur in medio illius Urbis, seque dilatavit, & domus super domum cecidit, & absorpti sunt, & mox e lata voragine ebullivit aqua, & inundavit vastitatem.

Quando ita demersi sunt & visi inundati, desiderabam scire sortem illorum in profundo, & dictum est mihi e Cælo, videbis & audies; & tunc coram oculis meis disparatæ sunt aquæ, quibus inundati visi sunt, quia aquæ in Mundo spirituali sunt correspondentiæ, & inde apparent circum illos qui in falsis sunt; ac tunc mihi visi sunt in fundo arenoso, ubi strues e lapidibus congestæ, inter quas currebant, & lamentabantur quod ex magna sua Urbe conjecti essent; ac vociferabantur & clamabant, cur hoc nobis; annon sumus per fidem nostram mundi, puri, justi, sancti; & alii, annon sumus per fidem nostram mundati, purificati, justificati & sanctificati; & alii, annon sumus per fidem nostram tales facti, ut coram Deo Patre appareamus, videamur, reputemur, & coram Angelis declaremur sicut mundi, puri, justi & sancti; sumusne reconciliati, propitiati, expiati, & sic exsoluti, abluti & abstersi a peccatis; sublatane est a Christo damnatio legis, cur itaque ut damnati huc conjecti sumus; audivimus ab audace præcone peccati in magna nostra Urbe, *Credite in Christum, & agite pænitentiam;* annon credidimus in Christum, cum in meritum Ipsius; & annon egimus pænitentiam, cum confessi sumus quod simus peccatores; cur itaque hoc nobis evenit. Sed tunc audita est vox ad illos a latere; an scitis ullum peccatum in quo estis, an usquam exploravistis vos, an ideo fugistis aliquod malum ut peccatum contra Deum, & qui non fugit illud, est in illo; estne peccatum diabolus; quare estis de quibus Dominus dicit „ *Tunc incipietis dicere, edimus coram Te & bibimus, & in plateis nostris, docuisti, sed dicet, dico vobis, non novi vos unde estis, discedite a Me omnes operarii iniquitatis*, Luc. XIII: 26. 27; ut &, de quibus Matth. VII: 22. 23: abite ergo, quisque in suum locum; videtis antra in cavernas, intrate illuc, & dabitur ibi cuique vestrum suum opus ad faciendum, & tunc cibus ad mensuram operis; si non, usque fames urgebit vos ad intrandum.

Postea vox e Cælo facta est ad quosdam super terra, qui extra Urbem illam magnam fuerunt, de quibus etiam, Vers. 13, dicens alte, cavete vobis, cavete vobis a consociatione cum similibus; annon potestis intelligere, quod mala quæ vocantur peccata & iniquitates, immundum & impurum reddant hominem, quomodo potest homo ab illis mundari & purificari quam per actualem pænitentiam, & per fidem in Jesum Christum; actualis pænitentia est, Explorare se, cognoscere & agnoscere sua peccata, se reum facere, confiteri illa coram Domino, implorare opem & potentiam resistendi illis, & sic desistere ab illis, & novam vitam agere, & hæc omnia sicut a vobis; facite ita semel aut bis in anno, quando acceditis ad Sanctam Communionem; & postea cum peccata, quorum reos vos fecistis, recurrunt, tunc vobiscum dicatis, non

non volumus illa quia sunt peccata contra Deum; hæc est Pænitentia actualis. Quis non potest intelligere, quod qui non explorat & videt sua peccata, maneat in illis; omne enim malum a nativitate jucundum est, jucundum enim est vindicare, scortari, deprædare, blasphemare, imprimis dominari ex amore sui; annon jucundum facit ut non videantur; & si forte dicitur quod peccata sint, annon ex jucundo illorum excusatis illa, imo persuadetis vobis, & per falsa confirmatis, quod peccata non sint, & sic manetis in illis, & facitis illa postea plus quam prius; & hoc eo usque dum non scitis quid peccatum, imo num sit peccatum. Aliter fit cuivis qui Pænitentiam actualiter agit, ille mala sua quæ cognovit & agnovit, vocat peccata, ac ideo incipit illa fugere & aversari, ac jucundum illorum sentire injucundum; & quantum hoc fit, tantum videt & amat bona, & tandem sentit horum jucundum, quod est jucundum Cæli; verbo, quantum quis rejicit diabolum ad tergum, tantum adoptatur a Domino, & ab Ipso docetur, ducitur, detinetur a malis, & tenetur in bonis: hæc via est, & non alia ab Inferno ad Cælum. Hoc mirabile est, quod quædam insita renuentia, tergiversatio & aversatio pro Pænitentia actuali sit Reformatis, quæ tanta est, ut non possint adigere semet ad explorandum se, & ad videndum sua peccata, & ad confitendum illa coram Deo, est sicut horror invadat illos cum id intendunt: quæsivi permultos in Mundo spirituali de eo, & dixerunt omnes quod hoc sit supra vires illorum: cum audiverunt quod Pontificii usque hoc faciant, hoc est, quod explorent se, & palam confiteantur peccata sua coram Monacho, valde mirati sunt, & insuper quod Reformati non possint id facere in occulto coram Deo; tametsi id illis æque injunctum est antequam ad Sacram Cœnam accedunt; & quidam ibi inquisiverunt, cur hoc, & invenerunt quod sola fides talem impænitentiæ statum & tale cor induxerit: & tunc datum est illis videre, quod illi ex Pontificiis, qui adorant Christum, & non invocant Sanctos, & non adorant ita dictum Vicarium, & aliquem ejus Clavigerum, salventur.

Post hæc auditum est sicut tonitru, & vox loquens e Cælo, dicens, miramur; dic ad Cœtum Reformatorum, Credite in Christum & agite pænitentiam, & servabimini: & dixi, ac insuper; estne BAPTISMUS Sacramentum pænitentiæ, & inde introductio in Ecclesiam, quid aliud Patrini pro baptizando spondent, quam ut abdicet diabolum & ejus opera. Estne SACRA CŒNA Sacramentum pænitentiæ, & inde introductio in Cælum; diciturne ad Communicantes ut omnino ante accessionem pænitentiam agant. Estne CATHECISMUS Doctrina universalis Ecclesiæ Christianæ docens pænitentiam, diciturne ibi in sex præceptis Secundæ Tabulæ, hoc & illud malum non facies, & non dicitur hoc & illud bonum facies; inde potestis scire, quod quantum quis malum fugit, tantum bonum amet; & quod prius non sciatis quid bonum, imo nec quid malum.

CAPUT

CAPUT DUODECIMUM.

1. ET fignum magnum vifum eft in Cælo: Mulier circumdata Sole, & Luna fub pedibus ejus, & fuper Capite ejus corona ftellarum duodecim.

2. Et in utero habens clamavit parturiens, & cruciata parere.

3. Et vifum eft aliud fignum in Cælo; & ecce Draco magnus rufus, habens capita feptem, & cornua decem, & fuper capitibus fuis diademata feptem.

4. Et cauda fua traxit tertiam partem ftellarum Cæli, & projecit illas in terram; & Draco ftetit coram Muliere paritura, ut poftquam pepererit, fætum ejus devoraret.

5. Et peperit filium mafculum, qui pafturus eft omnes gentes virga ferrea; & raptus eft fætus ejus ad Deum & Thronum Ipfius.

6. Et Mulier fugit in defertum, ubi habet locum præparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis fexaginta.

7. Et factum eft bellum in Cælo, Michael & angeli ejus pugnarunt cum Dracone, & Draco pugnavit & angeli ejus.

8. Et non prævaluerunt, & non locus inventus eorum amplius in Cælo.

9. Et projectus eft Draco ille magnus, ille Serpens antiquus, vocatus Diabolus & Satanas, feducens univerfum orbem, projectus eft in terram, & angeli ejus cum illo projecti funt.

10. Et audivi vocem magnam dicentem in Cælo; nunc facta eft falus & potentia, & regnum Dei noftri & poteftas Chrifti Ipfius, quia projectus eft accufator fratrum noftrorum, accufans illos coram Deo noftro dies & noctes.

11. Et illi vicerunt eum per fanguinem Agni, & per verbum teftimonii illorum; & non dilexerunt animam fuam ufque ad mortem.

12. Propter hoc gaudete Cæli, & in illis habitantes: væ habitantibus terram & mare, quia defcendit diabolus ad vos, habens iram magnam, fciens quod exiguum tempus habeat.

13. Et cum vidit Draco quod projectus in terram, perfequutus eft mulierem quæ peperit filium.

14. Et datæ Mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in defertum in locum fuum, ubi aleretur ibi tempus & dimidium temporis a facie ferpentis.

15. Et ejecit ferpens poft mulierem ex ore fuo aquam tan-

quam flumen, ut illam a flumine abſorptam faceret.

16. Et adjuvit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & deglutivit flumen quod ejecit draco ex ore ſuo.

17. Et iratus eſt draco contra mulierem, & abivit facere bellum cum reliquis ſeminis ejus, obſervantibus mandata Dei, & habentibus teſtimonium Jeſu Chriſti.

18. Et ſteti ſuper arena maris.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Agitur hic de Nova Eccleſia & ejus doctrina; per Mulierem hic intelligitur Nova Eccleſia, & per Fætum quem peperit, doctrina ejus: & agitur de illis in Eccleſia hodierna, qui ex doctrina credunt Trinitatem perſonarum, ac dualitatem perſonæ Chriſti, tum juſtificationem per ſolam fidem, hi intelliguntur per Draconem: & dein agitur de perſequutione Novæ Eccleſiæ propter doctrinam ejus ab his, & de tutela ejus a Domino, uſque dum a paucis creſcit inter plures.

Contenta singulorum Versuum. Et ſignum magnum viſum eſt in Cælo, *ſignificat* revelationem a Domino de Nova Ipſius Eccleſia in Cælis & in Terris, & de ejus doctrinæ difficili receptione & impugnatione: Mulier circumdata ſole, & luna ſub pedibus ejus, *ſign:* Novam Eccleſiam Domini in Cælis, quæ eſt Novum Cælum, & Novam Eccleſiam Domini futuram in Terris, quæ eſt Nova Hieroſolyma: & ſuper capite corona ſtellarum duodecim, *ſign:* ſapientiam & intelligentiam ejus ex cognitionibus Divini Boni & Divini Veri ex Verbo: & in utero habens clamavit parturiens, & cruciata parere, *ſign:* naſcentem doctrinam Novæ Eccleſiæ, & difficilem ejus receptionem propter reſiſtentiam ab illis qui per draconem intelliguntur: & viſum eſt aliud ſignum in Cælo, *ſign:* revelationem a Domino de illis qui contra Novam Eccleſiam & ejus doctrinam ſunt: & ecce draco magnus rufus, *ſign:* illos in Eccleſia Reformatorum qui Deum faciunt tres, & Dominum duos, & qui charitatem a fide ſeparant, & hanc & non illam ſimul ſalvificam faciunt: habens capita ſeptem, *ſign:* inſaniam ex veris Verbi falſificatis & prophanatis: & cornua decem, *ſign:* potentiam multam: & ſuper capitibus ſuis diademata ſeptem, *ſign:* omnia vera Verbi falſificata & prophanata: & cauda ſua traxit tertiam partem ſtellarum cæli, & projecit in terram, *ſign:* quod per falſificationes veritatum Verbi omnes cognitiones ſpirituales boni & veri abalienaverint ab Eccleſia, & per applicationes ad falſa plane deſtruxerint: & draco ſtetit coram Muliere paritura, ut poſtquam pepererit, fætum ejus devoraret, *ſign:* quod illi qui per draconem intelliguntur, doctrinam Novæ Eccleſiæ in primo ejus ortu

ortu exſtinguere ſatagant: & peperit filium maſculum, *ſign:* doctrinam Novæ Eccleſiæ: qui futurus paſcere omnes gentes virga ferrea, *ſign:* quæ omnes qui in cultu mortuo ex fide ſeparata a charitate ſunt, per vera ex ſenſu literæ Verbi & ſimul per rationalia ex naturali lumine convincet qui volunt convinci: & raptus eſt fœtus ejus ad Deum & thronum Ipſius, *ſign:* tutationem doctrinæ a Domino, & cuſtoditionem per angelos cœli: & Mulier fugit in deſertum, *ſign:* Eccleſiam primum inter paucos: ubi habet locum præparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis ſexaginta, *ſign:* ſtatum illius Eccleſiæ tunc, ut interea provideatur apud plures, uſque dum creſcit ad ſuum ſtatutum: & factum eſt bellum in Cœlo, Michael & angeli ejus pugnarunt cum dracone, & draco pugnavit & angeli ejus, *ſing:* falſa prioris Eccleſiæ pugnantia contra vera Novæ: & non prævaluerunt, & non locus inventus eorum amplius in Cœlo, *ſign:* quod convicti quod in falſis & malis eſſent, & uſque permanſerint in illis, & quod ideo ex conjunctione cum cœlo avulſi ſint, & dejecti: & projectus eſt draco ille magnus, ille ſerpens antiquus, vocatus diabolus & ſatanas, *ſign:* illos averſos a Domino ad ſemet & a Cœlo ad mundum, & inde in malis concupiſcentiarum & in falſis: ſeducens univerſum orbem, *ſign:* quod pervertant omnia Eccleſiæ: projectus eſt in terram, & angeli ejus cum illo, *ſign:* quod in Mundum ſpirituum, qui medius eſt inter Cœlum & Infernum; a quo immediata conjunctio eſt cum hominibus telluris: & audivi vocem magnam dicentem in Cœlo, nunc facta eſt ſalus & potentia & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti Ipſius, *ſign:* gaudium angelorum Cœli, quod nunc Dominus Solus in Cœlo & in Eccleſia regnet, & quod ſalventur qui in Ipſum credunt: quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum accuſans illos coram Deo noſtro dies & noctes, *ſign:* quod per ultimum judicium remoti ſint qui ſe oppoſuerunt contra doctrinam Novæ Eccleſiæ: & illi vicerunt eum per ſanguinem Agni, & per verbum teſtimonii illorum, *ſign:* victoriam per Divinum Verum Verbi & per agnitionem Domini: & non dilexerunt animam ſuam uſque ad mortem, *ſign:* qui non amaverunt ſemet plus quam Dominum: propter hoc gaudete Cœli & in illis habitantes, *ſign:* Cœli ſtatum novum, quod in Domino ſint & Dominus in illis: væ habitantibus Terram & Mare, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, *ſign:* lamentationem ſuper illos in Eccleſia, qui in falſis fidei ſunt & inde in malis vitæ, quia in conjunctione cum draconicis: ſciens quod exiguum tempus habeat, *ſign:* quia ſcit quod novum Cœlum factum ſit, & quod ſic Nova Eccleſia in terris inſtet, & quod ille tunc cum ſuis in Infernum conjiciatur: cum vidit draco quod projectus ſit in terram, perſequutus eſt Mulierem quæ peperit filium, *ſign:* quod draconici in Mundo ſpirituum poſt dejectionem ſtatim aggreſſi ſint infeſtare Novam Eccleſiam propter doctrinam ejus: & datæ ſunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in deſertum in locum ſuum, *ſign:* Divinam circumſpectionem pro Eccleſia illa, ac tutelam dum adhuc eſt inter paucos: ubi aleretur ibi tempus & tempora & dimidium temporis a facie ſerpentis, *ſign:* ut propter aſtutiam ſeducentium circumſpecte provideatur ut veniat inter plures uſque dum creſcit ad ſuum ſtatutum: & ejecit ſerpens poſt mulierem ex ore ſuo aquam

aquam tanquam flumen, ut illam a flumine absorptam faceret, *sign:* ratiocinationes ex falsis in copia ad destruendum Ecclesiam: & adjuvit terra Mulierem, & aperuit terra os suum, & deglutivit flumen quod draco ejecit ex ore suo, *sign:* quod ratiocinationes illæ in copia in nihilum cadant ex veris spiritualibus rationaliter intellectis, quæ Michaeles, ex quibus Nova Ecclesia, adducunt: & iratus draco contra Mulierem, & abivit bellum facere cum reliquis seminis ejus, observantibus mandata Dei, & habentibus testimonium Jesu Christi, *sign:* accensum odium apud illos qui se credunt sapientes ex confirmationibus pro unione mystica Divini & Humani in Domino, & pro justificatione per solam fidem, contra illos qui agnoscunt Solum Dominum pro Deo Cæli & Terræ, & quod Decalogus sit lex vitæ, aggrediendo novitios animo seducendi: & steti super arena maris, *sign:* statum ejus spiritualem naturalem nunc.

EXPLICATIO.

532. *Et signum magnum visum est in Cælo, significat revelationem a Domino de Nova Ipsius Ecclesia in Cælis & in Terris, ac de ejus Doctrinæ difficili receptione & impugnatione.* Per signum e Cælo intelligitur hic Revelatio de futuris, & per signum magnum visum in Cælo, intelligitur revelatio de Nova Ecclesia, nam Mulier circumdata sole, de qua in hoc Capite agitur, significat illam Ecclesiam; masculus quem peperit, significat doctrinam ejus; quod cruciata sit dum pareret, significat difficilem ejus receptionem; quod draco devorare vellet masculum, & quod postea persequeretur mulierem, significat ejus impugnationem: hæc sunt quæ per Signum magnum in Cælo visum intelliguntur. Signum in Verbo dicitur de futuris, & tunc est revelatio; & dicitur de veritate, & tunc est testificatio; & quoque dicitur de qualitate status & rei, & tunc est manifestatio. Signum dicitur de futuris, quod tunc est revelatio, in sequentibus locis ,, *Nuntient vobis quid contingent, ut sciamus postremum eorum, aut ventura audire facite nos, indicate* SIGNA IN FUTURUM, Esaj. XLI: 22. 23. *Dicebant discipuli ad Jesum, quodnam* SIGNUM *adventus tui, & consummationis sæculi*, Matth. XXIV: 3. Marc. XIII: 4. Luc. XXI: 7. *Erunt* SIGNA *e Cælo, &* SIGNA *in sole, luna & astris*, Luc. XXI: 11. 15. *Et tunc apparebit* SIGNUM *Filii Hominis*, Matth. XXIV: 30. *Dictum ad Hischiam Regem; hoc tibi* SIGNUM, *quod facturus Jehovah verbum hoc, retrahetur umbra in gradibus Achasi. Postea Hischias dixit, quodnam* SIGNUM, *quod ascensurus sim in Domum Jehovæ*, Esaj. XXXVIII: 7 8. 22; & alibi. Quod dicatur Signum de veritate & quod tunc sit testificatio, & quoque de qualitate status & quod tunc sit manifestatio, patet ab aliis locis in Verbo.

533. *Mulier circumdata sole, & luna sub pedibus ejus, significat Novam Ecclesiam Domini in Cælis, quæ est Novum Cælum, & Novam Ecclesiam Domini futuram in Terris, quæ est Nova Hierosolyma.* Quod Nova Ecclesia Domini per Mulierem hanc significetur, constat ex singulis in hoc Capite in sensu spirituali in-

intellectis; quod per Mulierem etiam alibi in Verbo significetur Ecclesia, videatur n. 434; & significatur Ecclesia, quia Ecclesia vocatur Sponsa & Uxor Domini: quod visa sit circumdata sole, est quia in amore in Dominum est, agnoscit enim Ipsum, & facit præcepta Ipsius, & hoc est amare Ipsum, Joh. XIV: 21 ad 24; quod sol significet amorem, videatur n. 53: quod Luna visa sit sub pedibus Mulieris, est quia Ecclesia in terris, quæ nondum conjuncta est Ecclesiæ in Cælis, intelligitur; per Lunam significatur intelligentia in naturali homine & fides, n. 423; & per videri sub pedibus significatur quod futura in terris; alioquin per pedes significatur ipsa illa Ecclesia, dum conjuncta est. Sciendum est, quod in Cælis æque sit Ecclesia ac in Terris, est enim ibi Verbum, sunt ibi Templa, & in illis Prædicationes, sunt ibi Ministeria & Sacerdotia; omnes enim Angeli ibi fuerunt homines, & ibi obitus illorum e Mundo fuit illis modo continuatio vitæ, quare etiam perficiuntur amore & sapientia, quisque secundum gradum affectionis veri & boni, quem secum e mundo tulerunt. Ecclesia apud illos intelligitur hic per Mulierem circumdatam sole, & cui super capite erat corona stellarum duodecim; at quia Ecclesia in Cælis non subsistit, nisi etiam Ecclesia in Terris sit, quæ in concorde amore & sapientia sit, & hæc futura est, ideo visa est sub pedibus Mulieris Luna, per quam hic in specie significatur fides, per quam, qualis est hodie, non datur conjunctio. Quod non subsistat Ecclesia in Cælis, nisi ei conjuncta sit Ecclesia in terris, est quia Cælum ubi Angeli, & Ecclesia ubi homines, unum agunt, sicut Internum & Externum apud hominem, ac Internum apud hominem in suo statu non subsistit, nisi Externum ei conjungatur; Internum enim absque Externo est sicut domus absque fundamento, aut sicut semen supra humum & non in humo, ita sicut aliquid absque radice, verbo, sicut causa absque effectu in quo sit: ex his videri potest, quod absoluta necessitas sit, ut in Mundo alicubi sit Ecclesia, ubi Verbum est, & per id Dominus notus est.

534. *Et super capite corona stellarum duodecim, significat sapientiam & intelligentiam ejus ex cognitionibus Divini Boni & Divini Veri ex Verbo.* Per coronam super Capite significatur sapientia & intelligentia, n. 189. 235. 252; per stellas significantur cognitiones Divini Boni & Divini Veri ex Verbo, n. 51. 420; & per duodecim significantur omnia Ecclesiæ, quæ se referunt ad bonum & verum ejus, n. 348: inde nunc per Coronam stellarum duodecim super capite Mulieris, significatur sapientia ac intelligentia Novæ Ecclesiæ ex cognitionibus Divini Boni & Divini Veri ex Verbo.

535. *Et in utero habens clamavit parturiens, & cruciata parere, significat nascentem doctrinam Novæ Ecclesiæ, & difficilem ejus receptionem propter resistentiam ab illis qui per Draconem intelliguntur.* Quod in utero habere significet nascentem doctrinam, est quia per fœtum, quem in utero habebat, de cujus partu Vers. 5. agitur, significatur Doctrina Novæ Ecclesiæ; non aliud enim per in utero habere, parturire & parere, in Verbi sensu spirituali significatur quam concipere & parere illa quæ vitæ spiritualis sunt, de quo sequitur; per clamare parturiens, & cruciata parere, significatur difficilis illius doctrinæ receptio

 propter

propter resistentiam ab illis qui per Draconem intelliguntur; hoc patet a sequentibus in hoc Capite, ut quod draco steterit coram Muliere paritura ut fætum ejus devoraret, & quod postea persequutus sit illam in desertum. Quod per in utero habere, parturire & parere non aliud in Verbo significetur, patet ex sequentibus locis „ *Jesus dixit, nisi quis generetur denuo, non potest ingredi in Regnum Dei; quod natum est a carne caro est, quod autem generatum est a spiritu, spiritus est*, Joh. III: 3 ad 6. *Canta sterilis quæ peperit, jubila quæ non parturivit, quia multi sunt filii desolatæ præ filiis maritatæ*, Esaj. LIV: 1. *Cessarunt usque dum sterilis peperit septem, & multiprolis defecit*, I Sam. II: 5; per sterilem significantur gentes, quibus non erant genuina vera quia non Verbum, per maritatam & multiprolem significantur Judæi quibus fuit Verbum. *Elanguescet quæ pepererat septem, exspirabit animam suam*, Jerem. XV: 9, hæc de Judæis, similiter. *Concepimus, parturivimus, quasi peperimus ventum, salutes non fecimus terræ*, Esaj. XXVI: 18. *Antequam parturivit, parit, antequam venit dolor illi, enixa est masculum, num parturivit terra die uno, num generabitur gens vice una: num Ego frangam & non generem, & generari faciens & concluserim*, Esaj. LXVI: 7 ad 10. *A coram Domino parturis terra, a coram Deo Israelis*, Psalm. CXIV: 7. *Heu dies hic, venerunt filii ad os matricis, nec vires ad pariendum*, Esaj. XXXVII: 3. *Parturiet Sin, & non erit ad perrumpendum*, Ezech. XXX: 15. 16. *Vocem ægrotantis audivi, quasi primogenitum parturientis, vocem filiæ Sionis, suspirat, expandit manus, væ mihi delassata est anima ab occisoribus*, Jerem. IV: 31. *Tormina & dolores apprehendunt, sicut pariens parturiunt*, Esaj. XIII: 6. 7. 8. *Ligata est iniquitas Ephraimi, dolores parturientis venient illi, ille filius non sapiens, quia tempus non stat in utero filiorum*, Hosch. XIII: 12. 13. *Ephraim sicut avis avolabit gloria tua, a partu & a ventre & a conceptione: da illis Jehovah vulvam abortientem, & ubera arentia: etiam cum generaverint, Occidam desideria ventris eorum*, Hosch. IX: 11. 12. 14. 16; describitur in his locis etiam difficultas recipiendi vera doctrinæ ex Verbo per plura quæ sunt doloris in parturiendo, similiter alibi pluries. Præterea *Jehovah*, hoc est, *Dominus vocatur Formator ab utero*, Esaj. XLIV: 2. 24. Cap. XLIX: 1. 5, & per Formatorem ex utero intelligitur Reformator.

536. *Et visum est aliud signum in Cælo, significat revelationem a Domino de illis qui contra Novam Ecclesiam & ejus doctrinam sunt.* Per signum significatur revelatio a Domino, ut supra n. 532; quod dicatur aliud signum, est quia revelatio est de illis, qui contra Novam Ecclesiam erunt.

537. *Et ecce Draco magnus rufus, significat illos in Ecclesia Reformatorum qui Deum faciunt tres & Dominum duos, & qui charitatem a fide separant, & hanc & non illam simul salvificam faciunt.* Hi sunt qui per Draconem hic & in sequentibus intelliguntur; sunt enim contra duo Essentialia Novæ Ecclesiæ, quæ sunt, quod Deus Unus sit essentia & persona, in quo Trinitas, & quod Ille Deus sit Dominus, tum quod Charitas & Fides unum sint sicut essentia & forma ejus, & quod non alii charitatem & fidem habeant, quam qui secundum præcepta Decalogi vivunt, quæ sunt quod non facienda sint mala, & quantum quis non facit mala, fugiendo illa ut peccata contra Deum, tantum bo-

na

na quæ ſunt charitatis facit, & vera quæ ſunt fidei credit. Quod illi qui Deum faciunt tres, & Dominum duos, ac qui charitatem a fide ſeparant, & hanc & non illam ſimul ſalvificam faciunt, contra illa duo Eſſentialia Novæ Eccleſiæ ſint, videri poteſt ab unoquovis, qui expendit. Dicitur qui faciunt Deum tres, & Dominum duos, ac intelliguntur qui cogitant de tribus Perſonis ut de Tribus Diis, ac Humanum Domini ſeparant a Divino Ipſius; & quis aliter cogitat, ac aliter cogitare poteſt, qui ex formula fidei orat „ *Ut Deus Pater propter Filium mittat Spiritum ſanctum*, Oratne ad Deum Patrem ut ad unum Deum, & propter Filium ut de altero, & de ſpiritu ſancto ut de tertio; ex quo patet, quod tametſi aliquis in cogitatione ſua facit tres Perſonas unum Deum, uſque dividat, hoc eſt, ideam ſuam in tres Deos, quando ita orat; eadem formula fidei etiam facit Dominum duos, quoniam tunc ſolum de Humano Domini & non ſimul de Divino Ipſius cogitatur, nam propter Filium eſt propter Ipſius Humanum quod paſſum eſt crucem. Ex his nunc conſtare poteſt, quinam ſunt, qui per Draconem intelliguntur, qui fætum Mulieris voluit devorare, ac poſtea perſequutus eſt Mulierem propter fætum ejus uſque in deſertum. Quod Draco dicatur magnus, eſt quia omnes Eccleſiæ Reformatorum diſtinguunt Deum in tres Perſonas, ac fidem faciunt unice ſalvificam, præter aliquos hic & ibi, qui de Trinitate & de Fide non ſimiliter credunt; illi qui Deum diſtinguunt in tres Perſonas, & hærent in his verbis DOCTRINÆ ATHANASIANÆ „ *Una Perſona eſt Patris, alia Filii, & alia Spiritus Sancti*; tum in his, *Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus*, illi, inquam, non poſſunt unum Deum facere ex Tribus; loqui quidem poſſunt quod ſint Unus Deus, ſed non poſſunt id cogitare. Pariter qui cogitant de Divino Domini ab æterno, ut de Secunda Perſona Divinitatis, ac de Humano Ipſius in tempore ſicut de humano alterius hominis, illi nec poſſunt aliter quam Dominum facere duos, utcunque in DOCTRINA ATHANASIANA dicitur, quod Divinum & Humanum Ipſius ſint Una Perſona, unita ſicut anima & corpus. Quod Draco dicatur rufus, eſt quia rufum ſignificat falſum ex malis concupiſcentiarum, quod eſt falſum infernale. Nunc quia hæc duo Eſſentialia doctrinæ in Eccleſiis Reformatorum ſunt falſa; & falſa devaſtant Eccleſiam, auferunt enim vera & bona ejus, ideo repræſentata ſunt per Draconem; cauſa eſt, quia per Draconem in Verbo ſignificatur devaſtatio Eccleſiæ; ut conſtare poteſt ex ſequentibus his locis „ *Dabo Hieroſolymam in acervos* HABITACULUM DRACONUM, *& urbes Jehudæ redigam in vaſtitatem*, Jerem. IX: 11. *Ecce venit tumultus magnus e terra ſeptentrionis, ad redigendum urbes Jehudæ in vaſtitatem*, HABITACULUM DRACONUM, Jerem. X: 22. *Fiet Chazor in* HABITACULUM DRACONUM, *deſolationem uſque in ſæculum*, Jerem. XLIX: 33. *Ut ſit* HABITACULUM DRACONUM, *atrium filiabus noctuæ*, Eſaj. XXXIV: 13. *In* HABITACULO DRACONUM cubile ejus, Eſaj. XXXV: 7. *Ibo ſpoliatus & nudus, faciam planctum ſicut* DRACONES, *& luctum ſicut filiæ noctuæ*, Mich. I: 8. *Clamavi, frater factus ſum* DRACONIBUS, *& ſocius filiabus ululæ*, Hiob XXX: 28. 29. *Reſpondebunt jim in palatiis ejus, &* DRACONES *in templis*, Eſaj. XIII: 22. *Sit Babel acervus*, HABITACULUM DRACONUM, *in ſibilum & ſtuporem*, Je-

10 [B.a. 11]

rem.

rem. LI: 37. *Contriviſti nos in loco* DRACONUM, *& obduxiſti ſuper nos umbram mortis*, Pſalm. XLIV: 19. 20. *Poſui montes Eſavi vaſtitatem, & hæreditatem ejus* DRACONIBUS DESERTI, Mich. I: 3; præter alibi, ut Eſaj. XLIII: 20. Jerem. XIV: 6. Pſalm. XCI: 13. 14. Deutr. XXXII: 33. Quod per Draconem hic intelligantur qui in ſola fide ſunt, & opera Legis ut non ſalutifera rejiciunt, aliquoties per vivam experientiam in Mundo ſpirituali teſtatum mihi factum eſt; vidi plura millia ex illis in Cætus collecta, & tunc e longinquo viſa ſunt ſicut Draco cum longa cauda, quæ apparuit obſita ſpiculis ſicut ſentis, quæ ſignificabant falſa. Semel etiam viſus eſt Draco adhuc major, qui elato dorſo erexit caudam uſque verſus Cælum cum conatu detrahendi ſtellas inde: ita coram oculis meis manifeſtatum eſt, quod per Draconem non alii intelligantur.

538. *Habens capita ſeptem, ſignificat inſaniam ex Veris Verbi falſificatis & prophanatis.* Per Caput ſignificatur ſapientia & intelligentia, & in oppoſito ſenſu inſania; at per capita ſeptem, hic quia erant Draconis, proprie ſignificatur inſania ex falſificatis & prophanatis veris Verbi; ſeptem enim prædicantur de ſanctis, & in oppoſito ſenſu de prophanis, n. 173; quare ſequitur, quod ſuper capitibus ejus viſa ſint diademata ſeptem, & per diademata ſignificantur vera Verbi, ibi falſificata & prophanata. Quod per Caput ſignificetur ſapientia & intelligentia, patet ex his „ *Dabo vobis viros ſapientes & intelligentes, & ponam illos in Capita veſtra*, Deutr. I: 13. *Jehovah occluſit oculos veſtros, prophetas, & Capita veſtra videntes obtexit*, Eſaj. XXIX: 19. *Per Caput ſtatuæ Nebuchadnezaris ex puro auro*, Dan. II: 32, non aliud quam ſapientia Primi ſæculi, quæ fuit apud homines Antiquiſſimæ Eccleſiæ, ſignificatur. Per Caput in oppoſito ſenſu ſignificatur inſania & ſtultitia, apud Davidem „ *Deus contundet Caput hoſtium, verticem capilli, ambulantis in reatibus ſuis*, Pſalm. LXVIII: 22; nec aliud ſignificatur per *Caput ſerpentis* quod proculcaretur, Gen. III: 15: & per *percutere Caput ſuper terram multam*, Pſalm. CX: 6. 7. Tum per *mittere pulverem ſuper Caput*; perque *Calvitiem inducere*, ac per *ponere manum ſuper caput*, cum pudefacti ſunt aut doluerunt, quod inſane ſeu contra ſapientiam egerint, Eſaj. VII: 20. Cap. XV: 2. Ezech. VII: 18. Cap. XXVII: 30. Jerem. II: 37. Cap. XIV: 3. 4. Thren. II: 10. II Sam XIII: 19. Per ſeptem autem capita ſignificatur inſania ex veris falſificatis & prophanatis etiam in ſequentibus in Apocalypſi, Cap. XIII: 1. 3. Cap. XVII: 3. 7. 9.

539. *Et cornua decem, ſignificat potentiam multam.* Cornu ſignificat potentiam, n. 270; & decem ſignificant multum, n. 101. Quod dicatur quod Draconi ſit multa potentia, eſt quia ſalvatio hominis per ſolam fidem abſque operibus legis, quæ fides per draconem intelligitur, captat animos, & tunc confirmationes perſuadent; captat enim, quia homo cum audit quod damnatio legis ſublata ſit, ac meritum Domini illi per ſolam fidem in illud imputetur, poteſt indulgere voluptatibus animi & corporis ſui, ac non timere aliquod infernum; inde eſt potentia, quæ per decem cornua draconis ſignificatur; quod talis fuerit ei potentia, evidenter patet ex receptione illius fidei in toto Orbe Chriſtiano Reformato.

540. *Et*

540. *Et super capitibus suis diademata septem, significat omnia vera Verbi falsificata & prophanata.* Per diademata seu lapides pretiosos significantur vera Verbi, in specie vera sensus literæ Verbi, hic autem illa falsificata & prophanata; quia visa sunt super septem capitibus draconis, per quæ significatur insania ex veris falsificatis & prophanatis, n. 538. Quod per diademata seu lapides pretiosos, significentur vera sensus literæ Verbi, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 43. 44. 45, ubi ostensum est, quod Divina Vera in ultimis, quæ sunt vera sensus literæ Verbi, significata sint per *Duodecim Lapides pretiosos in Pectorali Aharonis, quod erat Urim & Thumim*, Exod. XXVIII: 6. 15 ad 21. 30; tum *per Lapides pretiosos in Horto Edenis, in quo Rex Tyri* dicitur fuisse, Ezech. XXXVIII: 12. 13: ut & per *duodecim Lapides pretiosos, ex quibus fundamenta muri Novæ Hierosolymæ erant*, Apoc. XXI: 17 ad 20. Quod vera sensus literæ Verbi per diademata seu lapides pretiosos significentur, est quia omnia sensus literæ Verbi coram Angelis pellucent ex sensu spirituali ejus, ita ex luce Cæli, in qua vera spiritualia Verbi sunt; lapis enim in Verbo significat verum in ultimis, inde lapis pretiosus verum illud pellucens. Quod etiam vera Verbi falsificata & prophanata dicantur diademata, est quia illa ex se lucent, apud quemcumque sint, sicut diademata in terris in cujuscunque manu sunt; datum est videre quandoque fæminas adulteras, ut primum in Mundum spirituum ex terris venerunt, ornatas diadematibus, & quoque Judæos vendentes diademata, quæ sibi e Cælo comparaverunt; ex quo patuit, quod mala & falsa apud illos non mutent lucem & splendorem veritatum Verbi. Similia itaque significantur per *decem diademata super cornubus bestiæ ascendentis ex mari*, Apoc. XIII: 1. perque *Lapides pretiosos super Muliere sedente super bestia coccinea*, Apoc. XVII: 3. 4. 5. Quod sint vera Verbi quæ significantur per diademata, patet manifeste in Apocalypsi „ Quod visa *sint super Capite Sedentis super Equo albo Diademata multa*, *Cujus Nomen erat Verbum Dei*, XIX: 12. 13.

541. *Et cauda sua traxit tertiam partem stellarum Cæli, & projecit in terram, significat quod per falsificationes veritatum Verbi omnes cognitiones spirituales boni & veri abalienaverint ab Ecclesia, & per applicationes ad falsa plane destruxerint.* Per Caudam, ubi de illis, qui hæretica confirmaverunt ex Verbo, agitur, significantur vera Verbi falsificata, n. 438; per stellas significantur cognitiones spirituales boni & veri, n. 51. 420; per tertiam partem significantur omnia, n. 400. 505; & per trahere e Cælo, & projicere in terram, significatur abalienare ab Ecclesia, & plane destruere; nam cum detrahuntur e Cælo, etiam detrahuntur ab Ecclesia, quia omne verum Verbi a Domino per Cælum insinuatur homini Ecclesiæ; nec per aliud detrahuntur vera quam per falsificationes illorum in Verbo, quoniam ibi & inde sunt vera Cæli & Ecclesiæ. Quod omnia vera Verbi ab illis, qui per Draconem, de quibus supra n. 537, intelliguntur, sint destructa, non potest ab aliquo in Mundo credi, & usque sunt ita destructa, ut non unum verum doctrinale supersit; hoc exploratum est in Mundo spirituali apud doctos e Clero, ac inventum est: Causas scio, sed hic modo dicam unam; asserunt, quod quicquid procedit ex hominis volunta-

te & judicio, non ſit bonum, & quod ideo bona charitatis ſeu bona opera, quia fiunt ab homine, nihil conferant ad ſalutem, ſed ſola fides; cum tamen unicum ex quo homo eſt homo, & per quod conjungitur Domino, eſt id quod poſſit facere bonum & credere verum ſicut ex ſe, hoc eſt, ſicut ex ſua voluntate ſecundum ſuum judicium; ſi auferretur hoc unicum, etiam ſimul auferretur omne conjunctivum hominis cum Domino ac Domini cum homine; eſt enim illud reciprocum amoris, quod Dominus dat unicuivis qui naſcitur homo, quod etiam conſervat apud illum uſque ad finem vitæ ejus, & poſtea in æternum: ſi hoc auferretur homini, auferretur etiam illi omne verum & bonum Verbi, uſque adeo ut Verbum non foret niſi quam litera mortua ac Volumen vacuum; nam Verbum nihil aliud docet quam conjunctionem hominis cum Domino per charitatem & fidem, utramque ab homine ſicut ab ipſo. Illi qui per Draconem, de quibus ſupra n. 537, intelliguntur, hoc unicum vinculum conjunctionis ruperunt, aſſerendo quod bona charitatis, ſeu bona opera, quæ ab homine ac ejus voluntate & judicio procedunt, non ſint niſi quam opera moralia, civilia & politica, per quæ homo conjunctionem habet cum mundo, & prorſus nullam cum Deo & cum Cælo; & quando illud vinculum ita ruptum eſt, tunc non aliquod verum doctrinale Verbi ſupereſt; & ſi vera Verbi applicantur ad confirmandum ſolam fidem ſalvantem abſque operibus legis, tunc omnia falſificantur; & ſi falſificatio procedit uſque ad affirmationem, quod Dominus in Verbo non præceperit bona opera propter hominis conjunctionem Secum, ſed ſolum propter conjunctionem cum Mundo, tunc vera Verbi prophanantur; ſic enim fit Verbum non amplius Liber Sanctus, ſed liber prophanus: at videatur de his Experientia ad finem Capitis. Similia ſignificantur per hæc de Hirco apud Danielem „ *Hircus caprarum cornu ſuo dejecit in terram de Exercitu Cæli & de* STELLIS, *& conculcavit ea: & projecit* VERITATEM *in terram*, VIII: 10. 11.

542. *Et Draco ſtetit coram Muliere paritura, ut poſtquam pepererit, fœtum ejus devoraret, ſignificat quod illi qui per Draconem intelliguntur, doctrinam Novæ Eccleſiæ, in primo ejus ortu exſtinguere ſatagant.* Quinam per Draconem intelliguntur, videatur ſupra n. 537: quod per Mulierem ſignificetur Nova Eccleſia, n. 533; quod per parere ſignificetur recipere bona & vera doctrinæ ex Verbo, n. 535; quod per fœtum quem pareret ſignificetur doctrina Novæ Eccleſiæ, videbitur in ſequente Articulo; quod per devorare ſignificetur exſtinguere, eſt quia per fœtum ſignificatur doctrina, & cum de fœtu dicitur devorare, de doctrina dicitur exſtinguere: quod hoc in primo ejus ortu, eſt quia dicitur, quod draco ſteterit coram muliere, ut poſtquam pepererit, fœtum ejus devoraret.

543. *Et peperit filium maſculum, ſignificat doctrinam Novæ Eccleſiæ.* Per filium in Verbo ſignificatur verum doctrinæ, tum intellectus & inde cogitatio veri & boni, per filiam autem ſignificatur bonum doctrinæ, tum voluntas & inde affectio veri & boni; & per filium maſculum ſignificatur verum conceptum in ſpirituali homine, & natum in naturali: cauſa eſt, quia per generationes & nativitates in Verbo ſignificantur generationes & nativitates ſpiritua-

les,

ſes, quæ omnes in communi ſe referunt ad bonum & verum, n. 535; non enim aliud generatur & naſcitur a Domino ut Marito, & ab Eccleſia ut uxore. Nunc quia per Mulierem, quæ pepererat, ſignificatur Nova Eccleſia, n. 533, patet quod per filium maſculum, ſignificetur doctrina illius Eccleſiæ. Doctrina, quæ hic intelligitur, eſt DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ, Londini 1758 edita; tum etiam DOCTRINÆ DE DOMINO, de SCRIPTURA SACRA, & de VITA SECUNDUM PRÆCEPTA DECALOGI, Amſtelodami; per Doctrinam enim intelliguntur omnia vera Doctrinæ, quia Doctrina eſt complexus eorum; cum illæ Doctrinæ ſcribebantur, circum me ſteterunt Draconici, & omni furore collaborabant devorare, hoc eſt, exſtinguere illas: hoc novum licet referre, quia ex veritate ita contigit; Draconici qui circumſteterunt, ex Orbe Chriſtiano Reformato undequaque erant. Quoniam ex Conjugio ſpirituali non alia proles naſcitur, & proles maſculina eſt verum & bonum intellectu & inde cogitatione, ac proles fœminina eſt verum & bonum voluntate & inde affectione, ideo per filium in Verbo ſignificatur verum; ad confirmationem adducentur aliqua loca, ex quibus hoc quodammodo videri poteſt „ *Ecce hæreditas Jehovæ* FILII, *merces fructus ventris, ſicut tela in manu potentis, ita* FILII ADOLESCENTIÆ, Pſalm. CXXVII: 3. 4. 5. *Calvitiem indue, & tonde te propter* FILIOS DELICIARUM *tuarum, quia migrarunt a te*, Mich. I: 16. *Vidi duas oleas juxta candelabrum, & dixit, hæ ſunt duo* FILII OLEÆ *ſtantes juxta Dominum totius terræ*, Sach. IV: 11. 14. *Tentorium meum devaſtatum eſt*, FILII MEI *exiverunt a Me, & non illi*, Jerem. X: 20. *Facti ſunt* FILII MEI *devaſtati, eo quod invaluerit hoſtis*, Thren. I: 16. FILII TUI, *Hieroſolyma, defecerunt, jacuerunt in capite omnium platearum*, Eſaj. LI: 17. 18. 21. *Patres comedent* FILIOS *in medio tui, &* FILII *comedent patres ſuos, diſpergam reliquias tuas in omnem ventum*, Ezech. V: 10. *Dividetur* FILIUS *contra patrem, & pater contra* FILIUM, Matth. X: 21. Marc: XIII: 12. Luc. XII: 53. *Accepiſti vaſa ornatus tui ex auro meo, & feciſti tibi imagines* MASCULI, *cum quibus ſcortabaris*, Ezech. XVI: 17. *Jeſus dixit, ſemen ſunt* FILII REGNI, *& Zizania ſunt* FILII MALI, Matth. XIII: 13. Quod FILIUS HOMINIS ſit Divinum Verum Verbi, ita Dominus, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 19 ad 28. In allatis locis per filios intelliguntur illi qui in veris doctrinæ ex Verbo ſunt, & abſtracte ipſa vera; ſimiliter alibi, ut Eſaj. XIII: 17. 18. Cap. XIV: 21. 22. 23. Cap. XLIII: 5. Cap. XLIX: 17. 22. Cap. LI: 17. 18. Cap. LX: 9. Jerem. III: 24. 25. Cap. V: 17. Ezech. XIV: 16. 17. 18. 20. Cap. XVI: 20. 26. 45. Cap. XX: 26. 31. Cap. XXIII: 37. Hoſch. XI: 9. 10. 11. Sach. IX: 13. Pſalm. CXLIV: 11. 12. Deutr. XXXII: 8. Quod per FILIAM ſignificetur affectio veri Eccleſiæ, ita Eccleſia quoad illam affectionem, conſtat ex tam multis locis in Verbo, ut implerent plures paginas, ſi adducerentur; non aliud intelligitur per FILIAM SIONIS, FILIAM HIEROSOLYMÆ, FILIAM JEHUDÆ, FILIAM ISRAELIS; videantur aliqua loca de Filia Sionis adducta, n. 612; quis non videre poteſt, quod non aliqua Filia Sionis, Hieroſolymæ, Jehudæ & Iſraelis, toties in Verbo nominata, poſſit intelligi.

544. *Qui futurus paſcere omnes gentes virga ferrea, ſignificat quæ omnes, qui*

in cultu mortuo ex fide separata a charitate sunt, per vera ex sensu literæ Verbi, & simul per rationalia ex naturali lumine, convincet, qui volunt convinci. Hæc de doctrina Novæ Ecclesiæ, quia de filio masculo, per quem illa doctrina significatur n. 543; per pascere significatur docere & instruere, n. 383, hic convincere qui volunt convinci; per gentes significantur qui in malis vitæ sunt, n. 483, hic illi qui in cultu mortuo ex fide separata a charitate sunt, quia de illis hic agitur, & hi in malis vitæ sunt, nam dum charitas separatur, non est aliquod bonum vitæ, & ubi non bonum, ibi est malum; quod regere virga ferrea, significet per vera sensus literæ Verbi, & simul per rationalia ex naturali lumine, videatur supra n. 148.

545. *Et raptus est fætus ejus ad Deum & Thronum Ipsius, significat tutationem doctrinæ, quia pro Nova Ecclesia, a Domino, & custoditionem per angelos Cæli.* Quod per hæc significetur tutatio doctrinæ a Domino, est quia dicitur quod Draco steterit coram Muliere paritura, ut, postquam pepererit, fætum ejus devoraret, ac per fætum & per filium masculum significatur doctrina pro Nova Ecclesia, n. 542. 543; quod significetur custoditio etiam per angelos Cæli, est quia dicitur, quod raptus sit ad Deum & ad Throrum Ipsius, & per Thronum significatur Cælum angelicum, n. 14. 221. 222.

546. *Et Mulier fugit in desertum, significat Ecclesiam, quæ est Nova Hierosolyma, primum inter paucos.* Per Mulierem significatur Nova Ecclesia, n. 533; & per desertum significatur ubi non vera amplius sunt; quod significetur illa primum inter paucos, est quia sequitur, Ubi habet locum præparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta, per quæ significatur status ejus tunc, ut interea provideatur inter plures, usque dum crescit ad suum statutum, n. 547. Per desertum in Verbo significatur I. Ecclesia devastata, seu in qua omnia vera Verbi falsificata sunt, qualis fuit apud Judæos tempore adventus Domini. II. Ecclesia, in qua non sunt vera, quia non Verbum, qualis fuit apud Gentes probas tempore Domini. III. Status tentationis, in quo homo est quasi absque veris, quia circumcinctus spiritibus malis, qui inducunt tentationes, & tunc ei quasi auferunt vera. Quod per Desertum significetur Ecclesia devastata, seu in qua omnia vera Verbi falsificata sunt, qualis fuit apud Judæos tempore Domini, patet ex his locis „ *Num hic vir commovens terram, tremefaciens regna, posuit orbem in* DESERTUM, Esaj. XIV: 16. 17; hæc de Babele. *Super Terra populi mei spina & sentis ascendit; palatium erit* DESERTUM, Esaj. XXXII: 13. 14. *Vidi cum ecce Carmel* DESERTUM, *vastitas erit tota Terra*, Jerem. IV: 26. 27; Terra est Ecclesia, n. 285. *Pastores perdiderunt Vineam meam, redegerunt agrum desiderii mei in* DESERTUM SOLITUDINIS: *in* DESERTO *veniunt vastatores*, Jerem. XII: 10. 12. *Vitis plantata est in* DESERTO, *in Terra ariditatis & sitis*, Ezech. XIX: 13. *Ignis comedit habitacula* DESERTI, Joel I: 19. 20. *Venit dies Jehovæ, sicut hortus Eden Terra ante eum, sed post eum* DESERTUM VASTITATIS, Joel II: 3. *Vos videte Verbum Jehovæ, num* DESERTUM *fui Israeli, num Terra tenebrarum*, Joel II: 31. *Vox clamantis in* DESERTO, *parate viam Jehovæ; complanate in* SOLITUDINE *semitam Deo nostro*, Esaj. XL: 3; præter alibi; ut Esaj. XXXIII: 9. Jerem. III: 2.

Cap.

Cap. XXIII: 10. Thren. V: 1. Hosch. II: 2. 3. Cap. XIII: 15. Joel IV: 9. Mal. I: 3. Psalm. CVII: 33. 34. Matth. XXIV: 26. Luc. XIII: 35: quod talis etiam sit Ecclesia hodie, videatur infra n. 566. II. Quod per Desertum significetur Ecclesia, in qua non vera, quia non Verbum, ut apud Gentes probas tempore Domini, patet ex his locis „ *Effundetur super vos Spiritus ex alto, tunc* DESERTUM *erit in arvum, & habitabit in* DESERTO *judicium*, Esaj. XXXII: 15. 16. *In medio vallium fontes ponam*, DESERTUM *in stagnum aquarum; dabo in* DESERTO *cedrum schittim, & arborem olei*, Esaj. XLI: 18. 19. *Ponet* DESERTUM *in stagnum aquarum, & terram siccam in exitus aquarum*, Psalm. CVII: 35. 36. *Ponam in* DESERTO *viam, in* SOLITUDINE *fluvios, ad potandum populum meum, electum meum*, Esaj. XLIII: 19. 20. *Jehovah ponet* DESERTUM *ejus sicut Eden, &* SOLITUDINEM *ejus sicut hortum Jehovæ; lætitia & gaudium invenietur in ea*, Esaj. LI: 3. *Stillant habitacula* DESERTI, Psalm. LXV: 13. 14. *Extollat vocem* DESERTUM, *cantent habitatores petræ*, Esaj. XLII: 10. 11. III. Quod per Desertum significetur status tentationis, in quo homo est quasi absque veris, quia circumcinctus spiritibus malis, qui inducunt tentationem, & tunc quasi ei auferunt vera, patet ex, Matth. IV: 1. 2. 3. Marc. I: 12. 13. Luc. IV: 1. 2. 3. Esaj. XX: 34 ad 37. Jerem. II: 2. 6. 7. Hosch. III: 13 ad 16. Psalm. CVII: 4 ad 7. Deutr. I: 31. 33. Cap. VIII: 2. 3. 4. 15. 16. Cap. XXXII: 10.

547. *Ubi habet locum præparatum a Deo, ut ibi alant eam diebus mille ducentis sexaginta, significat statum illius Ecclesiæ tunc ut interea provideatur apud plures, usque dum crescit ad suum statutum.* Per locum significatur status, n. 947; & per alere significatur providere ut crescat, nam sic Ecclesia alitur; inde per habere locum præparatum a Deo ut alant eam, significatur status Ecclesiæ ut interea provideatur inter plures; per dies mille ducentos sexaginta, significatur ad finem & principium, n. 491, hoc est, ad finem prioris Ecclesiæ ad principium Novæ, simile quod per tempus & tempora & dimidium temporis, Vers. 14, n. 562, ita quoque ad statutum, hoc est, usque dum, sicut provisum est, existit. Quod ex Divina Providentia Domini sit, ut Ecclesia primum inter paucos sit, & successive crescat inter plures, est quia falsa prioris Ecclesiæ primum removenda sunt, vera enim non antea possunt recipi, nam vera quæ recipiuntur & implantantur, antequam falsa remota sunt, non permanent, & quoque a Draconicis elimantur; similiter factum est cum Ecclesia Christiana, quod a paucis ad plures successive creverit: altera causa est, quod primo formandum sit Novum Cælum, quod unum cum Ecclesia in terris facturum est; quare legitur, quod *viderit Novum Cælum, ac Sanctam Hierosolymam descendentem a Deo e Cælo*, Apoc. XXI: 1. 2. Certum est, quod Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, exstitura sit, quia prædicta est in Apocalypsi, Cap. XXI. XXII, & quoque certum est, quod falsa prioris Ecclesiæ antea removenda sint, quia de illis actum est in Apocalypsi usque ad Cap. XXmum.

548. *Et factum est bellum in Cælo, Michael & angeli ejus pugnarunt cum Dracone, & Draco pugnavit & Angeli ejus, significat falsa prioris Ecclesiæ pugnantia*

contra vera Novæ Ecclesiæ. Per bellum significatur bellum spirituale, quod est falsi contra verum, ac veri contra falsum, n. 500; non enim aliud bellum in Cælo, ubi dicitur exstitisse, potest fieri; nec potest in Cælo semel formato ab Angelis, sed factum est in Cælo priori quod transiit, de quo Apoc. XXI: 1, de quo Cælo videatur Explicatio ibi; transiit enim id Cælum per Ultimum Judicium super Draconem & ejus Angelos, quod etiam significatur per quod Draco dejectus sit, & non locus ejus amplius in Cælo inventus, ut sequitur. Quænam falsa per Draconem intelliguntur, quæ pugnatura sunt contra vera Novæ Ecclesiæ, videatur supra n. 537. Per Michaelem non intelligitur aliquis Archangelus, nec per Gabrielem & Raphaelem, sed intelliguntur Ministeria in Cælo; Ministerium, quod est Michael ibi, est apud illos, qui ex Verbo confirmant, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & quod Deus Pater & Ipse unum sint sicut Anima & Corpus unum sunt, tum quod secundum præcepta Decalogi vivendum sit, & quod tunc homini charitas & fides sint; nominatur Michael etiam apud Danielem, Cap. X: 13. 21. Cap. XII: 1; & per illum simile Ministerium intelligitur, ut patet a Cap. IX. X. XI, & ab ultimis Versibus Cap. XII, ibi. Per Gabrielem autem intelligitur Ministerium apud illos, qui ex Verbo docent, quod Jehovah in Mundum venerit, ac quod Humanum quod ibi suscepit, sit Filius Dei, ac Divinum, quare Angelus, qui id annuntiavit Mariæ, vocatur Gabriel, Luc. I: 19. 26 ad 35. Nominantur etiam illi qui in Ministeriis illis sunt, Michaeles & Gabrieles in Cælo. Quod per Angelum in supremo sensu intelligatur Dominus, & in sensu respectivo Cælum ex angelis, tum etiam Societas Angelica, videatur supra n. 5. 66. 258. 342. 344. 415. 465; hic autem Ministerium, quia vocantur nomine, & Michael apud Danielem vocatur Princeps, & per principem in Verbo significatur principale verum, ac per Regem ipsum Verum, n. 20.

549. *Et non prævaluerunt, & non locus inventus eorum amplius in Cælo, significat quod convicti quod in falsis & malis essent, & usque permanserint in illis, & quod ideo ex conjunctione cum Cælo avulsi sint, & dejecti.* Ut hæc intelligantur, prius aliquid de statu illorum, qui in alteram vitam post mortem veniunt, dicetur: omnes ibi primum instruuntur ab angelis, & ducuntur ab una Societate in alteram, & explorantur num velint vera Cæli recipere, & vivere secundum illa; sed usque omnes illi qui confirmaverunt falsa apud se in Mundo, non recipiunt; quare mittuntur in Societates, ubi sunt qui in similibus falsis, & illæ Societates non aliquam cum Cælo conjunctionem habent, sed cum Inferno; quare post exactum tempus in Mundo spirituum delabuntur in Infernum, ac relegantur ad loca sua, quisque secundum suum malum & inde falsum; hoc est quod intelligitur per quod convicti quod in falsis & malis essent, & usque permanserint in illis, & quod ideo ex conjunctione cum Cælo avulsi sint, & dejecti: qualis illis est sors ibi, videatur supra n. 153. 531.

550. *Et projectus est Draco ille magnus, ille serpens antiquus, vocatus diabolus & satanas, significat illos, qui per draconem intelliguntur, aversos a Domino ad semet & a Cælo ad mundum, & inde ex corporeo sensuales factos, qui non possunt aliter quam in malis concupiscentiarum suarum esse & inde falsis, & per separationem*

a

a Domino & Cælo fieri diabolos & satanas. Quinam per Draconem intelliguntur, videatur n. 537; qui quia Deum faciunt tres, ac Dominum duos, & quia præcepta Decalogi referunt inter opera, per quæ non aliqua salvatio, vocantur serpens antiquus, diabolus & satanas, & per Serpentem significatur homo ex corporeo sensualis, n 424, qui a Domino aversus est ad semet & a Cælo ad mundum; ac per Diabolum significantur qui in malis concupiscentiarum sunt; ac per Satanam qui inde in falsis, n. 97. 153 fin. 856. 857. Talis etiam fuit Serpens, qui seduxit Evam & Adamum, ut patet a descriptione & maledictione ejus, Gen. III: 1 ad 5. 14. 15. Dicitur hic Draco diabolus & satanas sicut unus, sed ita dicitur, quia omnes in Inferno sunt diaboli & satanæ, & inde Infernum in complexu vocatur ita.

551. *Seducens universum orbem, significat quod pervertant omnia Ecclesiæ.* Per seducere significatur pervertere, & per Orbem significatur Ecclesia, similiter ac per terram, n. 285: per Orbem non significatur Orbis terrarum, sed Ecclesia in illo, in sequentibus locis ,, *Lugebit & confundetur* TERRA, *languescet & confundetur* ORBIS, Esaj. XXIV: 4. *Judicia tua discent* TERRÆ, *& justitiam tuam habitatores* ORBIS, Esaj. XXVI: 9. *Factor* TERRÆ *per virtutem suam, præparans* ORBEM *per sapientiam suam*, Jerem. X: 12. Cap. LI: 15. *Revelata sunt fundamenta* ORBIS *a flatu spiritus tui*, Psalm. XVIII: 16. *Jehovæ* TERRA *& plenitudo ejus*, ORBIS *& habitantes in eo, Ille super maria fundavit eum, & super flumina stabilivit eum*, Psalm. XXIV: 1. 2. *Tui Cæli & tua* TERRA, ORBEM *& plenitudinem ejus Tu fundasti*, Psalm. LXXXIV: 12. *Thronum gloriæ hæreditare faciet eos, nam Jehovæ bases* TERRÆ, *& disposuit super iis* ORBEM, I Sam. II: 8. *Babel posuisti* ORBEM *in desertum*; TERRAM *tuam perdidisti, & populum tuum occidisti*, Esaj. XIV: 17. 20: præter alibi, ut Esaj. XVIII: 3. Cap. XXVIII: 18. Cap. XXVII: 6. Cap. XXXIV: 1. Nah. I: 5. Psalm. IX: 9. Psalm. LXXVII: 19. Psalm. XCVIII: 9. Thren. IV: 12. Hiob XVIII: 18. Matth. XXIV: 14. Luc. XXI: 26. Apoc. XVI: 14: at sciendum est, quod cum Orbis & Terra simul nominantur, per Orbem significetur Ecclesia quoad bonum, & per Terram Ecclesia quoad verum.

552. *Projectus est in terram, & Angeli ejus cum illo projecti sunt, significat quod in Mundum spirituum, qui medius est inter Cælum & Infernum, & a quo immediata conjunctio est cum hominibus telluris.* Quod per terram, in quam draco dicitur projectus, intelligatur Mundus spirituum, est quia hic Mundus immediate sub Cælis jacet, & cum quis dejicitur e Cælo, non cadit illico in Infernum, sed in terram hujus Mundi proxime subjectam, est enim ille Mundus medius inter Cælum & inter Infernum, seu infra Cælos & supra Inferna: de hoc Mundo videantur plura in Opere de CÆLO ET INFERNO Londini an. 1758 edito, n. 421 ad 535. Omnes illi qui in eo Mundo sunt, communicant immediate cum hominibus telluris, consequenter Draco & Angeli ejus cum illis qui in falsis & inde malis sunt ex hæresi recepta de sola fide; quare in sequentibus dicitur ,, *Propter hæc gaudete Cæli; væ habitantibus terram & mare, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod exiguum tempus habeat*, Vers. 12, hujus Capitis ,, Tum quod *persequutus sit mulierem in desertum, &* abi-

abiverit bellum facere cum reliquis ſeminis ejus, Verſ. 13 ad 17. Sciendum eſt, quod unuſquiſque homo quoad affectiones & inde cogitationes ſuas, ſit in Societate cum illis qui in Mundo ſpirituum ſunt, & mediate per illos cum illis qui vel in Cælo ſunt vel in Inferno: vita cujuſvis hominis ex illa conjunctione pendet.

553. *Et audivi vocem magnam dicentem in Cælo, nunc facta eſt ſalus & potentia, & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti Ipſius, ſignificat gaudium Angelorum Cæli, quod nunc Dominus Solus in Cælo & in Eccleſia regnet, & quod ſalventur qui in Ipſum credunt.* Per vocem magnam in Cælo, ſignificatur gaudium Angelorum Cæli, quare ſequitur „ *Propter hoc gaudete Cæli, & in illis habitantes*, Verſ. 12, vox etiam ſit magna, quia exaltatur ex gaudio cordis; facta eſt ſalus & potentia, ſignificat quod nunc ſalventur ex Divina potentia Domini; & regnum Dei noſtri & poteſtas Chriſti Ipſius, ſignificat quia Solus Dominus in Cælo & in Eccleſia regnat; quod per Deum intelligatur Ipſum Divinum ex Quo, quod Jehovah Pater vocatur, & per Chriſtum Ipſius Divinum Humanum quod Filius Dei vocatur, videatur ſupra n. 520: & quia Ipſum Divinum a Quo & Divinum Humanum Domini unum ſunt, quemadmodum anima & corpus, ſequitur quod Dominus Solus regnet. Hoc intelligitur per EVANGELIUM REGNI & per REGNUM DEI, Matth. III: 2. Cap. IV: 17. 23. Cap. VII: 21. 22. Cap. IX: 35. Cap. XI: 11. Cap. XII: 28. Marc. I: 14. 15. Cap. IX: 1. Cap. XV: 43. Luc. IV: 4. Cap. VIII: 1. Cap. IX: 60. Cap. X: 8 ad 11. Cap. XI: 17. 18. 20. Cap. XVI: 16 Cap. XXI: 30. 31. Cap. XXII: 18. Cap. XXIII: 50 51. Quod Domino ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra, patet manifeſte apud Matthæum, Cap. XXVIII: 18. Joh III: 35. Cap. XVII: 2. 10. Quod ſalventur qui in Domino ſunt & Dominus in illis, & quod Divinum Humanum ſit in Quo ſint, Joh. Cap. XIV. XV. XVII; & quod non alii ſalventur, quam qui credunt in Ipſum, conſtat ex his locis „ *Quotquot receperunt Ipſum, dedit illis poteſtatem ut filii Dei eſſent* CREDENTIBUS IN NOMEN IPSIUS, Joh. I: 12. *Ut omnis qui* CREDIT IN FILIUM, *non pereat, ſed vitam æternam habeat*, Joh III: 15. *Adeo dilexit Deus mundum, ut* FILIUM SUUM UNIGENITUM *dederit, ut omnis qui* CREDIT IN IPSUM, *vitam æternam habeat*, Joh. III: 16. Qui CREDIT IN FILIUM, *non judicatur, qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in Nomen Unigeniti Filii Dei*, Joh III: 18. *Qui* CREDIT IN FILIUM, *habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illo*, Joh. III: 36. *Qui venit ad Me, non eſuriet, & qui* CREDIT IN ME, *non ſitiet unquam. Amen dico vobis, qui* CREDIT IN ME, *habet vitam æternam*, Joh. VI: 33. 35. 47. *Niſi* CREDIDERITIS *quod Ego ſim, moriemini in peccatis veſtris*, Joh. VIII: 24. *Jeſus dixit, Ego ſum Reſurrectio & Vita, qui* CREDIT IN ME, *etſi moriatur, vivet; omnis qui vivit, &* CREDIT IN ME, *non morietur in æternum*, Joh. XI: 25. 26; præter alibi, ut Joh. VI: 38. 39. 40. Cap. VII: 37. 38. Cap. VIII: 12. Cap. XII: 36. 46. Credere in Dominum, eſt Ipſum immediate adire, & fiduciam habere quod Ipſe ſalvet; & quia fiduciam habere nemo poteſt, niſi qui bene vivit, ideo etiam hoc per credere in Ipſum intelligitur, videatur ſupra n. 67.

554. *Quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, accuſans illos coram Deo noſtro dies & noctes, ſignificat quod per ultimum judicium remoti ſint, qui ſe oppoſuerunt contra doctrinam Novæ Hieroſolymæ.* Quod draco projectus ſit, ſignificat quod remoti ſint qui per draconem intelliguntur, quod remoti ſint per dejectionem e Cælo in Mundum ſpirituum, & dein in infernum, quod eſt ultimum illorum judicium, prius dictum eſt; per fratres intelliguntur qui in doctrina Novæ Hieroſolymæ & in vita ſecundum illam ſunt; per accuſare ſignificatur ſe opponere contra doctrinam, illam arguere falſi, & objurgare, & quia hoc continue faciunt ſicut coram Deo, dicitur Draco accuſator fratrum accuſans illos coram Deo dies & noctes: hoc quoque facit Diabolus cum tentat, protrahit enim varia ex homine, quæ vocat falſa, & condemnat.

555. *Et illi vicerunt eum per Sanguinem Agni, & per verbum teſtimonii illorum, ſignificat victoriam per Divinum Verum Verbi, & inde per agnitionem quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, & quod præcepta Decalogi ſint præcepta vitæ ſecundum quæ vivendum eſt.* Quod Sanguis Agni ſit Divinum Verum procedens a Domino, quod eſt Divinum Verum Verbi, videatur ſupra n. 379; quod Teſtimonium ſit Divina Veritas, ſupra n. 6. 16; & quod in ſpecie ſint hæc duo, quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, & quod præcepta Decalogi ſint præcepta vitæ, n. 490. ʒ06; quare etiam Decalogus vocatur Teſtimonium, Exod. XXV: 22. Cap. XXXI: 7. 18. Cap. XXXII: 15. Levit. XVI: 13. Num. XVII: 19. Pſalm. LXXVIII: 5. Pſalm. CXXXII: 12. Creditur ab hodiernis qui in ſola fide ſunt, quod per Sanguinem Agni hic intelligatur Paſſio crucis Domini, ex cauſa imprimis quia faciunt Paſſionem crucis Domini principale ſui dogmatis, dicendo, quod ſic in ſe tranſtulerit damnationem legis, ſatisfecerit Patri, ac Ipſi genus humanum reconciliaverit, præter plura: at quod non ita ſit, ſed quod *Dominus in Mundum venerit, ut ſubjugaret inferna & glorificaret Humanum ſuum, & quod Paſſio crucis fuerit ultima pugna, per quam plene vicit inferna, & plene glorificavit Humanum ſuum*, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 12 ad 14: inde videri poteſt, quod per ſanguinem Agni, hic non intelligatur Paſſio crucis ſecundum hodiernum dogma. Quod per Sanguinem Agni intelligatur Divinum Verum procedens ex Domino, quod eſt Divinum Verum Verbi, videri poteſt ex eo, quod Dominus ſit Verbum, & quia eſt Verbum, quod Divinum Verum ibi ſit Ipſius Sanguis, & Divinum Bonum ibi Ipſius Corpus: hoc poteſt ad evidentiam doceri ita, eſtne unuſquiſque homo ſuum bonum & ſuum verum, & quia bonum eſt voluntatis, & verum eſt intellectus, eſt unuſquiſque homo ſua voluntas & ſuus intellectus, quid aliud facit hominem, eſtne homo quoad eſſentiam illa duo; Dominus autem eſt Ipſum Bonum & Ipſum Verum, hoc eſt, Divinum Bonum & Divinum Verum, quæ duo etiam ſunt Verbum.

556. *Et non dilexerunt animam ſuam uſque ad mortem, ſignificat qui non amaverunt ſemet plus quam Dominum.* Per diligere animam ſuam, ſignificatur amare ſemet & mundum, per animam enim ſignificatur vita hominis propria, quæ cuivis eſt a nativitate, quæ eſt amare ſe & mundum ſuper omnia; quare per non amare animam ſuam, ſignificatur non amare ſe & mundum plus quam Do-

Vv

Dominum & quæ Domini ſunt; uſque ad mortem, ſignificat velle potius mori; conſequenter eſt amare Dominum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum, Matth. XXII: 35 ad 38, ac potius velle mori, quam a binis illis amoribus recedere. Simile ſignificatur per hæc Domini verba „ *Quiſquis vult invenire* ANIMAM SUAM, *perdet illam, & quiſquis perdiderit* ANIMAM *propter Jeſum, inveniet illam*, Matth. X: 39. Luc. XVII: 33. Qui amat ANIMAM SUAM, *perdet illam; ſed qui odio habet* ANIMAM SUAM *in hoc Mundo, in vitam æternam ſervabit illam*, Joh. XII: 25. *Jeſus dixit, quiſquis vult poſt Me venire, abneget ſemet; qui voluerit* ANIMAM SUAM *ſervare, perdet illam; qui vero perdiderit* ANIMAM SUAM *propter Me, inveniet illam: quid prodeſt homini, ſi totum Mundum lucratus fuerit,* ANIMÆ *autem jacturam fecerit; aut quid dabit homo pretium ſufficiens redemptionis* ANIMÆ SUÆ, Matth. XVI: 24. 25. Marc. VIII: 35. 36. 37. Luc. IX: 24. 25. Per amare Dominum intelligitur amare facere præcepta Ipſius, Joh. XIV: 20 ad 24; cauſa eſt, quia Ipſe eſt ſua præcepta, ſunt enim ab Ipſo, proinde Ipſe in illis, ita in homine, cujus vitæ inſcripta ſunt, & illa homini inſcribuntur per velle & facere illa.

557. *Propter hoc gaudete Cæli & in illis habitantes, ſignificat Cæli ſtatum novum, quod in Domino ſint, & Dominus in illis.* Per Cælos intelligitur Cælum ex Chriſtianis, in quo Dominus Solus pro Deo Cæli & Terræ agnoſcitur; per gaudete, ſignificatur ſtatus ejus novus, plenus gaudio; per habitantes ſignificantur qui in bono ſunt, n. 380, & quia omne bonum eſt a Domino, ſignificatur quod in Domino ſint & Dominus in illis.

558. *Væ habitantibus Terram & Mare, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſignificat lamentationem ſuper illos qui in Internis & in Externis doctrinæ de ſola fide ſunt, & inde in malis vitæ, quoniam ſimiles e Cælo dejecti in Mundo ſpirituum ſunt, & inde in conjunctione cum hominibus telluris, quos ex odio contra Novam Eccleſiam excitant ut in ſuis falſis & inde malis perſeverent.* Per væ habitantibus Terram & Mare, ſignificatur lamentatio ſuper illos in Eccleſia qui in doctrina de ſola fide ſunt, per væ ſignificatur lamentatio, n. 496; per habitantes ſignificantur qui in Eccleſia ſunt cujus doctrina eſt ſola fides, per Terram intelliguntur qui in internis ejus, & per Mare qui in externis ejus, n. 470; per iram magnam ſignificatur odium contra Novam Eccleſiam, quia contra Mulierem, n. 525; per deſcendere ad illos, ſignificatur ad illos qui in Mundo ſpirituum ſunt, & quia hi in conjunctione ſunt cum hominibus telluris, etiam ſignificatur ad tales in Tellure: quod Draco conjectus ſit e Cælo in mundum ſpirituum, & quod illi qui ibi ſunt in conjunctione cum hominibus telluris ſint, videatur ſupra n. 552. Draco hic vocatur diabolus, quia intelliguntur qui ex illa hæreſi in malis vitæ ſunt, & illi ex ea in malis vitæ ſunt, qui ſecundum hæc fidei illorum vivunt, quod peccata non illis ſint qui in fiducia ad Deum Patrem orant, & ſi ſunt, quod remiſſa ſint; qui quia non explorant ſe, non ſciunt aliquod peccatum apud ſe, & tandem nec quid peccatum, videatur ſupra n. 531; quod per draconem ut diabolum, intelligantur qui in malis concupiſcentiarum ſuarum ſunt, n. 550. Quod omnis homo in conjunctione ſit cum illis qui in Mundo ſpirituum ſunt, eſt quia homo quoad mentis ſuæ affe-

ctiones

ctiones & inde cogitationes est spiritus, quare continue est quoad illas in conjunctione cum spiritibus qui in simili affectione & inde cogitationibus sunt; est talis conjunctio, ut si illa copula quoad unicum momentum solveretur, homo caderet mortuus: de hoc Ecclesia nihil prius sciverat; nec quod homo post mortem sit sua affectio & inde cogitatio, ita sua charitas & inde fides, & quod nemo possit esse fides separata a charitate.

559. *Sciens quod exiguum tempus habeat, significat quia scit quod novum Cælum factum sit, & quod sic nova Ecclesia in terris instet, & quod ille tunc cum suis in Infernum conjiciatur.* Quod hæc significentur, est quia Draco scit quod novum Cælum factum sit, est enim dejectus ab illo, Vers. 8. 9; tum scit quod Nova Ecclesia in terris instet, ex prædictione in Apocalypsi, Cap. XXI; & quoque scit, quod ille cum suis in infernum tunc conjiciendus sit, etiam ex prædictione, Apoc. XX: 1. 2. 10.

560. *Cum vidit Draco quod projectus sit in terram, persequutus est mulierem quæ peperit filium, significat quod Draconici in Mundo spirituum post dejectionem statim aggressi sint infestare Novam Ecclesiam propter doctrinam ejus.* Cum vidit Draco quod projectus sit in terram, significat cum viderunt draconici quod separati essent a Cælo, & in conjunctione cum hominibus telluris, n. 552. 558; persequutus est mulierem, significat quod statim aggressi sint infestare Ecclesiam Domini; quod Mulier, quam persequutus, sit illa Ecclesia, videatur, n. 533; quæ peperit filium, significat propter doctrinam; quod fætus seu filius masculus, quem Mulier peperit, sit doctrina Novæ Ecclesiæ, n. 535. 542. 543. 545.

561. *Et datæ sunt Mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum in locum suum, significat Divinam circumspectionem pro Ecclesia illa, ac tutelam dum adhuc est inter paucos.* Per Mulierem significatur Nova Ecclesia, n. 533; per alas significatur potentia & tutela, n. 245; per aquilam significatur visus intellectualis & inde cogitatio, n. 245; per volare significatur perspicere & circumspicere, n. 245; per desertum significatur Ecclesia desolata, & sic inter paucos, n. 546; per locum significatur status ibi; ex his sequitur, quod per datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ ut volaret in desertum in locum suum, significetur Divina circumspectio pro Nova Ecclesia, ac tutela dum adhuc est inter paucos.

562. *Ubi aleretur ibi tempus & tempora & dimidium temporis a facie serpentis, significat ut propter astutiam seducentium circumspecte provideatur ut veniat inter plures usque dum crescit ad suum statutum.* Per ali, cum de Nova Ecclesia, significatur provideri ut veniat inter plures, ut supra n. 547; per tempus & tempora & dimidium temporis, significatur ad finem & principium, ita dum a paucis crescit ad plures usque ad suum statutum, ut quoque supra, n. 547; per faciem serpentis, significatur astutia seducentium, per faciem astutia, & per serpentem seducentes; quod per serpentem significentur seducentes, patet ab his in hoc Capite, *Conjectus est Draco magnus, Serpens Antiquus, qui* SEDUCIT *orbem terrarum totum*, Vers. 9: & alibi „ *Comprehendit draconem, serpentem antiquum, & conjecit eum in abyssum, ne* SEDUCERET *gentes amplius*, Apoc. XX:

 2. 3;

2. 3; ſimile hic quod per Serpentem qui ſeduxit Evam & Adamum, intelligitur, de quo dicitur „ *Et* SERPENS FACTUS EST ASTUTUS *præ omni fera agri;* & *dixit mulier ad Jehovam,* SERPENS SEDUXIT *me*, Gen. III: 1. 13. Per faciem in Verbo ſignificatur id quod interius apud hominem eſt, quia facies eſt eſt typus animi ejus formata ad correſpondentiam, inde per faciem ſerpentis ſignificatur ira, odium & aſtutia. Per tempus, tempora & dimidium temporis, ſignificatur hic ſimile quod per dies mille ducentos ſexaginta Verſ. 6, ubi hæc „ *Et Mulier fugit in deſertum, ubi habet locum præparatum a Deo, ubi alant illam diebus mille ducentis ſexaginta;* quæ explicata videantur ſupra n. 547. Simile etiam quod per TRES DIES ET DIMIDIUM, Apoc. XI: 9. 10: tum per ANNOS TRES ET MENSES SEX, *cum fames*, Luc. IV: 25: ſimile etiam quod a apud Danielem, *per* TEMPUS STATUM TEMPORUM STATORUM ET DIMIDIUM, *cum conſummaturi diſpergere manus populi ſanctitatis*, Cap. XII: 9.7

563. *Et ejecit ſerpens poſt Mulierem ex ore ſuo aquam tanquam flumen, ut illam a flumine abſorptam faceret, ſignificat ratiocinationes ex falſis in copia ad deſtruendum Eccleſiam.* Per ſerpentem ſignificatur, hic ut ſupra, Draco ſeducens, per Mulierem nova Eccleſia, n. 533; per aquam, ſignificantur vera, & in oppoſito ſenſu falſa, n. 50. 409; per flumen ſignificantur vera in copia, & in oppoſito ſenſu falſa in copia, n. 409; ex ore ſerpentis, ſignificantur ratiocinationes; inde nunc per ejicere aquam ſicut flumen, ſignificatur ratiocinationes ex falſis in copia. Ratiocinationes illorum, qui per draconem intelliguntur, ſunt omnes ex fallaciis & apparentiis, quæ ſi confirmantur, apparent extrinſecus ſicut vera, ſed intus recondunt falſa in copia: hoc poſſum referre, quod illi in Eccleſia, qui poſthac confirmant ſolam fidem apud ſe, non poſſint recedere ab illa, niſi per ſeriam pænitentiam, quia conjungunt ſe cum draconicis, qui nunc in Mundo ſpirituum ſunt, & tumultuantur, ac ibi ex odio contra Novam Eccleſiam infeſtant omnes quos offendunt; & quia illi conjuncti ſunt cum hominibus telluris, ut ſupra dictum eſt, non patiuntur ut ab illis recedant, qui ſemel a ratiociniis illorum capti ſunt, tenent enim illos ſicut vinctos catenis, ac tunc occludunt eorum oculos, ut non aliquod verum in luce amplius poſſint videre.

564. *Et adjuvit terra Mulierem, & aperuit terra os ſuum, & deglutivit flumen quod ejecit Draco ex ore ſuo, ſignificat quod ratiocinationes ex falſis in copia, quas draconici producunt, in nihilum cadant ex veris ſpiritualibus rationaliter intellectis, quæ Michaeles, ex quibus Nova Eccleſia, adducunt.* Per Terram, quæ adjuvit Mulierem, ſignificatur Eccleſia quoad doctrinam, n. 285; & quia agitur de ratiocinationibus ex falſis, quas draconici producunt, ſunt vera ex Verbo, per quæ Terra, hoc eſt, Eccleſia adjuvat Mulierem; per aperire os, ſignificatur adducere illa vera; per flumen quod Draco ex ore ſuo ejecit, ſignificantur ratiocinationes ex falſis in copia, n. 563; per deglutire, ſignificatur facere ut cadant in nihilum: per Michaeles, intelliguntur homines Novæ Eccleſiæ, per Michaelem ſapientes ibi, & per Angelos ejus reliqui. Quoniam in Nova Eccleſia rejicitur hoc dogma, quod Intellectus captandus ſit ſub obedientia fidei, & loco ejus recipitur, quod verum Eccleſiæ videndum ſit, ut credatur,

datur, n. 224; & quia verum non aliter videri potest quam rationaliter, ideo dicitur ex veris rationaliter intellectis: quomodo potest aliquis homo duci a Domino, & conjungi Cælo, qui occlusit intellectum suum in talibus quæ salutis & vitæ æternæ sunt, estne intellectus qui illustrabitur & docebitur; & quid intellectus a religione occlusus, nisi caligo, & talis caligo quæ a se rejicit lucem illustrantem: tum quis potest agnoscere aliquod verum & retinere illud nisi id videat; quid verum non visum nisi vox non intellecta, quæ apud sensuales corporeos homines solet retineri memoria, sed non potest apud sapientes; imo sapientes ejiciunt e memoria voces vacuas, hoc est, voces quæ non ex intellectu intraverunt; sicut, quod Deus unus sit Tres quoad Personas, tum quod Dominus natus ab æterno non sit unus idem cum Domino nato in tempore, hoc est, quod unus Dominus sit Deus & non Alter: tum etiam, quod vita charitatis, quæ consistit in bonis operibus, & quoque in pænitentia a malis operibus, nihil faciat ad salutem; sapiens hoc non intelligit, quare ex rationalitate sua dicit, ergone nihil facit Religio, estne Religio fugere malum & facere bonum, doctrinane Ecclesiæ docebit illud, ut & quid homo crediturus est, ut bona Religionis faciat a Deo.

565. *Et iratus Draco contra Mulierem, & abivit bellum facere cum reliquis seminis ejus, observantibus mandata Dei & habentibus testimonium Jesu Christi, significat accensum odium apud illos qui se credunt sapientes ex confirmationibus pro Unione mystica Divini & Humani in Domino, & pro justificatione per solam fidem, contra illos qui agnoscunt Solum Dominum pro Deo Cæli & Terræ, & quod Decalogus sit Lex vitæ, aggrediendo novitios animo seducendi.* Hæc omnia continentur in paucis illis verbis, quia sequuntur in serie ex antecedentibus, ubi dicitur, quod Terra adjuverit Mulierem, & aperuerit os suum, & deglutiverit flumen quod Draco ex ore suo ejecerat, per quæ significatur quod ratiocinationes illorum ex falsis in nihilum ceciderint, n. 564; proinde, quod Novam Ecclesiam destruere frustra conati sint; quare per quod iratus Draco contra mulierem, significatur accensum odium & spirans vindicta contra Ecclesiam; per iram Draconis significatur odium, n. 558; per bellum facere significatur per ratiocinationes ex falsis aggredi & impugnare, n. 500; per reliquos seminis ejus observantes mandata Dei & habentes testimonium Jesu Christi, intelliguntur novitii, qui recipiunt doctrinam de Domino & de Decalogo; quid testimonium Jesu Christi, videatur supra n. 6. 490. Quod per Draconem hic intelligantur, qui credunt se sapientes ex confirmationibus pro Unione mystica Divini & Humani Domini, & pro Justificatione per solam fidem, est quia hi in fastu sapientiæ sunt, ac sciunt ratiocinari; & ex fastu procedit odium, & ex odio ira & vindicta contra illos qui non similiter credunt: per Unionem mysticam, quæ etiam Unio hypostatica vocatur, intelliguntur figmenta illorum de influxu & operatione Divinitatis in Humanitatem Domini sicut in alium; non scientes quod Deus & Homo, seu Divinum & Humanum in Domino, non sint duo sed una persona, unita sicut Anima & Corpus, secundum Doctrinam in toto Christiano Orbe receptam, quæ ab Athanasio nomen habet; sed figmenta Unionis mysticæ illorum non adducere vacat, quia sunt absona. Quod per semen Mulieris

hic intelligantur qui a Nova Ecclesia, & in ejus doctrinæ veris sunt, constare potest ex significatione seminis in sequentibus locis „ *Notum fiet in gentibus* SEMEN EORUM, *& prognati eorum in medio populorum, omnes videntes agnoscent eos, quod illi sint* SEMEN *cui benedixit Jehovah*, Esaj. LXI: 9. SEMEN *benedictorum Jehovæ illi*, Esaj. LXV: 23. *Quemadmodum Cœli novi & Terra nova quæ facturus sum, stabunt coram Me, sic stabit* SEMEN VESTRUM, Esaj. LXVI: 22. SEMEN *quod serviet Ipsi, numerabitur Domino in generationem*, Psalm. XXII: 31. *Inimicitiam ponam inter te & mulierem, & inter* SEMEN TUUM *& inter* SEMEN MULIERIS, Gen. III: 15. *Num unus quærit* SEMEN DEI, Malach. II: 35. *Ecce dies venient, quibus* SEMINABO *domum Israelis & domum Jehudæ* SEMINE *hominis*, Jerem. XXXI: 27. *Si posuerit reatum animam suam, videbit* SEMEN, Esaj. LIII: 10. *Ne timete, quia Ego tecum, ab oriente adducam* SEMEN TUUM, Esaj. XLIII: 5. 6. *Ad dextram & sinistram erumpes, &* SEMEN *tuum gentes hæreditabit*, Esaj. LIV: 3. *Ego plantaveram te vitem nobilem*, SEMEN VERITATIS, *quomodo conversa es Mihi in palmites vitæ alienæ*, Jerem. II: 21. *Fructum eorum de terra perdam, &* SEMEN *eorum de filiis hominis*, Psalm. XXI: 11. SEMEN *sunt filii Regni*, Matth. XIII: 38. Simile significatur per SEMEN ISRAELIS, quia Israel est Ecclesia, Esaj. XLI: 8. 9. Cap. XLIV: 3. Jerem. XXIII: 8. Cap. XXXI: 35. 36: simile etiam per SEMEN DAVIDIS, quia David est Dominus, Jerem. XXX: 10 Cap. XXXIII: 22. 25. 26. Psalm. LXXXIX: 4. 5. 30. Simile etiam per SEMEN AGRI, quia ager significat Ecclesiam, multis in locis. Oppositum autem significatur per SEMEN MALORUM, Esaj. I: 4. Cap. XIV: 20. Cap. LVII: 3. 4: perque SEMEN SERPENTIS, Gen. III: 15.

565½. *Et steti super arena maris, significat statum ejus spiritualem naturalem nunc qualis est illis qui in Primo seu Ultimo Cœlo sunt.* Per arenam maris ille status significatur, quia per Mare significatur Externum Ecclesiæ; hic status vocatur spiritualis naturalis, qualis est illis qui in Primo seu Ultimo Cœlo sunt: prius fuerat supra in Cœlo, ubi vidit Draconem, pugnam ejus cum Michaele, quod dejiceretur, & quod persequeretur Mulierem; at nunc cum draco dejectus est, & continuatur de illo in sequentibus, Johannes in spiritu demissus est, ob causam ut videret plura de dracone infra Cœlos, & describeret illa; in quo statu vidit binas Bestias unam e Mari & alteram e Terra ascendentem, quas non videre potuit e Cœlo, quoniam non conceditur alicui Angelo e Cœlo in inferiora spectare, sed si lubet, licet descendere. Sciendum est, quod in Mundo Spirituali locus correspondeat statui, non enim quisquam potest alibi esse, quam ubi status vitæ ejus est, & quia Johannes nunc stetit super arena maris, sequitur quod status ejus nunc spiritualis naturalis esset.



566. His adjiciam hæc MEMORABILIA: Exorta est lis inter Spiritus, num quisquam possit videre aliquod Verum doctrinale Theologicum in Verbo, nisi a Domino; in eo convenerunt omnes, quod nemo possit nisi a Deo, quia *non potest homo sumere quicquam, nisi sit datum illi e Cœlo*, Joh. III: 27; quapropter

propter litebatur, num aliquis possit, nisi adeat immediate Dominum; dixerunt ab una parte quod Dominus directe adeundus sit quia est Verbum, ab altera parte quod etiam videatur Verum doctrinale cum Deus Pater immediate aditur; quare declinabat lis in hoc primum, num alicui Christiano liceat Deum Patrem immediate adire, & sic scandere supra Dominum, & annon hoc sit insolentia & audacia indecens & temeraria, quia Dominus dicit, quod *Nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum*, Joh. XIV: 6: sed hoc reliquerunt, & dixerunt, quod homo possit videre verum doctrinale in Verbo a suomet lumine naturali, sed hoc rejectum est: quare institerunt, quod videri possit ab illis qui ad Deum Patrem orant; quare lectum est coram illis aliquid ex Verbo, & tunc orabant super genubus, ut Deus Pater illustraret illos, & ad verba quæ lecta coram illis ex Verbo, dicebant quod hoc & illud esset verum ibi, sed erat falsum; ita aliquoties usque ad tædium; tandem fassi sunt quod non possint; at ab altera parte, qui immediate adiverunt Dominum, videbant vera, & informabant illos. Post hanc litem ita diremtam ascenderunt aliqui ex abysso, qui apparuerunt primum sicut locustæ, sed postea sicut homines, erant qui in Mundo oraverunt ad Patrem, & justificationem per solam fidem apud se confirmaverunt, & dicebant, quod videant id quod homo justificetur per solam fidem absque operibus legis in clara luce, & quoque ex Verbo; interrogati sunt, per quam fidem, responderunt in Deum Patrem; sed postquam explorati sunt, dictum est illis e Cælo, quod ne quidem unum Verum doctrinale ex Verbo sciant; at regesserunt, quod usque videant id in luce, tunc dictum est illis quod videant id in luce fatua; quæsiverunt quid est lux fatua, informati sunt quod lux fatua sit lux confirmationis falsi, & quod illa lux correspondeat luci in qua sunt noctuæ & vespertiliones, quibus tenebræ sunt lux, & lux sunt tenebræ; hoc confirmabatur per id, quod cum spectabant sursum ad Cælum, ubi ipsa lux, viderent tenebras, & cum spectabant deorsum ad abyssum, unde erant, viderent lucem; ex hac confirmatione indignati dixerunt, quod sic Lux & Tenebræ non sint aliquid, sed modo status oculi, ex quo dicitur quod lux sit lux & quod tenebræ sint tenebræ: at ostensum est, quod Lux fatua, quæ est Lux confirmationis falsi, illis esset, & quod lux eorum modo esset activitas mentis eorum oriunda ex igne concupiscentiarum, non absimilis luci felum, quorum oculi ex ardente appetitu glirium in cellariis nocturno tempore apparent sicut candelæ: his auditis, irati dixerunt, quod non sint feles, nec sicut feles, quia possunt videre si volunt; sed quia timebant interrogationem cur non volunt, recesserunt, & demiserunt se in abyssum suum & in lucem suam: vocantur etiam qui ibi sunt, & qui similes illis, Noctuæ & Vespertiliones.

Dum illi venerunt ad suos in abysso, & narraverunt quod Angeli dixerint, quod nos non sciamus ullum verum doctrinale, ne quidem unum, & quod ideo appellaverint nos vespertiliones & noctuas, factus ibi est tumultus, & dicebant, oremus ad Dominum, ut liceat ascendere, & clare demonstrabimus, quod nobis sint multa vera doctrinalia, quæ ipsi archangeli agnoscent,

&

& quia orabant ad Dominum, data eſt venia, & aſcenderunt uſque ad trecentos, & viſi ſupra terram dixerunt, nos fuimus in Mundo celebres & famigerati, quia novimus & docuimus arcana juſtificationis per ſolam fidem, & ex confirmationibus non modo vidimus lucem, ſed etiam ſicut jubar coruſcans, & ſimiliter nunc in noſtris cellis; & tamen audivimus ex ſociis noſtris, qui apud vos fuerunt, quod lux illa non eſſet lux ſed tenebræ, ex cauſa, quia non habemus, ut dixiſtis, ullum verum doctrinale ex Verbo; ſcimus quod omne verum Verbi luceat, & credidimus, quod inde ſit coruſcatio noſtra, dum arcana noſtra profunde meditati ſumus; quare demonſtrabimus, quod vera ex Verbo nobis ſint in multa copia; & dixerunt; annon hoc verum nobis eſt; quod Trinitas ſit, Deus Pater, Deus Filius & Deus Spiritus ſanctus, & quod in Trinitatem credendum ſit; annon hoc verum nobis eſt, quod Chriſtus ſit noſter Redemptor & Salvator: annon hoc verum nobis eſt, quod Chriſtus Solus ſit Juſtitia, & quod Ipſi Soli ſit Meritum; & quod injuſtus & impius ſit, qui ſibi aliquid meriti & juſtitiæ Ipſius vult addicare: annon hoc verum nobis eſt, quod nemo mortalium aliquod bonum ſpirituale poſſit facere a ſeipſo, ſed quod omne bonum quod in ſe bonum eſt, ſit a Deo: annon hoc verum nobis eſt, quod detur bonum meritorium & quoque hypocriticum, & quod illa bona ſint mala: annon hoc verum nobis eſt, quod homo ex propriis viribus ne hilum poſſit conferre ad ſuam ſalutem; annon hoc verum nobis eſt, quod uſque opera charitatis facienda ſint: annon hoc verum nobis eſt, quod fides ſit, & quod credendum ſit, & quod cuivis, ſicut credit, vitam habeat; præter plura alia ex Verbo; quis veſtrum poteſt negare aliquod ex illis, & tamen dixiſtis, quod nobis in noſtris palæſtris non ſit aliquod verum, ne quidem unum, annon nobis ingratiis talia objeciſtis. Sed tunc reſponſum tulerunt, omnia illa quæ attuliſtis, in ſe ſunt vera, ſed vos falſificaviſtis illa, applicando illa ad confirmandum falſum principium, & inde ſunt apud vos & in vobis vera falſificata, quæ ex principio falſo trahunt quod ſint falſa: quod ita ſit etiam demonſtrabimus ad oculum: eſt non procul abhinc locus, in quem lux e Cælo immediate influit; eſt in medio ibi Menſa, dum ſuper illa aliqua Charta, cui Verum ex Verbo inſcriptum eſt, ponitur, Charta illa ex Vero inſcripto lucet ſicut ſtella; inſcribite ergo veſtra vera chartæ, & ponatur ſuper illa Menſa, & videbitis: fecerunt ita, & dederunt illam cuſtodi, qui poſuit illam ſuper Menſa, qui tunc dixit illis, removete vos & ſpectate ad Menſam; & removerunt ſe & ſpectabant, & ecce charta illa lucebat ſicut ſtella; & tunc dixit cuſtos, videtis quod vera ſint, quæ vos chartæ inſcripſiſtis: ſed accedite propius, ac intuitum veſtrum figite in charta, & fecerunt ita, & ſubito tunc lux diſparata eſt, & charta facta eſt nigra, ſicut fuligine fornacis inducta; & porro dixit cuſtos, tangite chartam manibus veſtris, ſed cavete ne tangatis ſcripturam; & cum fecerunt ita, flamma erupit & conſumſit. His viſis aufugerunt; & dicebatur illis, ſi tetigiſſetis ſcripturas, audiviſſetis ſtrepitus, & combuſſiſſetis digitos veſtros; & tunc dictum eſt ab adſtantibus a tergo, vidiſtis nunc quod veritates, quibus abuſi eſtis ad confirmandum juſtificationis veſtræ arcana, ſint veritates in ſe, ſed quod ſint veritates fal-

Quisque / vid. V.C.R. n. 162.

falsificatæ in vobis: illi tunc suspexerunt, & apparuit illis Cælum sicut sanguis; & postea sicut caligo; & ipsi visi sunt coram oculis spirituum angelicorum quidam sicut vespertiliones, quidam sicut noctuæ, quidam sicut talpæ, & quidam sicut bubones, ac aufugerunt in tenebras suas, quæ coram oculis illorum fatue lucebant.

Spiritus angelici, qui aderant, mirati sunt, quia de loco illo & de mensa ibi non aliquid prius sciverunt; & tunc vox ad illos e meridionali plaga venit, dicens, accedite huc, & videbitis adhuc mirabilius; & accesserunt, & intraverunt in Cameram, cujus parietes fulgebant sicut ex auro, & viderunt ibi quoque Mensam, super qua jacuit Verbum, circumcinctum lapidibus pretiosis in forma cælesti; & dixit Angelus custos, dum aperitur Verbum, emicat inde lux candoris ineffabilis, & tunc simul ex lapidibus pretiosis apparet iris supra & circum Verbum; quando aliquis Angelus e Cælo tertio illuc venit & spectat Verbum apertum, apparet supra & circum Verbum iris diversicolor in plano rubro; dum Angelus e cælo secundo illuc venit, & spectat, apparet iris in plano cæruleo; dum Angelus ex ultimo Cælo, venit & spectat, apparet iris in plano candido; dum aliquis spiritus bonus venit & spectat, apparet variegatio lucis sicut marmoris: quod ita sit, etiam ad oculum illis ostensum est. Porro dixit Angelus custos, si quis accedit qui falsificaverat Verbum, tunc primum dissipatur splendor, & si appropinquat, & figit oculos in Verbo, fit sicut sanguis circum, & tunc monetur ut discedat, quia periculum est. At quidam, qui in Mundo fuerat Autor Antesignanus doctrinæ de sola fide, audacter accessit, & dixit, ego dum fui in Mundo, non falsificavi Verbum; exaltavi una cum fide etiam charitatem, & docui quod homo in statu fidei, in quo facit charitatem & ejus opera, renovetur, regeneretur & sanctificetur; tum quod fides tunc non detur solitaria, hoc est, absque bonis operibus, sicut non arbor absque fructu, sol absque luce, & ignis absque calore; & quoque culpavi illos, qui dixerunt quod bona opera non essent necessaria, ac insuper quod præcepta decalogi, & quoque pænitentiam, magnifecerim; & quod sic mirabili modo omnia Verbi applicuerim Articulo de fide, quam usque solam salvificam esse detexi & demonstravi; ille in fiducia assertionis suæ, quod non falsificaverit Verbum, accessit ad Mensam, & contra monitum Angeli tetigit Verbum; at tunc subito effluxit ignis cum fumo ex Verbo, & facta est explosio cum ingenti fragore, ex quo ille conjectus est ad angulum Cameræ, & ibi jacuit per horulam sicut mortuus. Hoc mirati sunt spiritus angelici, sed dictum est illis, quod ille Præsul præ reliquis exaltaverit bona charitatis sicut procedentia ex fide, sed quod usque non intellexerit alia opera quam politica, quæ etiam vocantur moralia & civilia, quæ propter mundum & prosperitatem ibi facienda sunt, non autem aliqua opera quæ facienda sunt propter Deum & salutem; tum quod etiam supposuerit opera inconspicua a spiritu Sancto, de quibus homo nihil scit, quæ ingenerantur actui fidei in statu ejus.

Tunc loquuti sunt Spiritus angelici inter se de falsificatione Verbi, & in eo convenerunt, quod falsificare Verbum, sit desumere ex illo vera, & appli-

plicare illa ad confirmandum falsa, quod est extrahere illa ex Verbo extra illud, & occidere: ut pro exemplo; qui desumit inde hoc verum, quod proximus amandus sit, & quod bonum illi ex amore faciendum sit propter Deum & vitam æternam, si tunc quis confirmat illud quod faciendum sit, sed non salutis causa, quia omne bonum ab homine non est bonum, ille trahit id verum ex Verbo extra Verbum, & trucidat illud; quoniam Dominus in Verbo suo injungit cuivis homini, qui salvari vult, facere bonum proximo sicut a se; & tamen credere quod sit a Domino.



CAPUT

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

1. ET vidi ex Mari Bestiam ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornubus suis decem diademata, & super capitibus suis nomen blasphemiæ.

2. Et Bestia, quam vidi, erat similis pardo, & pedes ejus sicut ursi, & os ejus sicut os leonis; & dedit illi draco virtutem suam, & thronum suum, & potestatem magnam.

3. Et vidi unum capitum ejus sicut sauciatum in mortem, & plaga mortis ejus sanata est; & admirata est tota Terra post bestiam.

4. Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adoraverunt bestiam, dicentes, quis similis est bestiæ, quis potest pugnare cum ea.

5. Et datum ei os loquens magna & blasphemias, & data ei potestas faciendi menses quadraginta duos.

6. Et aperuit os suum in blasphemiam adversus Deum, blasphemare Nomen Ipsius, & Tabernaculum Ipsius, & eos in Cælo habitantes.

7. Et datum ei bellum facere cum sanctis, & vincere illos; & data ei potestas super omnem tribum & linguam & gentem.

8. Et adorabunt eam omnes habitantes super terra, quorum non scripta nomina in Libro vitæ Agni, occisi a fundatione mundi.

9. Si quis habet aurem audiat.

10. Si quis captivitatem duxerit, in captivitatem abibit; si quis machæra occiderit, oportet eum machæra occidi: hic est patientia & fides sanctorum.

11. Et vidi aliam Bestiam ascendentem e Terra, & habebat cornua duo similia Agno, & loquebatur sicut draco.

12. Et potestatem prioris bestiæ omnem facit coram illo, & facit ut terra & habitantes in illa adorent bestiam priorem, cujus sanata est plaga mortis ejus.

13. Et facit signa magna, ut & ignem faciat descendere e Cælo in terram coram hominibus.

14. Et seducat habitantes super terra, propter signa quæ data ei facere coram bestia, dicens habitantibus super terra facere imaginem bestiæ, quæ habet plagam machæræ & vixit.

15. Et datum ei dare spiritum imagini bestiæ, ut & loquatur

imago beſtiæ, & faciat, ut quicunque non adorant imaginem beſtiæ, occidantur.

16. Et facit omnes parvos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & ſervos, ut det illis characterem ſuper manu eorum dextra & ſuper frontibus eorum.

17. Et ut meno poſſit emere aut vendere, ſi non habet characterem aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus.

18. Hic ſapientia eſt; habens intelligentiam computet numerum beſtiæ, numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenta ſexaginta ſex.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Continuatur in hoc Capite de dracone, & deſcribitur doctrina & fides, quæ per illum intelligitur; qualis illa eſt apud Laicos, & poſtea qualis apud Clericos; per Beſtiam ex Mari aſcendentem deſcribitur doctrina & fides illa apud Laicos, a Verſ. 1 ad 10; & per Beſtiam e terra, illa apud Clericos, Verſ. 11 ad 17: tum de falſificatione veri Verbi ab his, Verſ. 18.

Contenta singulorum Versuum. Et vidi ex mari Beſtiam aſcendentem, *ſignificat* Laicos in Eccleſiis Reformatorum, qui in doctrina & fide draconis ſunt de Deo & de Salvatione: habentem capita ſeptem, *ſign:* inſaniam ex meris falſis: & cornua decem, *ſign:* potentiam multam: & ſuper cornubus ſuis decem diademata, *ſignificat* potentiam falſificandi multa vera Verbi: & ſuper capitibus ſuis nomen blaſphemiæ, *ſign:* negationem Divini Humani Domini, & doctrinam Eccleſiæ non ex Verbo, ſed ex propria intelligentia excluſam: & beſtia quam vidi, ſimilis pardo, *ſign:* hæreſin deſtructivam Eccleſiæ, quia ex veris Verbi falſificatis: & pedes ejus ſicut urſi, *ſign:* plenam fallaciis ex ſenſu literæ Verbi lecto ſed non intellecto: & os ejus ſicut os leonis, *ſign:* ratiocinationes ex falſis ſicut ex veris: & dedit illi draco virtutem ſuam, & thronum ſuum, & poteſtatem magnam, *ſign:* quod hæreticum illud per receptionem a Laicis valeat & regnet: & vidi unum capitum ejus ſicut ſauciatum in mortem, *ſing:* quod doctrina de ſola fide non concordet cum Verbo, ubi toties opera mandantur: & plaga mortis ejus ſanata eſt, *ſign:* medelam ejus de qua: & admirata tota terra poſt beſtiam, *ſign:* quod tunc doctrina & fides illa cum gaudio recepta ſit: & adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, *ſign:* agnitionem quod ſit qualis eſt data ab anteſignanis & docentibus, qui fecerunt illam valere per receptionem a communi cætu: & adorave-

, et aperuit os suum in blasphemiam adversus Deum et Nomen Ipsius, significat illorum, quae sunt scandala, contra Ipsum Divinum et Divinum Humanum Domini, et simul contra omne Ecclesiae ex Verbo, per quod Dominus colitur, n. 584.

raverunt beſtiam, *ſign:* agnitionem a communi cætu, quod ſancta veritas ſit: dicentes, quis ſimilis beſtiæ, quis poteſt pugnare cum ea, *ſign:* excellentiam illius doctrinæ, quia a nemine contradici poteſt: & datum ei os loquens magna & blaſphemias, *ſign:* quod doceat mala & falſa: & data ei poteſtas faciendi menſes quadraginta duos, *ſign:* copiam docendi & faciendi mala & falſa doctrinæ iſtius uſque ad finem illius Eccleſiæ, dum principium Novæ: & Tabernaculum Ipſius & eos in Cælo habitantes, *ſign:* ſcandala contra Eccleſiam cæleſtem Domini & contra Cælum: & datum ei bellum facere cum ſanctis & vincere illos, *ſign:* quod impugnaverint Divina vera Verbi & proſtraverint illa: & data ei poteſtas ſuper omnem tribum & linguam & gentem, *ſign:* ſic dominium ſuper omnia Eccleſiæ, tam quæ ejus doctrinæ quam quæ ejus vitæ ſunt: & adorabant eam omnes habitantes ſuper terra quorum non ſcripta nomina in Libro vitæ Agni, *ſign:* quod omnes hæreticum illud pro ſancto Eccleſiæ agnoverint, præter illos qui crediderunt in Dominum: occiſi a fundatione Mundi, *ſign:* Divinum Humanum Domini non agnitum ab inſtauratione Eccleſiæ: ſi quis habet aurem audiat, *ſign:* quod ad hæc attendant qui volunt ſapere: ſi quis captivitatem duxerit in captivitatem abibit, *ſign:* quod qui per hæreticum illud alios a bene credendo & a bene vivendo abducit, a ſuiſmet falſis & malis in infernum abducatur: ſi quis machæra occiderit, oportet eum machæra occidi, *ſign:* quod qui per falſa deſtruit animam alterius, per falſa deſtruatur & pereat: & vidi aliam beſtiam aſcendentem e terra, *ſign:* Clericos qui in doctrina & fide draconis ſunt de Deo & Salvatione: & habebat duo cornua ſimilia Agno, & loquebatur ſicut draco, *ſign:* quod loquantur, doceant & ſcribant ex Verbo, ſicut Divinum Verum Domini foret, & tamen eſt verum falſificatum: & poteſtatem prioris beſtiæ omnem fecit coram illo, ſignificat quod confirmaverint dogmata, & quod per id valeant: & facit ut terra & habitantes in illa adorent beſtiam priorem cujus ſanata eſt plaga mortis ejus, *ſign:* quod conſtabilitum ſit ex confirmationibus quod pro ſancto Eccleſiæ agnoſceretur, quod a communi cætu receptum eſt: & facit ſigna magna, *ſign:* teſtificationes quod vera ſint quæ docent, tametſi ſunt falſa: ut [et] ignem faciat deſcendere e Cælo in terram coram hominibus, *ſign:* conteſtationes quod falſa illorum ſint vera: ut ſeducat habitantes ſuper terra propter ſigna quæ data ei facere coram beſtia, *ſign:* quod per teſtificationes & conteſtationes inducant homines Eccleſiæ in errores: dicens habitantibus ſuper terra facere imaginem beſtiæ, quæ habet plagam machæræ & vixit, *ſign:* quod adducant homines Eccleſiæ pro doctrina recipere, quod fides ſit unicum medium ſalutis, propter cauſam de qua: & datum ei dare ſpiritum imagini beſtiæ, ut & loquatur imago beſtiæ, *ſign:* quod permiſſum ſit illis confirmare doctrinam illam per Verbum, ex quo ſicut vivificata docetur: & faciat ut quicunque non adorant imaginem beſtiæ, occidantur, *ſign:* quod pronuntient damnationem ſuper illos qui non doctrinam fidei illorum pro ſancta doctrina Eccleſiæ agnoſcunt: & facit omnes parvos & magnos & divites & pauperes & liberos & ſervos, *ſign:* omnes in illa Eccleſia ex quacunque conditione, eruditione & intelligentia ſunt: ut det illis characterem ſuper manu eorum dextra & ſuper fron-

[hic est patientia et fides sanctorum, significat quod homo Ecclesiae Domini per tentationes ab illis exploretur qualis est quoad vitam et quoad fidem, n. 593.]

frontibus eorum, *sign:* quod nemo pro Christiano Reformato agnoscatur nisi qui fide & amore recipit doctrinam illam: & ut nemo possit emere aut vendere, si non habet characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus, *sign:* quod nemini liceat ex Verbo docere, nisi qui agnoscit illam, ac jurat in fidem & amorem ejus, aut in tale quod ei conforme est: hic sapientia est, *sign:* quod sapientis sit ex illis quæ in hoc Capite dicta & explicata sunt, videre & intelligere, qualis est doctrina & fides de Deo & de Salvatione apud Clericos: habens intelligentiam computet numerum bestiæ, *sign:* quod qui in illustratione a Domino est, cognoscere possit quale confirmationum istius doctrinæ & fidei ex Verbo apud illos: numerus enim hominis est, *sign:* quale Verbi & inde Ecclesiæ: numerus ejus sexcenta sexaginta sex, *sign:* quale hoc, quod ab illis omne verum Verbi falsificatum sit.

EXPLICATIO.

567. *Et vidi ex Mari Bestiam ascendentem, significat Laicos in Ecclesiis Reformatorum, qui in doctrina & fide draconis sunt de Deo & de Salvatione.* Quid & qualis fides draconis, videatur, n. 537; de eadem fide continuatur in hoc Capite; & per hanc Bestiam, quæ visa est ascendere ex Mari, intelligitur illa fides apud Laicos, at per Bestiam ex terra, de qua Vers. 11, intelligitur illa fides apud Clericos. Quod continuetur hic de Dracone, patet ex his in hoc Capite, *Quod Draco dederit Bestiæ ascendenti ex mari virtutem suam, & thronum, & potestatem magnam*, Vers. 2; *& quod adoraverint Draconem, qui dedit potestatem bestiæ*, Vers. 4. *Et de Bestia ex Terra, quod illa loquuta sit sicut Draco*, Vers. 11: *& quod potestatem prioris Bestiæ omnem fecerit coram Dracone*, Vers. 12. Quod sint Laici qui per Bestiam ex mari intelliguntur, & Clerici qui per Bestiam ex terra, est quia per Mare significatur Externum Ecclesiæ, ac per Terram Internum ejus, n. 398, & alibi, ac in externis doctrinæ Ecclesiæ sunt Laici, & in internis ejus sunt Clerici, quare etiam Bestia ex terra in sequentibus vocatur Pseudopropheta. Quod sint qui in Ecclesiis Reformatorum, est quia de Reformatis agitur usque ad Cap. XVI inclusive, & de Romano Catholicis Cap. XVII & XVIII; & postea de Ultimo Judicio, & demum de Nova Ecclesia. Quod visi sint ut Bestiæ, est quia Draco est Bestia, & quia Bestia in Verbo significat hominem quoad ejus affectiones, bestiæ innocuæ & utiles illum quoad affectiones bonas, ac bestiæ noxiæ & inutiles illum quoad affectiones malas; quare homines Ecclesiæ in genere dicuntur oves, ac Cœtus ex illis Grex, & docens vocatur Pastor: inde etiam est quod Verbum quoad ejus potentiam, affectionem, intellectum & sapientiam, supra describatur per quatuor Animalia, quæ erant Leo, Vitulus, Aquila & Homo, Cap. IV; & Homo, Cap. IV; & quod Intellectus Verbi per Equos, Cap. VI: causa est, quia affectiones hominis in Mundo spirituali e longinquo apparent sicut Bestiæ, ut prius sæpius dictum est; ac bestiæ in se spectatæ non sunt nisi quam formæ affectionum naturalium, homines autem non solum sunt formæ affectionum natura-

X tura-

turalium, sed etiam simul spiritualium. Quod homines quoad affectiones intelligantur per Bestias, constare potest ex his locis, *Pluviam benevolentiarum stillare facias, hæreditatem tuam laborantem confirmabis*, BESTIA (CŒTUS TUUS) *habitabunt in ea*, Psalm. LXVIII: 10. 11. *Mihi omnis* FERA SYLVÆ, BESTIÆ *in montibus millium, novi omnem* AVEM MONTIUM, BESTIA AGRORUM *meorum Mecum*, Psalm. L: 10. 11. *Aschur cedrus in Libano, alta facta est altitudo ejus, in ramis ejus nidificarunt omnes* AVES CÆLORUM, & *sub ramis ejus pepererunt omnes* BESTIÆ AGRI; & *in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnæ*, Ezech. XXXI: 3 ad 6. 10. 13. Dan. IV: 7 ad 13. *Feriam illis fœdus in die illo cum* BESTIA AGRI, & *cum* AVE CÆLORUM, & *desponsabo te Mihi in æternum*, Hosch. II: 8. 9. *Gaude & lætare, ne timete* BESTIÆ AGRORUM *meorum, quia herbosa facta sunt habitacula deserti*, Joel II: 21. 22. 23. *In die illo erit magna tumultuatio, Jehudah pugnabit contra Hierosolymam; & erit plaga* EQUI, MULI, CAMELI, & *omnis* BESTIÆ; *deinde omnis residuus ascendet Hierosolymam*, Sach. XIV: 13. 14. 15. 16. *Abominabuntur eum* AVIS, & *omnis* BESTIA TERRÆ *eum contemnet*, Esaj. XVIII: 6. *Tu, fili hominis, dic* AVI OMNIS ALÆ, & *omni* BESTIÆ AGRI, *congregamini ad sacrificium meum super montibus Israelis; sic dabo gloriam meam inter gentes*, Ezech. XXXIX: 17 ad 21. *Jehovah congregat expulsos Israelis, omnis* BESTIA AGRORUM *meorum venite*, Esaj. LVI: 8. 9. *Jehovah perdet Aschurem, requiescet in medio ejus omnis* FERA GENTIS, *tam* PLATEA *quam* ANATARIA *in malogranatis ejus*, Zeph. II: 13. 14. OVES *dispersæ sunt sine Pastore, & in cibum omni* FERÆ AGRI, Ezech. XXXIV: 5. 8. *Super facies agri projiciam te, & habitare faciam super te omnem* AVEM CÆLORUM, & *satiabo ex te* FERAM *omnis terræ*; Ezech. XXXII: 4: tum, Cap. V: 17. Cap. XXIX: 5. Cap. XXXIII: 27. Cap. XXXIX: 4. Jerem. XV: 3. Cap. XVI: 4. Cap. XIX: 7. Cap. XXIV: 5. 8. *Hostis opprobrio afficit Jehovam; ne des* BESTIÆ *animam turturis*; Psalm. LXXIV: 18. 19. *Vidi in Visione quatuor* BESTIAS *ascendentes ex Mari, prima erat sicut* LEO *cui alæ aquilæ, altera similis* URSO, *tertia sicut* PARDUS, & *quarta terribilis*, Dan. VII: 3. 4. 5. *Spiritus Jesum impellens fecit exire in desertum, & erat cum* BESTIIS, & *Angeli ministrabant Ipsi*, Marc. I: 12. 13; non erat cum bestiis, sed cum diabolis, qui hic per bestias intelliguntur; præter aliis in locis, ubi bestiæ & feræ nominantur, ut Esaj. XXXV: 9. Cap. XLIII: 20. Jerem. XII: 4. 8. 9. 10. Ezech. VIII: 10. Cap. XXXIV: 23. 25. 28. Cap. XXXVIII: 18. 19. 20. Hosch. IV: 2. 3. Cap. XIII: 8. Joel I: 16. 18. 20. Habak. II: 17. Dan. II: 37. 38. Psalm. VIII: 7. 8. 9. Psalm. LXXX: 14. Psalm. CIV: 10. 11. 14. 20. 25. Psalm. CXLVIII: 7. 10. Exod. XXIII: 28. 29. 30. Levit. XXVI: 6. Deutr. VII: 27. Cap. XXII: 24; in illis locis per bestias significantur homines quoad affectiones. Per HOMINEM & BESTIAM simul significatur homo quoad affectionem spiritualem & quoad affectionem naturalem, in sequentibus locis, Jerem. VII: 20. Cap. XXI: 6. Cap. XXVII: 5. Cap. XXXI: 27. Cap. XXXII: 43. Cap. XXXIII: 10. 11. 12. Cap. XXXVIII: 14. Cap. L: 3. Ezech. XIV: 13. 17. 19. Cap. XXV: 13. Cap. XXXII: 13. Cap. XXXVI: 11. Zeph. I: 2. 3. Sach. II: 7. 8. Cap. VIII: 9. 10. Jon. III: 7. 8. Psalm. XXXVI: 7. Num. XVIII: 15. Per omnes Bestias,

ſtias, quæ ſacrificabantur, ſignificatæ ſunt affectiones bonæ; ſimiliter per Beſtias quæ comedebantur; & viciſſim, per Beſtias quæ non comedendæ erant, Levit. XX: 25. 26.

568. *Habentem capita ſeptem, ſignificat inſaniam ex meris falſis*, ſimiliter ac per ſeptem capita draconis, n. 538.

569. *Et cornua decem, ſignificat potentiam multam*, ſimile quod per cornua draconis, quæ etiam erant decem, n. 539.

570. *Et ſuper cornubus ſuis decem diademata, ſignificat potentiam falſificandi multa vera Verbi.* Per cornua ſignificatur potentia, n. 539; per decem ſignificatur multum, n. 101; & per diademata ſignificantur vera Verbi falſificata, n. 540; inde, per ſuper cornubus ſuis decem diademata, ſignificatur habere in potentia falſificare multa vera Verbi: de dracone dicitur quod ſuper capitibus ſuis haberet ſeptem diademata, de hac autem ejus beſtia, quod ſuper cornubus ſuis haberet decem diademata, cauſa eſt quia hic ſignificatur potentia falſificandi multa vera Verbi, ibi autem falſificatio omnium; Laici enim poſſunt, ſed non faciunt; illi enim qui in falſis ſunt & in fide illorum, contra vera ſunt, quare dum vident vera in Verbo, falſificant illa.

571. *Et ſuper capitibus ſuis nomen blaſphemiæ, ſignificat negationem Divini Humani Domini & doctrinam Eccleſiæ non ex Verbo, ſed ex propria intelligentia, excluſam.* Per ſeptem capita, ſignificatur inſania ex meris falſis, ut ſupra n. 568; & hæc inſania loquitur blaſphemiam, dum negat Divinum Domini in Humano Ipſius; & quoque dum doctrinam Eccleſiæ non ex Verbo deſumit, ſed illam ex propria intelligentia excludit. Quod Primum attinet, quod blaſphemia ſit negare Divinum Domini in Humano Ipſius, eſt quia ille qui negat, eſt contra fidem in univerſo Chriſtiano orbe receptam, quæ Athanaſiana vocatur, ubi manifeſte dicitur, quod in Jeſu Chriſto Deus & Homo, hoc eſt, Divinum & Humanum, non ſint duo, ſed unum, & quod ſint una Perſona, unita ut anima & corpus; quare qui negant Divinum in Humano Ipſius, non procul ſunt a Socinianis & Arrianis, nimirum tunc, quando de Solo Humano Domini ſicut de humano alterius hominis, & prorſus nihil tunc de Divino Ipſius ab æterno, cogitant. Quod Alterum attinet, quod ſit blaſphemia doctrinam Eccleſiæ non ex Verbo deſumere, ſed illam ex propria intelligentia excludere, eſt quia Eccleſia eſt ex Verbo, & talis eſt qualis ei intellectus Verbi, videatur Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sacra, n. 76 ad 79; & Doctrina quod ſola fides, hoc eſt, fides abſque operibus legis juſtificet & ſalvet, non eſt ex Verbo, ſed ex unico dicto Pauli Rom. III: 28, falſe intellecto, videatur n. 417; & omne falſum doctrinæ non aliunde originem ducit, quam ex propria intelligentia; quid enim univerſalius in Verbo docetur, quam fugere malum & facere bonum, & quid ibi exſtantius, quam quod Deus amandus ſit, & quod proximus; & quis non videt, quod nemo amare proximum poſſit, niſi vivat ſecundum opera Legis, & qui non amat proximum nec amat Deum, nam in amore proximi Dominus ſe cum homine & homo ſe cum Domino conjungit, hoc eſt, Dominus & homo in illo amore ſimul ſunt; & quid eſt amare proximum, quam non facere ei malum ſecundum

dum præcepta decalogi, Rom. XIII: 8. 9. 10. 11; & quantum homo non vult facere proximo malum, tantum vult ei facere bonum; ex his patet, quod blasphemia sit, opera hujus legis excludere a salvatione, ut faciunt qui solam fidem, quæ est fides separata a bonis operibus, unice salvificam faciunt. Per blasphemiam, Matth. XII: 31. 32. Apoc. XVII: 3. Esaj. XXXVII: 6. 7. 23 24, intelligitur negare Divinum Domini, ut faciunt Sociniani, & negare Verbum; nam qui ita negant Divinum Domini, non potest intrare Cælum, Divinum enim Domini est omne in omnibus Cæli; & qui negat Verbum, is negat omnia religionis

572. *Et bestia quam vidi, similis Pardo, significat hæresin destructivam Ecclesiæ, quia ex veris Verbi falsificatis.* Per bestias in genere significantur homines quoad affectiones, n. 567; & per Pardum significatur affectio seu cupiditas falsificandi vera Verbi; & quia bestia ferox est, & trucidat animalia innocua, significatur etiam hæresis destructiva Ecclesiæ. Quod vera Verbi falsificata per Pardum significentur, est ex maculis ejus nigris & albis, & per maculas nigras significantur falsa, & per album inter illas significatur verum; inde quia bestia ferox est & truculenta, per illam significantur vera Verbi falsificata, & sic destructa. Similia per Pardum significantur in sequentibus locis. *Num convertet Æthiops cutem suam, & PARDUS MACULAS SUAS, etiam vos potestis bonum facere, qui edocti estis malum facere,* Jerem. XIII: 23. *Percussit magnates Leo e Sylva, Lupus camporum devastabit eos, PARDUS VIGILANS CONTRA URBES EORUM, omnis qui exiverit, discerpetur, quia validæ factæ aversiones,* Jer. V: 6; pardus vigilans contra urbes, est contra vera doctrinæ, urbs est doctrina, n. 194. *Quia obliti sunt Mei, ideo factus sum illis sicut Leo, & sicut PARDUS SUPER VIA observabo,* Hosch. XIII: 6. 7, etiam via significat verum, n. 176. *Commorabitur lupus cum agno, & PARDUS cum hædo,* Esaj. XI: 6; agitur ibi de Regno Domini venturo, hædus est verum Ecclesiæ genuinum, pardus est id falsificatum. *Tertia Bestia e mari ascendens erat sicut PARDUS, cui alæ quatuor super tergo,* Dan. VII: 6; de quatuor Bestiis Danieli visis, videatur infra n 574.

573. *Et pedes ejus sicut ursi, significat plenam fallaciis ex sensu literæ Verbi lecto sed non intellecto.* Per pedes significatur naturale quod est ultimum, super quo hæresis illa, quæ per pardum intelligitur, subsistit & quasi ambulat, & hoc est sensus literæ Verbi, & per ursum significantur illi, qui Verbum legunt & non intelligunt, unde illis fallaciæ sunt; quod hi per ursos significentur, patuit mihi ex Ursis visis in Mundo spirituali, & ex quibusdam ibi indutis pelle ursina, qui omnes fuerunt, qui legerunt Verbum, & non aliquod verum doctrinale ibi viderunt, tum etiam qui confirmaverunt apparentias veri ibi, unde fallaciæ: apparent ibi ursi noxii, & ursi non noxii, & quoque albi, sed distinguuntur per capita, quæ non noxiis sunt, assimilantur capitibus vitulorum aut ovium. Per Ursos, tales aut talia significantur in sequentibus locis „ *Semitas meas evertit, URSUS insidians Mihi, Leo in latibulis, vias meas pervertit, posuit Me desolatum,* Thren. III: 8 ad 11. *Occuram illi sicut URSUS orbatus, & consumam ibi sicut immanis Leo, fera agri discindet illos,* Hosch. XIII: 7. 8. *Cubabit vitulus & leo*

juvenis, ac juvenca & Ursus pascent, Esaj. XI: 7. 6. *Bestia altera ascendens ex mari similis* Urso, *& tres costæ in ore inter dentes ejus*, Dan. VII: 5. Per Leonem et Ursum, *quos percussit David, apprehendens barbam ejus*, I Sam. XVII: 34 ad 37, simile significatur; pariter II Sam. XVII: 8. Quod in illis locis dicatur Leo & Ursus, est quia per Leonem significatur falsum destruens vera Verbi, & per ursum significantur fallaciæ, quæ etiam destruunt, sed non tantum, quare dicitur apud Amos „ *Dies Jehovæ, dies tenebrarum & non lucis, est sicut qui fugit* Leonem *incidit in* Ursum, V: 18. 19. Legitur in Libro II Regum, *Quod Elisæus illusus sit a pueris, & dictus Calvus, & quod ideo 42 pueri discerpti sint a duabus Ursis e Sylva*, II: 23. 24; hoc factum est, quia Elisæus repræsentabat Dominum quoad Verbum, n. 298; & quia Calvities significabat Verbum absque sensu literæ, ita non aliquid, n. 47; ac numerus quadraginta duo blasphemiam, n. 583; & ursæ significabant sensum literæ Verbi quidem lectum sed non intellectum.

574. *Et os ejus sicut os leonis, significat ratiocinia ex falsis sicut ex veris.* Per os significatur doctrina, prædicatio, & sermo, n. 453, hic ratiocinatio ex falsis doctrinæ, quia per caput, ubi os, significatur insania ex meris falsis, n. 568; per Leonem, significatur Divinum Verum in potentia, n. 241. 471, hic autem falsum in potentia apparens sicut verum per ratiocinia, n. 573; inde per os ejus sicut os leonis, significantur ratiocinia ex falsis sicut ex veris. Quod Pardus, Ursus & Leo talia significent, constare potest ex similibus Bestiis visis Danieli, de quibus ita „ *Quatuor Bestiæ magnæ ascenderunt e Mari*, Prima sicut Leo, *sed alæ aquilæ illi; videns fui donec evulsæ sunt alæ ejus, & sublata est e terra, & super pedes suos sicut homo erecta, & cor hominis datum ei.* Altera bestia similis Urso, *& ad latus unum erexit se; tres costæ in ore ejus inter dentes ejus; & dicebatur, surge, comede carnem multam.* Tertia Bestia sicut Pardus, *cui alæ quatuor, quales avibus, super tergo ejus, ut & quatuor Capita bestiæ, & dominium datum illi est.* Quarta bestia *terribilis & formidabilis & robusta valde, cui dentes ferri magni, comedit & contrivit, & reliquum pedibus suis conculcavit*, Dan. VII: 3 ad 7; per quatuor has Bestias describuntur successivi status Ecclesiæ, a primo ejus usque ad ultimum, usque dum quoad omne bonum & verum Verbi prorsus devastata est; post quod adventus Domini: per Leonem significatur Divinum Verum Verbi in Primo statu, & per id instauratio Ecclesiæ, quæ intelligitur per quod sublata sit e terra, & super pedes sicut homo erecta, & cor hominis datum ei. Per Ursum describitur alter status Ecclesiæ, qui est quod Verbum quidem legatur, sed non intelligatur; per tres costas inter dentes significantur apparentiæ & fallaciæ, & per carnem multam significatur sensus literæ Verbi in summa. Tertius status Ecclesiæ describitur per Pardum, per quem significatur Verbum quoad vera ejus falsificatum; per alas quatuor, quales avibus, super tergo, significantur confirmationes falsi. Quartus seu ultimus status Ecclesiæ describitur per Bestiam, quæ terribilis & formidabilis, per quam significatur destructio omnis veri & boni, quare dicitur quod contriverit & comederit, & reliquum pedibus conculcaverit; tandem describitur adventus Domini, & tunc illius Ecclesiæ destructio, & Novæ in-

stau-

ſtauratio, a Verſ. 9 ad fin. A Daniele viſæ ſunt quatuor illæ Beſtiæ ex Mari aſcendiſſe ſucceſſive, ſed a Johanne viſæ ſunt tres priores Beſtiæ in uno corpore unitæ, etiam ex Mari; cauſa eſt, quia apud Danielem per illas deſcribuntur ſucceſſivi ſtatus Eccleſiæ, at in Apocalypſi hic deſcribitur ſtatus ultimus, in quo ſunt omnes priores ſimul: & quia Beſtia hæc quoad corpus viſa eſt ſimilis Pardo, & quoad pedes ſicut Urſus, & quoad os ſicut Leo; per Pardum & Urſum utrobivis conſimilia ſignificantur; ſed per os ſicut Leonis ſignificantur ratiocinia ex falſis, quia ſequitur quod *Beſtia ex ore ſuo loquuta ſit blaſphemias*, Verſ. 5. 6, & per capita ejus ſignificatur inſania ex meris falſis.

575. *Et dedit illi draco virtutem ſuam & thronum ſuum, & poteſtatem magnam, ſignificat quod hæreticum illud per receptionem a Laicis valeat & regnet.* Per draconem ſignificatur hæreticum illud, de quo n. 537; per beſtiam hanc ſignificantur Laici, n. 567, qui non loquuntur ex ſe, ſed ex docentibus, qui quia ſunt ipſe populus, patet quod ex receptione ab illis hæreticum illud valeat & regnet: hoc itaque eſt, quod per virtutem, thronum, & poteſtatem magnam, quæ draco dedit illi beſtiæ, ſignificatur, & per hæc ſequentia Verſ. 5, *Et adoraverunt draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ.* Draco valet & regnat per illos, imprimis per hoc Religionis illorum dogma „ Quod Intellectus captandus ſit ſub obedientia fidei; & quod id fides ſit quod non intelligitur, & quod fides rei in ſpiritualibus quæ intelligitur ſit fides intellectualis, quæ non eſt juſtificans; quando hæc apud Laicos valent, Clericis eſt poteſtas, veneratio, & ſpecies adorationis propter Divina, quæ credunt quod illi ſciant, & quæ ex ore illorum haurienda ſunt. Per virtutem ſignificatur valor, per thronum regimen, & per poteſtatem magnam dominium.

576. *Et vidi unum capitum ejus ſicut fauciatum in mortem, ſignificat quod hoc doctrinæ, quod eſt caput reliquorum, quod homo juſtificetur & ſalvetur per ſolam fidem abſque operibus legis, non concordet cum Verbo, ubi toties opera mandantur.* Per unum capitum ſignificatur præcipuum & fundamentale totius doctrinæ Eccleſiæ Reformatorum; erant enim ſeptem capita beſtiæ, per quæ ſignificatur inſania ex meris falſis, n. 568, ita quoque omnia falſa in complexu; per ſeptem enim in Verbo ſignificantur omnia, n. 10. 391; & quia omnia falſa doctrinæ illorum de ſalvatione pendent ab hoc uno, quod homo juſtificetur & ſalvetur per ſolam fidem abſque operibus legis, eſt hoc quod per unum capitum beſtiæ hic ſignificatur: per illud ſicut fauciatum in mortem, ſignificatur quod id non concordet cum Verbo, ubi toties mandantur opera; omne enim doctrinæ Eccleſiæ, quod non concordat cum Verbo, non ſanum eſt, ſed ægrotat morbo mortis; nam ex Verbo, & non aliunde, erit Doctrina Eccleſiæ.

577. *Et plaga mortis ejus ſanata eſt, ſignificat medelam capitis illius doctrinæ per hæc, quod nemo poſſit facere bonum opus a ſe, ac implere legem, & quod propterea proviſum ſit loco ejus aliud medium ſalutis, quod eſt fides in juſtitiam & meritum Chriſti, qui paſſus eſt pro homine, & per id damnationem legis ſuſtulit.* Quod hæc medela Capitis fauciati ſit, & quoque data, dum per caput fauciatum intelligitur id quod præcedit, n. 576, notum eſt, quare non opus eſt ut ulterius explicetur.

578. *Et admirata eſt tota terra poſt beſtiam, ſignificat quod tunc fides illa cum*

gaudio recepta sit, & facta doctrina totius Ecclesiæ, quia sic non essent servi sub lege, sed liberi sub fide. Et admirata est, significat admirationem quod plaga mortis sanata sit, & inde receptionem cum gaudio; per totam terram, significatur tota Ecclesia Reformatorum, terra enim est Ecclesia, n. 285; quare per admirata est tota Terra post bestiam, significatur quod fides illa cum gaudio recepta sit, & facta doctrina totius Ecclesiæ; gaudium in quo recepta, est quia sic non essent servi sub lege, sed liberi sub fide; non scientes, quod prorsus contrarium sit, nempe; quod qui credunt se liberos esse sub fide, aut ex fide illa, aut per fidem illam, sint servi sub peccato, hoc est, sub diabolo, peccatum enim & diabolus unum & idem sunt; nam credunt sic Legem non damnare, ita credunt, quod peccare absque damnatione legis sit liberum, modo fidem habeant; cum tamen hoc est ipsum servum; at homo dum fugit peccatum, hoc est, diabolum, a servo sit liber. His adjiciam hoc MEMORABILE; Loquutus sum cum quibusdam Doctoribus Ecclesiæ in Mundo spirituum, quid intelligunt per Opera Legis, & quid per Legem, sub cujus jugo, servitute & damnatione dicunt se non esse, dicebant quod essent opera legis decalogi; & tunc dixi, quid sancit decalogus, annon hæc, non occides, non scortaberis, non furaberis, non falso testaberis, sunt hæc opera legis, quæ separatis a fide, dicendo, quod sola fides absque operibus legis justificet & salvet, & sunt hæc pro quibus Christus satisfecit; & responderunt quod hæc sint; & tunc audita est vox e Cælo, dicens, quis potest ita insanire: & illico versæ sunt facies illorum ad spiritus diabolicos, inter quos fuit Machiavellus, & plures ex Ordine Jesuitico, qui permiserunt omnia illa, modo caverent sibi a legibus mundi; & cum illis conjunxissent se, nisi interposita esset societas, quæ separabat. Dicitur quod admirata sit tota terra post bestiam; quod post illam sit sequi illam & obedire illi, patet ex his locis ,, *David servavit præcepta mea, &* AMBULAVIT POST ME *toto corde*, I Reg. XIV: 8. *Ibant filii Israelis* POST SAULEM *in bellum*, I Sam. XVII: 13. *Non eris* POST MULTOS *ad mala; non respondebis super lite* POST MULTOS *ad pervertendum*, Exod. XXIII: 2. *Non ibis* POST DEOS ALIOS, *quos non novisti*, Jerem. VII: 9. *Illi iverunt* POST DEOS ALIOS *ad serviendum illis*, Jerem. XI: 10. Deut. VIII: 19. *Virum, qui iverit* POST BAALPEOREM, *perdet Jehovah*, Deutr. IV: 3.

Jischaji

v. 4

579. *Et adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ, significat agnitionem doctrinæ de justificatione per fidem absque operibus legis ab antesignanis & docentibus, qui fecerunt illam valere per receptionem a communi cœtu.* Per adorare significatur pro sancto Ecclesiæ agnoscere; per draconem significatur doctrina de justificatione & salvatione per solam fidem sine operibus legis, n. 537; per bestiam hanc significatur communis cætus, quia Laici, n. 567; per potestatem dare, significatur facere ut valeat per receptionem ab his, n. 575.

580. *Et adoraverunt bestiam, significat agnitionem a communi Cætu, quod sancta veritas sit, quod nemo a se possit facere bonum opus, nec implere legem.* Per adorare significatur pro sancto Ecclesiæ agnoscere, ut mox supra n. 579, hic quod sit sancta veritas, quod nemo possit a se facere bonum opus, ac implere legem; & quia hæc duo sanctæ veritates sunt, sequitur quod opera legis removenda sint:

ſint a fide, ut non ſalvifica; ſed quod hæ veritates, una cum pluribus aliis, falſificatæ ſint, videatur ſupra n. 566: per beſtiam hic ſignificatur ſimile quod per draconem, propter receptionem & agnitionem; quare dicitur quod adoraverint draconem, & adoraverint beſtiam.

581. *Dicentes, quis ſimilis beſtiæ, quis poteſt pugnare cum ea, ſignificat excellentiam illius doctrinæ præ omni alia, quia a nemine contradici poteſt.* Quis ſimilis eſt beſtiæ, ſignificat opinionem de excellentia illius Eccleſiæ ex ejus doctrina præ omni alia; per beſtiam ſignificatur communis cætus, ita Eccleſia, & abſtracte doctrina ejus; quis poteſt pugnare cum illa, ſignificat quis poteſt contradicere, quod homo non poſſit bonum aliquod ſpirituale facere a ſe, præter plura, de quibus ſupra n. 566, & quia hoc contradici non poteſt, annon ſic ſalvabimur per fidem abſque operibus legis; ſed quod concluſio ſit abſona, imo in ſe inſana, videri poteſt ab unoquovis, qui ſcit aliquid & ſapit ex Verbo. Quis poteſt pugnare cum illa, etiam ſignificat quod doctrina illa ab anteſignanis, & a docentibus poſt illos, per argumenta tam ingenioſe & argute confirmata ſit & ſic munita, ut non impugnari poſſit.

V. 5. 582. *Et datum ei os loquens magna & blaſphemias, ſignificat quod doceat mala & falſa.* Per os loquens ſignificatur doctrina, prædicatio & ſermo, n. 453; per loqui magna & blaſphemias, ſignificatur docere mala & falſa; magnum enim prædicatur de bono, & in oppoſito ſenſu de malo, n. 656. 663. 896. 898, & per blaſphemias ſignificantur vera Verbi falſificata, ita falſa; quid hic per blaſphemias in ſpecie ſignificatur, videatur ſupra n. 571: quod doceat mala, eſt quia removet opera legis, ita facienda, a ſalvatione, & qui hoc facit, in in malis ſpiritualibus eſt, quæ ſunt peccata.

583. *Et data ei poteſtas faciendi menſes quadraginta duos, ſignificat copiam docendi & faciendi mala & falſa doctrinæ iſtius uſque ad finem illius Eccleſiæ, dum principium Novæ.* Per data ei poteſtas faciendi, ſignificatur poteſtas loquendi magna & blaſphemias, hoc eſt, docendi & faciendi mala & falſa, de quibus mox ſupra n. 582; per menſes quadraginta duos ſignificatur ad finem prioris Eccleſiæ dum principium Novæ; ut ſupra n. 496, ſimile quod per dies tres & dimidium, n. 505; perque tempus, tempora & dimidium temporis, n. 562; tum ſimile quod per mille ducenta & ſexaginta, n. 491; quia menſes quadraginta duo, faciunt tres annos & dimidium.

V. 6 584. *Et aperuit os ſuum in blaſphemias adverſus Deum & Nomen Ipſius, ſignificat effata illorum, quæ ſunt ſcandala, contra Ipſum Divinum & Divinum Humanum Domini, & ſimul contra omne Eccleſiæ ex Verbo, per quod Dominus colitur.* Aperuit os ſuum in blaſphemias, ſignificat effata, quæ falſiloquia; per os ſignificatur doctrina, prædicatio, & ſermo, n. 453, inde per aperire os, ſignificatur effari illa; & blaſphemiæ ſignificant falſificationes Verbi, & plura, ut ſupra n. 571. 582, hic etiam ſcandala, quia ſequitur, adverſus Deum & Nomen Ipſius; per Deum ſignificatur Divinum Domini, ut ſæpius alibi in Apocalypſi; & per Nomen Ipſius ſignificatur omne per quod Dominus colitur, tum Verbum quia ſecundum illud eſt cultus, n. 81. Quod per Nomen Jehovæ ſeu Dei, ſignificetur Divinum Humanum Domini, & ſimul Verbum, tum

omne per quod colitur, ulterius constare potest ex his locis ,, *Jesus dixit, Pater glorifica* NOMEN TUUM, *& venit vox e Cælo, dicens, & glorificavi & rursus glorificabo*, Joh. XII: 28. *Jesus dixit, manifestavi tuum Nomen hominibus, & notum feci illis* NOMEN TUUM, Joh. XVII: 26. *Quodcunque petieritis in* NOMINE MEO, *hoc faciam, ut Pater glorificetur in Filio; si quid petieritis in* NOMINE MEO, *Ego faciam*, Joh. XIV: 13. 14. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; quotquot receperunt, dedit illis potestatem ut filii Dei essent, credentibus in* NOMEN IPSIUS; *& Verbum Caro factum est*, Joh. I: 1. 12. 14. *Jesus dixit, qui non credit in Ipsum, jam judicatus est, quia non credidit in* NOMEN UNIGENITI FILII DEI, Joh. III: 18. Per NOMEN JEHOVÆ DEI, *quod non prophanabitur*, in Secundo Præcepto Decologi: & per NOMEN PATRIS *quod sanctificabitur*, in Oratione Dominica, non aliud intelligitur.

585. *Et Tabernaculum Ipsius & eos in Cælo habitantes, significat scandala contra Ecclesiam cælestem Domini & contra Cælum.* Per Tabernaculum pæne simile significatur quod per Templum, nempe in supremo sensu Divinum Humanum Domini, & in sensu respectivo Cælum & Ecclesia, n. 191. 529. Sed per Tabernaculum in hoc sensu significatur Ecclesia cælestis, quæ in bono amoris a Domino in Dominum est, & per Templum Ecclesia spiritualis, quæ in veris sapientiæ a Domino est; per illos in Cælo habitantes significatur Cælum. Quod per Tabernaculum significetur Ecclesia Cælestis, est quia Antiquissima Ecclesia, quæ fuit cælestis quia in amore in Dominum, sanctum cultum habuit in Tabernaculis; & Antiqua Ecclesia, quæ fuit Ecclesia spiritualis, sanctum cultum habuit in Templis. Tabernacula fuerunt ex Ligno, ac Templa ex Lapide, & Lignum significat bonum, & Lapis Verum. Quod per Tabernaculum significetur Divinum Humanum Domini quoad Divinum Amorem, tum Cælum & Ecclesia, quæ in amore in Dominum, constare potest a sequentibus locis ,, *Jehovah quis commorabitur in* TABERNACULO TUO; *quis habitabit in Monte sanctitatis tuæ, qui ambulat integer, facit justitiam, & loquitur veritatem*, Psalm. XV: 1. 2. *Jehovah abscondet me in* TENTORIO *suo, occultabit me in occulto* TABERNACULI SUI, *exaltabit me*, Psalm. XXVII: 5. *Manebo in* TABERNACULO TUO *in æternum*, Psalm. LXI: 5. *Specta Sionem, oculi tui videant Hierosolymam, Habitaculum tranquillum*, TABERNACULUM, *quod non dissipabitur*, Esaj. XXXIII: 20. *Jehovah qui expandit Cælos sicut* TABERNACULUM *ad habitandum*, Esaj. XL: 22. *Jehovah altissimum posuisti Habitaculum tuum, plaga non appropinquabit ad* TABERNACULUM *tuum*, Psalm. XCI: 9. 10. *Jehovah posuit* TABERNACULUM *in medio illorum, ambulaturus in medio illorum*, Levit. XXVI: 11. 12. *Jehovah deseruit* TENTORIUM *Schiluntis*, TABERNACULUM *in quo habitavit inter homines*, Psalm. LXXVIII: 60. *Audivi vocem magnam e Cælo dicentem, ecce* TABERNACULUM *Dei cum hominibus, qui habitabit cum illis*, Apoc. XXI: 3. *Devastatum est* TABERNACULUM *meum*, Jerem. IV: 20. Cap. X: 20. *Evellet te ex* TABERNACULO, *& eradicabit te e terra viventium*, Psalm. LII: 7: præter alibi, ut Esaj. XVI: 14. Cap. LIV: 2. Jerem. XXX: 18. Thren: II: 4. Hosch. IX: 6. Cap. XII: 10. Sach. XII: 7. Quoniam

B.a.4

B.a.5.

niam Antiquissima Ecclesia, quæ erat Ecclesia cælestis, quia in amore in Dominum, & inde in conjunctione cum Ipso, sanctum cultum habebat in TABERNACULIS, ideo *ex mandato Domini* TABERNACULUM *a Mose erectum est*, in quo omnia Cæli & Ecclesiæ repræsentabantur; quod tam sanctum erat, ut non liceret alicui in illud intrare, quam Mosi, Aharoni & Filiis ejus, & si quis ex populo moreretur, Num. XVII: 27. 28. Cap. XVIII: 1. 22. 23. Cap. XIX: 14 ad 19: intime in illo fuit Arca, in qua binæ Tabulæ, quæ Decalogus, super qua Propitiatorium & Cherubi; & extra velum inibi Mensa super qua Panes facierum, Altare suffitus, & Candelabrum cum septem lucernis; quæ omnia erant Repræsentativa Cæli & Ecclesiæ; describitur Exod. XXVI: 7 ad 16, Cap. XXXVI: 8 ad 37: & legitur quod forma ejus ostensa sit Mosi super Monte Sinai, Exod. XXV: 9. Cap. XXVI: 30; & quod datur videndum e Cælo, hoc repræsentativum Cæli & inde Ecclesiæ est. In memoriam sancti Cultus Domini in Tabernaculis ab Antiquissimis, & conjunctionis cum Ipso per amorem, mandatum est FESTUM TABERNACULORUM, de quo Levit. XXIII: 39 ad 44. Deutr. XVI: 13. 14. Sach. XIV: 16. 18. 19.

586. *Et datum ei bellum facere cum sanctis, & vincere illos, significat quod impugnaverint Divina vera Verbi, & prostraverint illa.* Per bellum significatur bellum spirituale, quod est falsi contra verum, & veri contra falsum, n. 500, inde bellum facere est impugnare; per sanctos intelliguntur qui in Divinis veris a Domino per Verbum sunt, & inde abstracte a personis Divina Vera, n. 173; quare per vincere illos, significatur facere ut vera non valeant, ita illa prosternere. Similia significantur per hæc apud Danielem, *Quarta bestia ascendens ex Mari, cui os loquens magna*, FECIT BELLUM CUM SANCTIS & PRÆVALUIT, VII: 21: tum per hæc ibi, *Hircus caprarum cucurrit contra Arietem, projecit eum in terram, conculcavit eum; & extulit se contra Principem exercitus, & projectum est Habitaculum Sanctuarii Ipsius*; & PROJECIT VERITATEM IN TERRAM, VII: 5. 6. 7. 12; quod per Hircum caprarum intelligatur fides separata a charitate, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE FIDE, 61 ad 68. Similia intelliguntur per hæc, *Rex surget durus faciebus, intelligens subtilia*, PERDET VALIDOS, ET POPULUM SANCTORUM, *& contra Principem principum exsurget; & fraus prospere successura est in manu ejus*, Dan. VIII: 23. 24. 21; quod Rex ille sit Hircus caprarum, dicitur ibi Vers. 21. Consimile etiam significatur per quod *Bestia ascendens ex abysso* BELLUM FECERIT CUM DUOBUS TESTIBUS, AC ILLOS VICERIT ET OCCIDERIT, Cap. XI: 7, n. 500: quod vicerint, est quia Laici argutias illorum, quas vocant arcana, non vident, obvelant enim illas apparentiis & fallaciis; quare dixerunt, *Quis similis est bestiæ, quis potest pugnare cum ea*, Vers. 4. n. 579. 580. 581. Quod per Sanctos intelligantur qui in veris a Domino per Verbum sunt, constare potest ex locis supra n. 173 adductis; & insuper ex his, *Jesus dixit, Pater* SANCTIFICA ILLOS IN VERITATE TUA, VERBUM TUUM VERITAS EST: EGO SANCTIFICO MEIPSUM, UT ILLI SINT SANCTIFICATI IN VERITATE; EGO IN ILLIS ET TU IN ME, Joh. XVII: 17. 19. 23. *Jehovah e Sinai venit, venit ex myriadibus* SANCTITATIS, *a dextra ignis legis illis; in tua manu omnes* SANCTI IPSIUS,

Ipsius, accipiet de verbis tuis, Deutr. XXXIII: 2. 3, ex quibus patet, quod sancti dicantur qui in Divinis Veris a Domino per Verbum sunt: tum, quod *qui vivunt secundum præcepta*, hoc est, vera Verbi, *essent* Sancti Jehovæ, Levit. XIX: 2. Deutr. XXVI: 18. 19; & *si facerent fœdus*, *essent* Gens Sancta, Exod. XIX: 5. 6; decalogus est fœdus quod facerent, n. 60. inde erat, quod locus in Tabernaculo, ubi Arca erat, in qua Decalogus, vocatus sit Sanctum Sanctorum, Exod. XXVI: 33. 34. Sancti dicuntur qui vivunt secundum vera Verbi, non quod illi sancti sint, sed quod vera in illis sancta sint, & sancta sunt cum a Domino in illis, & Dominus in illis est cum vera Verbi Ipsius, Joh. XV: 7. Ex Veris a Domino Angeli dicuntur Sancti, Matth. XXV: 31. Luc. IX: 26; similiter Prophetæ, Luc. I: 70. Apoc. XVIII: 20. Cap. XXII: 6: similer Apostoli, Apoc. XVIII: 20. Inde est, quod Templum dicatur *Templum Sanctitatis*, Psalm. V: 8. Psalm. LXV: 5: quod Sion Mons Sanctitatis, Esaj. LXV: 11. Jerem. XXXI: 23. Ezech. XX: 40. Psalm. II: 6. Psalm. III: 5. Psalm. XV: 1. Quod Hierosolyma Urbs Sancta, Esaj. XLVIII: 2. Cap. LXIV: 10. Apoc. XXI: 2. 10. Matth. XXVII: 53: Quod Ecclesia Populus Sanctorum, Esaj. LXII: 12. Cap. LXIII: 18. Psalm. CXLIX: 1: & quoque Regnum Sanctorum, Dan. VII: 18. 22. 27. Causa, quod sancti vocati sint, est quia Angeli in sensu abstracto significant Divina Vera a Domino; Prophetæ Vera doctrinæ; Apostoli Vera Ecclesiæ; Templum Cælum & Ecclesiam quoad Divinum Verum, pariter Sion, Hierosolyma, Populus, & Regnum Dei: quod non aliquis sit sanctus a se, ne quidem Angeli, videatur Hiob. XV: 14. 15; sed a Domino, quia Dominus est Solus Sanctus, Apoc. XV: 4; n. 173.

587. *Et data ei potestas super omnem tribum & linguam & gentem, significat sic Dominium super omnia Ecclesiæ, tam quæ ejus doctrinæ quam quæ ejus vitæ sunt.* Per potestatem significatur dominium, ut supra n. 575; per Tribum significatur Ecclesia quoad vera & bona ejus, & in opposito sensu quoad falsa & mala ejus, n. 26. 349; per Linguam, significatur doctrina ejus, n. 282. 483; & per Gentem, significatur vita secundum illam, n. 483.

588. *Et adorabunt eam omnes habitantes super terra, quorum non scripta nomina in libro vitæ Agni, significat quod omnes ab Ecclesia Reformatorum hæreticum illud, quod per draconem & bestiam intelligitur, pro sancto Ecclesiæ agnoverint, præter illos qui crediderunt in Dominum.* Per adorare, significatur pro sancto Ecclesiæ agnoscere, ut supra n 579. 580; per omnes habitantes super terra, significantur omnes ab Ecclesia Reformatorum, ut n. 558; per nomina non scripta in libro vitæ Agni, significatur præter illos qui credunt in Dominum, per nomina significantur illi quoad quale, n. 81. 122. 165, per Librum vitæ, significatur Verbum Domini, & omnis doctrina de Ipso, n. 256. 257. 259. 469; & quia omnis doctrina Ecclesiæ ex Verbo, se refert ad hoc, ut credant in Dominum, ideo hoc per Nomen scriptum in Libro vitæ Agni, hic intelligitur. De fide in Dominum, videatur supra n 67, & 553.

589. *Occisi a fundatione mundi, significat Divinum Humanum Domini non agnitum ab instauratione Ecclesiæ.* Quod per Agnum occisum, significetur quod

Divi-

Divinum Humanum Domini non agnitum sit, videatur supra n. 59. 269, ubi explicata sunt hæc „ *Ego sum Primus & Ultimus, & Qui sum Vivens, & fui* MORTUUS, *& ecce Vivens sum in sæcula sæculorum*, Cap. I: 17. 18: tum hoc, *Et vidi & ecce in medio Throni Agnum stantem tanquam* OCCISUM: *& canebant Canticum novum, dicentes, dignus es accipere Librum, quia* OCCISUS *es, & redemisti Deo nos*, Cap. V: 6. 9: a fundatione mundi, significat ab instauratione Ecclesiæ tam Judaicæ, quam Christianæ; quod Judæi non agnoverint Divinum Humanum Domini, notum est; quod non Romano Catholici, etiam notum est; & quod nec Reformati, videatur supra n. 294. Per fundationem Mundi, non intelligitur hic Creatio mundi, sed instauratio Ecclesiæ; per Mundum enim in latissimo sensu intelligitur totus Mundus, & ibi tam boni quam mali, & quandoque solum mali; at in sensu non latissimo per Mundum intelligitur simile quod per Orbem & per Terram, ita Ecclesia; quod per Orbem significetur Ecclesia, videatur n. 551, & quod per Terram, n. 285; quod per fundare orbem & Terram, significetur instaurare Ecclesiam, & quod per fundationem & fundamentum eorum, instauratio, constare potest ex Esaj. XXIV: 18. Cap. XL: 21. Cap. XLVIII: 12. 13. Cap. LI: 16. 17. Cap. LI: 12. Jerem. XXXI: 37. Mich. VI: 1. 2. Sach. XII: 1. Psalm. XVIII: 8. 16. Psalm. XXIV: 2. 3. Psalm. LXXXII: 5. Psalm. LXXXIX: 12. Quod Mundus etiam significet Ecclesiam, Matth. XIII: 37. 38. 39. Joel I: 9. 10. & quod Dominus ex fide in Ipsum, dicatur Salvator Mundi, Joh. III: 16. 17. 18. 19. Cap. IV: 42. Cap. VI: 33. 51. ~~Cap. 51.~~ VIII: 12. Cap. IX: 4. 5. Cap. XII: 46 47. Quod Mundus etiam sit populus Ecclesiæ, Joh. XII: 19 Cap. XVIII: 20. Ex his videri potest, quid significatur per fundationem Mundi, etiam Matth. XXV: 34. Luc. XI: 50. Joh. XVII: 24. Apoc. XVII: 18.

590. *Si quis habet aurem audiat, significat quod ad hæc attendant qui volunt sapere.* Quod per habere aurem audire, significetur percipere & obedire, & quoque attendere, videatur supra n. 87; quod etiam sit, qui volunt sapere, sequitur. Hic dicitur, si quis habet aurem audiat, ut attendant ad antecedentia, & quod alioquin non sapiant.

591. *Si quis captivitatem duxerit in captivitatem abibit, significat quod qui per Hæreticum illud alios a bene credendo & a bene vivendo abducit, a suismet falsis & malis in infernum abducatur.* Per captivitatem ducere, significatur persuadere & in partes suas trahere, ut hæresi isti, quæ per draconem & bestiam intelligitur, consentiant & adhæreant, & sic abducere a bene credendo & a bene vivendo; per in captivitatem abire, significatur a suismet falsis & malis abduci in infernum: per captivitatem hic intelligitur captivitas spiritualis, quæ est seduci, & sic abduci a veris & bonis, ac induci in falsa & mala. Quod per captivitatem in Verbo intelligatur captivitas illa spiritualis, constare potest a sequentibus locis „ *Audite omnes populi, & videte dolorem meum, virgines meæ & juvenes mei iverunt in* CAPTIVITATEM, Thren. I: 18. *Deus deseruit Habitaculum & Tentorium suum, ubi habitavit inter homines, & dedit in* CAPTIVITATEM *robur ejus*, Psalm. LXXVIII: 60. 61. *Omnes Pastores tuos pascet ventus, &*

amasii tui in Captivitatem *abibunt; tunc pudefies ob omnem malitiam tuam*, Jerem. XXII: 25. *Ebria faciam tela mea, a sanguine confossi & Captivitatis*, Deutr. XXXII: 42. *Inflexi sunt & incurvati, & anima eorum in Captivitatem abibit*, Esaj. XLVI: 1. 2. *Jehovah misit Me ad obligandum fractos corde, ad prædicandum* Captivis *libertatem, &* Vinctis, *oculis capto*, Esaj. LXI: Luc. IV: 18. 19. *Ego excitabo Illum in justitia; Ille* Captivitatem meam *dimittet, non pretio neque munere*, Esaj. XLV: 13. *Ascendisti in altum*, Captivam duxisti Captivitatem, Psalm. LXVIII: 19. *Num* Captivitas *justi eripietur; etiam* Captivitas *fortis sumetur, &* Captura *violenti eripietur*, Esaj. XLIX: 24. 25. *Excute te e pulvere, sede Hierosolyma, aperire vinculis colli tui* Captiva filia Sionis, Esaj. LII: 2; præter alibi, ut Jerem. XLVIII: 46. 47. Cap. L: 33. 34. Ezech. VI: 1 ad 10. Cap. XII: 1 ad 12. Obad. I: 11. Psalm. XIV: 7. Psalm. L: 33. 34. Psalm. LIII: 7. Per captivitates filiorum Israelis ab hostibus suis, de quibus in Libro Judicum, & II Reg. XXX; & apud Prophetas, repræsentatæ sunt & inde significatæ Captivitates spirituales, de quibus alibi. Simile quod per captivos etiam significatur per vinctos in sequentibus locis ,, *Per sanguinem fœderis tui emittam* Vinctos *e fovea*, Sach. IX: 11. *Veniet ad Te gemitus* Vincti, Psalm. LXXIX: 11. *Colligetur* Vinctus *in fovea, & claudentur in claustro*, Esaj. XXIV: 22. *Posuit Orbem in desertum*, Vinctis suis *non aperuit domum*, Esaj. XIV: 17. *Rex dixit, in* Carcere *fui, & non venistis ad me*, Matth. XXV: 36. *Jesus dixit, hanc filiam Abrahami, quam* Vinxit Satanas, *nonne oportet* Solvi e vinculo *hoc die sabbathi*, Luc. XIII: 16.

592. *Si quis machæra occiderit, oportet eum machæra occidi*, *significat quod qui per falsa destruit animam alterius, per falsa destruatur & pereat.* Per gladium, machæram & romphæam, significatur verum, & in opposito sensu falsum, utrumque pugnans, n. 52. 836; inde per occidere & occidi, significatur destruere & destrui, seu perdere & perire, quod fit per falsa.

593. *Hic est patientia & fides sanctorum*, *significat quod homo Novæ Ecclesiæ Domini per tentationes ab illis exploretur qualis est quoad vitam & quoad fidem.* Per patientiam hic significatur patientia in tentationibus, & tunc exploratio qualis homo est quoad vitam secundum præcepta Domini, & quoad fidem in Dominum; ideo dicitur, hic patientia & fides; per Sanctos significantur qui ab Ecclesia Nova Domini sunt, in specie qui in Divinis Veris ibi, n. 586. Patientia prædicatur de tentationibus, per quas homo exploratur qualis est, etiam alibi in Apocalypsi, ut Cap. I: 9. Cap. II: 2. 3. 19. Cap. III: 10; quod fit quoad vitam secundum præcepta Domini, & quoad fidem in Ipsum, patet ab his ibi ,, *Non habent quietem diu & noctu, qui adorant bestiam & imaginem ejus, hic est Patientia sanctorum, hic servantes mandata Dei, & fidem Jesu*, Apoc. XIV: 11. 12.

594. *Et vidi aliam bestiam ascendentem e Terra*, *significat Clericos in Ecclesiis Reformatorum, qui in doctrina & fide draconis sunt de Deo & Salvatione.* Quid & qualis est fides draconis, videatur supra n. 537: quod sint Laici qui per Bestiam ex mari ascendentem intelligantur, & quod sint Clerici qui per Bestiam

e

e Terra, eſt quia per Mare ſignificatur Externum Eccleſiæ, & per Terram Internum ejus, n. 398. 567; & in Externis doctrinæ Eccleſiæ ſunt Laici, & in Internis ejus ſunt Clerici. Quod Clerici nunc deſcribantur, conſtat ex ſingulis, quæ ſequuntur, in ſenſu ſpirituali intellectis; & manifeſte ex eo, quod hæc Beſtia etiam dicatur Pſeudopropheta, Apoc. XVI: 13. Cap. XIX: 20. Cap. XX: 10; imprimis ex his ibi „ *Comprehenſa eſt Beſtia, & cum illa* PSEUDOPROPHETA, *quæ fecit ſigna coram illa, per quæ ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & eos qui adorarunt imaginem ejus*, Cap. XIX: 20: quod hæc Beſtia fecerit ſigna coram altera, per quæ ſeduxit illos, dicitur in hoc Capite his verbis „ *Et facit ſigna magna, ut ſeducat habitantes ſuper terra, propter ſigna quæ data ei facere coram beſtia, dicens illis facere imaginem beſtiæ, & adorare illam*, Verſ. 13. 14. 15.

595. *Et habebat duo cornua ſimilia Agno, & loquebatur ſicut draco, ſignificat quod loquantur, doceant & ſcribant ex Verbo, ſicut Divinum Verum Domini foret, & tamen eſt verum falſificatum.* Per cornua ſignificatur potentia, n. 270. 443; hic potentia in loquendo, docendo & ſcribendo, ita in ratiocinando & argumentando; quod cornua viſa ſint ſimilia Agno, ſignificat quod venditent ſua illa, ſicut forent Divina Vera Domini, quia ex Verbo; per Agnum enim intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, & quoque quoad Verbum, quod eſt Divinum Verum ex Divino Bono; inde eſt, quod ſuper hac Beſtia, quæ etiam eſt Pſeudopropheta, n. 594, apparuerint duo cornua ſimilia Agno; quod autem eſſent Divina Vera falſificata, ſignificatur per quod loqueretur ſicut draco; quod ab illis qui in fide draconis ſunt de Deo & de Salvatione, omnia vera Verbi falſificata ſint, videatur ſupra n. 566. Quod hoc & illud ſignificetur, per quod Beſtia hæc haberet duo cornua ſimilia Agno, & loqueretur ſicut draco, patet manifeſte ab his Domini verbis apud Matthæum, „ *Si quis dixerit vobis, ecce hic eſt Chriſtus, aut ibi, ne credite, ſurgent falſi Chriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ut in errorem inducant, ſi poſſibile, electos*; ECCE PRÆDIXI VOBIS „ XXIV: 23. 24. 25: per Chriſtum ſimile ſignificatur quod hic per Agnum, nempe Dominus quoad Divinum Verum Verbi; quare quod dicturi, ecce hic eſt Chriſtus, ſignificat quod dicturi quod hoc ſit Divinum Verum Verbi; quod autem ſit illud falſificatum ſignificatur per hæc, Si quis dixerit vobis, hic eſt Chriſtus aut ibi, ne credite, quia ſurgent falſi Chriſti & Pſeudoprophetæ: quod hi ſint, de quibus Dominus prædixit, patet ex eo, quod dicatur, quod illi daturi ſint ſigna magna & prodigia, ac in errorem inducturi, ſi poſſibile, electos; Simile ut de hac beſtia, quæ eſt pſeudopropheta, Verſ. 13. 14 hujus Capitis: illa quæ Dominus prædixit in illo Capite apud Matthæum, fuerunt de ultimo tempore ſeu ſtatu Eccleſiæ, qui ibi intelligitur per Conſummationem ſæculi.

596. *Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem facit coram illo, ſignificat quod confirmaverint dogmata, quæ per draconem ſignificantur, & a Laicis recepta ſunt, & quod per id illa valeant.* Quod hæc ſignificentur, videri poteſt a ſupra explicatis de poteſtate a dracone data beſtiæ a mari aſcendenti, n. 575. 579; & quia hæc beſtia, quæ eſt pſeudopropheta, fecit illam poteſtatem coram dracone, non

aliud significatur, quam quod fecerint illa valere per confirmationes.

597. *Et facit ut terra & habitantes in illa adorent bestiam priorem, cujus sanata est plaga mortis ejus, significat quod sic ex confirmationibus constabilitum sit, quod pro sancto Ecclesiæ agnosceretur, quod quia nemo potest facere bonum opus a se, ac implere legem, unicum medium salutis sit fides in justitiam & meritum Christi, qui passus est pro homine, & per id damnationem legis sustulit.* Supersedetur hæc explicare, quia sequuntur a supra explicatis, n. 566. 577. 578. 579. 580. 581. 582; per terram & habitantes in illa, significantur Ecclesiæ Reformatorum, ut supra; per adorare, significatur pro sancto Ecclesiæ agnoscere, ut quoque supra; hic illud, quod per bestiam ex mari, postquam sanata est plaga mortis ejus, intelligitur; & hoc est, quod supra expositum est.

V. 13 598. *Et facit signa magna, significat testificationes quod quæ docent vera sint, tametsi sunt falsa.* Per signa significantur testificationes quod vera sint, quia olim signa facta sunt, ut testificarentur veritatem; sed postquam signa & miracula cessarunt, usque manet significatio eorum, quæ est testificatio veritatis; hic autem per signa significantur testificationes a bestia seu pseudopropheta quod falsa ejus essent vera, ex causa quia post confirmationes non aliter apparent. Quod testificationes quod verum sit, per signa significentur, constare potest ex sequentibus locis ,, *In Consummatione sæculi surgent falsi Christi & Pseudoprophetæ, dabunt* SIGNA MAGNA ET PORTENTA, *ac in errorem inducent, si possibile est, etiam electos*, Matth. XXIV: 24. Marc. XIII: 22. *Terribilia quoque* SIGNA *de Cælo erunt, erunt* SIGNA *in sole, luna & astris, resonante mari & salo*, Luc. XXI: 11. 25. *Jehovah irrita reddit* SIGNA *mendacium, divinatores insanos reddit, rejiciens sapientes retro, & scientiam illorum stultam facit*, Esaj. XLIV: 25. *Viam gentium ne discite, & a* SIGNIS CÆLORUM *ne consternemini*, Jerem. X: 2. 3. *Sunt spiritus dæmonum facientes* SIGNA, *ad congregandum eos in bellum diei illius magni*, Apoc. XVI: 14. *Comprehensa est bestia & cum ea pseudopropheta, qui fecit Signa coram illa, & seduxit*, Apoc. XIX: 20. Quod signa fuerint testificationes quod veritas sit, patet adhuc ab his ,, *Discipuli dixerunt ad Jesum, quodnam facis* SIGNUM, *ut credamus Tibi quid operaris*, Joh. VI: 30 ad 33. *Judæi, Scribæ & Pharisæi quærebant* SIGNUM *a Domino, ut scirent quod Christus esset*, Matth. XII: 38. 39. 40. Cap. XVI: 1 ad 4. Marc. VIII: 11. 12. Luc. XI: 16. 29. 30. Joh. II: 16. 18. 19. *Discipuli dixerunt ad Jesum, quodnam* SIGNUM *adventus tui & consummationis sæculi*, Matth. XXIV: 3. Matth. Marc. XIII: 4. *Si non crediderint tibi, nec audiverint vocem* SIGNI PRIMI, *credent tamen* IV *voci* SIGNI POSTERIORIS, Exod. ~~XIV~~: 8. 9; vox signi est testificatio. *Posuerunt inter eos verba* SIGNORUM *suorum*, Psalm. CV: 27. *Dixit ad Achasum, pete tibi* SIGNUM *a Jehovah*, Esaj. VII: 11. 14. *Hoc tibi* SIGNUM *a Jehovah, ecce retraham umbram graduum, quæ descendit in gradibus Achasi pro sole*, Esaj. XXXVIII: 7. 8. *Dixit Hiskias, quodnam* SIGNUM *quod ascensurus sim in domum Jehovæ*, Esaj. XXXVIII: 12. 22. *Hoc vobis* SIGNUM, *quod visitaturus Ego super vos in loco hoc, ut sciatis, quod consistant verba mea*, Jerem. XLIV: 29. 30. *Jehovah fac mecum* SIGNUM *in bonum, ut videant osores mei & pudefiant*, Psalm. LXXXVI: 17. *Nuntient vobis quæ contingent, ut ponamus cor nostrum,*

in

indicate SIGNUM *in futurum, ut ſciamus quod dii vos;* Eſaj. XLI: 22. 23. *Rugierunt hoſtes in feſti tui medio, poſuerunt* SIGNA SUA SIGNA, Pſalm. LXXIV: 3. 4. 9: præter alibi, ut Eſaj. XLV: 11. 13. Jerem. XXXI: 20. 21. Ezech. IV: 3. Pſalm. LXV: 7. 8. Pſalm. LXXVIII: 42. 43. Exod. VI: 3. Num. XIV: 11. 22. Deutr. IV: 34. Cap. XIII: 2. 3. 4. Judic. VI: 17. 21. I Sam. II: 14. Cap. XIV: 10. Marc. XVI: 17. 18. 30. Luc. II: 11. 12. 16. Similia ſignificantur per SIGNA FÆDERIS, Gen. IX: 13. Cap. XVII: 11. Ezech. XX: 12. 20. Ex his clare videri poteſt quod per Signa magna, quæ facit hæc Beſtia draconis, non intelligantur Signa, ſed teſtificationes ab illis, quod quæ docent vera ſint: unuſquiſque enim hæreticus, qui ſe confirmavit in falſis, poſt confirmationem conteſtatur quod falſa ejus ſint vera; non enim tunc videt vera amplius, quoniam confirmatio falſi eſt negatio veri, & verum negatum amittit lucem ſuam; & quantum falſa ex confirmationis luce, quæ eſt lux fatua, nitent, tantum lux veri fit caligo, videatur ſupra n. 566.

599. *Ut & ignem faciat deſcendere e Cælo in terram coram hominibus, ſignificat conteſtationes quod falſa illorum ſint vera Cæli, & quod qui illa recipiunt, ſalventur, & qui non recipiunt, pereant.* Quod hæc ſignificentur per illa verba, eſt quia maxima Signa facta ſunt per ignem e Cælo; unde communis loquela confirmationis, cum de teſtificatione veri agebatur, apud antiquos fuit, quod ignem poſſint facere deſcendere e Cælo, & id teſtificari; per quod ſignificabatur, quod eo uſque teſtificari poſſent. Quod etiam Veritas teſtificata ſit per ignem e Cælo, patet ex his „ *Quod Holocauſtum ex Aharone factum per Ignem e Cælo conſumtum ſit*, Levit. IX: 24: ſimiliter *Holocauſtum factum ab Elia*, I Reg. XVIII: 38. Ignis e Cælo in oppoſito ſenſu fuit ſignum teſtificans quod in malis & inde falſis eſſent, & quod perirent, ſed ille Ignis fuit ignis conſumens; ſicut *Ignis e Cælo, qui conſumſit duos filios Aharonis*, Levit. X: 1 ad 6. *Qui conſumſit* 250 *viros*, Num. XXVI: 10. *Qui conſumſit extrema caſtrorum*, Num. XI: 1 ad 4. *Qui bis conſumſit quinquaginta viros a Rege ad Eliam miſſos*, II Reg. I: 10. 12. *Ignis & ſulphur e Cælo ſuper Sodomam*, Geneſ. XIX: 24. 25. *Ignis e Cælo qui conſumſit illos qui circumdederunt caſtra ſanctorum & urbem dilectam*, de quo, Apoc. XX: 9. *Diſcipuli irati contra impænitentes dixerunt ad Jeſum, viſne dicamus ut Ignis deſcendat e Cælo, & conſumat eos*, Luc. IX: 54. Hæc adducta ſunt, ut ſciatur quod Ignis e Cælo ſignificet teſtificationem, imo conteſtationem, quod verum ſit verum, & in oppoſito ſenſu quod falſum ſit verum, ut hic. Præterea Ignis ſignificat amorem Cæleſtem, & inde Zelum pro vero, & in oppoſito ſenſu amorem infernalem, & inde Zelum pro falſo, n. 468. 494.

600. *Et ſeducat habitantes ſuper terra propter ſigna quæ data ei facere coram beſtia, ſignificat quod per teſtificationes & conteſtationes inducant homines Eccleſiæ in errores.* Per ſeducere, ſignificatur inducere in errores; per habitantes ſuper terra, ſignificantur homines Eccleſiæ Reformatorum, ut ſupra n. 578. 588. 597; per ſigna, quæ data ei facere coram beſtia, ſignificantur teſtificationes & conteſtationes, n. 598. 599; per beſtiam ex mari, coram qua ſigna facta ſunt, ſignificatur fides draconis apud Laicos, n 567; & per beſtiam aſcendentem ex terra, quæ fecit ſigna, & alibi vocatur pſeudopropheta, ſignifica-

tur fides draconis apud Clericos, n. 594. Simile dicitur a Domino apud Matthæum, Cap. XXIV: 24. 25 26.

601. *Dicens habitantibus ſuper terra facere imaginem beſtiæ, quæ habet plagam machæræ & vixit, ſignificat quod adducant homines Eccleſiæ pro doctrina recipere, quod fides ſit unicum medium ſalutis, quia nemo poteſt facere bonum a ſe, niſi ſit meritorium, & quia nemo poteſt implere legem, & ſic ſalvari.* Per habitantes ſuper terra, intelliguntur homines Eccleſiæ Reformatorum, ut ſupra n. 600; per imaginem, ſignificatur doctrina illius Eccleſiæ, de qua infra; & per imaginem beſtiæ quæ habet plagam machæræ & vixit, ſignificatur hoc doctrinæ, quod fides ſit unicum medium ſalutis, quia nemo poteſt facere bonum a ſe niſi ſit meritorium, & quia nemo poteſt implere legem & ſic ſalvari, videatur ſupra n. 576. 577, ſeq. Omnis Eccleſia coram Domino apparet ſicut homo, ſi in veris ex Verbo eſt, apparet ſicut homo pulcher, ſi autem in veris falſificatis eſt, apparet ut homo monſtroſus; Eccleſia ita apparet ex doctrina ejus, & ex vita ſecundum illam; ex quo ſequitur, quod doctrina Eccleſiæ ſit imago ejus. Id quoque videri poteſt ex hoc; omnis homo eſt ſuum bonum & verum, aut ſuum malum & falſum, inde & non aliunde homo eſt homo; conſequenter eſt doctrina & vita ſecundum illam, quæ facit imaginem hominis Eccleſiæ, imaginem hominis pulchri, ſi doctrina & vita ſecundum illam eſt ex genuinis veris Verbi, at imaginem hominis monſtroſi, ſi ex veris Verbi falſificatis. Homo etiam in Mundo ſpirituali apparet ut aliquod animal, ſed ita apparet ejus affectio e longinquo; illi qui in veris & bonis a Domino ſunt, apparent ut agni & columbæ, at qui in veris falſificatis & bonis adulteratis ſunt, apparent ut noctuæ & veſpertiliones; illi qui in fide ſeparata a charitate ſunt, ſicut dracones & hirci; qui in falſis ex malo ſunt, apparent ut baſiliſci & crocodili, & qui tales & uſque confirmaverunt doctrinalia Eccleſiæ, ſicut præſteres volantes. Ex his videri poteſt, quod doctrina Eccleſiæ, & vita ſecundum illam, intelligatur per imaginem beſtiæ, quam pro habitantibus ſuper terra fecerunt. Sed quid porro factum eſt cum illis qui adorabant imaginem beſtiæ, videatur Apoc. XIV: 9. 10 11. Cap. XIX: 20. Cap. XX: 4. Similia per imagines in ſenſu ſpirituali ſignificantur, Exod. XX: 4 5. Lev. XXVI: 1. Deutr. IV: 16. 17. 18. Eſaj. II: 16. Ezech. VII: 20. Cap. XVI: 17. Cap. XXIII: 14. 15. 16. Idola & ſculptilia apud antiquos fuerunt imagines religioſi illorum, quare per illa ſignificantur falſa & mala doctrinæ, n. 459.

V. 15 602. *Et datum ei dare ſpiritum imagini beſtiæ, ut & loquatur imago beſtiæ, ſignificat quod permiſſum illis confirmare doctrinam illam per Verbum, ex quo ſicut vivificata docetur.* Per datum, ſignificatur quod permiſſum ſit; omnia enim falſa doctrinæ, ſicut mala vitæ, fiunt ex permiſſione, de qua videatur Sapientia Angelica de Divina Providentia, n. 234 ad 274: n. 275 ad 285. n. 296; per imaginem beſtiæ, ſignificatur doctrina illa, n. 601; per dare ſpiritum imagini beſtiæ, ſignificatur confirmare illam ex Verbo, nam non aliunde eſt ſpiritus & vita alicui doctrinæ Eccleſiæ; ut loquatur imago beſtiæ, ſignificat quod ita ſicut vivificata doceatur. Quod hæc intelligantur per dare ſpiritum imagini beſtiæ, ut loquatur, eſt quia in omnibus Verbi eſt ſpiritus & vita, Domi-

Dominus enim loquutus est Verbum, inde Ipse est in illo, ac ita loquutus est Verbum, ut singula ibi communicationem habeant cum Cælo, & per Cælum cum Ipso, sensus spiritualis ibi est, per quem datur communicatio; quare Dominus dicit, *Verba quæ Ego loquor vobis*, SPIRITUS ET VITA *sunt*, Joh. VI: 63.

603. *Et faciat ut quicunque non adorant imaginem bestiæ, occidantur, significat quod pronuntient damnationem super illos qui non doctrinam fidei illorum pro sancta doctrina Ecclesiæ agnoscunt.* Per adorare imaginem bestiæ, significatur agnoscere doctrinam fidei illorum pro sancta doctrina Ecclesiæ, nam per adorare significatur pro sancto Ecclesiæ agnoscere, n. 579. 580. 588. 597, & per imaginem bestiæ, significatur doctrina illa, n. 601: per occidi, significatur spiritualiter occidi, quod est damnari, n. 325; & alibi; & quia per occidi, significatur damnari, etiam significatur declarari pro hæretico, & excludi a communione Ecclesiæ, hic enim in oculis illorum spectatur ut damnatus. Hoc faciunt Docti e Clero, qui justificationis arcana in scholis & gymnasiis imbuerunt; imprimis illi, qui in fastu eruditionis propter illa sunt; hi damnant omnes qui non cogitant sicut illi, & quantum audent, fulminant super illos. Hoc possum memorare, quod illi qui arcana illa imbuerunt, & inde in fastu eruditionis fuerunt, in Mundo spirituali tam infensi sint contra illos, qui adorant Solum Dominum, & non solam fidem pro unico medio salutis agnoscunt, ut in excandescentiam iræ & furoris veniant, dum vident illos, & quoque dum e longinquo sentiunt sphæram Divinam Domini, & sphæram charitatis circum illos; quoniam illi tales sunt, ideo describitur draco, ut infensissimus hostis contra illos, ut, Quod *steterit coram Muliere paritura, ut postquam pepererit, fœtum ejus devoraret: quodque ejecerit post mulierem ex ore suo aquam sicut flumen, ut illam a flumine absorptam faceret: & quod iratus contra mulierem abiverit facere bellum cum reliquis seminis ejus*, Apoc. XII: 4. 15. 17. *Quod ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ spiritus tres immundi, similes ranis, exiverint, ad congregandum suos in bellum diei magni Dei Omnipotentis*, Apoc. XVI: 13 ad 16, similiter Cap. XIX: 19. 20. & Cap. XX: 8. 9. 10: *ut &, quod Bestia ascendens ex abysso occiderit duos Testes, & projecerit corpora illorum super plateam Urbis magnæ, quæ spiritualiter vocatur Sodoma & Ægyptus, & non permiserint illa poni in monumenta*, Apoc. XI: 7. 8. 9; per non permittere poni in monumenta, significatur rejicere ut damnatos, n. 506.

V. 16. 604. *Et facit omnes parvos & magnos, & divites & pauperes, & liberos & servos, significat omnes in illa Ecclesia ex quacunque conditione, eruditione & intelligentia sunt.* Per parvos & magnos, hic intelliguntur qui in minori & majori gradu dignitatis sunt, ita ex quacunque conditione; per divites & pauperes, intelliguntur qui in cognitionibus & scientiis plus & minus sunt, n. 206, ita ex quacunque eruditione; per liberos & servos intelliguntur qui sapiunt ex se & qui ex aliis, n. 337, ita ex quacunque intelligentia: inde nunc per omnes parvos & magnos, divites & pauperes, liberos & servos, intelliguntur omnes in illa Ecclesia ex quacunque conditione, eruditione & intelligentia sunt. Hæc in sensu spirituali.

605. *Ut det illis characterem super manu eorum dextra, & super frontibus eorum,* signi-

ſignificat quod nemo pro Chriſtiano Reformato agnoſcatur, niſi qui fide & amore recipit doctrinam illam. Per dare characterem, ſignificatur agnoſcere pro Chriſtiano Reformato, ſeu quod ſit ex confeſſione illa, quam doctrina docet; character eſt agnitio quod talis, ut & confeſſio quod ſit; per manum dextram ſignificatur omne hominis quoad potentiam intellectualem, ita quoad fidem, manus dextra enim ſignificat potentiam hominis, n. 457; per frontem ſignificatur omne hominis quoad potentiam voluntariam, ita quoad amorem, frons enim ſignificat amorem, n. 347.

v. 17 606. *Et ut nemo poſſit emere aut vendere, ſi non habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus, ſignificat quod nemini liceat ex Verbo docere, proinde non inaugurari ſacerdotio, decorari lauru magiſterii, donari pileo doctoratus, & vocari orthodoxus, niſi qui agnoſcit doctrinam illam, ac jurat in fidem & amorem ejus, aut in tale quod ei conforme eſt, aut in tale quod non diſcordat.* Per emere & vendere, ſignificatur comparare ſibi cognitiones, hic quæ illius doctrinæ ſunt, & docere illas, de quo ſequitur; per characterem ſignificatur agnitio pro Chriſtiano Reformato, & confeſſio quod ſit, n. 605; per nomen beſtiæ, ſignificatur quale doctrinæ, per nomen quale, n 81. 122. 165. 584, & per beſtiam ſignificatur doctrina recepta a Laicis, ita a communi Cætu, n. 567; & quia dicitur Aut nomen beſtiæ, ſignificatur quale aut tale quod ei conforme eſt; per numerum ſignificatur quale rei, n 448, & quia dicitur Aut numerus nominis ejus, ſignificatur quale aut tale quod non diſcordat: ita dicitur, quia doctrina, quæ per draconem & ejus beſtiam ſignificatur, non ſimilis eſt in Regnis, ubi ſunt Reformati, at ſimilis quoad hoc principium ſeu caput doctrinæ, Quod FIDES SINE OPERIBUS LEGIS JUSTIFICET ET SALVET. Quod Emere & Vendere ſignificet ſibi comparare cognitiones, ac docere illas, ſimiliter mercari, negotiari, & lucrari, conſtat ex his locis „ *Omnis ſitiens ite ad aquas, & cui non argentum, ite,* EMITE, *& comedite; ite, inquam,* EMITE *ſine argento vinum & lac*, Eſaj. LV: 1. *Gratis venditi eſtis, ideo non per argentum* REDIMEMINI, Eſaj. LII: 3. *In ſapientia tua & in intelligentia tua feceras tibi opes; & per multitudinem ſapientiæ in* NEGOTIATIONE TUA *multiplicaveras tibi opes*, Ezech. XXVIII: 5. Quoniam per Tyrum ſignificatur Eccleſia quoad cognitiones boni & veri, ideo de Tyro dicuntur hæc „ *Omnes naves maris fuerunt ad* NEGOTIANDUM NEGOTIATIONEM *tuam: Tharſchiſh* NEGOTIATRIX TUA *in argento: Javan, Thubal & Meſchech, hi* MERCATORES TUI, *cum anima hominis dederunt* NEGOTIATIONEM *tuam: Syria* NEGOTIATRIX *tua cum chryſopraſo: opes tuæ,* NEGOTIATIONES *tuæ,* MERCATUS *tui,* NEGOTIANTES NEGOTIATIONEM *tuam, cadent in cor marium in die caſus tui*, Ezech. XXVII: 1 ad fin. ~~Ezech. XXXVII: 1 ad fin.~~ *Ejulate naves Tharſchiſhi, quia devaſtata eſt Tyrus, cujus* MERCATORES *principes, &* NEGOTIATORES *honorati terræ*, Eſaj. XXIII: 1 ad 8. Simile per Negotiari intelligitur in Parabola Domini, *de homine peregre profecto, qui dedit ſervis ſuis talenta, ut* NEGOTIARENTUR & LUCRARENTUR, Matth. XXV: 14 ad 20. Et de alio, *Qui dedit ſervis ſuis decem minas, ut cum* illis NEGOTIARENTUR, Luc. XIX: 12 ad 26 Et de *Theſauro abſcondito in agro, quem repertum homo abſcondidit, & vendidit omnia &* EMIT *agrum*, Matth. XIII: 44. Et de-

de quærente pulchras margaritas, qui cum inveniſſet unam pretioſam, vendidit omnia, & EMIT illam, Matth. XIII: 45. 46. *Tales facti ſunt* NEGOTIATORES *tui a juventute; quiſque e regione ſua aberrarunt, non ſalvans te,* Eſaj. XLVII: 15; præter pluries alibi.

V. 18. 607. *Hic ſapientia eſt, ſignificat quod ſapientis ſit ex illis, quæ in hoc Capite dicta & explicata ſunt, videre & intelligere, qualis eſt doctrina & fides de Deo & de ſalvatione apud Clericos.* Dicitur HIC, quia intelliguntur illa quæ in hoc Capite dicta & explicata ſunt, in ſpecie quæ de Beſtia ex terra, per quam ſignificatur doctrina & inde fides de Deo & de ſalvatione apud Clericos, n. 594, nam de hac beſtia, hæc, quæ in hoc Verſu, dicuntur; & quia ſapientis, ſeu ſapientiæ, eſt, videre & intelligere qualis illa doctrina & inde fides eſt, dicitur, hic ſapientia eſt.

608. *Habens intelligentiam computet numerum beſtiæ, ſignificat quod qui in illuſtratione a Domino eſt, cognoſcere poſſit quale confirmationum iſtius doctrinæ & fidei ex Verbo eſt apud illos.* Habens intelligentiam ſignificat in illuſtratione a Domino eſſe; computare numerum, ſignificat cognoſcere quale, per numerum ſignificatur quale, n. 348. 364. 448, & per computare ſignificatur cognoſcere; & quia quale, quod per numerum ſignificatur, eſt quale quoad verum, & omne verum doctrinæ & fidei Eccleſiæ eſt ex Verbo, ideo intelligitur quale confirmationum ex Verbo; hoc etiam eſt quale, quod ſignificatur per numerum ſexcenta ſexaginta ſex, de quo ſequitur.

609. *Numerus enim hominis eſt, ſignificat quale Verbi & inde Eccleſiæ.* Per hominem ſignificatur ſapientia & intelligentia, n. 243, hic ſapientia & intelligentia ex Verbo; ita quoque Verbum quoad ſapientiam & intelligentiam apud hominem Eccleſiæ; ipſa etiam Eccleſia apparet coram Domino ut homo; inde homo Eccleſiæ quoad ſpiritum ſuum in Cælo apparet ut homo ſecundum quale Eccleſiæ ex Verbo apud illum; hoc itaque eſt, quod hic ſignificatur per numerum hominis, quia ſequitur poſt hæc, habens intelligentiam computet numerum beſtiæ, per quæ ſignificatur, quod qui in illuſtratione eſt a Domino cognoſcere poſſit quale confirmationum doctrinæ & fidei de Deo & Salvatione eſt apud Clericos: quale Eccleſiæ ex Verbo etiam ſignificatur per Hominem, n. 920, & quoque alibi.

610. *Numerus ejus ſexcenta ſex, ſignificat quale hoc, quod ab illis omne verum Verbi falſificatum ſit.* Per numerum beſtiæ, ſignificatur quale confirmationum doctrinæ & fidei ex Verbo apud illos, n. 608. 609; per ſexcenta ſexaginta ſex, ſignificatur omne verum boni, & quia hoc de Verbo dicitur, ſignificatur omne verum boni in Verbo, hic illud falſificatum, quia eſt numerus beſtiæ. Quod hoc ſignificetur, eſt quia 6 ſimile ſignificant quod 3 multiplicata in 2, ac 3 ſignificant plenum & omne, & prædicantur de veris, n. 505; ac 2 ſignificant conjugium veri & boni: & quia 6 componuntur ex duobus illis numeris in ſe multiplicatis, ideo ſignificant omne verum boni in Verbo, hic illud falſificatum; quod etiam ab illis falſificatum ſit, videatur ſupra n. 566. Quod dicatur numerus 666, eſt quia in illo numero triplicantur 6, ac triplicatio complet; multiplicatio per 100, unde ſexcenta, ac per 10, unde ſexaginta,

ginta, nihil mutat, videatur supra n. 348. Quod sex significent plenum & omne, & dicantur ubi agitur de veris boni, constare potest ex locis in Verbo, ubi ille numerus nominatur; sed illa istius numeri significatio non apparet clare nisi illis, qui vident res, de quibus agitur, in sensu spirituali, sicut quod Dominus dixerit, *Quod semina quæ ceciderunt in terram bonam, dederint fructum ad* TRIGINTA, *ad* SEXAGINTA, *& ad Centum*, Marc. IV: 8. 20. Matth. XIII: 8. 23. *Quod Paterfamilias exiverit & conduxerit operarios in vineam suam hora* TERTIA *& hora* SEXTA, Matth. XX: 3. 5. *Quod super mensa in Tabernaculo ordinati fuerint Panes in duos ordines, in quovis* SEX, Levit. XXIV: 6. *Quod* SEX HYDRIÆ *positæ fuerint juxta mundationem Judæorum*, Joh. II: 6. *Quod urbes refugii seu azyli essent Sex*, Num. XXXV: 6. 7. Deutr. XIX: 1 ad 9. *Quod calamus mensuræ, quo Angelus mensus est omnia Novi Templi & Novæ Urbis, fuerit* SEX ULNARUM, Ezech. XL: 5. *Quod propheta biberet aquam juxta mensuram*, SEXTAM HINIS, Ezech. IV: 11. *Quod pro oblatione sumerent* SEXTAM EPHÆ *de chomere tritici*, Ezech. XLV: 13. Quoniam sex significant plenum, ideo vox sextare orta est, per quam in sensu spirituali significatur id quod completum est & prorsus, ut *quod* SEXTARENT *epham de chomere hordei*, Ezech. XLV: 13: & de Gogo, *Reverti faciam te, &* SEXTABO TE, Ezech. XXXIX: 2; per quod significatur, quod apud illum prorsus destruetur omne verum boni in Verbo; quinam per Gogum intelliguntur, videatur n. 859.



611. His adjiciam hoc MEMORABILE. Omnes qui ad Cælum præparati sunt, quod fit in Mundo spirituum, qui est medius inter Cælum & Infernum, post exactum tempus, desiderant cum aliquo suspirio Cælum, & mox aperiuntur oculi eorum, & vident viam, quæ tendit ad aliquam societatem in Cælo; hanc viam intrant, & ascendunt, & in ascensu est porta, & ibi custos; hic aperit portam, & sic ingrediuntur; tunc obviam fit eis Inquisitor, qui eis a Moderatore dicit, ut penitius intrent, & inquirant, num alicubi domus sint, quas agnoscant sicut suas, nam pro quovis novitio Angelo est nova domus; & si inveniunt, renuntiant hoc, & manent ibi; at si non inveniunt, redeunt, & dicunt, quod non viderint; & tunc a quodam Sapiente ibi exploratur, num lux quæ in illis est, concordat cum luce quæ in societate est, & imprimis num calor; Lux enim Cæli in sua essentia est Divinum Verum, & Calor Cæli in sua essentia est Divinum Bonum, utrumque procedens a Domino, ut Sole ibi; si alia lux & alius calor, quam lux & calor illius Societatis in illis sunt, non recipiuntur, hoc est, si aliud Verum & aliud Bonum; quare abeunt inde, & per vias inter Societates in Cælo apertas, vadunt; & hoc usque dum inveniunt Societatem affectionibus illorum prorsus congruam, & ibi fit habitatio illorum in æternum; sunt enim ibi inter suos, quemadmodum inter affines & amicos, quos, quia in simili affectione sunt, ex corde amant, & ibi sunt in vitæ suæ faustitate, & in totius pectoris sui ex pace animæ jucunditate; est enim in calore & luce cæli delitium ineffabile, quod communicatur. Ita fit cum illis qui Angeli

Angeli fiunt. Sed qui in malis & falsis sunt, illis ex venia licet ascendere in Cælum; sed cum intrant, incipiunt trahere animam seu respirare cum lucta, & mox obscuratur visus illorum, & caligat intellectus & cessat cogitatio, ac lethus obversatur oculis, & sic stant sicut stipites; & tunc incipit cor pulsare, pectus angustari, & mens corripi angore, ac plus & plus cruciari, & in eo statu se contorquent, sicut serpens admotus igni, quare devolvunt se inde, & per præcipitium, quod tunc eis apparet, se dejiciunt; nec quiescunt quam in inferno apud sui similes, ubi possunt animam trahere, & ubi cor eorum libere vibratur. Postea odio habent cælum, & rejiciunt verum, & corde blasphemant Dominum, credentes quod cruciatus & tormina illorum in Cælo ab Ipso fuerint. Ex his paucis videri potest, qualis sors illorum est, qui nihili pendunt vera, quæ tamen faciunt lucem in qua sunt angeli Cæli, & qui nihili pendunt bona, quæ tamen faciunt calorem in quo sunt angeli Cæli: tum ex his videri potest, quantum errant, qui credunt, quod quisque possit frui beatitudine cælesti, modo admittatur in Cælum: fides enim hodierna est, quod in Cælum recipi, sit ex sola misericordia; & quod receptio in Cælum sit, sicut qui in Mundo in domum nuptiarum venit, & tunc simul in gaudia & lætitias ibi; at sciant, quod communicatio affectionum sit in Mundo spirituali, quoniam homo tunc spiritus est, & vita spiritus est affectio, & ex illa & secundum illam est cogitatio; & quod affectio homogenea conjungat, & affectio heterogenea disjungat, & quod heterogeneum cruciet, diabolum in Cælo, & angelum in Inferno; quamobrem separati sunt juste secundum diversitates, varietates, & differentias affectionum quæ amoris sunt.

Datum est videre ultra trecentos ex Clero Orbis Reformati, omnes eruditos, quia sciverunt solam fidem confirmare usque ad justificationem, & quidam ultra; & quia apud illos quoque erat fides, quod Cælum sit modo admissio ex gratia; data est illis venia ascendendi in unam Cæli Societatem, quæ tamen inter superiores non fuit; & cum ascenderunt simul, tunc e longinquo visi sunt sicut Vituli, & cum intrabant Cælum, recepti sunt ab Angelis civiliter, sed cum colloquebantur, occupavit illos tremor, postea horror, & demum cruciatus sicut mortis, & tunc dejecerunt se præcipites, & in dejectione visi sunt sicut Equi mortui. Quod apparuerint sicut Vituli in ascensu, erat quia affectio naturalis videndi & sciendi exultans apparet ex correspondentia sicut Vitulus; & quod in dejectione apparuerint sicut Equi mortui, erat quia intellectus veri in Verbo apparet ex correspondentia sicut Equus, ac Intellectus nullus veri in Verbo sicut Equus mortuus.

Erant pueri infra qui videbant illos descendentes, ac in descensu visos ut Equos mortuos; & tunc avertebant facies, & dicebant Magistro suo, qui cum illis erat, quid hoc portentum, vidimus homines, & nunc pro illis Equos mortuos; quos quia non potuimus aspicere, avertimus facies; Magister, ne moremur in hoc loco, sed abeamus, & abiverunt; & tunc Magister illos in via instruxit, quid Equus mortuus, dicens; Equus significat Intellectum Verbi, omnes Equi, quos vidistis, illum significarunt; quando enim homo vadit meditans ex Verbo, tunc Meditatio illius e longinquo apparet ut Equus, ge-

nerosus & vivus sicut spiritualiter meditatur Verbum, ac vicissim miser & mortuus sicut materialiter: tunc pueri quærebant, quid est spiritualiter & materialiter meditari ex Verbo; & respondit Magister, illustrabo hoc per exempla; quis, dum legit Verbum, non cogitat de Deo, de Proximo, & de Cælo; omnis qui cogitat de Deo solum ex persona & non ex essentia, is materialiter cogitat; tum qui cogitat de proximo solum ex forma & non ex qualitate, is materialiter cogitat; & qui cogitat de Cælo solum ex loco, & non ex amore & sapientia ex quibus Cælum, is quoque materialiter cogitat: sed dixerunt pueri, nos cogitavimus de Deo ex persona, de proximo ex forma quod sit homo, & de Cælo ex loco, num ideo, cum legimus Verbum, apparuimus tunc alicui ut equi mortui; dixit Magister, non, estis adhuc pueri, & non potuistis aliter, at percepi affectionem sciendi & intelligendi apud vos, quæ quia est spiritualis, cogitavistis etiam spiritualiter. Sed redibo ad priora quæ dixi, quod qui cogitat materialiter, dum legit Verbum, aut meditatur ex Verbo, appareat e longinquo sicut Equus mortuus, at qui spiritualiter, sicut Equus vivus; & quod materialiter cogitet de Deo ac de Trinitate Dei, qui solum ex Persona, & non ex Essentia; sunt enim Attributa Divinæ Essentiæ plura, ut Omnipotentia, Omniscientia, Omnipræsentia, Misericordia, Gratia, Æternitas, & alia; & sunt Attributa procedentia ex Divina Essentia, quæ sunt Creatio & Conservatio, Salvatio & Redemptio, Illustratio & Instructio, omnis qui de Deo solum ex Persona cogitat, facit tres Deos, dicens, quod Unus Deus sit Creator & Conservator, Alter Salvator & Redemptor, ac Tertius Illustrator & Instructor; at omnis qui de Deo ex Essentia cogitat, facit unum Deum, dicens, Deus nos creavit & conservat, nos redemit & salvat, & nos illustrat & instruit; inde causa, quod qui de Trinitate Dei cogitant ex Persona & sic materialiter, non possint aliter ex ideis cogitationis suæ, quæ materialis est, quam facere ex uno Deo tres; sed usque contra cogitationem suam tenentur dicere, quod in unoquovis sit communio omnium attributorum, & hoc unice ex causa, quia sicut per transennam etiam cogitaverunt de Deo ex Essentia; quare mi discipuli, cogitate de Deo ex Essentia, & ex illa de Persona, & non ex Persona, & ex hac de Essentia, cogitare enim ex Persona de Essentia, est materialiter cogitare etiam de Essentia, at cogitare ex Essentia de Persona, est spiritualiter cogitare etiam de Persona: Gentiles antiqui quia materialiter cogitaverunt de Deo, & quoque de Attributis Dei, non modo finxerunt tres Deos, sed etiam plures usque ad centum: sciatis, quod materiale non influat in spirituale, sed spirituale in materiale. Simile est cum cogitatione de proximo ex forma & non ex qualitate ejus, ut & cum cogitatione de Cælo ex loco, & non ex amore & sapientia ex quibus Cælum. Simile est cum omnibus & singulis, quæ in Verbo sunt; quare qui materialem ideam de Deo fovet, & quoque de Proximo & de Cælo, non potest quicquam ibi intelligere, est illi Verbum litera mortua, & ipse apparet e longinquo, dum legit illud, aut meditatur ex illo, sicut Equus mortuus: illi, quos vidistis descendentes e Cælo, factos coram oculis vestris sicut Equos mortuos, fuerunt qui occluserunt visum rationalem apud se & apud alios per peculiare dogma, quod Intellectus captan-

tandus sit sub obedientia fidei eorum; non cogitantes quod Intellectus a religione occlusus sit cæcus sicut talpa, & in illo mera caligo, & talis caligo quæ rejicit a se omnem lucem spiritualem, obstipat influxum ejus a Domino & e Cælo, & ponit pro illo obicem in sensuali corporeo, longe infra rationale, in rebus fidei, hoc est, ponit illum juxta nasum, & figit illum in cartilagine ejus, ex quo postea ne quidem odorari potest spiritualia; unde quidam tales facti sunt, ut dum sentiunt odorem ex spiritualibus, cadant in deliquium; per odorem intelligo perceptionem. Hi sunt qui faciunt Deum tres; dicunt quidem ex Essentia, quod Deus unus sit, at usque dum ex fide sua orant, quæ est, ut Deus Pater misereatur propter Filium & mittat Spiritum Sanctum, manifeste faciunt tres Deos; non possunt aliter, orant enim ad Unum, ut misereatur propter Alterum, & mittat Tertium. Et tunc Magister illorum docuit illos de Domino, quod Ille Deus Unus sit, in Quo Divina Trinitas.



1. ET vidi, & ecce Agnus ſtans ſuper Monte Sion, & cum Ipſo centum quadraginta quatuor millia, habentes Nomen Patris Ipſius ſcriptum ſuper frontibus ſuis.

2. Et audivi vocem e Cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni, & vocem audivi citharædorum pulſantium citharis ſuis.

3. Et canebant tanquam Canticum novum coram Throno, & coram quatuor Animalibus, & Senioribus; & nemo potuit diſcere Canticum, niſi quam illi centum quadraginta quatuor millia, empti de terra.

4. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt inquinati, Virgines enim ſunt; hi ſunt qui ſequentes Agnum quocunque vadit: hi empti ſunt de hominibus, primitiæ Deo & Agno.

5. Et in ore illorum non eſt inventus dolus, immaculati enim ſunt coram Throno Dei.

6. Et vidi alium Angelum volantem in medio Cæli, habentem Evangelium æternum, Evangelizare habitantibus ſuper terra, & omni genti & tribui & linguæ & populo,

7. Dicentem voce magna, timete Deum, & date Ipſi gloriam, quia venit hora judicii Ipſius, & adorate Ipſum qui fecit Cælum & Terram & Mare & Fontes aquarum.

8. Et alius Angelus ſequutus eſt, dicens, cecidit, cecidit Babylon, urbs illa magna, quia ex vino iræ ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes.

9. Et tertius Angelus ſequutus eſt illos, dicens voce magna, ſi quis beſtiam adoraverit, & imaginem ejus, & acceperit characterem ſuper fronte ſua & ſuper manu ſua,

10. Et ille bibet ex vino iræ Dei mixto mero in poculo excandeſcentiæ Ipſius, & cruciabitur igne & ſulphure coram ſanctis angelis & coram Agno.

11. Et fumus cruciatus illorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, & non habebunt requiem diu & noctu adorantes beſtiam & imaginem ejus, & ſi quis acceperit characterem nominis ejus.

12. Hæc patientia ſanctorum eſt, hic cuſtodientes mandata Dei, & fidem Jeſu Chriſti.

13. Et audivi vocem e Cælo dicentem mihi, ſcribe, beati mortui in Domino morientes a nunc; imo dicit ſpiritus, ut requieſ-

quiescant ex laboribus suis, opera enim illorum sequuntur cum illis.

14. Et vidi, & ecce nubes alba, & super nube Sedens similis Filio hominis, habens super capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam.

15. Et alius Angelus exivit e Templo, clamans magna voce Sedenti super nube, mitte falcem tuam & mete, quia venit tibi hora metendi, quia aruit messis terræ.

16. Et misit Sedens super nube falcem suam super terram, & demessa est terra.

17. Et alius Angelus exivit e Templo quod in Cælo, habens & ille falcem acutam.

18. Et alius Angelus exivit ex Altari, habens potestatem super ignem, & clamavit clamore magno habenti falcem acutam, dicens, mitte tuam falcem acutam, & vindemia botros vineæ terræ, quia maturuerunt uvæ ejus.

19. Et misit Angelus falcem suam in terram, & videmiavit vineam terræ, & conjecit in torcular iræ Dei magnum.

20. Et calcatum est torcular extra urbem, & exivit sanguis e torculari usque ad fræna equorum, a stadiis mille sexcentis.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. De Novo Cælo Christiano; describitur Vers. 1 ad 5. Evangelizatio de adventu Domini, & tunc Nova Ecclesia, Vers. 6. 7. 13. Exhortatio ut recedant a fide separata a charitate, in qua est hodierna Ecclesia, n. 9 ad 12. Exploratio horum, & manifestatio, quod opera illorum sint mala, Vers. 14 ad 20.

Contenta singulorum Versuum. Et vidi & ecce Agnus stans super monte Sion, & cum Ipso centum quadraginta millia, *significat* Dominum nunc in Novo Cælo ex Christianis, qui Ipsum pro Deo Cæli & Terræ agnoverunt, & in veris doctrinæ ab Ipso per Verbum fuerunt: habentes Nomen Patris Ipsius in frontibus suis, *sign:* agnitionem Divini & Divini Humani Domini apud illos: & audivi vocem e Cælo tanquam vocem aquarum multarum, *sign:* Dominum loquentem per Novum Cælum ex Divinis Veris: & tanquam vocem tonitrui magni, *sign:* & ex Divino Amore: & vocem audivi citharædorum pulsantium

pulſantium citharis ſuis, *ſign:* confeſſionem Domini ex lætitia cordis ab Angelis ſpiritualibus in inferioribus Cælis: & canebant tanquam Canticum novum coram Throno & coram quatuor Animalibus & coram Senioribus, *ſign:* celebrationem & glorificationem Domini coram Ipſo & coram Angelis ſuperiorum Cælorum: & nemo potuit diſcere Canticum, niſi quam illi centum quadraginta quatuor millia, *ſign:* quod non alii ex Chriſtianis potuerint intelligere, & ſic ex amore & fide agnoſcere, quod Dominus Solus ſit Deus Cæli & Terræ, quam qui a Domino in Novum hoc Cælum recepti ſunt: empti de Terra, *ſign:* quod illi ſint qui a Domino potuerunt regenerari & ſic redimi in mundo: hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt inquinati, virgines enim ſunt, *ſign:* quod non adulteraverint vera Eccleſiæ, & conſpurcaverint illa falſis fidei, ſed quod amaverint vera quia ſunt vera: hi ſunt qui ſequuntur Agnum quocunque vadit, *ſign:* quod conjuncti ſint Domino per amorem & fidem in Ipſum, quia vixerunt ſecundum præcepta Ipſius: & empti ſunt de hominibus, *ſign:* hic ut prius: primitiæ Deo & Agno, *ſign:* initiamentum Cæli Chriſtiani agnoſcentis Deum unum in quo Trinitas, & Dominum eſſe Illum: & in ore illorum non eſt inventus dolus, *ſign:* quod non ex aſtu & propoſito loquantur & perſuadeant falſum & malum: immaculati enim ſunt coram Throno Dei, *ſign:* quia ſunt in veris ex bono a Domino: & vidi alium Angelum volantem in medio cæli habentem Evangelium æternum Evangelizare habitantibus ſuper terra, *ſign:* annuntiationem adventus Domini, & Novæ Eccleſiæ deſcenſuræ e Cælo ab Ipſo; & omni genti & tribui & linguæ & populo, *ſign:* cunctis qui ex religione in bonis ſunt, & ex doctrina in veris: dicentem voce magna, timete Deum, *ſign:* admonitionem ut non faciant mala, quia hoc contra Dominum eſt: & date Ipſi gloriam, quia venit hora judicii Ipſius, *ſign:* agnitionem & confeſſionem, quod omne Verum Verbi ſit a Domino, ſecundum quod omnis homo judicabitur: & adorate Ipſum Qui fecit Cælum & Terram & Mare & Fontes aquarum, *ſing:* quod Dominus Solus colendus ſit, quia Ipſe Solus Creator, Salvator & Redemptor eſt, & ab Ipſo Solo Cælum Angelicum & Eccleſia & omnia illorum ſunt: & alius Angelus ſequutus eſt dicens, cecidit, cecidit Babylon urbs illa magna, *ſign:* quod nunc Religioſum Catholico Romanum quoad ſua dogmata & doctrinalia diſperſum ſit: quia ex vino iræ ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes, *ſign:* quia per prophanationes Verbi, & per adulterationes boni & veri Eccleſiæ, ſeduxit omnes quos dominio ſuo ſubjicere potuit: & tertius Angelus ſequutus eſt illos, dicens voce magna, *ſign:* adhuc a Domino de illis qui in fide ſeparata a charitate: ſi quis beſtiam adoraverit & imaginem ejus, & acceperit characterem ſuper fronte & ſuper manu ſua, *ſign:* qui agnoſcit & recipit doctrinam de juſtificatione & ſalvatione per ſolam fidem, confirmat illam, & vivit ſecundum illam: & ille bibet ex vino iræ Dei mixto mero in poculo excandeſcentiæ Ipſius, *ſign:* quod illi falſificent bona & vera Verbi, & imbuant vitam ex illis falſificatis: & cruciabitur igne & ſulphure coram ſanctis Angelis & Agno: & fumus cruciatus eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, *ſign:* amorem ſui & mundi & cupiditates inde, & ex his faſtum propriæ intelligentiæ, ac cruciatum in inferno ex illis: &

non

non habebunt requiem diu & noctu adorantes bestiam & imaginem ejus, & si quis acceperit characterem nominis ejus, *sign:* statum perpetuum in injucundis apud illos, qui agnoscunt & recipiunt illam fidem, confirmant illam, & vivunt secundum illam: hic patientia sanctorum est, hi custodientes mandata Dei & fidem Jesu, *sign:* quod homo Ecclesiæ Domini per tentationes ab illis exploretur qualis est quoad vitam secundum præcepta Verbi & quoad fidem in Dominum: & audivi vocem e Cælo dicentem mihi, beati mortui in Domino morientes a nunc, *sign:* prædictionem a Domino de statu illorum post mortem, qui e Nova Ecclesia Ipsius erunt, quod illis vita & felicitas æterna: imo dixit Spiritus, ut requiscant ex laboribus suis, *sign:* quod Divinum Verum Verbi doceat, quod qui affligunt animam & crucifigunt carnem propterea, habituri sint pacem in Domino: opera enim illorum sequuntur cum illis, *sign:* sicut amaverunt & crediderunt, & inde fecerunt & loquuti sunt: & vidi & ecce nubes alba, & super nube sedens similis Filio hominis, *sign:* Dominum quoad Verbum: habens super capite suo coronam auream, & in manu sua falcem acutam, *sign:* Divinam Sapientiam ex Divino Amore Ipsius, ac Divinum Verum Verbi: & alius Angelus exivit e Templo, *sign:* Cælum angelicum: clamans magna voce Sedenti super nube, mitte falcem tuam & mete, quia venit tibi hora metendi, quia aruit messis terræ, *sign:* supplicationem Angelorum cæli ad Dominum, ut finem imponat, & judicium faciat, quia nunc ultimus status Ecclesiæ: & misit Sedens super nube falcem suam, & demessa est terra, *sign:* finem Ecclesiæ, quia non amplius Divinum Verum ibi: & alius Angelus exivit e Templo quod in Cælo, habens & ille falcem acutam, *sign:* Cælos Regni Spiritualis Domini, & Divinum Verum Verbi apud illos: & alius Angelus exivit ex Altari, habens potestatem super ignem, *sign:* Cælos Regni cælestis Domini, qui in bono amoris a Domino sunt: & clamavit clamore magno habenti falcem acutam, dicens, mitte tuam falcem acutam, & vindemia botros vineæ terræ, *sign:* operationem Domini ex bono amoris sui per Divinum Verum Verbi sui in opera charitatis & fidei, quæ apud homines Ecclesiæ Christianæ sunt: quia maturuerunt uvæ ejus, *sign:* quia ultimus status Ecclesiæ Christianæ est: & misit Angelus falcem suam in terram, & vindemiavit vineam terræ, *sign:* finem Ecclesiæ hodiernæ Christianæ: & conjecit in torcular iræ Dei magnum, *sign:* explorationem qualia erant opera illorum, quod essent mala: & calcatum est torcular extra urbem, *sign:* quod exploratio facta sit ex Divinis Veris Verbi, qualia essent opera profluentia ex doctrina fidei Ecclesiæ: & exivit sanguis e torculari usque ad fræna equorum, *sign:* violentiam illatam Verbo per diras falsificationes veri, & inde intellectum ita obturatum, ut homo vix doceri possit amplius, & sic duci per Divina vera a Domino: a stadiis mille sexcentis, significat mere falsa mali.

EXPLICATIO.

612. *Et vidi, & ecce Agnus stans super Monte Sion, & cum Ipso centum qua-*

draginta quatuor millia, significat Dominum nunc in Novo Cælo collecto ex illis in Ecclesiis Christianis, qui Dominum Solum pro Deo Cæli & Terræ agnoverunt, & in veris doctrinæ ex bono amoris ab Ipso per Verbum fuerunt. Per vidi, significantur hæc, & quæ in hoc Capite sequuntur; per Agnum intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, n. 269. 271; per Montem Sionis significatur Cælum, ubi illi qui in amore in Dominum sunt, de quo sequitur; per centum quadraginta quatuor millia, significantur omnes qui Solum Dominum pro Deo Cæli & Terræ agnoscunt, & in veris doctrinæ ex bono amoris ab Ipso per Verbum sunt, n. 348 seq. De his actum est in Capite VIImo, sed ibi, quod signati fuerint super frontibus, ita distincti & separati a reliquis; hic nunc quod collecti in unum, & quod ex illis Cælum. Cælum, de quo hic agitur, est Cælum collectum ex Christianis a tempore Domini in Mundo, & ab illis inde qui Solum Dominum adiverunt, & vixerunt secundum præcepta Ipsius in Verbo, fugiendo mala ut peccata contra Deum: hoc Cælum est Cælum Novum, ex quo Sancta Hierosolyma, hoc est, Nova Ecclesia in terris descendet, Apoc. XXI: 1. 2; Cæli autem ante adventum Domini sunt supra illud, & vocantur Cæli antiqui; in quibus etiam omnes agnoscunt Solum Dominum pro Deo Cæli & Terræ; hi Cæli cum Novo hoc Cælo communicant per influxum. Notum est, quod per Terram Canaanem significetur Ecclesia, quia ibi fuit Verbum, & per id Dominus notus; tum quod in medio ejus fuerit Urbs Sion & sub illa urbs Hierosolyma, utraque super Monte; inde per Sionem & Hierosolymam, significata sunt intima Ecclesiæ; & quia Ecclesia in cælis facit unum cum Ecclesia in terris, ideo per Sionem & Hierosolymam intelligitur Ecclesia utrobivis; sed per Sionem Ecclesia quoad amorem, & per Hierosolymam Ecclesia quoad doctrinam inde. Dicitur Mons Sion, quia per Montem significatur amor, n. 336. Quod per Montem Sionem significetur Cælum & Ecclesia, ubi Solus Dominus colitur, constare potest a sequentibus locis „ Ego unxi REGEM MEUM SUPER SIONEM; *annuntiabo de statuto, Filius meus Tu, Ego hodie genui Te; dabo gentes hæreditatem tuam: osculamini Filium, ne irascatur & pereatis; beati omnes confidentes in Ipsum*, Psalm. II: 6. 7. 8. 12. *Super Montem altum ascende* EVANGELIZATRIX SION, *dic, ecce Dominus Jehovih in forti venit*, Esaj. XL: 9 10. *Exulta valde* FILIA SIONIS, *ecce Rex tuus tibi venit Justus & Salvator*, Sach. IX: 9. Matth. XXI: 2. 4. 5. Joh. XII: 14. 15 *Exclama & jubila* HABITATRIX SIONIS, *quia magnus in medio tui Sanctus Israelis*, Esaj. XII: 6. *Redempti Jehovæ revertentur* SIONEM *cum cantu*, Esaj. XXXV: 10. *Jubila & lætare* FILIA SIONIS, *ecce Ego veniens ut habitem in medio tui*, Sach. II: 14. 15. *Quis dabit in* SIONE *salutem Israelis*, Psalm. XIV: 7. Psalm. LIII: 7. *Fundabit Dominus Jehovih in* SIONE *lapidem probationis, & tunc abolebitur fœdus vestrum cum morte*, Esaj. XXVIII: 16. 17. 18. *Salus mea non morabitur, dabo in* SIONE *salutem*, Esaj. XLVI: 13. *Tunc veniet* SIONI *Redemptor*, Esaj. LIX: 20. *Regnabit Jehovah Zebaoth in* MONTE SIONIS, Esaj. XXIV: 23. *Amat Jehovah portas* SIONIS *præ omnibus habitaculis Jacobi, gloriosa prædicanda in te* URBS DEI, *hic natus est ibi, omnes fontes mei in te*, Psalm. LXXXVII: 1. 2. 5. 6. 7. *Elegit*

Jeho-

B.a. 10, 11
B.a. 6
2. 3, 6, 7

Jehovah SIONEM, *desideravit in sedem Sibi, hæc requies mea in æternum; ibi habitabo*, Psalm. CXXXII: 13. 14. FILII SIONIS *exultent in Rege suo*, Psalm. CXLIX: 2. 3. *Jehovah surge, & miseriaris* SIONIS, *venit tempus statutum, annuntiabitur in* SIONE *Nomen Jehovæ, quando congregabuntur Populi una; & Regna ad serviendum Jehovæ*, Psalm. CII: 14 ad 17. 22. 23. E SIONE *Deus effulgebit, venit Deus noster & clamabit ad Cælum sursum, & ad terram, colligite Mihi sanctos meos*, Psalm. L: 1 ad 5; præter alibi, ut Esaj. I: 27. Cap. IV: 3. 5. Cap. XXXI: 4. 9. Cap. XXXIII: 5. 20. Cap. XXXVII: 22. Cap. LII: 1. Cap. LXIV: 9. Jerem. VI: 2. Thren. IV: 2. Amos I: 2. Mich. III: 10. 12. Cap. IV: 1. 2. 3. 7. 8. Zeph. III: 14. 15. Joel IV: 16. 17. 21. Sach. VIII: 3. Psalm. XX: 3. 6. Psalm. XLVIII: 3. 4. 12 ad 15. Psalm. LXXVI: 3. Psalm. LXXVIII: 68. Psalm. CX: 1. 2. Psalm. CXLIX: 2. 4. Psalm. CXIX: 2. 4. Psalm. CXXVI: 1. Psalm. CXXVIII: 5. 6. Psalm. CXXXIV: 3. Psalm. CXXXV: 20. Psalm. CXLVI: 10. Multis in locis dicitur VIRGO ET FILIA SIONIS, per quam non intelligitur aliqua Virgo aut Filia ibi, sed Ecclesia quoad affectionem boni & veri, simile quod per Sponsam Agni, Apoc. XXI: 2. 9. Cap. XXII: 17: Virgo & Filia Sionis Ecclesiam Domini significat in his locis, Esaj. I: 8. Cap. III: 16. 17. 16 ad 26. Cap. IV: 4. Cap. X: 32. Cap. XVI: 1. Cap. XXVII: 22. Cap. LII: 2. Cap. LXII: 11. Jerem. IV: 31. Cap. VI: 2. 23. Thren. I: 6. Cap. II: 1. 4. 8. 10. 13. 18. Cap. IV: 22. Mich. I: 13. Cap. IV: 8. 10. 13. Zeph. III: 24. Sach. II: 10. 14. Cap. IX: 9. Psalm. IX: 15, & alibi.

613. *Habentes Nomen Patris Ipsius scriptum in frontibus suis, significat agnitionem Divini ac Divini Humani Domini ex amore & fide apud illos.* Per Nomen Patris intelligitur Dominus quoad Divinum a Quo quod vocatur Pater, & simul quoad Divinum Humanum quod vocatur Filius, quoniam unum sunt & una Persona, unita sicut anima & corpus; quare in Cælo per Deum Patrem non intelligitur alius quam Dominus; & quoque Dominus in Cælo Novo vocatur Pater: quod hic dicatur Nomen Patris in frontibus illorum, est quoque quia per Patrem intelligitur Divinum Bonum Divini amoris Domini, quod in Verbo Evangelistarum ubivis intelligitur per Patrem cum a Domino nominatur, ac Divinum Verum Divinæ sapientiæ per Filium; quæ duo unita sunt sicut anima corpori & corpus animæ, quando Dominus Humanum suum glorificavit, videatur n. 21. 170: & quia unum sunt, ideo dicitur alibi, *Nomen Dei & Agni in frontibus suis*, Cap. XXII: 4; de his itaque, de quibus hic agitur, dicitur quod Nomen Patris haberent scriptum in frontibus, quia per 144000 signatos ex 12 tribubus Israelis intelliguntur Angeli superiorum cælorum, qui omnes in bono amoris cælestis sunt, & per Patrem, ut dictum est, id bonum intelligitur. Quod angeli, de quibus hic agitur, sint Angeli superiorum Cælorum, videatur in Explicatione Capitis VIImi, in specie n. 362 ibi. Per scriptum in frontibus, significatur agnitio ex amore & fide in illis, per scriptum seu inscriptum, significatur agnitio in illis, & per frontem significatur amor & inde intelligentia seu fides, n. 347. 605. Quod Divinum, quod Pater vocatur, ac Divinum Humanum quod Filius, sint unum sicut anima & corpus,

corpus, & consequenter quod Dominus quoad Divinum Humanum adeundus sit, & quod ita & non aliter adeatur Divinum quod Pater vocatur, constare potest ex tam multis locis in Verbo, ut implerent membranas si adducerentur; in aliqua copia adducta sunt in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO; n. 29 ad 36. 38 ad 45 seq. ex qua hic solum aliqua in confirmationem afferentur, quæ sunt „ *Dixit Angelus Mariæ ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis Nomen Ejus Jesum. Hic erit magnus,* & FILIUS ALTISSIMI *vocabitur: sed Maria dixit, quomodo fiet hoc; quoniam virum non cognosco; respondit Angelus,* SPIRITUS SANCTUS VENIET SUPER TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TE, *unde quod nascetur ex te* SANCTUM, *vocabitur* FILIUS DEI, Luc. I: 31. 38. *Angelus Domini in somnio apparuit Josepho, dicens, ne timeas accipere Mariam Sponsam tuam, nam quod in ea natum,* EX SPIRITU SANCTO EST; & JOSEPH NON COGNOVIT EAM, *usque dum peperit Filium suum primogenitum,* Matth. I: 20. 25. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* & DEUS ERAT VERBUM, & VERBUM CARO FACTUM EST, *& vidimus gloriam Ipsius, sicut gloriam* UNIGENITI A PATRE, Joh. I: 1. 2. 14. *Judæi quærebant Jesum interficere,* QUOD PATREM PROPRIUM DIXISSET DEUM, PAREM SE IPSUM FACIENS DEO: *respondit Jesus, quæ Pater facit, hæc etiam similiter facit Filius; quemadmodum Pater suscitat mortuos & vivificat, ita etiam Filius quos vult vivificat: amen dico vobis, quod veniet hora, quando mortui audient vocem Filii Dei, & qui audient, vivent,* Joh. V: 18 ad 26. *Quemadmodum* PATER HABET VITAM IN SE IPSO, *ita dedit* FILIO VITAM HABERE IN SE IPSO, Joh. V: 26. *Ego sum via, veritas & vita,* NEMO VENIT AD PATREM NISI PER ME: *si Me cognovistis, etiam Patrem meum cognovistis, & abhinc cognovistis Ipsum & vidistis Ipsum. Dicit Ipsi Philippus, monstra nobis Patrem; dicit illi Jesus, tantum tempus vobiscum sum, & non nosti Me, Philippe;* QUI VIDIT ME VIDIT PATREM, *quomodo ergo tu dicis, monstra nobis Patrem; nonne credis, quod* EGO IN PATRE ET PATER IN ME MANET; *credite Mihi, quod* EGO IN PATRE ET PATER IN ME, Joh. XIV: 6 ad 11. *Ego vitam æternam do ovibus meis;* EGO ET PATER UNUM SUMUS. *Et Judæi indignati, quod Se Ipsum faceret Deum; & dixit, facio opera Patris, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quod* PATER IN ME ET EGO IN PATRE, Joh. X: 28 ad 38. QUI VIDET ME, VIDET IPSUM QUI MISIT ME, Joh. XII: 45. OMNIA QUÆCUNQUE PATER HABET MEA SUNT, Joh. XVI: 15. *Quod* PATER DEDERIT OMNIA IN MANUS IPSIUS, Joh. XIII: 3. PATER, DEDISTI MIHI POTESTATEM OMNIS CARNIS; *hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum Deum, & Quem misisti Jesum Christum:* OMNIA MEA TUA SUNT ET TUA MEA, Joh. XVII: 2. 3. 10. DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN CÆLIS ET IN TERRIS, Matth. XXVIII: 18. *Quodcunque petieritis in Nomine meo,* HOC FACIAM, & EGO FACIAM, Joh. XIV: 13. 14. *Spiritus veritatis non loquetur ex seipso, sed* EX MEO ACCIPIET, *& annuntiabit vobis,* Joh. XVI: 13. 14. *Qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia* SINE ME NON POTESTIS FACERE QUICQUAM, Joh. XV: 5; Præter alibi. Sunt adhuc plura in Veteri Testamento, ex quibus etiam aliqua afferentur, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, super cujus humero Principatus, & vocabitur Nomen Ipsius, Mirabilis, Consiliarius,*

Deus, *Heros*, Pater æternitatis, *Princeps pacis*, Esaj. IX: 5. *Virgo concipiet Filium, & vocabitur Nomen Ipsius* Deus nobiscum, Esaj. VII: 14. *Ecce dies venient, cum suscitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex; & hoc Nomen Ipsius, quod vocabunt Ipsum*, Jehovah Justitia nostra; Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16. *Tunc dicetur in die illo; ecce Deus noster quem exspectavimus, ut liberet nos*, Jehovah quem exspectavimus; *exultemus & lætemur in Salute Ipsius*, Esaj. XXV: 9. *Tantummodo inter te Deus, & præterea non Deus; profecto Tu Deus occultus*, Deus Israelis Salvator, Esaj. XLV: 14. 15. *Nonne Ego Jehovah, & non amplius Deus præter Me*, Deus Justus et Salvator non præter Me, Esaj. XLV: 21. 22. Ego Jehovah, et non præter Me Salvator, Esaj. XLIII: 11. *Ego Jehovah Deus tuus, & Deum præter Me non agnosces, &* Salvator non præter Me, Hosch. XIII: 4. Tu Jehovah Pater noster, Redemptor noster *a sæculo Nomen tuum*, Esaj. LXIII: 16. *Sic dixit Rex Israelis, &* Redemptor ejus Jehovah Zebaoth, *Ego Primus & Ultimus, & præter Me non Deus*, Esaj. XLIV: 2. *Sic dixit* Jehovah Redemptor tuus, *Ego Jehovah faciens omnia, & Solus a Me Ipso*, Esaj. XLIV: 24. *Sic dixit* Jehovah Redemptor tuus, *Sanctus Israelis, Ego Jehovah Deus tuus*, Esaj. XLVIII: 17. Jehovah *Petra mea, &* Redemptor meus, Psalm. XV: 15. Redemptor eorum fortis Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius, Jerem. L: 34. *Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius, &* Redemptor tuus Sanctus Israelis, Deus totius Terræ vocabitur, Esaj. LIV: 5. *Ut sciat omnis caro, quod* Ego Jehovah Salvator tuus et Redemptor tuus fortis Jacobi, Esaj. XLIX: 26. Cap. LX: 60. *Quod ad* Redemptorem nostrum, Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius, Esaj. XLVII: 4. *Sic dixit* Redemptor tuus Jehovah, Esaj. XLIII: 14. Cap. XLIX: 7. Et alibi, ut Luc. I: 68. Esaj. LXII: 11. 12. Cap. LIII: 1. 4. 9. Jerem. XV: 20. 21. Hosch. XIII: 4. 14. Psalm. XXXI: 6. Psalm. XLIV: 27. Psalm. XLIX: 16. Psalm. LV: 18. 19. Psalm. LXIX: 19. Psalm. LXXI: 23. Psalm. CIII: 1. Psalm. CVII: 2. Psalm. CXXX: 7. 8. Et apud Sachariam, In die illo erit Jehovah in Regem super totam Terram, in die illo erit Jehovah unus, et Nomen Ipsius unum, XIV: 9. Sed hæc pauca sunt.

614. *Et audivi vocem e Cælo, tanquam vocem aquarum multarum, significat Dominum loquentem per Novum Cælum ex Divinis veris.* Per vocem e Cælo, significatur vox seu loquela a Domino per Cælum; nam dum auditur vox e Cælo, est a Domino; hic per Novum Cælum ex Christianis, quod intelligitur per Montem Sionis super quo Agnus visus est stare, & cum Ipso centum quadraginta quatuor millia, n. 612. 613; per aquas multas significantur Divina Vera, n. 50: similiter de Domino loquente per Cælum ex Divinis Veris, dicitur in sequentibus his locis, *Audita est vox Filii Hominis, sicut* Vox aquarum multarum; Apoc. I: 24. *Et vox e Throno tanquam* Vox aquarum multarum, Apoc. XIX: 6. *Et vox Dei Israelis tanquam* Vox aquarum multarum, Ezech. XLIII: 2. *Vox Jehovæ super aquis*, Jehovah super Aquis multis, Psalm. XXIX: 3. *Sonus alarum Cheruborum sicut* Sonus aquarum magnarum,

Ezech. I: 24; per Cherubos significatur Verbum, n. 239, ita Divinum Verum, ex quo Dominus loquitur.

615. *Et tanquam vocem tonitrui magni, significat Dominum loquentem per Novum Cælum ex Divino amore.* Quod fulgura, tonitrua & voces, significent illustrationem, perceptionem & instructionem, videatur supra n. 236; & quod septem tonitrua loquentia, significent Dominum loquentem per universum Cælum, n. 472. Dominus cum loquitur per Cælum, loquitur e Tertio Cælo per Secundum Cælum, ita ex Amore per Divinam Sapientiam, Tertium enim Cælum est in Divino Amore Ipsius, & Secundum Cælum in Divina Sapientia Ipsius; Dominus nusquam aliter loquitur, dum e Cælis superioribus; & hæc sunt quæ intelliguntur per vocem tanquam aquarum multarum & per vocem tonitrui magni, aquæ multæ sunt Divina vera Divinæ sapientiæ, & tonitru magnum est Divinum Bonum Divini Amoris.

616. *Et vocem audivi citharædorum pulsantium citharis suis, significat confessionem Domini ex lætitia cordis ab Angelis spiritualibus in inferioribus Cælis.* Quod pulsare cithara, significet confiteri Dominum ex veris spiritualibus, videatur supra n. 276; quod ex lætitia cordis, sequitur; inde per citharædos, significantur Angeli spirituales. Quod hi sint Angeli inferiorum Cælorum, est quia vox Domini per Cælos superiores audita erat tanquam vox aquarum multarum, & tanquam vox tonitrui magni, n. 614. 615. Quod audita sit vox citharædorum pulsantium citharis, est quia sonus aut sermo defluens ex inferioribus Cælis quandoque auditur sicut sonus cithararum; non quod pulsent citharis, sed quia vox confessionis Domini ex lætitia cordis ita auditur infra.

v. 3. 617. *Et canebant tanquam canticum novum coram Throno, & coram quatuor Animalibus & coram Senioribus, significat celebrationem & glorificationem Domini coram Ipso, & coram Angelis superiorum Cælorum.* Quod per canebant Canticum novum, significetur agnitio & glorificatio Domini, quod Solus sit Judex, Redemptor, Salvator, ita Deus Cæli & Terræ, videatur supra n. 279; quod coram Throno sit coram Domino, est quia Ipse Solus super Throno sedet; quod coram quatuor Animalibus & coram Senioribus, sit coram Angelis superiorum Cælorum, n. 369: per tanquam Canticum Novum, significatur celebratio & glorificatio Domini in Novo Cælo Christiano, hic in specie quod sit agnitus pro Deo Cæli & Terræ, sicut agnoscitur in Cælis antiquis; hæc involvit vocula TANQUAM, nam tanquam Canticum novum est tanquam id novum sit, cum tamen non est novum. Quod Novum Cælum, de quo dicitur in Apocalypsi Cap. XXI: 1, sit Novum Cælum ex Christianis, & quod priores Cæli sint ex Antiquis & ex Antiquissimis; tum quod Dominus in his Cælis agnoscatur pro Deo Cæli & Terræ, dictum est prius.

618. *Et nemo potuit discere Canticum, nisi quam illi centum quadraginta quatuor millia, significat quod non alii ex Christianis potuerint intelligere, & sic ex amore & fide agnoscere, quod Dominus Solus sit Deus Cæli & Terræ, quam qui a Domino in Novum hoc Cælum recepti sunt.* Per Canticum hoc significatur agnitio & glorificatio Domini, quod Deus Cæli & Terræ sit, n. 279. 617; per discere, signi-

ſignificatur interius in ſe percipere quod ita ſit, quod eſt intelligere, & ſic recipere & agnoſcere; qui aliter diſcit, is diſcit & non diſcit, quia non retinet; per centum quadraginta quatuor millia, intelliguntur qui Dominum Solum pro Deo Cæli & Terræ agnoſcunt, n. 612. Quod non alii ex Chriſtianis potuerint diſcere hoc Canticum, hoc eſt, agnoſcere, quod Dominus Solus ſit Deus Cæli & Terræ, eſt quia ab infantia imbuerunt, quod tres Perſonæ Divinitatis eſſent, diſtinctæ inter ſe; nam in Doctrina Trinitatis, dicitur, *Alia eſt Perſona Patris*, *alia Filii*, *& alia Spiritus Sancti*; tum, *Pater eſt Deus*, *Filius eſt Deus*, *& Spiritus Sanctus eſt Deus*; & tametſi ibi adjicitur, quod Tres illi Unum ſint, uſque in cogitatione ſua diviſerunt Divinam Eſſentiam in Tres, quæ tamen non dividi poteſt: & propterea adiverunt Patrem, quia Primus in ordine eſt; & inſuper Anteſignani in Eccleſia docuerunt, ut orarent ad Patrem propter Filium ut mittat Spiritum Sanctum, per hoc confirmata eſt idea cogitationis illorum de Tribus, & tunc non poſſunt cogitare de Filio ut Deo, æquali cum Patre, & uno cum Patre, ſed de Filio ut æquali cum alio homine, tametſi Ipſe quoad Humanum eſt Solus Juſtitia, & *vocatur* JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16: ex illa idea cogitationis illorum, factum eſt, quod non potuerint comprehendere, quod Dominus ut natus in Mundo, poſſit Deus Cæli & Terræ eſſe, & adhuc minus, quod Solus Deus ſit, utcunque audiverunt & legerunt omnia illa, quæ ſupra n. 613, allata ſunt, & quoque hæc ibi „ *Omnia quæcunque Pater habet Mea ſunt*, Joh. XII: 45. *Pater dedit omnia in manum Filii*, Joh. XIII: 3. *Pater dediſti Mihi poteſtatem omnis carnis*: *omnia Mea Tua ſunt & Tua Mea*, Joh. XVII: 2. 3 10. *Data eſt Mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra*, Matth. XXVIII: 18: tum quod *conceptus ſit a Jehovah Patre*, & inde quod Anima Ipſius ab Ipſo ſit, Luc I: 34. 38; inde Ipſi Divina Eſſentia; præter ſimilia multa alibi; quod illa dicta ſint de Domino nato in Mundo, quiſque poteſt videre: ut &, Quod *Ipſe & Pater unum ſint*; ac quod *Ipſe in Patre & Pater in Ipſo ſit*; & quod *qui videt Ipſum*, *videat Patrem*, Joh. X: 28 ad 38. Cap. XIV: 6 ad 11. Hæc tametſi audiverunt & legerunt, uſque tamen non recedere potuerunt ab idea concepta in pueritia, & poſtea a docentibus confirmata, quæ in tantum occluſit rationale illorum, ut non potuerint videre, hoc eſt, intelligere hæc Domini verba „ *Ego ſum Via*, *Veritas & Vita*, *nemo venit ad Patrem niſi per Me*, Joh. XIV: 6. *Qui non ingreditur per januam*, *in caulam ovium*, *ſed aſcendit aliunde*, *is eſt fur & latro*; *Ego ſum Janua*, *per Me ſi quis introiverit*, *ſalvabitur*, Joh. X: 1. 9. Tum quod Dominus glorificaverit Humanum ſuum, hoc eſt, univerit Illud Divino Patris, hoc eſt, Divino quod in Ipſo fuit a conceptione, propter cauſam, ut Genus humanum poſſit uniri Deo Patri in Ipſo & per Ipſum; quod hoc fuerit cauſa adventus Domini in Mundum, & glorificationis Humani Ipſius, docet plene apud Johannem, Cap. XIV. XV. XVII: dicit enim „ *In die illo cognoſcetis*, *quod Ego in Patre meo*, *& vos in Me*, *& Ego in vobis*, Joh. XIV: 20. *Qui manet in Me & Ego in illo*, *hic fert fructum multum*; *quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*: *niſi quis manſerit in Me*, *ejectus eſt foras*, *ſicut palmes arefactus in ignem*, Joh. XV: 3. 4. *Pro illis Ego ſanctifico*

Me

[XVI. 15; tum videatur cap.]

5. 6

Me Ipsum, ut etiam illi sint sanctificati in veritate, ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, & Ego in Te, Ego in illis & Tu in Me, Joh. XVII: 21. 23. 26. tum Cap. VI: 56, & alibi: ex quibus clare patet, quod adventus Domini in Mundum, & glorificatio Humani Ipsius, pro fine habuerint conjunctionem hominum cum Deo Patre in Ipso & per Ipsum, ita quod Ipse adeundus sit: hoc quoque confirmat Dominus per id, quod toties dixerit, *quod credendum sit in Ipsum, ut vitam æternam habeant*, videatur supra n. 553. Quis non videre potest, quod hæc & illa a Domino dicta sint de Ipso in Humano suo, & quod nusquam dixerit, nec dicere potuerit, quod Ipse in hominibus & homines in Ipso essent, & quod credendum sit in Ipsum, ut vitam æternam habeant, nisi Humanum Ipsius esset Divinum. Per petere Patrem in Nomine Ipsius, non intelligitur immediate adire Deum Patrem, nec petere propter Ipsum, sed adire Dominum, & Patrem per Ipsum, quia Pater in Filio est, ac unum sunt, ut Ipse docet; in Nomine Ipsius hoc significat; ut etiam constare potest ex his, *Qui non credit in Filium, jam judicatus est, quia non credidit in* NOMEN UNIGENITI FILII DEI, Joh. III: 17. 18. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus Christus sit Filius Dei, &* UT CREDENTES VITAM HABEATIS IN NOMINE IPSIUS, Joh. XX: 31. *Jesus dixit, qui hunc puerum suscipit in* NOMINE MEO, *Me suscipit, &* QUI ME SUSCIPIT, SUSCIPIT IPSUM QUI MISIT ME, Luc. IX: 48. *Quicquid* PETIERITIS IN NOMINE MEO, HOC EGO FACIAM, Joh. XIV: 13. 14; præter in aliis locis, ubi dicitur in NOMINE DOMINI, Matth. VII: 22. Cap. XVIII: 5. 20. Cap. XIX: 29. Cap. XXIII: 39. Marc. IX: 37. Cap. XVI: 17. Luc. XIII: 35. Cap. XIX: 38. Cap. XXIV: 47. Joh. I: 12. Cap. II: 23. Cap. V: 43. Cap. XII: 13. Cap. XV: 16. Cap. XVI: 23. 24. 26. 27. Cap. XVII: 6. Quid Nomen Dei, & quod Nomen Patris sit Dominus quoad Divinum Humanum, videatur supra, n. 81. 165. 584.

619. *Empti de terra, significat quod illi sint qui a Domino potuerunt regenerari & sic redimi in Mundo.* Per emptos de terra, significantur redempti in Mundo; quod redemptio sit liberatio ab inferno, & salvatio per conjunctionem cum Domino, videatur, n. 281; & quia hoc fit per regenerationem, ideo per emptos significantur regenerati & sic redempti a Domino; & quia omnes possunt regenerari & sic redimi, si volunt, & pauci volunt, ideo per emptos de terra, significatur quod illi sint qui a Domino potuerunt regenerari & sic redimi: quales hi sunt, describitur nunc, Vers. 4 & 5.

v. 4 620. *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt inquinati, virgines enim sunt, significat quod non adulteraverint vera Ecclesiæ, & conspurcaverint illa falsis fidei, sed quod amaverint vera quia sunt vera.* Quod Mulier significet Ecclesiam ex affectione veri, & inde in opposito sensu Ecclesiam ex affectione falsi, videatur supra n. 434. 533, hic Ecclesiam ex affectione veri, quia dicitur cum mulieribus non inquinati; inquinari cum mulieribus simile significat cum adulterari & scortari; quod adulterari & scortari significet adulterare & falsificare Verbum, videatur etiam supra n. 134: virgines enim sunt, significat quia amaverunt vera quia vera sunt, ita ex affectione spirituali; causa quod hi per Virgines intelligantur, est quia Virgo significat Ecclesiam ut Sponsam, quæ vult conjungi

jungi Domino, & fieri uxor, & Ecclesia quæ vult conjungi Domino, illa amat vera quia vera sunt, nam per vera, dum vivitur secundum illa, fit conjunctio. Inde est, quod Israel, Sion & Hierosolyma, in Verbo dicantur Virgines & Filiæ, per Israelem enim, Sionem & Hierosolymam, significatur Ecclesia. Quod omnes illi, qui ab Ecclesia Domini tales sunt, sive sint virgines aut juvenes, uxores aut mariti, pueri aut senes, puellæ aut vetulæ, per Virgines intelligantur, constare potest ex Verbo, ubi Virgines nominantur, ut Virgo Israel, Jerem. XVIII: 13. Cap. XXXI: 4. 21. Amos. V: 2. Joel I: 8. Virgo Filia Jehudæ, Thren. I: 15. Virgo Filia Sionis, II Reg. XIX: 21. Esaj. XXXVII: 22. Thren. I: 4. Cap. II: 13. Virgines Hierosolymæ, Thren. II: 10. Virgo populi mei, Jerem. XIV: 17. Quare *Dominus assimilavit Ecclesiam* Decem Virginibus, Matth. XXV: 1 seq. & dicitur apud Jeremiam „ *Ædificabo te, ut ædificata sis* Virgo Israel, *denuo exibis in chorum ludentium*, XXXI: 4. 13: & apud Davidem, *Viderunt gressus tuos, Deus, gressus Dei mei, Regis mei in Sanctuario, in medio* Virginum tympanizantium, Psalm. LXVIII: 25. 26; & alibi „ Filiæ Regum *inter pretiosas suas, consistit Regina ad dextram tuam in auro optimo ophiris: audi* Filia *& vide; delectabitur Rex pulchritudine tua: etiam* Filia Tyri *afferet munus, facies tuas deprecabuntur divites populi;* tota pretiosa Filia Regis *intus; de implexis auri vestis ejus, in acupictis adducetur Regi;* Virgines *post illam,* Amicæ ejus, *venient in palatium Regis*, Psalm. XLV: 10 ad 16; ibi per Regem intelligitur Dominus, per Reginam Ecclesia ut uxor, per filias & virgines affectiones boni & veri. Similes affectiones per virgines significantur in Verbo alibi, ubi juvenes simul nominantur, quia juvenes significant vera, ac virgines affectiones illorum; ut in sequentibus locis „ *Ecce dies venturi, quibus immittam famem in terra, non famem ad panem, nec sitim ad aquas, sed ad audiendum verba Jehovæ; in die illo deficient* Virgines *pulchræ, &* Juvenes *siti*, Amos VIII: 11. 13. *Erubesce Zidon, dixit Mare, non parturivi, nec peperi; & non educavi* Juvenes, *adolescere feci* Virgines, Esaj. XXIII: 4. *Torcular calcavit Dominus* Virgini Filiæ Sionis: *videte dolorem meum,* Virgines *&* Juvenes *iverunt in captivitatem*, Thren. I: 4. 15. 18. *Quantum bonum Ipsius, & quanta pulchritudo Ipsius, frumentum* Juvenes, *& mustum adolescere fecit* Virgines, Sach. IX: 17. *Implebuntur plateæ urbis* Pueris et Puellis *ludentibus in plateis meis*, Sach. VIII: 5. *Sedent in terra* Virgines Hierosolymæ; *cui assimilabo te* Virgo Filia Sionis, Virgines *meæ &* Juvenes *jacuerunt in plateis*, Thren. II: 10. 13. 21; præter alibi, ut Jerem. LI: 20 ad 23. Thren. V: 10. 11. 12. Ezech. IX: 4. 6. Psalm. LXXVIII: 62. 63. 64. Deutr. XXXII: 25.

621. *Hi sunt qui sequuntur Agnum quocunque vadit; significat quod conjuncti sint Domino per amorem & fidem in Ipsum, quia vixerunt secundum præcepta Ipsius.* Quod hæc significentur, patet ab his Domini verbis, *Qui facit præcepta mea ille amat Me, & amabo illum, & ad illum veniam, & apud illum mansionem faciam*, Joh. XIV: 20 ad 23. Et alibi „ *Pastor ovium, quando proprias oves eduxerit, coram illis incedit, & oves Ipsum sequuntur, quia sciunt vocem Ipsius: oves meæ vocem meam audiunt, & Ego cognosco eas, & sequuntur Me*, Joh. X: 4. 5.

[? tacent Seniores Filiae Sionis, descendere fecerunt in terram caput suum]

622. *Hi empti sunt de hominibus, significat quod sint qui a Domino potuerunt regenerari, & sic redimi in Mundo,* ut supra n. 619, ubi similia.

623. *Primitiæ Deo & Agno, significat initiamentum Cæli Christiani agnoscentis Deum unum in quo Trinitas, & Dominum esse Illum.* Per Primitias intelligitur quod primum nascitur, tum quod primum colligitur, ita initiamentum, hic Novi Cæli ex Christianis; per Deum & Agnum intelligitur hic, ut supra, Dominus quoad Ipsum Divinum a Quo, & quoad Divinum Humanum, tum quoad Divinum Procedens, ita Deus unus in Quo Trinitas. Hic dicetur aliquid de Primitiis; in Ecclesia Israelitica mandatum est, *ut Primitiæ frugum, omnis frumenti, olei & musti, fructuum arboris, tum velleris, darentur Jehovæ ut sanctæ, & a Jehovah datæ Aharoni, & post eum Sacerdoti Magno,* Exod. XXII: 28. Cap. XXIII: 18. Num. XIII: 20. Cap. XV: 17 ad 22. Cap. XVIII: 8 ad 20. Deutr. XVIII: 14. Cap. XXVI: 1 seq: Tum, *Quod celebrarent Festum Primitiarum messis & panis,* Exod XXIII: 14. 15. 16. 19. 26. Levit. XXIII: 9 ad 15. 20 ad 25. Num. XXVIII: 26 ad fin. Causa erat, quia Primitiæ significabant id quod primum nascitur, & postea succrescit, sicut Infans in hominem, & Surculus in arborem, & inde significabant omne sequens usque dum fit completum, nam omne sequens in Primo est, sicut homo in infante, & arbor in surculo; & quia hoc Primum existit ante successiones, similiter in Cælo & in Ecclesia, ideo Primitiæ sanctæ fuerunt Domino, & Festum primitiarum celebratum est. Similia per Primitias significantur, Jerem. XXIV: 1. 2. Ezech XX: 40. Mich. VII: 1. Deut. XXXIII: 15. 21.

624 *Et in ore illorum non est inventus dolus, significat quod non ex astu & proposito loquantur & persuadeant falsum & malum.* Per os significatur loquela, prædicatio & doctrina, n. 453; & per dolum, significatur persuasio mali per falsum, proprie ex astu & proposito; qui enim persuadet aliquid ex astu seu dolo, ille etiam persuadet ex proposito, nam astus seu dolus proponit sibi, recondit & facit, cum datur copia. Per Mendacium in Verbo significatur falsum & falsiloquium, per dolum significatur utrumque ex proposito; hoc & & illud in sequentibus locis ,, *Jesus dixit de Nathanaele, ecce vere Israelita, in quo* DOLUS *non est,* Joh. I: 48. *Reliquiæ Israelis non loquentur* MENDACIUM, *neque invenietur in ore illorum* LINGUA DOLI, Zeph. III: 13. *Non violentiam fecit, nec* DOLUS *in ore Ipsius,* Esaj. LIII: 9. *Divites impleti sunt violentia, & habitatores loquuntur* MENDACIUM, *& quoad linguam* DOLUS *in ore illorum,* Mich. VI: 12. *Perdes loquentes* MENDACIUM, *virum sangvinum &* DOLI *abominabitur Jehovah,* Psalm. V: 7. *Jehovah libera animam meam a* LABIO MENDACII, *a* LINGUA DOLI, Psalm. CXX: 2. 3. *Docuerunt linguam suam loqui* MENDACIUM, *habitare tuum in medio* DOLI; *ob* DOLUM *renuerunt cognoscere Me,* Jerem. IX: 5. *Circumdederunt Me* MENDACIO *Ephraim, &* DOLO *domus Israelis,* Hosch. XII: 1. *Si* PROPOSITUM *habuerit quis occidendi socium* DOLO, *a cum Altari meo abstrahes eum, & morietur,* Exod. XXI: 14. *Maledictus faciens opus Jehovæ* DOLO, Jerem. XLVIII: 10. Præter alibi, ut Jerem. V: 26. 27. Cap. VIII: 5. Cap. XIV: 14. Cap. XXIII: 26. Hosch. VII: 16. Zeph. I: 9 Psalm. XVII: 1. Psalm. XXIV: 4. Psalm. XXXV: 20. 21. Psalm. XXXVI: 4. Psalm. L:

19.

19. Psalm. LII: 4. 6. Psalm. LXXII: 14. Psalm. CIX: 2. Psalm. CXIX: 118. Hiob XIII: 7. Cap. XXVII: 4. Dolosi in Verbo significantur per serpentes venenatos, ut per crocodilos & viperas, ac Dolus significatur per venenum illorum.

625. *Immaculati enim sunt coram Throno Dei, significat quia sunt in veris ex bono a Domino.* Per immaculatos significantur qui non in falsis sunt, proinde qui in veris; maculæ enim significant falsa, proprie falsa ex malo; per thronum Dei significatur Dominus & Cælum, n. 14. 233; & quia omnes qui in bono sunt a Domino, apparent sicut in veris sint, ideo per quod immaculati sint coram Throno Dei, significatur quod in veris sint ex bono a Domino: omnes enim qui ducuntur a Domino, tenentur in bono ab Ipso, & ex bono illo non procedit nisi verum; & si falsum, est falsum apparens, & hoc spectatur a Domino simile vero, solum per modificationem lucis cæli in alio colore; bonum enim, quod intus in illo est, id ita qualificat; datur enim falsum ex malo, & quoque falsum ex bono, utrumque potest apparere in externa forma simile, sed usque prorsus dissimilia sunt, quia id quod intus est, facit essentiam, & producit quale ejus. Quoniam per Maculas significantur falsa, ideo *prohibitum fuit, ne aliquis ex semine Aharonis, in quo esset* MACULA, *accederet ad Altare, ac intraret intra Velum*, Levit. XXI: 17 ad 23; per quod significabatur, quod Immaculati essent: *& quoque prohibitum fuit, ne aliquod sacrificium ex bobus, vitulis, ovibus, capris, agnis, in quibus esset* MACULA, *fieret*, Levit. XXII: 19 ad 25; Maculæ etiam ibi recensentur.

v. 6. 626. *Et vidi alium Angelum volantem in medio Cæli, habentem Evangelium æternum Evangelizare habitantibus super terra, significat annuntiationem Adventus Domini, & Novæ Ecclesiæ descensuræ e Cælo ab Ipso.* Per Angelum in supremo sensu intelligitur Dominus, & inde quoque Cælum, n. 5. 344. 465; per alium Angelum significatur nunc novum a Domino; per volare in medio Cæli, significatur despicere, perspicere & prospicere, n. 415, hic novum a Domino e Cælo in Ecclesia; per Evangelium æternum, significatur annuntiatio Adventus Domini & Regni Ipsius, n. 478. 553; per habitantes super terra, significantur homines Ecclesiæ, ad quos fiet annuntiatio: quod etiam sit annuntiare quod Nova Ecclesia nunc sit descensura e Cælo ab Ipso, est quia Adventus Domini involvit duo, Ultimum Judicium & post illud Novam Ecclesiam; de Ultimo Judicio agitur, Cap. XIX. XX; & de Nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, Cap. XXI. XXII. Quod per Evangelium & Evangelizare significetur annuntiatio de Adventu Domini & Regni Ipsius, constat manifeste ex locis n. 478 adductis, quæ ibi videantur.

627. *Et omni genti & tribui & linguæ & populo, significat cunctis qui ex religione in bonis sunt, & ex doctrina in veris.* Per gentem, significantur qui in bonis sunt, & abstracte bona, n. 483; per tribum significatur Ecclesia quoad religionem, n. 349; per linguam, significatur doctrina, n. 282; & per populum, significantur qui in veris sunt, & abstracte vera, n. 483; quare per Evangelizare omni genti & tribui & linguæ & populo, significatur annuntiare cunctis qui in bonis ex religione, & ex doctrina in veris sunt; hi enim Evan-

 gelium

gelium recipiunt & non alii: hæc ſignificantur per illa verba in ſenſu ſpirituali.

628. *Dicentem voce magna, timete Deum, ſignificat admonitionem ut non faciant mala, quia hoc contra Dominum eſt.* Per vocem magnam ſignificatur admonitio; & per timere Deum ſignificatur non facere mala, quia hoc contra Dominum eſt; quod timere Deum ſit amare Ipſum, timendo facere malum, quia hoc contra Ipſum eſt, & quod omnis amor illum timorem in ſe habeat, videatur ſupra n. 527: hæc dicuntur nunc ad illos, qui e Nova Eccleſia in terris erunt, quia primum reformationis eſt, vivere ſecundum præcepta Decalogi, ubi recenſentur mala quæ non facienda ſunt; qui enim facit illa, ille non timet Deum; qui autem non facit illa, fugiendo illa, quia ſunt contra Dominum, ille timet, & quoque amat Dominum, ut Ipſe docet apud Johannem, Cap. XIV: 20 ad 24.

629. *Et date Ipſi gloriam, quia venit hora Judicii Ipſius, ſignificat agnitionem & confeſſionem, quod omne verum Verbi, ex quo Eccleſia eſt Eccleſia, ſit a Domino, ſecundum quod omnis homo judicabitur.* Quod dare Ipſi gloriam, ſignificet agnoſcere & confiteri quod omne verum ſit a Domino, videatur ſupra n. 249; & quia omne verum, ex quo Eccleſia eſt Eccleſia, eſt ex Verbo, ideo Verum Verbi intelligitur; quia venit hora judicii Ipſius, ſignificat quia omnis homo judicabitur ſecundum Verum Verbi; hoc ſignificatur, quia per dare gloriam Ipſi, ſignificatur agnoſcere & confiteri quod omne Verum Verbi ſit a Domino, & nunc dicitur, Quia venit hora judicii Ipſius, & QUIA involvit hoc ut cauſam. Quod Verum Verbi judicaturum ſit unumquemvis, videatur ſupra n. 233. 273; & quod Eccleſia ſit ex Verbo, & quod talis ſit, qualis ei eſt intellectus Verbi, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 76 ad 79. Ex his patet, quod ſenſus ſpiritualis illorum verborum talis ſit. Quod talis ſit, eſt quia Angeli cæli per gloriam non aliud percipiunt, quam Divinum Verum, & quia omne Divinum Verum eſt a Domino, per dare gloriam Ipſi, percipiunt agnoſcere & confiteri quod omne Verum ſit ab Ipſo; omnis enim gloria in Cælis nec aliunde eſt, & quantum Societas Cæli in Divino Vero eſt, tantum omnia ibi ſplendent, & tantum Angeli in ſplendore gloriæ ſunt. Quod per Gloriam intelligatur Divinum Verum, conſtare poteſt ex his locis „ *Vox clamantis in deſerto, parate viam Jehovæ, revelabitur* GLORIA JEHOVÆ, *& videbunt omnis caro*, Eſaj. XL: 3. 5. *Illuminare, quia venit Lux tua, &* GLORIA JEHOVÆ *ſuper Te exorta eſt, ſuper Te exorietur Jehovah, &* GLORIA *Ipſius ſuper Te videbitur*, Eſaj. LX: 1 ad fin. *Dabo Te in fœdus populo, in Lucem Gentium, &* GLORIAM MEAM *non alteri dabo*, Eſaj. XLII: 6. 8. *Propter Me, propter Me faciam, &* GLORIAM MEAM *non alteri dabo*, Eſaj. XLVIII: 12. *Timebunt ab ortu ſolis* GLORIAM IPSIUS, *veniet Zioni Redemptor*, Eſaj. LIX: 19. 20. *Erumpet ſicut aurora Lux tua*, GLORIA JEHOVÆ *colliget Te*, Eſaj. LVIII: 8. *Veniet ad congregandum omnes gentes & linguas, ut videant* GLORIAM MEAM, Eſaj. LXVI: 18. *Dixit Jehovah, vivus Ego, & implebitur* GLORIA JEHOVÆ *univerſa terra*, Num. XIV: 8. *Plenitudo omnis terræ* GLORIA IPSIUS, Eſaj. VI: ~~1. 2.~~ 3. *In principio erat Verbum, & Deus erat Ver-*

Verbum, in Ipso Vita erat, & vita erat Lux hominum, erat Lux vera; & Verbum Caro factum est, & vidimus GLORIAM IPSIUS, GLORIAM UT UNIGENITI A PATRE, Joh. I: 1. 4. 9. *Hæc dixit Esajas, quando vidit* GLORIAM IPSIUS, Joh. XII: 41. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum* GLORIA, Matth. XXIV: 3. 30. *Cæli narrabunt* GLORIAM DEI, Psalm. XIX: 2. *Et timeant Gentes Nomen Jehovæ, & Reges terræ* GLORIAM TUAM, *quod ædificaverit Sionem, & apparuerit in* GLORIA SUA, Psalm. CII: 16. 17. GLORIA DEI *illustrabit Sanctam Hierosolymam, & Lucerna ejus Agnus, & Gentes quæ salvantur in Luce Ipsius ambulabunt*, Apoc. XXI: 23 24. 25. *Filius hominis venturus est in* GLORIA SUA, *sessurus super throno gloriæ suæ*, Matth. XXV: 31. Marc. VIII: 38. *Quod Gloria Jehovæ impleverit & obtexerit Tabernaculum*, Exod. XL: 34. 35. Levit. IX: 23. 24. Num. XIV: 10. 11. 12. Cap. XVI: 19. Cap. XVII: 7. *Quod impleverit Domum Jehovæ*, I Reg. VIII: 10. 11. Præter alibi, ut Esaj. XXIV: 23. Ezech. I: 28. Cap. VIII: 4. Cap. IX: 3. Cap. X: 4. 18. 19. Cap. XI. 22. 23. Luc. II: 32. Cap. IX: 26. Joh. II: 44. Cap. VII: 18. Cap. XVII: 24.

630. *Et adorate Ipsum qui fecit Cælum & terram & mare & fontes aquarum, significat quod Dominus Solus colendus sit, quia Ipse Solus Creator, Salvator & Redemptor est, & ab Ipso Solo Cælum angelicum & Ecclesia, & omnia illorum sunt.* Quod per adorare significetur agnoscere pro sancto, videatur supra n. 579. 580. 588. 603, quare per adorare, cum de Domino, significatur agnoscere pro Deo Cæli & Terræ, & colere; per facere cælum & terram & mare & fontes aquarum in sensu naturali intelligitur creare illa, at in sensu spirituali significatur facere Cælum Angelicum & Ecclesiam, & omnia illorum, per Cælum enim in sensu spirituali significatur Cælum Angelicum, per terram & mare in illo sensu significatur Ecclesia interna & externa, n. 403. 404. 420. 470; & per fontes aquarum significantur omnia vera Verbi inservientia Ecclesiæ pro doctrina & vita, n. 409. Quod Jehovah Creator sit Dominus ab æterno, & quod Dominus Salvator & Redemptor sit Dominus natus in tempore, ita quoad Divinum Humanum suum, constare potest ex DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO a principio ad finem: quis non intelligere potest, quod unus Deus Creator universi sit, & non tres Creatores; tum quod Creatio pro fine habuerit Cælum & Ecclesiam ex humano genere, de qua re videatur SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA n. 27 ad 45; inde est, quod per facere Cælum & terram in sensu spirituali significetur facere Cælum Angelicum & Ecclesiam. Quod hæc dicta sint, est propter eandem causam, de qua supra n. 613, ubi explicatur, quid significatur per quod haberent Nomen Patris scriptum super frontibus; & quia illud dictum est, ideo hic dicitur, adorate Ipsum qui fecit cælum, terram, mare & fontes aquarum.

631. *Et alius Angelus sequutus est dicens, cecidit, cecidit Babylon urbs illa magna, significat quod nunc Religiosum Chatolico Romanum quoad sua dogmata & doctrinalia dispersum sit.* Per alium angelum, significatur nunc Novum a Domino, ut supra n. 626; per Babylonem Urbem magnam, significatur Religiosum Catholico-Romanum quoad ejus dogmata & doctrinalia; per cadere signi-

fignificatur difpergi, nam cadere dicitur de Urbe, at difpergi de religiofo & ejus doctrina, quæ per Babylonem urbem fignificatur; quod per Urbem fignificetur doctrina, videatur fupra n. 194. Quod de Babylone hæc nunc dicantur, eft quia poftquam Novum Cælum Chriftianum a Domino factum eft, fimul novum factum eft cum illis qui e Religiofo Romano Catholico fuerunt, caufa eft, quia Cælum Chriftianum, quod ex Reformatis collectum eft, Meditullium facit, ac Pontificii circum illud funt; quare cum Meditullium eft Novum, fimul tunc in peripheriis fit novum; Divina enim Lux, quæ eft Divinum Verum, e medio ut e centro fe circumcirca in peripherias propagat, ac illa quæ ibi funt, etiam in ordinem redigit; propter hanc caufam hæc pauca nunc de Babylone memorantur, in fpecie autem de illa agitur in Cap. XVII & XVIII. Quod Chriftiani Reformati conftituant Meditullium, ac quod Pontificii circum illud faciant magnam peripheriam, & quod Lux fpiritualis, quæ eft Divinum Verum procedens a Domino, fe ut a fuo centro propaget circum in omnes peripherias ufque ad ultimam, videatur in Doctrina Novæ Hierosolymæ de Scriptura Sacra; n 104 ad 113: & in Opufculo de Ultimo Judicio, n. 48. Ex his videri poteft, quod hæc de Babylone fequantur in ordine, poftquam actum eft de Novo Cælo Chriftiano & de Evangelizatione; hoc etiam fignificatur per Sequutus.

632. *Quia ex vino iræ fcortationis fuæ potavit omnes gentes, fignificat quia per prophanationes Verbi & per adulterationes boni & veri Ecclefiæ feduxit omnes quos Dominio fuo fubjicere potuit.* Per Babylonem fignificatur Religiofum Chatholico Romanum, ut fupra; vinum fignificat verum ex bono, & in oppofito fenfu falfum ex malo, n. 316; & fcortatio fignificat falfificationem veri, & ira fcortationis fignificat adulterationem & prophanationem, n. 134; potare omnes gentes fignificat feducere omnes quos dominio fuo fubjicere potuerunt, per potare ex illo vino fignificatur feducere, & per gentes fignificantur qui fub imperio illorum funt.

633. *Et tertius Angelus fequutus eft illos dicens voce magna, fignificat adhuc a Domino de illis qui in fide feparata a charitate.* Per tertium Angelum fequutum illos, fignificatur adhuc a Domino quod fequitur in ordine, nam per Angelum in fupremo fenfu intelligitur Dominus, n. 626, caufa eft, quia Angelus dum loquitur Verbum, ut hic, non loquitur a fe, fed a Domino; per dicere voce magna, fignificatur id quod fequitur, quod eft de damnatione illorum, qui fe vita & doctrina confirmant in fide feparata a charitate. A verfu 1 ad 5 hujus Capitis actum eft de Novo Cælo Chriftiano, & Verf. 6. 7, de prædicatione Evangelii, hoceft, Adventus Domini ad inftaurandum Novam Ecclefiam; & quia illi qui in fide feparata a charitate obftant, fequitur nunc comminatio & denuntiatio damnationis ad illos qui adhuc in illa fide perfeverant.

634. *Si quis beftiam adoraverit & imaginem ejus, & acceperit characterem fuper fronte & fuper manu fua, fignificat qui agnofcit & recipit doctrinam de juftificatione & falvatione per folam fidem, confirmat illam, & vivit fecundum illam.* Per adorare beftiam fignificatur agnofcere fidem illam, n. 580; per adorare ima-

imaginem ejus, significatur agnoscere & recipere doctrinam illam, n. 603; per accipere characterem super fronte & super manu, significatur recipere illam amore & fide, & confirmare se in illa, n. 605. 606, & quia illi qui se confirmant in illa amore & fide, etiam vivunt secundum illam, etiam hoc intelligitur. Sunt tres gradus receptionis illius doctrinæ, qui per illa verba decribuntur; Primus gradus est agnoscere doctrinam illam, Secundus gradus est confirmare illam apud se, & Tertius gradus est vivere Secundum illam; agnoscere illam fit cogitatione, confirmare illam apud se fit intellectu, & vivere secundum illam fit voluntate: sunt qui in Primo Gradu sunt, & tamen non in Secundo & Tertio, & sunt qui in Primo & Secundo, & tamen non in Tertio; at qui in Tertio sunt, qui gradus est vivere secundum illam, illi sunt de quibus sequentia in Vers. 11. 12, dicuntur: vivere secundum illam, est nihili facere malum, cogitando quod malum non damnet, quia non opera legis salvant, sed sola fides; tum nihili facere bonum, cogitando secum, quod nemo possit bonum facere a se, nisi sit meritorium; ita qui solum evitant mala propter leges civiles & morales, & non propter leges Divinas; illi sunt qui bona faciunt solum propter se & mundum, proinde ex amore sui, & non propter Dominum, proinde non ex amore proximi. Causa quod nunc sequentia, n. 11. 12, de illis dicta sint, est quia omne quod intrat solum in cogitationem & in intellectum, non damnat, sed quod intrat in voluntatem hoc damnat, hoc enim intrat vitam & permanet, nam nihil potest intrare voluntatem, nisi etiam sit amoris, & amor est vita hominis. Hi etiam sunt qui non explorant se, cognoscunt sua peccata, & pænitentiam agunt, & propterea damnantur; dicunt enim corde, quid opus exploratione, cognitione & agnitione peccatorum & pænitentia, dum fides sola involvit omnia illa. Vidi plures tales in Mundo spirituali, qui evitarunt mala, & fecerunt bona solum ex lege civili & morali, & non simul spirituali, & conjecti sunt in infernum.

635. *Et ille bibet ex vino iræ Dei mixto mero in poculo excandescentiæ Ipsius, significat quod illi falsificent bona & vera Verbi, ac imbuant vitam ex illis falsificatis.* Hæc significantur per illa verba, quia per vinum iræ Dei mixtum mero, significatur verum Verbi falsificatum; & per poculum excandescentiæ Ipsius significatur verum per quod bonum, similiter; & per bibere significatur appropriare illa, seu imbuere vitam ex illis: quod per vinum significetur Verum Verbi, videatur, n. 316; per vinum iræ Dei, verum Verbi adulteratum & falsificatum, n. 632; per mixtum mero significatur plane falsificatum; simile etiam significatur per poculum, quod per vinum, quia poculum est continens. Quod bibere significet imbuere vitam ex illis, est quia hæc dicta sunt ad illos, qui vivunt secundum doctrinam justificationis per solam fidem, videatur mox supra n. 634. Per miscere vinum & mixtum significatur falsificatio veri etiam apud Davidem „ *Calix in manu Jehovæ, & vino miscuit, implevit mixto, & effudit, & bibent omnes impii terræ*, Psalm. LXXV: 9,. In Verbo multis in locis dicitur Ira & simul Excandescentia, & ibi Ira prædicatur de Malo, & Excandescentia de Falso, quia illi

illi qui in malo ſunt iraſcuntur, & illi qui in falſo excandeſcunt; ac utraque in Verbo tribuitur Jehovæ, hoc eſt Domino, ſed intelligitur quod ſit hominis contra Dominum, videatur ſupra n. 575. Quod in Verbo Ira & Excandeſcentia ſimul dicantur, patet ex his ibi „ *Jehovah venit in* EXCANDESCENTIA *& Ira: commovebitur terra e loco ſuo in die* EXCANDESCENTIÆ IRÆ IPSIUS „ Eſaj. XIII: 5. 9. 13. *Aſchur virga Iræ meæ, contra populum* EXCANDESCENTIÆ MEÆ *mandabo illum* „ Eſaj. X: 4 ad 7. *Pugnabo contra vos in* IRA *& in* EXCANDESCENTIA, Jerem. XXXIII: 35. IRA JEHOVÆ *contra omnes gentes, &* EXCANDESCENTIA *contra omnem exercitum eorum*, Eſaj. XXXIV: 2. *Jehovah retribuet in* EXCANDESCENTIA *& Ira ſua*, Eſaj. LXVI: 15. *Conculcavi populos in* IRA MEA, *& inebriavi illos in* EXCANDESCENTIA MEA, Eſaj. LXIII: 6. IRA ET EXCANDESCENTIA *mea effuſa eſt ſuper locum hunc* „ Jerem. VII: 20. Præter alibi, ut Jerem. XXXIII: 5. Ezech. V: 13. Deutr. XXIX: 27: *& Excandeſcentia iræ*, Eſaj. XIII: 13. Pſalm. LXXVIII: 49. 50. Deutr. IV: 14. 15. At apud Eſajam „ *Tantummodo in Jehovah juſtitia & robur, & pudefient omnes qui excanduerunt contra Ipſum* „ XLV: 24.

636. *Et cruciabitur igne & ſulphure coram ſanctis Angelis & Agno, & fumus cruciatus eorum aſcendet in ſæcula ſæculorum, ſignificat amorem ſui & mundi & cupiditates inde, & ex his faſtum propriæ intelligentiæ; ac cruciatum in inferno ex illis.* Per ignem ſignificatur amor ſui & mundi, n. 494; per ſulphur ſignificantur cupiditates ex binis illis amoribus, n. 452; & quia omnis cruciatus in Inferno eſt ex illis tribus, ideo dicitur; cruciabitur igne & ſulphure, & fumus cruciatus illorum aſcendet in ſæcula ſæculorum; dicitur coram Angelis & Agno, quia amores illi ſunt contra Divina Vera & contra Dominum qui eſt Verbum; per Angelos enim ſignificantur Divina Vera quia ſunt recipientes, n. 170; & per Agnum ſignificatur Dominus quoad Divinum Humanum & ſimul quoad Verbum, n. 595: quod cruciatus in Inferno ſint ex ſupradictis amoribus, & quod in illis ſint qui in fide ſeparata a charitate, videatur ſupra n. 421. 502. 597.

637. *Et non habebunt requiem diu & noctu adorantes beſtiam & imaginem ejus, & ſi quis acceperit characterem nominis ejus, ſignificat ſtatum perpetuum in injucundis apud illos, qui agnoſcunt illam fidem & recipiunt doctrinam ejus, confirmant illam & vivunt ſecundum illam.* Per non habere requiem diu & noctu, ſignificatur ſtatus illorum perpetuus in injucundis poſt mortem, quia mox prius dicitur de cruciatu illorum: per diu & noctu ſignificatur omni tempore, & in ſpirituali ſenſu in omni ſtatu, ita perpetuo, nam dies & nox in eo ſenſu ſignificant ſtatus vitæ, n. 101. 476. Quod per adorare beſtiam & imaginem ejus, & accipere characterem nominis ejus, ſignificetur agnoſcere illam fidem, recipere doctrinam ejus, confirmare illam apud ſe & vivere ſecundum illam, videatur ſupra n. 634, ubi ſimilia dicuntur.

638. *Hæc patientia ſanctorum eſt; hic cuſtodientes mandata Dei & fidem Jeſu, ſignificat quod homo Eccleſiæ Domini per tentationes ab illis exploretur qualis eſt quoad vitam ſecundum præcepta Verbi & quoad fidem in Dominum.* Quod hæc ſignificentur per illa verba, videatur ſupra n. 593; per cuſtodire mandata,

ſigni-

significatur vivere secundum præcepta, quæ in summario continentur in Decalogo, & per fidem Jesu significatur fides in Ipsum, nam illi fidem habent a Domino, quæ fides est fides Jesu.

639. *Et audivi vocem e Cælo dicentem mihi, scribe, beati mortui in Domino morientes a nunc, significat prædictionem a Domino de statu illorum post mortem, qui e Nova Ecclesia Ipsius erunt, quæ est, quod illis qui tentationes patiuntur propter fidem in Dominum & vitam secundum præcepta Ipsius, vita & felicitas æterna sit.* Per audire vocem e Cælo dicentem, significatur prædictio a Domino; quod sit de statu illorum post mortem qui e Nova Ecclesia Ipsius erunt, est quia de illo statu in hoc Versu agitur; per morientes a nunc significatur status eorum post mortem; scribe, significat ut sit in recordationem posteritati, n. 39. 63; per beatos significantur illi quibus vita & felicitas æterna est, quoniam hi beati sunt; per mortuos significantur qui afflixerunt animam suam, crucifixerunt carnem suam, & tentationes passi sunt, quod hi intelligantur hic per mortuos, videbitur infra; quod illis vita & felicitas æterna sit, qui tentationes passi sunt propter fidem in Dominum & propter vitam secundum præcepta Ipsius, patet a mox antecedentibus, ubi dicitur, *Hæc patientia sanctorum; hic custodientes mandata Dei & fidem Jesu*, per quæ significatur quod homo Novæ Ecclesiæ per tentationes exploretur qualis est quoad vitam secundum præcepta, & quoad fidem in Dominum, videatur mox supra n. 638, & ex sequentibus, & *requiescent ex laboribus suis*, per quæ significatur quod pacem habituri sint in Domino, qui tentati sunt, de quibus mox infra n. 641; per tentationes hic intelliguntur tentationes spirituales, quæ existunt apud illos, qui fidem in Dominum habent & vivunt secundum præcepta Ipsius, dum malos spiritus apud se, qui unum agunt cum concupiscentiis eorum, abigunt; tentationes illæ significantur per crucem in his locis „ *Quisquis non suscipit crucem suam, & sequitur post Me, non est Me dignus*, Matth. X: 38. *Jesus dixit, si quis vult post Me venire, abneget Seipsum, tollat crucem suam, & sequatur Me*, Matth. XVI: 24. Luc. IX: 23. 24. 25. Cap. XIV: 26. 27. tum per crucifixionem carnis apud Paulum „ *Qui Christi sunt, carnem crucifigunt cum passionibus & concupiscentiis* „ Gal. V: 24. Quod per mortuos significentur qui afflixerunt animam suam, crucifixerunt carnem suam, & tentationes passi sunt, est quia per illa mortificaverunt vitam priorem, & inde sicut mortui facti sunt coram mundo; nam dixit Dominus, *Nisi granum tritici in terram cadens moriatur, id solum manet, si vero* MORIATUR, *multum fructum fert* „ Joh. XII: 24. Nec alii per mortuos intelliguntur apud Johannem „ *Jesus dixit, sicut Pater suscitat* MORTUOS *& vivificat, ita Filius quos vult vivificat*, V: 21; apud Eundem „ *Jesus dixit, quod veniet hora, quando* MORTUI *audient vocem Filii Dei, & vivent*, V: 25: & quoque per *Resurrectionem* MORTUORUM, Luc. XIV: 14. Apoc. XIX: 5. 12. 13, & alibi: videatur supra n. 106: & apud Davidem „ *Pretiosa in oculis Jehovæ* MORS *Sanctorum Ipsius*, Psalm. CXVI: 15. Jesus etiam dixit, *Quisquis perdiderit animam suam propter Me, inveniet eam* „ Matth. X: 39. Cap. XVI: 25. Luc. IX: 24. 25. Cap. XVII: 33. Joh. XII: 25.

640. *Imo dicit spiritus, ut requiescant ex laboribus suis, significat quod Divinum*

Verum Verbi doceat, *quod qui affligunt animam & crucifigunt carnem propterea*, *habituri sint pacem in Domino*. Imo dicit spiritus, significat quod Divinum Verbi doceat, n. 87. 104; ut requiescant, significatur quod pacem habituri sint in Domino; per pacem intelligitur requies animæ ex non infestatione a malis & falsis, ita ab inferno, ut prius; per labores intelliguntur labores animæ, quæ sunt affligere & crucifigere carnem suam & tentari; inde per requiescent ex laboribus suis, significatur quod qui affligunt animam & crucifigunt carnem in Mundo propter Dominum & vitam æternam, pacem habituri sint in Domino; dicit enim Dominus, *in Me* PACEM *habeatis*, *in Mundo afflictionem habetis*, Joh. XVI: 33. PACEM *relinquo vobis*, PACEM MEAM *do vobis*, *non sicut Mundus dat Ego do vobis* ,, Joh. XIV: 27. Talis afflictio per laborem intelligitur in his locis ,, *Per* LABOREM *animæ suæ videbit*, *& saturabitur & justificabit multos*, Esaj. LIII: 11. *Jehovah vidit afflictionem nostram*, *&* LABOREM *nostrum*, *& oppressionem nostram*, Deutr. XXVI: 7. *Non* LABORABUNT *in vanum*, *& non generabunt in terrorem*, Esaj. LXV: 23. *Novi* LABOREM *tuum & patientiam tuam*, *sed portasti*, *patientiam habes & propter Nomen meum* LABORASTI, Apoc. II: 2. 3.

641. *Opera enim illorum sequuntur cum illis*, *significat sicut amaverunt & crediderunt & inde fecerunt & loquuti sunt*. Per opera quæ sequuntur cum illis, significantur omnia quæ manent apud hominem post mortem. Notum est, quod Externa quæ apparent coram hominibus, trahant suam essentiam, animam & vitam ab Internis, quæ non apparent coram hominibus, at quæ apparent coram Domino & coram Angelis; hæc & illa, seu Externa & Interna, simul sumta sunt Opera; Opera bona si Interna sunt in Amore & fide, & Externa faciunt & loquuntur ex illis; at Opera mala, si Interna non sunt in amore & fide, & Externa faciunt & loquuntur ex illis; si Externa faciunt & loquuntur sicut ex Amore & fide, sunt illa Opera vel hypocritica vel meritoria: possunt decem facere similia opera in externis, sed usque dissimilia sunt, quia interna ex quibus externa procedunt, dissimilia sunt. Quis non videt, quod sit Internum & Externum, & quod illa duo unum faciant, nam quis non videt quod Intellectus & Voluntas sint Internum hominis, ac Loquela & Actio sint Externum ejus, quis enim loqui & facere potest absque Intellectu & Voluntate; & quia quisque hoc videt, etiam videre potest, quod Opera sint Externum & Internum simul; & quia Externum trahit suam essentiam, animam & vitam ab Interno suo, ut supra dictum est, sequitur quod Externum tale sit quale est Internum ejus, consequenter quod Opera quæ sequuntur cum illis, sint sicut amaverunt & crediderunt, & inde fecerunt & loquuti sunt. Quod bona opera sint charitas & Fides, videatur supra n. 73. 76. 94. 141; & quod internum hominis seu Internus homo non sit intelligere absque velle, sed quod sit velle & inde intelligere, consequenter quod non sit credere absque amare, sed quod sit amare & inde credere, & quod facere illa sit Externum hominis seu Externus homo,
510 videatur etiam supra n. 626. Ex his constare potest, quod per Opera quæ sequuntur cum illis, significetur sicut amaverunt & crediderunt, & inde fecerunt & loquuti sunt. Similia per Opera significantur in sequentibus locis ,, *In die judicii Deus reddet unicuique secundum Opera ejus*, Rom. II: 6. *Omnes*

nos

nos manifestabimur coram tribunali Christi, ut reportet quilibet ea quæ per corpus fecit, sive bonum sive malum, II Corinth. V: 10. *Venturus est Filius hominis in gloria Patris sui, & tunc reddet unicuique secundum Opera ejus*, Matth. XVI: 17. *Exibunt qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala fecerunt in resurrectionem judicii*, Joh. V: 29. *Judicati sunt juxta ea quæ scripta sunt in Libro, omnes secundum Opera illorum*, Apoc. XX: 12. 13. *Ecce venio cito & merces mea Mecum, ut dem unicuique secundum Opus ejus*, Apoc. XXII: 12. *Ego dabo unicuique vestrum secundum Opera sua*, Apoc. II: 23. *Novi Opera tua*, Apoc. II: 1. 2. 4. 8. 13. 16. 26. Cap. III: 1. 2. 3. 7. 8. 14. 15. 19. *Retribuam illis juxta Opus suum, & juxta Factum manuum illorum*, Jerem. XXV: 14. *Jehovah juxta Vias nostras & juxta Opera nostra facit nobiscum*, Sach. I: 6: & multis aliis in locis.

642. *Et vidi & ecce nubes alba, & super nube Sedens similis Filio hominis, significat Dominum quoad Verbum.* Per nubem significatur Verbum in sensu literæ, & per nubem albam Verbum in sensu literæ quale est interius; & per Filium hominis intelligitur Dominus quoad Verbum; quare dicitur, super nube Sedens similis Filio hominis. Quod per nubem significetur Verbum quoad sensum literæ, videatur supra n. 24. 513; quod per nubem albam significetur sensus literæ Verbi qualis est interius, est quia album prædicatur de veris in luce, n. 167. 369, ac interius in sensu literæ sunt vera spiritualia, quæ sunt in luce cæli; quod per Filium hominis intelligatur Dominus quoad Verbum, videatur supra n. 44, & id in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA n. 19 ad 28, multis confirmatum. Dominus sæpius dixit, quod *visuri sint Filium hominis venientem in nubibus cæli*, hæc dixit Matth. XVII: 5. Cap. XXIV: 30. Cap. XXVI: 64. Marc. XIV: 61. 62. Luc. IX: 34. 35. Cap. XXI: 27, & nemo scit, quod per id aliud significetur, quam, quod cum venturus est ad judicium, appariturus sit in nubibus cæli; verum hoc non intelligitur, sed intelligitur quod cum venturus est ad judicium, appariturus sit in sensu literæ Verbi; & quia nunc venit, ideo apparuit in Verbo per id, quod revelaverit quod Sensus spiritualis esset in singulis sensus literæ Verbi, & quod in eo de Solo Ipso agatur, & quod Ipse Solus sit Deus Cæli & Terræ: hæc sunt quæ per adventum Ipsius in nubibus Cæli intelliguntur: quod Sensus spiritualis sit in singulis Sensus literæ Verbi, & quod in illo agatur de Solo Domino, & quod Ipse Solus sit Deus Cæli & Terræ, ostensum est in binis DOCTRINIS NOVÆ HIEROSOLYMÆ, una DE DOMINO, & altera de SCRIPTURA SACRA. Quia per adventum Domini in nubibus Cæli intelligitur adventus Ipsius in suo Verbo, & tunc quando judicium facturus est, & Apocalypsis de eo agit, ideo dicitur ibi, *Ecce venit cum* NUBIBUS, Apoc. I: 7; & hic, *Vidi & ecce* NUBES *alba, & super* NUBE *Sedens similis Filio hominis.* Et in Actis Apostolorum, *Videntibus illis Jesus sublatus est in Cælum, &* NUBES *suscepit Ipsum ab oculis eorum; & duo viri in vestitu albo dixerunt, hic Jesus qui sublatus est in Cælum, sic veniet quemadmodum Ipsum vidistis euntem in Cælum*, I: 9. 11. Per nubem significatur sensus literæ Verbi, quia ille sensus est naturalis, & Divinum Verum in luce naturali apparet ut nubes coram oculis angelorum, qui in

in luce ſpirituali ſunt, ut nubes alba apud illos qui in genuinis veris ex ſenſu literæ Verbi ſunt, ut nubes obſcura apud illos qui non in genuinis veris ſunt, ut nubes atra apud illos qui in falſis ſunt, ac ut nubes atra intermixto igne, apud illos qui in fide ſeparata a charitate ſunt, quia in malis vitæ. Vidi.

643. *Habens ſuper capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutam, ſignificat Divinam Sapientiam ex Divino Amore Ipſius, ac Divinum Verum Verbi.* Quod per Coronam ſuper capite ſignificetur ſapientia, videatur ſupra n. 189. 252; & per coronam auream ſapientia ex amore, n. 235, & quia viſa eſt ſuper capite Filii hominis ſeu Domini, per Coronam auream ſignificatur Divina Sapientia ex Divino Amore Ipſius; quod per falcem ſignificetur Divinum Verum Verbi, eſt quia per Meſſem ſignificatur ſtatus Eccleſiæ quoad Divinum Verum, hic ultimus ejus ſtatus, & inde per metere, quod fit per falcem, hic ſignificatur ſtatui Eccleſiæ finem imponere, ac judicium facere; & quia hæc fiunt per Divinum Verum Verbi, ideo hoc per falcem ſignificatur, & per falcem acutam id exacte & exquiſite. Per falcem ſimile ſignificatur quod per gladium, machæram & romphæam, ſed falx dicitur ubi agitur de meſſe, at gladius ubi agitur de bello: quod per gladium, machæram & romphæam, ſignificetur Divinum Verum pugnans contra falſa, & viciſſim, videatur ſupra n. 52. 108. 117.

644. *Et Alius Angelus exivit e Templo, ſignificat Cælum angelicum.* Quid per Angelum & Angelos ſignificatur, videatur ſupra n. 5. 66. 170. 258. 342. 363. 344. 415. 465, hic Cælum Angelicum, quia dicitur quod exiverit e Templo, & per Templum ſignificatur Cælum quoad Eccleſiam, n. 191. 529. 585: eſt enim Eccleſia in Cælis æque ac in terris.

645. *Clamans magna voce Sedenti ſuper nube, mitte falcem tuam & mete, quia venit tibi hora metendi, quia aruit meſſis terræ, ſignificat ſupplicationem angelorum cæli ad Dominum, ut finem imponat, & judicium faciat, quia nunc ultimus ſtatus Eccleſiæ eſt.* Per clamare voce magna Sedenti ſuper nube, ſignificatur ſupplicatio angelorum cæli ad Dominum, ex cauſa quia non aliquod correſpondens in terris eſt, Eccleſia enim in terris eſt pro Cælo Angelico, ſicut fundamentum ſuper quo ſubſiſtit domus, aut ſicut pedes ſuper quibus homo ſtat, & per quos ambulat, quare cum Eccleſia in terris eſt deſtructa, lamentantur Angeli, & ſupplicant ad Dominum, ſupplicant ut finem faciat cum Eccleſia, & Novam exſuſcitet; inde eſt, quod per clamavit Angelus magna voce Sedenti ſuper nube, ſignificetur Angelorum Cæli ſupplicatio ad Dominum; quod per Sedentem ſuper nube ſignificetur Dominus quoad Verbum, videatur mox ſupra, n. 643; quod per mittere falcem & metere, ſignificetur finem imponere & judicium facere, etiam ſupra n. 642. 643; per quia venit hora metendi, ſignificatur quod finis Eccleſiæ ſit; per quia aruit meſſis, ſignificatur quod ultimus ſtatus Eccleſiæ ſit; per meſſem ſignificatur ſtatus Eccleſiæ quoad Divinum Verum, cauſa eſt quia ex Meſſe eſt frumentum ex quo panis, & per frumentum & panem ſignificatur bonum Eccleſiæ, & hoc comparatur per vera. Quod hæc ſignificentur per illa, clarius videri poteſt ex locis e Verbo, ubi meſſis, metere, & falx dicuntur, ut in ſequentibus „ *Sedebo ad judicandum omnes*

omnes Gentes, emitte FALCEM, *quia maturuit* MESSIS, *quia magna est malitia eorum*, Joel IV: 12. 13. *Exscindite seminantem & prehendentem* FALCEM *in tempore Messis*, Jerem. L: 16. *Filia Babelis sicut area ad triturandum, adhuc parum cum veniet tempus* MESSIS, Jerem. LI: 13. *Fiet cum colligitur* MESSIS *seges stans, & brachium ejus aristas* METET; *mane semen tuum efflorescit, acervus* MESSIS *in die possessionis, & dolor desperatus* ,, Esaj. XVII: 5. 6. 11. *Pudefacti sunt agricolæ, eo quod perierit* MESSIS AGRI, Joel I: 11. *Jesus dixit ad discipulos, quod adhuc quadrimestre sit, donec* MESSIS *veniat, tollite oculos vestros, & spectate agros, quod albi sint ad* MESSEM *jam jam: Ego misi vos ad* METENDUM, Joh. IV: 35 ad 39. *Jesus dixit discipulis*, MESSIS *multa est, operarii autem pauci, rogate Dominum* MESSIS, *ut mittat operarios in* MESSEM *suam*, Matth. IX: 37. 38. Luc. X: 2, In his locis, & quoque Esaj XVI: 9 Jerem. V: 17. Cap. VIII: 20, per Messem significatur Ecclesia quoad Divinum Verum. Sed omnia quæ continentur in his Versibus in hoc Capite, & quoque in binis Capitibus quæ sequuntur, a Domino prædicta sunt in Parabola de Seminante & de collectione Messis, quæ quia docet & illustrat quid significant, adducetur, ,, *Jesus dixit, simile est Regnum cælorum homini seminanti bonum Semen in agro suo, sed venit inimicus & seminavit Zizania; cum germinavit herba, apparuerunt etiam Zizania: servi dixerunt, visne colligamus ea; ille vero dixit, ne forte colligentes Zizania, eradicetis simul Triticum; sinite una crescere usque ad Messem, & tempore Messis dicam Messoribus, colligite prius Zizania, & colligate ea in fasciculos ad comburendum, Triticum vero congregate in horreum meum. Et accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes, expone nobis parabolam, Jesus dixit, qui seminat bonum Semen est Filius hominis* (seu Dominus), *ager est Mundus* (Ecclesia), *semen sunt filii regni* (vera Ecclesiæ), *Zizania sunt filii illius mali* (falsa ab inferno), *inimicus qui seminat illa est diabolus, Messis est consummatio sæculi* (finis Ecclesiæ), *Messores sunt Angeli*, (Divina Vera): *quemadmodum ergo colliguntur Zizania, & igne comburuntur, sic erit in consummatione sæculi* (in fine Ecclesiæ), Matth. XIII: 24 ad 30. 36 ad 43.

646. *Et misit Sedens super nube falcem suam, & demessa est terra, significat finem Ecclesiæ, quia non Divinum Verum amplius ibi.* Hæc significantur, quia per Sedentem super nube, significatur Dominus quoad Verbum, n. 642; per mittere falcem & metere, significatur finem imponere & judicium facere, n. 643; per messem significatur status Ecclesiæ, hic ultimus ejus, n. 643. 645; & per terram significatur Ecclesia, n. 285: ex his in unum sensum conjunctis, patet, quod per misit Sedens super nube falcem, & demessa est terra, significetur finis Ecclesiæ, quia non Divinum Verum amplius ibi.

647. *Et alius Angelus exivit e Templo quod in Cælo, habens & ille falcem acutam, significat Cælos Regni spiritualis Domini, & Divinum Verum Verbi apud illos.* Per Angelum significatur in supremo sensu Dominus, tum Cælum Angelicum, & quoque Divinum Verum procedens a Domino, videatur supra n. 5. 66. 170. 258. 342. 363. 344. 415. 365; hic autem per Angelum significantur Cæli Regni spiritualis, & inde Divina vera ibi, quia sequitur quod alius Angelus exiverit ex Altari, per quem significantur Cæli Regni cælestis Domini, ita

Ddd 3 Divi-

Divina Bona ibi, de quo in Articulo subsequente. Sunt duo Regna, in quæ omnes Cæli distincti sunt, Regnum Spirituale & Regnum Cæleste, Regnum spirituale est Regnum Sapientiæ Domini, quia Angeli ibi in Sapientia ex Divinis Veris a Domino sunt, & Regnum Cæleste est Regnum Amoris Domini, quia Angeli ibi in amore a Domino sunt, & inde in omni bono. Quod sint duo Regna, in quæ omnes Cæli distincti sunt, videatur in opere de CÆLO ET INFERNO, Londini 1758 edito, n. 20 ad 28. Et in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, [Amstelodami] 1763 edita, n. 101. 381: per Templum significatur universum Cælum, ut supra n. 644, at quia hic dicitur Templum quod in Cælo, & postea Altare, per Templum significatur Cælum Regni spiritualis Domini, ut mox supra dictum est; & per falcem acutam significatur Divinum Verum Verbi, ut supra n. 643. 645. Quod supra dictum sit, quod Sedens super nube miserit falcem suam & demessa est Terra, & nunc quod Angelus exiverit e Templo e Cælo, habens & ille falcem, & miserit illam in terram & vindemiaverit vineam terræ, est quia per Terram, quæ a Sedente super nube, seu Domino, [demessa] significatur Ecclesia in universo terrarum orbe, at per Vineam terræ significatur Ecclesia in Christiano orbe. Hæc involvunt similia, quæ Dominus prædixit in Parabola de Seminante & collectione Messis Matth. XIII, quæ supra n. 645 ad fin. adducta est, ubi dicitur quod Messis sit consummatio sæculi, hoc est, finis Ecclesiæ, & quod Messores sint Angeli, per quos significantur Divina Vera; Angeli enim non mittuntur ad metendum, hoc est, ad faciendum illa, sed Dominus id facit per Divina Vera Verbi sui, Dominus enim dicit, *Verbum quod loquutus sum, judicabit in extremo die*, Joh. XII: 48, videatur supra n. 233. 273.

[v. 18] 648. *Et alius Angelus exivit ex Altari, habens potestatem super ignem, significat Cælos Regni cælestis Domini, qui in bono amoris a Domino sunt.* Per alium Angelum hic significantur Cæli Regni cælestis Domini, quia visus est exire ex Altari, per Altare enim significatur cultus Domini ex amore, videatur supra n. 392; & per ignem significatur amor n. 468; & per ignem super Altari significatur Amor Divinus, n. 395: quod dicatur quod habuerit potestatem super ignem, est quia Angeli custodiunt apud se illum amorem.

649. *Et clamavit clamore magno habenti falcem acutam, dicens, mitte tuam falcem acutam, & vindemia botros vineæ terræ, significat operationem Domini ex bono amoris sui per Divinum Verum Verbi sui in opera charitatis & fidei, quæ apud homines Ecclesiæ Christianæ sunt.* Hic est sensus spiritualis horum verborum, quoniam per binos illos Angelos significantur Cæli Regni spiritualis & Regni cælestis Domini, n. 647. 648; ac Cæli nihil faciunt ex se, sed a Domino, Angeli enim in Cælis sunt modo recipientes, quare nihil aliud in sensu spirituali significatur quam operatio Domini, hic in Ecclesiam in Christiano orbe, inque opera charitatis & fidei apud homines ibi; per Vineam enim significatur illa Ecclesia, de qua in Articulo 651 sequente, & per botros & uvas significantur opera charitatis; quod hæc per botros & uvas significentur, est quia sunt fructus vitis in Vinea, & per fructus in Verbo significantur bona opera. Quod Angelus exiens ex Altari dixerit ad Angelum qui exivit e Templo, quod hic mit-

mitteret falcem & vindemiaret, eſt quia per Angelum exeuntem ex Altari ſignificantur Cæli Regni cæleſtis, ſeu Cæli qui in bonis amoris ſunt, & per Angelum exeuntem e Templo, ſignificantur Cæli Regni ſpiritualis, ſeu Cæli qui in Veris ſapientiæ ſunt, ut ſupra dictum eſt, ac bonum amoris non operatur aliquid ex ſe, ſed per Verum ſapientiæ, nec Verum ſapientiæ operatur aliquid ex ſe, ſed ex bono amoris; quod ita ſit, multis oſtenſum eſt in SAPIENTIA *Angelica de Divino Amore & Divina Sapientia*; hæc cauſa eſt, quod Angelus exiens ex Altari dixerit ad Angelum qui exivit e Templo, ut mitteret falcem & vindemiaret botros vineæ terræ: inde nunc eſt, quod per illa ſignificetur Operatio Domini ex bono amoris ſui per Divinum Verum Verbi ſui. Quod Uvæ & botri ſignificent bona & opera charitatis, conſtare poteſt ex ſequentibus locis „ *Væ Mihi, factus ſum ſicut collectiones æſtatis, ſicut racemationes* VINDEMIÆ, *non* BOTRUS *ad comedendum, primitivum deſiderat anima mea, perit ſanctus e terra, & rectus inter homines*, Mich. VII: 1. 2. UVÆ *eorum* UVÆ *fellis*, BOTRI *amaritudinum illis*, Deutr. XXXII: 32. VINEA *fuit Dilecto meo, exſpectavit ut faceret* UVAS, *ſed fecit labruſcas*, Eſaj. V: 1. 2. 4. *Hi reſpicientes ad deos alienos, amantes lagenas* UVARUM, Hoſch. III: 1. *Omnis arbor ex proprio fructu cognoſcitur, non ex ſpinis colliguntur ficus, neque ex rubo* VINDEMIANT UVAM, Luc. VI: 44. *Erit in medio terræ quaſi racemationes, quando conſummata eſt* VINDEMIA, Eſaj. XXIV: 12. 13. *Si* VINDEMIATORES *venerint tibi, non relinquent racemationes*, Jerem. XLIX: 9. Obad. Verſ. 4. 5. *Super* VINDEMIAM *tuam vaſtator cecidit*, Jerem. XLVIII: 32. 33. *Commovebimini confidentes, quia conſummatur* VINDEMIA, *collectio non veniet*, Eſaj. XXXII: 9. 10, præter alibi, ubi dicitur fructus vineæ, & ex vite. Sunt bona amoris cæleſtis, & ſunt bona amoris ſpiritualis; bona amoris cæleſtis ſunt amoris in Dominum, & bona amoris ſpiritualis ſunt amoris erga proximum; hæc bona vocantur bona charitatis, ac intelliguntur per fructus vineæ, quæ ſunt uvæ & botri; at bona amoris in Dominum intelliguntur in Verbo per fructus arborum, imprimis per olivas.

649. *Quia maturuerunt uvæ ejus, ſignificat quia ultimus ſtatus Eccleſiæ Chriſtianæ eſt.* Simile ſignificatur per maturuerunt uvæ vineæ, quod ſupra per aruit meſſis, ſed meſſis dicitur de Eccleſia in communi, & vinea de Eccleſia in particulari; quod aruit meſſis ſignificet ultimum ſtatum Eccleſiæ, videatur ſupra n. 645, ſimiliter itaque maturuerunt uvæ Vineæ. Vinea ſignificat Eccleſiam, ubi Divinum Verum Verbi eſt, & Dominus per id notus, quoniam Vinum ſignificat Verum interius, quod a Domino per Verbum eſt, proinde ſignificat Vinea hic Eccleſiam Chriſtianam: quod vinum ſignificet verum ex bono amoris, ita a Domino, videatur ſupra n. 316.

V. 19 650. *Et miſit Angelus falcem ſuam in terram, & vindemiavit vineam terræ, ſignificat finem Eccleſiæ hodiernæ Chriſtianæ.* Per mittere falcem ſuam & vindemiare, ſimile ſignificatur quod per mittere falcem ſuam & metere, ſed hoc dicitur de meſſe, & illud de vinea; quod vindemiare ſit vineam demittere & colligere uvas, & quod metere ſit meſſem demittere & colligere frumentum, patet. Quod Vinea ſignificet Eccleſiam ubi Verbum eſt, & per id Dominus notus,

notus, ita hic Ecclesiam Christianam, constare potest ex sequentibus locis „ *Jesus dixit*, *Ego sum* VITIS, *vos palmites*, *qui manet in Me & Ego in illo*, *hic fert fructum multum; quia sine Me non potestis facere quicquam; nisi quis manserit in Me*, *ejicietur foras*, *& sicut palmes arefactus in ignem*, Joh. XV: 5. 6. *Jesus assimilavit Regnum Cœlorum Patrifamilias*, *qui conduxit operarios in* VINEAM SUAM, Matth. XX: 1 ad 8. *De filiis qui operarentur in* VINEA, Matth. XXI: 28. *De ficu in* VINEA *plantata*, *quæ fructum non ferebat*, Luc. XIII: 6 ad 9. *Jesus dixit parabolam; homo plantavit* VINEAM *& sepem ei circumposuit*, *& locavit eam agricolis*, *ut acciperet fructus ejus*, *sed occiderunt servos missos ad illos*, *& denique Filium*, Matth. XXI: 33 ad 39. Marc. XII: 1 ad 9. Luc. XX: 9 ad 16. *Cantabo canticum amici mei de* VINEA EJUS; VINEA *fuit Dilecto meo*, *quam circumdedit & plantavit* VITE *nobili*, Esaj. V: 1. 2. seq. *In die illo* VINEA MERI, *respondete illi*, *Ego Jehovah custodiens illam*; *in momentis irrigabo illam*, Esaj. XXVII: 2. 3. *Pastores multi perdiderunt* VINEAM MEAM; *posuerunt illam in solitudinem*, Jerem. XII: 10. 11. *Jehovah in judicium venit cum senioribus*, *vos enim succendistis* VINEAM, Esaj. III: 14. *In omnibus* VINEIS *planctus*, Amos V: 17. 18. *In* VINEIS *non cantatur*, *nec jubilatur*, Esaj. XVI: 10.

651. *Et conjecit in torcular iræ Dei magnum*, *significat explorationem qualia erant opera eorum*, *quod essent mala.* Per conjicere in torcular botros vineæ, significatur explorare opera, hæc enim per botros significantur, videatur supra n. 649; sed quia dicitur torcular iræ Dei magnum, significatur exploratio quod opera essent mala, nam ira Dei dicitur de malo, n. 634: quod per torcular significetur exploratio, est quia in torcularibus exprimitur mustum ex botris, & oleum ex olivis, & ex musto & oleo expressis percipitur quales botri & olivæ fuerunt; & quia per vineam significatur Ecclesia Christiana, & per botros ejus significantur opera, ideo horum exploratio apud homines Ecclesiæ Christianæ, per conjicere in torcular, significatur; sed quia separaverunt fidem a charitate, & illam absque operibus legis salvificam fecerunt, & ex fide separata a charitate non procedunt nisi mala opera, ideo dicitur torcular iræ Dei magnum. Exploratio operum, etiam significatur per torcular in sequentibus locis „ VINEA *fuit Dilecto meo in cornu filii olei*, *plantavit eam vite nobili*, *etiam* TORCULAR *excidit in ea*, *& exspectavit ut faceret uvas sed fecit labruscas* „ Esaj. V: 1. 2. *Emittite falcem quia maturuit messis*, *descendite quia plenum est* TORCULAR, *exundarunt* LACUS, *quia magna malitia eorum* „ Joel IV: 13. *Area &* TORCULAR *non pascent eos*, *& mustum mentietur illis*, Hosch. IX: 1. 2. *Super vindemiam tuam vastator cecidit*, *vinum ex* TORCULARI *cessare feci*, *non calcabit hedad*, *hedad non hedad*, Jerem. XLVIII: 33. 34. *Paterfamilias plantavit Vineam*, *& fodit in ea* TORCULAR, *& locavit Agricolis*, *sed occiderunt servos ad illos missos*, *& denique Filium*; Matth. XXI: 33. Dicitur etiam Torcular de bonis charitatis, ex quibus vera fidei, apud Joelem „ FILIÆ *Sionis gaudete*, *plenæ sunt areæ frumento*, *&* EXUNDANT TORCULARIA MUSTUM ET OLEUM II: 23. 24.

652. *Et calcatum est torcular extra urbem*, *significat quod exploratio facta sit ex Divinis veris Verbi*, *qualia essent opera profluentia ex doctrina fidei Ecclesiæ.* Per calcatum est torcular, significatur quod exploratio facta sit qualia essent opera,

ra, per calcare torcular significatur explorare, & per botros, qui calcantur, significantur opera, ut supra n. 649, hic opera profluentia ex doctrina fidei Ecclesiæ, quæ sunt opera mala; per Urbem hic intelligitur Urbs magna, de qua supra Cap. XI: Vers. 8, quæ *vocatur Urbs magna, spiritualiter Sodoma & Ægyptus*; quod per illam intelligitur doctrina fidei separatæ a charitate, quæ est doctrina Ecclesiæ Reformatorum, videatur supra n. 501. 502; & quia omnis exploratio doctrinæ Ecclesiæ fit per Divinum Verum Verbi, & hoc non est in doctrina illa, sed extra illam, etiam id per quod calcatio facta sit extra Urbem, significatur. Ex his constare potest, quod per calcatum torcular extra urbem, significetur quod exploratio facta sit ex Divinis veris Verbi, qualia essent opera profluentia ex doctrina fidei Ecclesiæ. Per calcare torcular, non solum significatur mala opera explorare, sed etiam illa apud alios sustinere, tum removere & conjicere in infernum, in sequentibus locis ,, *Ego loquor in justitia, magnus ad salvandum; quare rubicundus quoad vestem tuam, & vestes tuæ sicut* CALCANTIS IN TORCULARI, TORCULAR CALCAVI SOLUS, Esaj. LXIII: 1. 2. 3. *Dominus prostravit omnes robustos meos*, TORCULAR CALCAVIT *Dominus filiæ Jehudæ*, Thren. I: 15. *Sedens super Equo albo pascit gentes virga ferrea, idemque* CALCAT TORCULAR *vini furoris & iræ Dei* ,, Apoc. XIX: 15.

653. *Et exivit sanguis e torculari usque ad fræna equorum, significat violentiam illatam Verbo per diras falsificationes veri & inde intellectum ita obturatum, ut homo vix doceri possit amplius, & sic duci per Divina vera a Domino.* Per sanguinem significatur violentia illata Verbo, n. 327, ac Divinum Verum Verbi falsificatum & prophanatum, n. 379; nam per sanguinem e torculari, intelligitur mustum & vinum ex botris calcatis, ac per mustum & vinum similia significantur, n. 316; per fræna equorum, significantur vera Verbi, per quæ intellectus ducitur, equus enim significat intellectum Verbi, n. 298, inde per frænum significatur verum per quod intellectus ducitur; usque ad fræna equorum, est usque intra os, cui frænum infertum est, & equus per os potatur & nutritur, quare etiam significatur, quod talis violentia illata sit Verbo per diras falsificationes, ut homo vix doceri possit amplius, & sic duci per Divina vera a Domino. Per frænum etiam significatur id per quod intellectus ducitur, Esaj. XXX: 27. 28. Cap. XXXVII: 29: & per sanguinem uvarum significatur Divinum Verum Verbi, Genes. XLIX: 11. Deutr. XXXII: 14, hic autem in opposito sensu.

654. *A stadiis mille sexcentis, significat mere falsa mali.* Per stadia simile significatur quod per vias, quia stadia sunt viæ mensuratæ, & per vias significantur vera ducentia, n. 176, & in opposito sensu falsa similiter; ac per mille sexcenta significantur mala in omni complexu, per 1600 enim simile significatur quod per 16, & per 16 simile quod per 4, quia ex 4 in se multiplicatis exsurgunt 16, & quatuor dicuntur de bono & de conjunctione boni & veri, n. 322, inde in opposito sensu de malo & de conjunctione mali & falsi, ut hic; & quia numerus multiplicatus per 1000 non tollit significationem, sed exaltat illam, inde per a stadiis mille sexcentis, significatur mere falsum mali.

100

li. Qnod omnes numeri in Verbo ſignificent res, videatur ſupra n. 348, & quod numerus ſignificet quale rei, n. 448. 608. 609. 610.



655. His adjiciam hoc MEMORABILE. Loquutas ſum cum quibuſdam, qui in Apocalypſi intelliguntur per Draconem; & unus ex illis mihi dixit, veni mecum, & jucunditates oculorum & cordium noſtrorum oſtendam; & duxit me per ſylvam opacam, & ſuper collem, e quo potui ſpectare draconum jucunda; & vidi Amphitheatrum in Circi formam erectum, cum ſcamnis circum circa oblique ſurſum ſtructis, ſuper quibus ſpectatores ſedebant; illi qui ſedebant ſuper ſcamnis infimis, apparebant mihi e longinquo ſicut Satyri & Priapi, quidam cum velamine tegente pudenda, & quidam nudi abſque illo; in ſcamnis ſupra illos ſedebant ſcortatores & meretrices, tales mihi ex geſtibus illorum apparebant; & tunc dixit Draco ad me, nunc videbis Ludum noſtrum; & vidi in aream Circi tanquam juvencos, arietes, oves, hædos & agnos immiſſos, & poſtquam illi immiſſi ſunt, aperiebatur porta, & irruebant tanquam leones juvenes, pantheræ, pardi, & lupi, & cum furore invadebant gregem; ac dilaniabant & mactabant illos; at Satyri poſt cruentam illam cædem ſpargebant arenam ſuper locum mactationis: tunc dixit ad me Draco, hi ſunt noſtri ludi, qui jucundant animos noſtros; & reſpondi, abi dæmon, poſt aliquod tempus videbis Amphitheatrum hoc converſum in ſtagnum ignis & ſulphuris; ille riſit & abivit: & poſtea mecum cogitabam, cur talia a Domino permittuntur, & tuli reſponſum in corde meo, quod permittantur quamdiu in Mundo Spirituum ſunt, ſed poſtquam tempus illorum in illo Mundo peractum eſt, vertuntur tales Scenæ theatrales in diras infernales. Omnia illa quæ viſa ſunt, inducta fuerunt a Draconicis per phantaſias, quare non erant juvenci, arietes, oves, hædi & agni, ſed fecerunt ut ita apparerent genuina bona & vera Eccleſiæ, quæ odio habebant; leones juvenes, pantheræ, pardi & lupi, erant apparentiæ cupiditatum apud illos qui viſi ſunt ſicut ſatyri & priapi; hi abſque velamine circum pudenda, erant, qui crediderunt quod mala non appareant coram Deo, & qui cum velamine, erant qui crediderunt quod appereant, ſed non damnent, modo ſint in fide; ſcortatores & meretrices, erant falſificatores veri Verbi, ſcortatio enim ſignificat falſificationem veri. In Mundo ſpirituali omnia apparent ſecundum correſpondentias e longinquo, quæ cum apparent in formis, vocantur repræſentationes ſpiritualium in objectis naturalium ſimilibus.

Poſtea videbam illos exeuntes e Sylva, Draconem in medio Satyrorum & Priaporum, ac calones & lixæ, quæ erant ſcortatores & meretrices, poſt illos; augebatur agmen in via, & tunc datum eſt audire, quid inter ſe loquebantur; dicebant quod viderent in prato gregem ovium cum agnis, & quod hoc ſignum ſit, quod una urbs ex urbibus Hieroſolymitanis, ubi charitas primarium eſt, prope eſſet; & dixerunt, eamus & capiamus illam urbem, & ejiciamus

ciamus habitatores, & deprædemur bona illorum: accesserunt; sed erat murus circum illam, & angeli custodes super muro; & tunc dixerunt, capiamus illam per dolum; mittamus quemdam artificem peritum mussitationis, qui potest dealbare nigrum ac denigrare album, & infucare rem cujusvis objecti; & inventus est unus gnarus Artis metaphysicæ, qui potuit vertere ideas rerum in ideas terminorum, ac ipsas res occultare sub formulis, & sic avolare sicut accipiter cum præda sub alis: ille instructus quomodo cum urbanis loqueretur, quod essent consocii in Religione, & quod immitterentur. Ille accedens ad portam pulsavit, qua aperta dixit, quod cum Sapientissimo illius urbis vellet loqui; ac intravit, & deductus est ad quendam; & tunc ad illum loquebatur dicens; sunt mei fratres extra urbem, & petunt ut recipiantur, sunt consocii in Religione, vos & nos facimus fidem & charitatem duo Essentialia Religionis, discrimen solum est, quod vos dicatis charitatem esse primarium & inde fidem, & nos dicimus fidem esse primarium & inde charitatem; quid refert si unum aut alterum dicatur primarium, cum utrumque creditur: sapiens urbis respondit, non loquamur de hac re soli, sed in præsentia plurium, qui sint arbitri & judices, alioquin non fit decisio; & tunc arcessiti sunt, ad quos Draconicus similia verba, quæ prius, loquebatur; & tunc respondit vir sapiens urbis; dixisti quod simile sit, sive charitas sumatur primarium Ecclesiæ, sive fides, modo consensus sit quod utraque faciat Ecclesiam & ejus Religionem, & tamen discrimen est quale inter prius & posterius, inter causam & effectum, inter principale & instrumentale, inter essentiale & formale, talia dico quia animadverti, quod sis artis metaphysicæ gnarus, quam artem nos vocamus mussitationem, & aliqui incantationem; sed relinquamus illos terminos, est discrimen sicut inter id quod supra est & id quod infra est, imo si vis credere est discrimen sicut inter cælum & infernum; nam quod primarium est, hoc facit caput & pectus, & quod inde est hoc facit pedes & eorum plantas: sed conveniamus primum, quid charitas & quid fides; quod charitas sit affectio amoris faciendi proximo bonum propter Deum, salutem & vitam æternam, & quod fides sit cogitatio ex fiducia de Deo, salute & vita æterna; sed dixit Emissarius, concedo quod hoc sit fides, & quoque concedo quod charitas sit illa affectio propter Deum, quia propter mandatum Ejus, non autem propter salutem & vitam æternam; & dixit sapiens urbis, sit hoc, modo sit propter Deum; post hanc conventionem dixit sapiens urbis, annon affectio est primarium & cogitatio inde; at missus a dracone dixit, hoc nego; sed responsum tulit, non potes id negare, annon homo cogitat ex affectione, aufer affectionem, num cogitare potes quicquam, est prorsus sicut si auferres sonum de loquela, si auferas sonum num poteris loqui quicquam, sonus etiam est affectionis, & loquela est cogitationis, nam affectio sonat & cogitatio loquitur; & est quoque sicut flamma & lux, si aufers flammam, annon perit lux: simile est cum charitate, quia hæc est affectio, & cum fide, quia hæc est cogitatio; nonne sic potes capere, quod primarium sit omne in secundario, prorsus sicut est sonus in loquela; ex quibus videre potes, quod si non facis primarium id quod primarium est, non sis in altero; quare si fidem, quæ est in secundo loco,

loco, ponis in primo, non apparebis aliter in Cælo, quam ficut inverfus homo, cujus pedes ftant furfum ac caput deorfum, aut ficut hariolus qui inverfo corpore ambulat fuper palmis manuum; quum tales apparetis in Cælo, qualia tunc funt veftra bona opera, quæ funt charitas, nifi qualia facturus effet hariolus ille fuis pedibus, quia non poteft manibus; inde eft quod charitas veftra, ut quoque vidiftis, eft naturalis & non fpiritualis, quia eft inverfa. Emiffarius intellexit hoc, nam omnis diabolus poteft intelligere verum cum illud audit, fed non poteft retinere, quia affectio mali, cum redit, ejicit cogitationem veri: & poftea fapiens urbis defcripfit multis, qualis eft fides quando acceptata eft pro primario, quod fit mere naturalis, & quod fit mera fcientia abfque ulla vita fpirituali, confequenter quod non fit fides; veftra enim charitas non eft nifi quam affectio natnralis, & ex affectione naturali non procedit alia cogitatio quam naturalis, quæ eft veftra fides; ac pæne dicere poffum, quod in fide mere naturali, vix aliud fpirituale fit, quam in fcientia de Regno Mogolis, de Fodina adamantina ibi, deque Imperatoris ejus thefauro & aula. His auditis, Draconicus iratus abivit, & renuntiavit fuis extra urbem; & cum audiverunt, quod dictum fit, quod charitas fit affectio amoris faciendi proximo bonum propter Deum, falutem & vitam æternam, clamaverunt omnes, hoc mendacium eft; & ipfe Draco, heu facinus, nonne omnia bona opera, quæ funt charitas, propter falutem, funt meritoria. Tunc inter fe dixerunt, convocemus adhuc plures ex noftris, & obfideamns hanc urbem, faciamus fcalas, afcendamus murum, ac irruamus noctu, & ejiciamus Charitates illos: at cum hoc moliti funt, ecce apparuit ficut ignis e Cælo qui confumfit illos; fed ignis e Cælo fuit apparentia iræ ex odio contra illos, quia fidem e primo loco in fecundum rejecerunt; quod apparerent ficut igne confumi, erat quod fub pedibus eorum aperiretur infernum, & deglutirentur. His fimilia contigerunt pluribus in locis die Ultimi judicii; & hoc eft, quod per hæc verba intelligitur in Apocalypfi ,, *Exibit Draco ad feducendum Gentes, quæ in quatuor Angulis terræ, ut congreget eos in bellum; & afcenderunt fuper planitiem terræ, & circumdederunt caftra Sanctorum, & Urbem dilectam; fed defcendit ignis a Deo e Cælo, & confumfit eos*, XX: 8. 9.

CAPUT

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

1. ET vidi aliud ſignum in Cælo, magnum & mirabile; Angelos ſeptem habentes plagas ſeptem ultimas, quia in illis conſummata eſt ira Dei.

2. Et vidi tanquam Mare vitreum mixtum igne, & victoriam habentes de beſtia, & de imagine ejus, & de charactere ejus, & de numero nominis ejus, ſtantes juxta Mare vitreum, habentes citharas Dei;

3. Et canebant canticum Moſis ſervi Dei, & canticum Agni, dicentes, magna & mirabilia opera tua, Domine Deus Omnipotens, juſtæ & veræ viæ tuæ, Rex ſanctorum.

4. Quis non timeat Te, Domine; & glorificet Nomen tuum, quia Solus Sanctus; quare omnes gentes venient, & adorabunt coram Te, quia judicia tua manifeſtata ſunt.

5. Et poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt Templum Tabernaculi Teſtimonii in Cælo.

6. Et exiverunt ſeptem Angeli, habentes ſeptem plagas e Templo, induti lino mundo & ſplendido, & circumamicti circa pectora zonis aureis.

7. Et unum de quatuor Animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, plenas ira Dei viventis in ſæcula ſæculorum.

8. Et impletum eſt Templum fumo ex gloria Dei & ex virtute Ipſius, & nemo potuit ingredi in Templum, donec comſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Præparatio ad detegendum ſtatum ultimum Eccleſiæ, & ad aperiendum mala & falſa in quibus ſunt, Verſ. 1. 5 ad 8; a quibus ſeparati ſunt, qui confeſſi ſunt Dominum, & vixerunt ſecundum præcepta Ipſius, Verſ. 2. 3. 4.

Contenta Singulorum Versuum. Et vidi aliud ſignum in Cælo, magnum & mirabile, *ſignificat* revelationem a Domino de ſtatu Eccleſiæ in terris, qualis eſt quoad amorem & fidem: angelos ſeptem habentes plagas ſeptimas ultimas, *ſign:* mala & falſa in Eccleſia, qualia in ultimo ejus ſtatu ſunt, a Domino univerſaliter detecta: quia in illis conſummata eſt ira Dei, *ſign:* devaſtationem Eccleſiæ & tunc finem ejus: & vidi tanquam Mare vitreum mixtum igne, *ſign:* ultimum terminum Mundi Spiritualis, ubi collecti erant, quibus religio & inde cultus, & non bonum vitæ: & victoriam habentes de Beſtia, & de

imagine ejus, & de charactere ejus, & de numero nominis ejus, *ſign:* illos qui rejecerunt ſolam fidem & doctrinam ejus, & ſic non agnoverunt & imbuerunt falſa ejus, nec falſificaverunt Verbum: ſtantes juxta Mare vitreum, habentes citharas Dei, *ſign:* Cælum Chriſtianum in terminis, & fidem charitatis apud illos qui ibi: & canebant canticum Moſis ſervi Dei, & canticum Agni, *ſign:* confeſſionem ex charitate, ita ex vita ſecundum præcepta Legis, quæ Decalogus, & ex fide de Divinitate Humani Domini: dicentes, magna & mirabilia opera tua, Domine Deus Omnipotens, *ſign:* quod omnia Mundi, Cæli & Eccleſiæ, creata & facta ſint a Domino ex Divino Amore per Divinam Sapientiam: quia juſtæ & veræ viæ tuæ Rex Sanctorum, *ſign:* quod omnia quæ procedunt ab Ipſo ſint juſta & vera, quia eſt Ipſum Divinum Bonum & Divinum Verum in Cælo & in Eccleſia: quis non timeat te Domine, & glorificet Nomen tuum, *ſign:* quod Solus amandus & colendus ſit: quia Solus Sanctus, *ſign:* quod ſit Verbum, Veritas & Illuſtratio: quare omnes gentes venient & adorabunt coram Te, *ſign:* quod omnes qui in bono amoris & charitatis ſunt, agnoſcent Dominum Solum Deum: quia judicia tua manifeſtata ſunt, *ſign:* quod vera Verbi aperte id teſtentur: poſthæc vidi, & ecce apertum eſt Templum Tabernaculi teſtimonii in Cælo, *ſign:* quod viſum ſit Intimum Cæli, ubi Dominus in ſua Sanctitate in Verbo, & in Lege, quæ Decalogus, eſt: & exiverunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas e Templo, *ſign:* præparationem a Domino ad influxum ex Intimo Cæli in Eccleſiam, ut mala & falſa ejus detegerentur, & ſic ſepararentur mali a bonis: induti lino mundo & ſplendido, & circumcincti circa pectora Zonis aureis, *ſign:* hoc ex veris & bonis puris & genuinis Verbi: & unum de quatuor Animalibus dedit ſeptem Angelis ſeptem phialas aureas, *ſign:* vera & bona illa, per quæ mala & falſa Eccleſiæ deteguntur, ex ſenſu literæ Verbi deſumpta: plenas ira Dei Viventis in ſæcula ſæculorum, *ſign:* mala & falſa apparitura & detegenda per pura & genuina vera & bona Verbi: & impletum eſt Templum fumo & gloria Dei & virtute Ejus, *ſign:* Intimum Cæli plenum Divino Vero Spirituali & Cæleſti Domini: & nemo potuit ingredi in Templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum, *ſign:* in eo gradu ibi, ut ultra non ſuſtineri poſſet, & hoc uſque dum poſt devaſtationem finis illius Eccleſiæ viſus eſt.

EXPLICATIO.

656. *Et vidi aliud ſignum in Cælo, magnum & mirabile, ſignificat revelationem a Domino de ſtatu Eccleſiæ in terris, qualis eſt quoad amorem & fidem.* Hæc ſunt, de quibus in hoc Capite & ſequente agitur, quare hæc per ſignum in cælo magnum & mirabile, ſignificantur; quod per ſignum in Cælo ſignificetur revelatio a Domino de Cælo & de Eccleſia, deque ſtatu illorum, videatur ſupra n. 532. 536; quod ſit de amore & fide, eſt quia dicitur magnum & mirabile, ac magnum in Verbo dicitur de talibus quæ affectionis & amoris ſunt,

ſunt, & mirabile de talibus, quæ cogitationis & fidei ſunt.

657. *Angelos Septem habentes plagas ſeptem ultimas, ſignificat mala & falſa in Eccleſia, qualia in ultimo ejus ſtatu ſunt, a Domino univerſaliter detecta.* Per Septem angelos ſignificatur univerſum Cælum; at quia cælum non eſt cælum ex propriis angelorum, ſed ex Domino, ideo per Septem Angelos ſignificatur Dominus, nec alius poteſt detegere mala & falſa quæ in Eccleſia ſunt; quod per angelos ſignificetur Cælum, & in ſupremo ſenſu Dominus, videatur ſupra n. 5. 258. 344. 465. 644. 647. 648: per plagas ſignificantur mala & falſa, mala amoris & falſa fidei; ſunt enim illa quæ in ſequente Capite deſcribuntur, & ſignificantur per ulcus malum & noxium, per ſanguinem tanquam mortui, ex quo omnis anima vivens mortua eſt, perque ſanguinem in quem aquæ fluviorum & fontium verſæ ſunt, per æſtum ignis qui afflixit homines, per ſpiritus immundos ſimiles ranis & erant dæmones, tum per grandinem magnam; mala & falſa quæ per illa omnia ſignificantur, ſunt hic plagæ; per plagas ultimas, ſignificantur illa in ultimo ſtatu Eccleſiæ; per ſeptem ſignificantur omnia, n. 10. 394; ſed quia illa mala, quæ ſignificantur per plagas in ſequente capite, non ſunt omnia in ſpecie, ſed ſunt omnia in genere, per ſeptem hic ſignificantur omnia univerſaliter, univerſale enim complectitur omnia in ſpecie. Ex his patet, quod per vidi ſeptem Angelos habentes ſeptem plagas ultimas, ſignificetur quod mala & falſa in Eccleſia, qualia in ultimo ejus ſtatu ſunt, a Domino univerſaliter detecta ſint. Quod plagæ ſignificent plagas ſpirituales, quæ homines quoad animas eorum afficiunt, & illas perdunt, quæ ſunt mala & falſa, conſtare poteſt a ſequentibus locis „ *A vola pedis uſque ad caput non integritas,* Plaga recens *non expreſſa; non obligata, non emollita,* Eſaj. I: 6. *Jehovah percutit populos cum ira* Plaga non curabili „ Eſaj. XIV: 6. *Jehovah remove deſuper me* Plagam tuam, *a conflictu manus tuæ ego conſumor,* Pſalm. XXXIX: 11. *Deſperatum eſt confractioni tuæ,* Plaga hostis *percuſſi te propter multitudinem iniquitatis tuæ, plurima facta ſunt peccata tua: ſed a* Plagis *tuis ſanabo te* „ Jerem. XXX: 12. 14. 17. *Si non cuſtodiens facere omnia verba Legis, mirabiles reddet Jehovah* Plagas *tuas,* Plagas *magnas & conſtantes, & omnem* Plagam *quæ non ſcripta in Libro Legis hujus, uſque dum perdaris* „ Deut. XXVIII: 59. 61. *Non incurret in te malum, &* Plaga *non appropinquabit ad tentorium tuum* „ Pſalm. XCI: 10. *Erit Edomus in deſolationem, omnis tranſiens ſibilabit ſuper omnibus* Plagis ejus, Jerem. XLIX: 17. *Erit devaſtatio, omnis tranſiens præter Babelem, obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper omnibus* Plagis *ejus,* Jerem. L: 13. *In una die venient* Plagæ *Babyloni* „ Apoc. XVIII: 8. *Duo Teſtes percutient terram omni* Plaga, Apoc. XI: 6. Per Plagas Ægypti, quæ quoad partem ſimiles fuerunt plagis deſcriptis in ſequente Capite, nec aliud quam mala & falſa, ſignificantur, quas plagas enumeratas videas ſupra n. 503; vocantur etiam illæ Plagæ, Exod. IX: 14. Cap. XI: 1. Ex his patet, quod per plagas non aliud quam plagæ ſpirituales, quæ afficiunt homines quoad animas eorum & perdunt illos, ſignificetur, ut quoque Eſaj. XXX: 26. Sach. XIV: 12. 15. Pſalm. XXXVIII: 6. 12. Apoc. IX: 26. Cap. XVI: 21. Exod. XII: 13. Cap. XXX: 12. Num. XI: 19. Luc. VII: 21, & alibi.

658. Quia

658. *Quia in illis conſummata eſt ira Dei, ſignificat devaſtationem Eccleſiæ & tunc finem ejus.* Per conſummationem ſignificatur devaſtatio Eccleſiæ, & tunc finis ejus, de qua ſequitur; per iram Dei ſignificatur malum apud homines, quod quia contra Deum eſt, dicitur ira Dei, non quod Deus iraſcatur homini, ſed quod homo ex malo ſuo iraſcatur Deo, & quia apparet homini, dum propterea punitur & cruciatur, quod fit poſt mortem in inferno, ſicut ex Deo, ideo in Verbo tribuitur Deo ira & excandeſcentia, imo malum; ſed hoc in ſenſu literæ, quia ille ſenſus per apparentias & correſpondentias conſcriptus eſt, non autem in ſenſu ſpirituali, in hoc enim non eſt apparentia & correſpondentia, ſed veritas in ſua luce; de ira illa, videatur ſupra n. 525. 635. Dicitur quod in illis plagis conſummata ſit ira Dei, & quod per id ſignificetur devaſtatio Eccleſiæ & tunc finis ejus; cauſa dicetur; omnis Eccleſia temporis ſucceſſu decreſcit recedendo a bono amoris & a veris fidei, uſque dum non aliquid eorum reſiduum eſt, & hoc fit per ſucceſſiva incrementa mali & falſi; & quando non amplius bonum amoris & fidei eſt, tunc non niſi quam malum & falſum eſt, & quando ita, eſt finis Eccleſiæ; in hoc fine non ſcit homo aliter quam quod malum ſit bonum, & quod falſum ſit verum, amat enim illa ex jucundo illorum, & ideo confirmat illa; hic finis eſt, qui ſignificatur per Conſummationem, & vocatur devaſtatio, in ſequentibus locis „ CONSUMMATIONEM ET DECISIONEM *audivi a cum Jehovah ſuper univerſam terram*, Eſaj. XXVIII: 22. CONSUMMATIO DEFINITA, *inundata juſtitia, nam* CONSUMMATIONEM & DECISIONEM *Dominus Jehovih Zebaoth faciens in tota terra*, Eſaj. X: 22. 23 *In igne Zeli Jehovæ comedetur tota terra, quia* CONSUMMATIONEM *feſtinatam faciet cum omnibus habitatoribus terræ*, Zephan. I: 18. *Tandem ſuper avem abominationum deſolatio, & uſque ad* CONSUMMATIONEM & DECISIONEM *ſtillabit ſuper* DEVASTATIONEM, Dan. IX: 27. *Vaſtitas erit tota terra*, CONSUMMATIONEM *tamen non faciam*, Jerem. IV: 27. *Dixit Jehovah deſcendam & videbo, num juxta clamorem, qui venit ad Me, fecerint* CONSUMMATIONEM, Gen. XVII: 21, de Sodoma. *Nondum* COMSUMMATA *eſt iniquitas*
XV. 16. *Emorræorum*, Geneſ. X: 22. 23: Finis Eccleſiæ etiam intelligitur per conſummationem ſæculi a Domino in his locis „ *Diſcipuli interrogarunt Jeſum, quodnam ſignum tui Adventus &* CONSUMMATIONIS SÆCULI, Matth. XXIV: 3. *Tempore meſſis dicam meſſoribus, colligite primum Zizania ad comburendum, Tritica colligite in horrea, ſic erit in* CONSUMMATIONE SÆCULI, Matth. XIII: 40. [30,]
In CONSUMMATIONE SÆCULI, *exibunt Angeli & ſeparabunt malos e medio juſtorum*, Matth. XIII: 49. *Jeſus dixit diſcipulis, ecce Ego vobiſcum ſum uſque ad* CONSUMMATIONEM SÆCULI, Matth. XXVIII: 20, uſque ad conſummationem ſæculi, eſt uſque ad finem Eccleſiæ, dum Nova Eccleſia, cum qua tunc Dominus erit.

V. 2. 659. *Et vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, ſignificat ultimum terminum Mundi Spiritualis, ubi collecti erant, quibus Religio & inde Cultus, & non Bonum vitæ.* Per Mare vitreum Cap. IV: 6, ſignificatum eſt Novum Cælum ex Chriſtianis, qui in communibus veris ex ſenſu literæ Verbi erant, n. 238; illi qui in communibus veris ſunt, etiam in terminis Cæli ſunt, quare apparent

e

e longinquo ſicut in Mari, n. 398. 403. 404. 420: hic autem per Mare vitreum, ſignificatur Ultimus Terminus Mundi Spiritualis, ubi collecti erant, quibus Religio & inde Cultus, ſed non bonum vitæ; quia collectio ex illis ſignificatur, ideo dicitur TANQUAM mare vitreum, & quoque viſum eſt MIXTUM IGNE, & per ignem ibi ſignificatur amor mali, & inde malum vitæ, n. 452. 468. 494. 766. 766. 767. 787; ita non bonum vitæ, nam ubi non bonum, ibi eſt malum: quod collectio ex illis hic intelligatur per tanquam mare vitreum mixtum igne, patet quoque ex nunc ſequentibus, ut Quod *juxta hoc Mare ſteterint qui victoriam habuerunt de beſtia & de imagine ejus*, per quos ſignificantur qui ex rejectione fidei ſeparatæ a charitate in bono vitæ erant, & inde in Cælo, n. 660: hoc Mare etiam eſt quod intelligitur in Cap. XXI: 1, *per Mare quod non erat amplius*, n. 878. Quale erat hoc Mare, & quales illi, qui ibi fuerunt, datum etiam eſt videre; fuerunt illi, quibus Religio fuerat, frequentaverant Templa, audiverant prædicationes, obiverant ſacram Cænam, & præterea non quicquam cogitaverant de Deo, Salute & Vita æterna, neſcientes quid peccatum; quare fuerunt homines quoad faciem, & plerique etiam quoad vitam civilem & moralem, ſed prorſus non quoad vitam Spiritualem, ex qua tamen homo eſt homo.

660. *Et victoriam habentes de beſtia, & de imagine ejus, & de charactere ejus, & de numero nominis ejus, ſignificat illos qui rejecerunt ſolam fidem, & doctrinam ejus, & ſic non agnoverunt & imbuerunt falſa ejus, nec falſificaverunt Verbum.* Per beſtiam ſignificatur fides draconis apud Laicos, de qua Cap. XIII: 1 ad 11, quia ejus imago facta eſt, Verſ. 14, ibi; per imaginem ejus, ſignificatur doctrina, n. 602. 634. 637; per characterem, ſignificatur agnitio illius fidei, n. 605. 606. 634. 637. 679; per numerum nominis ejus ſignificatur falſificatio Verbi, n. 610. Ex his patet, quod per illa verba ſignificentur qui rejecerunt ſolam fidem & doctrinam ejus, & ſic non agnoverunt & imbuerunt falſa ejus, nec falſificaverunt Verbum.

661. *Stantes juxta Mare vitreum, habentes citharas Dei, ſignificat cælum Chriſtianum in terminis, & fidem charitatis apud illos qui ibi.* Quoniam per Mare vitreum ſignificatur Collectio ex illis, quibus quidem religio & cultus eſt, ſed non bonum vitæ, n. 659, ideo per hos qui viſi ſunt ſtare juxta illad mare, ſignificatur Cælum Chriſtianum in terminis ejus, quibus fuit religio, cultus & bonum vitæ, quia victoriam habuerunt de beſtia & de imagine ejus. De Cælo Chriſtiano ſuperiori actum eſt in Capite præcedente; illi, ex quibus id Cælum, intelliguntur per centum quadraginta quatuor millia, qui viſi ſunt ſtare cum Agno ſuper Monte Sionis, de quibus n 612 ad 625; per citharas ſignificatur confeſſio Domini ex veris ſpiritualibus, n 276. 616; vera ſpiritualia ſunt fidei ex charitate. Quod viſi ſint habere citharas, & quod auditi ſint canere canticum, ut ſequitur, erat repræſentativum confeſſionis ex fide charitatis; affectiones cogitationum & inde ſoni ſermonum Angelorum cæli, infra audiuntur varie in Mundo Spirituali, vel ſicut ſoni aquarum, vel ſicut ſoni tonitruum, ut ſupra Cap. XIV: 2; vel ſicut ſoni tubarum, ut ſupra Cap. IV: 1; vel ſicut hic, ut ſoni cithararum, ut quoque ſupra Cap V: 8. Cap. XIV: 2, ſed uſque non

ſunt aquæ quæ ſonant, nec tonitrua quæ tonant, nec tubæ & citharæ quæ clangunt, imo nec ſunt cantus, ſed ſermones Angelorem & confeſſiones illorum ſecundum affectiones & inde cogitationes eorum, ita audiuntur infra, ex quibus percipitur quale amoris & ſapientiæ illorum: quod talia audiantur eſt ex correſpondentia affectionis cum ſono, & cogitationis in loquela.

662. *Et canebant Canticum Moſis ſervi Dei & Canticum Agni, ſignificat confeſſionem ex charitate, ita ex vita ſecundum præcepta Legis quæ Decalogus, & ex fide de Divinitate Humani Domini.* Quod canere Canticum novum ſit confiteri ex gaudio cordis & ex affectione, quod Dominus Solus ſit Salvator, Redemtor ac Deus cæli & terræ, videatur ſupra n. 279. 615; ſed hic non dicitur Canticum novum, ſed canticum Moſis ſervi Dei & canticum Agni, & per Canticum Moſis ſignificatur confeſſio ex vita ſecundum præcepta Legis quæ decalogus, ita ex charitate, & per Canticum Agni, confeſſio ex fide de Divinitate Humani Domini, per Agnum enim intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, n. 269. 291. 595; & per Moſen intelligitur in lato ſenſu omnis Lex ſcripta in quinque ejus Libris, & in ſtricto ſenſu Lex quæ vocatur Decalogus, & quia hæc inſervit homini pro vita, dicitur Canticum Moſis *ſervi Dei*, per ſervum enim in Verbo intelligitur qui inſervit & quod inſervit, n. 380, hic pro vita. Quod per Moſen in lato ſenſu intelligatur Lex, eſt quia quinque ejus Libri vocantur Lex: quod omnia præcepta, judicia & ſtatuta per eum data in quinque Libris ejus dicantur Lex, videatur ſupra n. 417; quod omne ſcriptum in illis libris dicatur Lex Moſis, & quoque Moſes, conſtare poteſt ex his locis „ *Nathanael dixit, quem ſcripſit* MOSES IN LEGE *& Prophetæ, invenimus Jeſum*, Joh. I: 46. *In* LEGE MOSES *præcepit tales lapidare*, Joh. VIII: 5. Impleti ſunt *dies purificationis eorum juxta* LEGEM MOSIS „ Luc. II: 22. *Oportet omnia impleri quæ ſcripta ſunt in* LEGE MOSIS *& Prophetis de Me* „ Luc. XXIV: 27. 44. *Nonne* MOSES DEDIT VOBIS LEGEM: *Moſes dedit circumciſionem ut non ſolvatur Lex Moſis*, Joh. VII: 19. 22. 23. *Dixit Abraham diviti in inferno, habent* MOSEN *& Prophetas, audiunto illos; ſi non* MOSEN *& Prophetas audiunt, nec ſi quis ex mortuis reſurrexerit, perſuadebuntur*, Luc. XVI: 29. 31. *Defluxit ſuper nos maledictio & juramentum, quod ſcriptum eſt in* LEGE MOSIS *ſervi Dei: ſicut ſcriptum in* LEGE MOSIS, *omne malum venit ſuper nos*, Dan. IX: 11. 12. *Mementote* LEGIS MOSIS *ſervi mei, quam præcepi illi*, Malach. III: 22. *Dixit Jehovah ad Moſen, ecce Ego veniam ad te in nebula nubis, ut audiat populus quando loquutus fuero ad te, etiamque in* TE CREDANT *in æternum*, Exod. XIX: 9. Ex his conſtare poteſt, quod per Moſen in lato ſenſu intelligatur Verbum quod ab illo ſcriptum eſt, quod vocatur Lex; quod per Moſen intelligatur Lex, quæ Decalogus, inde ſequitur, & eo plus quia Moſes ſculpſit Tabulas poſtqvam priores fregerat, Exod. XXIV: 1. 3; & cum illas deportavit, radiavit facies ejus, Exod. XXIV: 29 ad fin: quare Moſes in picturis ſiſtitur tenens Tabulas illas in manu: etiam dicitur apud Marcum „ MOSES DIXIT, *honora patrem tuum & matrem tuam*, VII: 10: & *Joſchua ſcripſit copiam* LEGIS MOSIS *ſuper lapidibus Altaris*, Joſch. VIII: 32, Lex illa erat Decalogus. Ex his videri poteſt, quod hic per Canticum Moſis ſervi Dei, non aliud in

intelligatur quam confessio ex charitate, ita ex vita secundum præcepta Legis, quæ Decalogus.

663. *Dicentes, magna & mirabilia opera tua Domine Deus Omnipotens, significat quod omnia Mundi, Cæli & Ecclesiæ, creata & facta sint a Domino ex Divino Amore per Divinam Sapientiam Ipsius.* Per opera Domini significantur omnia quæ ab Ipso creata & facta sunt, quæ in genere sunt omnia mundi, omnia cæli, & omnia Ecclesiæ, quæ in specie nequicquam possunt enumerari: dicuntur magna & mirabilia, quia magnum dicitur de amore, & mirabile de sapientia, ut supra n. 656; & quoque Dominus in Verbo dicitur Dominus ex Divino Bono Divini Amoris, ac Deus ex Divino Vero Divinæ Sapientiæ: quod Dominus dicatur Omnipotens, quia Est, Vivit & potest omnia, ex Seipso, & quoque regit omnia ex Seipso, videatur supra n. 31: inde est, quod per magna & mirabilia opera tua Domine Deus Omnipotens, in universali sensu significetur quod omnia Mundi, Cæli & Ecclesiæ, creata & facta sint a Domino ex Divino Amore per Divinam Sapientiam Ipsius.

664. *Quia justæ & veræ viæ tuæ Rex Sanctorum, significat quod omnia quæ procedunt ab Ipso sint justa & vera, quia est Ipsum Divinum Bonum & Divinum Verum in Cælo & in Ecclesia.* Per vias significantur vera ducentia ad bonum, 176; & per Regem, cum de Domino, significatur Divinum Verum, & per Regem Sanctorum Divinum Verum in Cælo & Ecclesia ab Ipso; per Sanctos enim significantur qui in Divinis veris a Domino sunt, n. 173. 586; inde per justæ & veræ viæ tuæ, Rex Sanctorum, significatur quod omnia quæ procedunt a Domino, justa & vera sint, quia est ipsum Divinum Verum in Cælo & in Ecclesia. Dominus vocatur Rex in Divino Humano suo, quia Hoc est Messias, Unctus, Christus, Filius Dei; quod Messias in Lingua Hebræa sit Christus in Lingua Græca, & quod Messias seu Christus sit Filius Dei, videatur supra n. 520; quod Messias significet & Regem & Unctum in Lingua Hebræa, notum est. Quod Dominus ut Rex sit Divinum Verum, est quia Rex significat illud, n. 20. 483; inde est quod per Reges significentur qui in Divinis veris a Domino sunt, Apoc. I: 6. Cap. V: 10: ex eo est, quod Cælum & Ecclesia dicantur Regnum Ipsius; tum quod adventus Ipsius in Mundum dicatur Evangelium Regni: Cælum & Ecclesia dicuntur Regnum Ipsius, Dan. II: 44. Cap. VII: 13. 14. 27. Matth. XII: 28. Cap. XVI: 28. Marc. I: 14. 15. Cap. IX: 1. Cap. XV: 43. Luc. I: 33. Cap. IV: 43. Cap. VIII: 1. 10. Cap. IX: 2. 11. 16. Cap. X: 11. Cap. XVI: 26. Cap. XIX: 11. Cap. XXI: 31. Cap. XXII: 18. Cap. XXIII: 51. Et Adventus Ipsius dicitur Evangelium Regni, Matth. IV: 23. Cap. IX: 35. Cap. XXIV: 14: sed plura de his videantur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO. Quod Dominus dicatur Rex, patet ex his locis „*Illi cum Agno pugnabunt, sed Agnus vincet illos, quia est* DOMINUS DOMINORUM ET REX REGUM, Apoc. XVII: 14. *Sedens super Equo albo vocatur Verbum, & Nomen Ipsius est* DOMINUS DOMINORUM ET REX REGUM, Apoc. XIX: 12. 16. Dan. II: 47. *Dixit Nathanael, Tu es Filius Dei, Tu es* REX ISRAELIS, Joh. I: 50. *Quando venerit* FILIUS HOMINIS *in gloria sua, sedebit super Throno gloriæ suæ, & dicet* REX ILLIS *qui e dextris*

tris & qui e sinistris, Matth. XXV: 31. 34. 40. *Clamarunt*, *Osanna Benedictus qui venit in Nomine Domini*, REX ISRAELIS, Joh. XII: 13. *Pilatus quæsivit Jesum*, *num esset Rex*, *Respondit Jesus*, REX SUM EGO, *Ego in hoc natus sum*, *& in hoc veni in mundum*, Joh. XVIII: 37. REGEM *in pulchritudine sua videbunt oculi tui*, JEHOVAH REX NOSTER, *Ille salvabit nos*, Esaj. XXXIII: 17. 22. *Ego Jehovah Sanctus vester*, CREATOR ISRAELIS REX VESTER, Esaj. XLIII: 15. *Sic dixit* JEHOVAH REX ISRAELIS, ET REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, *Ego Primus & Ultimus*, *& præter Me non Deus*, Esaj. XLIV: 6. JEHOVAH ERIT IN REGEM *super totam terram*, Sach. XIV: 9. Psalm. XLVII: 3. 7. 8. 9. *Attollite portæ capita vestra, ut ingrediatur* REX GLORIÆ: *Jehovah Zebaoth Hic* REX GLORIÆ, Psalm. XXIV: 7 ad 10. *Suscitabo Davidi germen justum*, *qui* REGNET REX, *& faciat Judicium & Justitiam in terra*, Jerem. XXIII: 5. Cap. XXXIII: 15. Præter alibi, ut Esaj. VI: 5. Cap. LII: 7. Jerem. X: 7. 10. Cap. XLVI: 18. Ezech. XXXVII: 22. 24. Zeph. I: 15. Cap. III: 15. Psalm. XX: 10. Psalm. XLV: 12. 14. 15. Psalm. LXVIII: 25. Psalm. LXXIV: 12.

665. *Quis non timeat te Domine*, *& glorificet Nomen tuum*, *significat quod Solus amandus & colendus sit.* Per timere Deum significatur amare Ipsum; & per glorificare Nomen Ipsius, significatur colere Ipsum; quod Solus amandus & colendus sit, intelligitur per *quis non*, & per *quia Solus Sanctus es*: quod timere Deum sit amare Ipsum timendo facere contra Ipsum, & quod hic timor sit in omni amore, videatur supra n. 527. 628. Quod glorificare Nomen Ipsius, sit colere Ipsum, est quia per Nomen Jehovæ significatur omne per quod colitur, n. 81, & per glorificare significatur agnoscere & confiteri.

666. *Quia Solus Sanctus*, *significat quod sit Verbum*, *Veritas & Illustratio.* Quod Dominus sit Solus Sanctus, videatur supra n. 173; & quod Divinum Verum sit quod vocatur Sanctum, n. 173. 580; & quia Verbum est Divinum Verum, & Dominus est illud, & quia Divinum Verum spiritualiter illustrat, est enim lux in cælo, sed a Domino, ideo per quia Solus est Sanctus, significatur quod Dominus sit Verbum, Veritas & Illustratio. Quoniam Verbum est Divinum Verum, ac Divinum Verum spiritualiter illustrat, ideo dicitur quod Verbum a Jehovah dictatum sit per Spiritum Sanctum, ac quod Spiritus sanctus hominem illustret & doceat; sed quis non scit, quod Deus Omnipræsens sit, & quod Sanctum procedat ab Ipso, & quod illustret ubi recipitur; quis inde non potest concludere, quod Spiritus Sanctus non sit Deus per se, distinctus a Jehovah seu Domino ut persona a persona, sed quod sit Ipse Jehovah seu Dominus; qui Divinam Omnipræsentiam agnoscit, etiam id agnoscet. Quod per Spiritum Sanctum in Verbo intelligatur Divina Vita Domini, ita Ipse, & in specie vita Sapientiæ Ipsius, quæ vocatur Divina Veritas, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 50 ad 53, ubi id ex Verbo demonstratum est. Quod Dominus sit Verbum, videatur Joh. I: 1. 14. Quod sit Veritas, Joh. XIV: 6. Quod sit Lux & inde Illustratio, Joh. XII: 34. 35. 36.

667. *Quare omnes gentes venient & adorabunt coram Te*, *significat quod omnes*

qui

qui in bono amoris & charitatis sunt, *agnoscent Dominum Solum Deum*. Per omnes Gentes significantur qui in bono amoris & charitatis sunt, quod hi per gentes, dum in sensu bono, intelligantur, videatur supra n. 483; per venire & adorare coram Ipso, significatur agnoscere Dominum pro Deo, & quia unus est Deus, in quo Trinitas, & Dominus est Ille, significatur agnoscere Ipsum Solum Deum.

668. *Quia judicia tua manifestata sunt*, *significat quod vera Verbi aperta id testentur*. Per judicia significantur Divina Vera, secundum quæ homo victurus est, ex quibus cognoscitur qualis est, & secundum quæ judicabitur; & quia hæc Divina Vera in Verbo sunt, & Verbum nunc apertum est, & hoc testatur quod Dominus Solus sit Deus Cæli & Terræ, ideo per quia judicia tua manifestata sunt, significatur quia vera Verbi id testantur. Quod Verbum nunc apertum sit, & quod id testetur quod Dominus Solus sit Deus Cæli & terræ, quodque vivendum sit secundum præcepta Ipsius, & quod fides hodierna removenda sit, constare potest ex quatuor Doctrinis nunc editis, Una DE DOMINO, Altera DE SCRIPTURA SACRA, Tertia DE VITA SECUNDUM PRÆCEPTA DECALOGI, & Quarta DE FIDE: hæc sunt quæ intelliguntur per quia judicia tua manifestata sunt: Quoniam Dominus est Divinum Bonum & Divinum Verum, & per Judicium significatur Divinum Verum & per Justitiam Divinum Bonum, ideo multis in locis, ubi de Domino, dicitur Justitia & Judicium, ut in sequentibus, „ *Zion in* JUSTITIA *redimetur*, *& reduces ejus in* JUDICIO, Esaj. I: 27. *Sedebit super Throno Davidis & super Regno ejus ad stabiliendum illud in* JUDICIO *&* JUSTITIA „ Esaj. IX: 6. *Exaltetur Jehovah quia inhabitat altum*, *& implevit terram* JUDICIO *&* JUSTITIA, Esaj. XXXIII: 5. *De hoc glorietur qui gloriatur*, *quod Jehovah faciat* JUDICIUM *&* JUSTITIAM *in terra*, Jerem. IX: 23. *Suscitabo Davidi germen justum*, *qui regnet Rex & faciat* JUDICIUM *&* JUSTITIAM *in terra*, Jerem. XXIII: 5. Cap. XXXIII: 15. *Despondebo Me tibi in* JUSTITIA *& in* JUDICIO, Hosch. II: 19. *Fluet sicut aqua Judicium*, *& Justitia sicut torrens fortis*, Amos V: 24. *Jehovah* JUSTITIA TUA *sicut montes Dei*, JUDICIA TUA *abyssus magna*, Psalm. XXXVI: 7. *Jehovah educet sicut lucem* JUSTITIAM *suam*, *&* JUDICIUM *sicut meridiem*, Psalm. XXXVII: 6. *Jehovah judicabit populum suum in* JUSTITIA, *& miseros suos in* JUDICIO, Psalm. LXXII: 2. JUSTITIA *&* JUDICIUM *fulcrum Throni sui*, Psalm. LXXIX: 5. *Cum didicero* JUDICIA JUSTITIÆ *tuæ*; *septies in die laudo Te super* JUDICIIS JUSTITIÆ *tuæ*, Psalmo CXIX: 7. 164. & alibi quod facere debeant Justitiam & Judicium, ut Esaj. I: 21. Cap. V: 16. Cap. LVI: 6. Cap. LVIII: 2. Jerem. IV: 2. Cap. XXII: 3. 13. 15. Ezech. XVIII: 5. Cap. XXXIII: 14. 16. 19. Amos VI: 12. Mich. VII: 9. Deutr. XXXIII: 21. Joh. XVI: 8. 10; ibi Justitia dicitur de bono veri, ac Judicium de vero boni. Quoniam Judicium dicitur de vero, & Justitia de bono, ideo in quibusdam locis dicitur Veritas & Justitia, ut Esaj. XI: 5. Psalm. LXXXV: 12. & apud Davidem „ JUDICIA JEHOVÆ VERITAS, JUSTA SUNT SIMUL, *desiderabilia præ auro*, *& dulcia præ melle*, Psalm. XIX: 10. 11. Quod Regimen Domini in Regno Cælesti dicatur Ju-

Juſtitia, & in Regno ſpirituali Judicium, videatur in Opere DE CÆLO ET INFERNO, Londini edito, n. 214. 215. 216.

669. *Poſt hæc vidi, & ecce apertum eſt Templum Tabernaculi teſtimonii in Cælo, ſignificat quod viſum ſit intimum Cæli, ubi Dominus in ſua ſanctitate in Verbo, & in Lege quæ Decalogus, eſt.* Per Templum ſignificatur in ſupremo ſenſu Dominus quoad Divinum Humanum ſuum, & inde Cælum & Eccleſia, n. 191. 529, hic Cælum Chriſtianum; per Tabernaculum teſtimonii ſignificatur intimum illius Cæli, ubi Dominus in ſua ſanctitate in Verbo, & in Lege quæ Decalogus, eſt, quoniam per Tabernaculum æque ſignificatur Cælum, n. 585, ac intimum Tabernaculi fuit ubi erat Arca, in qua fuerunt Binæ Tabulæ, quibus digito Dei inſcripta fuerunt decem verba, quæ ſunt decem præcepta Decalogi, quæ intelliguntur per Teſtimonium, & quoque vocantur Teſtimonium; ex quibus patet, quod per vidi & ecce apertum eſt Templum Tabernaculi Teſtimonii in Cælo, ſignificetur quod viſum ſit intimum Cæli ubi Dominus in ſua ſanctitate in Lege, quæ Decalogus, eſt: quod per Tabernaculum Teſtimonii etiam ſignificetur ubi Verbum, eſt quia Teſtimonium non ſolum dicitur de Lege quæ decalogus, ſed etiam de Verbo, ac de Domino ut Verbum, quia Verbum teſtatur de Ipſo, n. 490. 555. Quod in Cælo Verbum ſit, & hoc repoſitum in intimo ejus, quod vocatur Sacrarium, & quod ibi ſit Lux flammea & candida, excedens omnem gradum lucis, quæ extra illud in Cælo eſt, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 70 ad 75, & de Sacrario illo, n. 73 ibi. De ſanctitate Legis, quæ Decalogus, videatur DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA EX PRÆCEPTIS DECALOGI, n. 53 ad 60. Quod ARCA, *in qua fuerunt binæ Tabulæ Decalogi, adijum ſeu intimum Templi Hieroſolymitani fecerit*, & quod ſic Tabernaculum ibi, videatur 1 Reg. VI: 19 ad 28. Cap. VIII: 4 ad 10. Quod Lex, quæ decalogus, dicta ſit Teſtimonium, conſtat ex his locis „ *Deſcendit Moſes, & duæ Tabulæ* TESTIMONII *in manu ejus, erant Tabulæ opus Dei, ſcriptura erat ſcriptura Dei, exciſa ſuper tabulis*, Exod. XXXII: 15. 16. *Duæ Tabulæ* TESTIMONII, *Tabulæ lapidis, ſcriptæ digito Dei*, Exod. XXXI: 18. *Dixit Jehovah, in Arcam dabis* TESTIMONIUM, *quod dabo tibi*, Exod. XXIV: 16. 21. 22. *& Moſes ſumſit & dedit in Arcam* TESTIMONIUM, Exod. XL: 20. *Ut tegat nubes ſuffimenti Propitiatorium, quod ſuper* TESTIMONIUM, Levit. XVI: 13. *Jehovah dixit ad Moſen, relinque baculos coram* TESTIMONIO, *& baculum Aharonis poſtea ante* TESTIMONIUM „ Num. XVII: 19. 25. *Et Moſes reliquit baculos coram Jehovah*, Num. XVII: 22. *Arca vocatur Arca* TESTIMONII, Exod. XXXI: 7. ac *Tabernaculum vocatur Habitaculum* TESTIMONII, Exod. XXXVIII: 21.

670. *Et exiverunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas e Templo, ſignificat præparationem a Domino ad influxum ex intimo Cæli in Eccleſiam, ut mala & falſa ejus univerſaliter detegerentur, & ſic ſepararentur mali a bonis.* Quod per ſeptem Angelos intelligatur Dominus, videatur ſupra n. 657; quod per ſeptem plagas ſignificentur omnia mala & falſa univerſaliter intellecta, etiam ſupra n. 657;

657; per Templum hic intelligitur intimum Cæli, ubi Verbum & Decalogus, ut mox supra n. 669; quod per exiverint e Templo significetur præparatio ad influxum, est quia exiverunt ut postquam acceperint phialas, projicerent plagas in phialis in terram, in mare, in fluvios & fontes, in Solem, super thronum bestiæ, & in aerem, per quæ significatur influxus in Ecclesiam ut mala & falsa ejus detegantur; quod hoc propter separationem illorum a bonis, videbitur in Capite sequente.

671. *Induti lino mundo & splendido, & circumcincti circa pectora zonis aureis, significat hoc ex veris & bonis puris & genuinis Verbi.* Per linum mundum & splendidum, significatur Verum purum & genuinum, de quo sequitur; per zonam auream circa pectus, significatur Divinum procedens & simul conjungens, quod est Divinum bonum, supra n. 46; per indui & circumcingi, significatur apparere & sisti in illis, vestes enim significant vera induentia bonum, n. 166; & zonæ seu cingula significant vera & bona continentia in ordine & nexu, n. 46: ex his patet, quod per Angelos indutos lino mundo & splendido, & circumcinctos circa pectora zonis aureis, significentur vera & bona pura ac genuina, quæ quia non aliunde sunt quam ex Verbo, significant vera & bona Verbi. Quod Linum significet Divinum Verum, constare potest ex sequentibus, ut *quod Aharoni essent* FEMORALIA LINI *cum intraret Tentorium, & accederet ad Altare*, Exod. XXIX: 42. 43. Ut quod *cum Aharon intraret in Sanctum*, TUNICAM LINI SANCTITATIS *indueret*, CALIGÆ LINI *essent super carne ejus*, BALTHEO LINI *cingeret se, &* CIDARIN LINI *imponeret sibi; hæ vestes sanctitatis; & quod easdem vestes indueret cum expiaret populum*, Levit. XVI: 4. 32. Similiter, *quod Sacerdotes Levitæ, quando intrarent ad portas Atrii interioris*, VESTES LINI *induerent*, CIDARES LINI *super capite, &* FEMORALIA LINI *super lumbis*, Ezech. XLIV: 17. 18. Quod *Sacerdotes portarent* EPHODOS LINI, 1 Sam. XX: 11. 18. *Quod Samuel, cum ut puer ministrabat coram Jehovah, indutus esset* EPHODO LINI, 1 Sam. II: 18. *Quod David, cum transferebatur Arca in urbem ejus, cinctus esset* EPHODO LINI,, II Sam. VI: 14. Ex his constare potest, *cur Dominus, cum lavaret pedes discipulorum*, SUCCINXERIT SE LINTEO, ET ABSTERSERIT PEDES LINTEO, Joh. XIII: 4. 5. *Tum quod Angeli apparerent induti* LINTEO, Dan. X: 5. Ezech. IX: 2. 3. 4. 11. Cap. X: 2 ad 7. Etiam *Angeli visi in sepulchro Domini apparuerunt induti* ALBO SPLENDIDO *& fulgurante*, Matth. XXVIII: 3. *Quod Angelus, qui mensurabat novum Templum, haberet* FILUM LINI *in manu*, Ezech. XL: 3. Quod Jeremias, *ut repræsentaret statum Ecclesiæ quoad verum, jussus sit emere* CINGULUM LINI, *& abscondere in foramine petræ juxta Euphratem, & quod postea inveniret illud corruptum*, Jerem. XIII: 1 ad 7. dicitur etiam apud Esajam ,, *Calamum contusum non confringet, &* LINUM FUMIGANS *non exstinguet, & in veritatem proferet judicium* ,, XLII: 3. Per Linum in illis locis non aliud intelligitur quam Verum.

672. *Et unum de quatuor animalibus dedit septem Angelis septem phialas aureas, significat vera & bona illa, per quæ mala & falsa Ecclesiæ deteguntur, ex sensu literæ Verbi desumpta.* Quod quatuor Animalia, quæ sunt Cherubi, significent Verbum in ultimis, & custodias ne genuina vera & bona ejus violentur, videa-

deatur supra n. 239; & quia vera & bona Verbi interiora per sensum literæ ejus custodiuntur, ideo ille sensus Verbi per unum ex quatuor Animalibus, significatur; per septem phialas significatur simile quod per septem plagas, sunt enim continentia, & per continentia in Verbo significantur similia quæ per contenta, ut per poculum simile quod per vinum, ac per patinam simile quod per cibum: quod per pocula, calices, phialas, paropsides, similia significentur quæ per contenta, videbitur in nunc sequentibus: quid per septem Angelos significatur, supra dictum est: quod datæ sint illis phialæ, est quia agitur de influxu veri & boni in Ecclesiam, ut detegantur mala & falsa, ac nuda bona & vera non possunt influere, hæc enim non recipiuntur, sed investita vera, qualia sunt in sensu literæ Verbi; & præterea Dominus operatur semper ex intimis per ultima, seu in pleno: hæc causa est, quod datæ sint Angelis phialæ, per quas significantur vera & bona continentia, qualia sunt sensus literæ Verbi, per quæ falsa & mala deteguntur: quod sensus literæ Verbi sit continens, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 27 ad 36, & 37 ad 49. Quod per phialas, paropsides, pocula & calices, perque utres, significentur illa quæ in illis continentur, constare potest ex sequentibus locis „ Dixit Jehovah, *sume* CALICEM *iræ e manu mea, & fac bibere omnes gentes, quando renuerint accipere* CALICEM, *dices, bibendo bibetis*, Jerem. XXV: 15. 16. 28. CALIX *auri Babel in manu Jehovæ, inebrians universam terram*, Jerem. LI: 7. *Dabo* CALICEM *sororis in manum tuam, ebrietate & tristitia impleberis*, CALICE *devastationis*, CALICE *sororis tuæ Samariæ*, Ezech. XXIII: 31 ad 34. *Circumibit ad te* CALIX *Jehovæ, ut sit vomitus super gloria tua*, Hab. II: 16. *Etiam ad te, filia Edomi, transibit* CALIX, *inebriaberis & revelaberis*, Thren. IV: 21. *Jehovah pluet super impios, ventos procellarum, portio* CALICIS *eorum*, Psalm. XI: 6. CALIX *in manu Jehovæ, & vino miscuit, implevit mixto & effudit, bibent omnes impii terræ*, Psalm. LXV: 9. *Qui adorant bestiam, bibent ex vino iræ Dei mixto mero in* POCULO *excandescentiæ Ipsius*, Apoc. XIV: 10. *Excitare, surge Hierosolyma, quæ bibisti e manu Jehovæ* CALICEM *iræ Ipsius, feces* CALICIS *trepidationis bibisti*, Esaj. LI: 17. *Mulier habens aureum* CALICEM *in manu plenum abominationibus, & immunditie scortationis*, Apoc. XVII: 4. *Duplicate ei dupla*, POCULO *quo miscuit, miscete ei duplum*, Apoc. XVIII: 6. *Ego pono Hierosolymam in* CALICEM *trepidationis omnibus populis*, Sach. XII: 2. *Pharisæe cæce, purga prius exterius* POCULI, *ut fiat etiam interius mundum*, Matth. XXIII: 25. 26. Luc. XI: 39. *Jesus dixit filiis Zebedæi, an potestis bibere* POCULUM, *quod bibiturus sum*, Matth. XX: 22. 23. Marc. X: 38. 39. *Jesus dixit Petro*, POCULUMNE, *quod dederit mihi Pater, nonne bibero illud*, Joh. XVIII: 11. *Jesus in Gethsemane dixit, si possibile transeat a me* CALIX *hic*, Matth. XXVI: 39. 42. 44. *Jesus accipiens* POCULUM, *dicens, bibite ex eo omnes, Hoc est sanguis meus, ille Novi Testamenti*, Matth. XXVI: 27. 28. Marc. XIV: 23. 24. Luc. XXII: 17. *Jehovah* CALIX *meus, Tu sustentas sortem meam*, Psalm. XVI: 5. *Dispones ante me mensam*, POCULUM *meum abundabit*, Psalm. XXIII: 5. *Quid reddam Jehovæ*, CALICEM *salutum accipiam*, Psalm. CXVI: 12. 13. *Potare* CALICE *consolationum*, Jerem. XVI. Simile quod per Calicem & Poculum, etiam signi-

ſignificatur per phialam, etiam per utrem, Matth. IX: 17. Luc. V: 37. 38. Jerem. XIII: 12. Cap. XLVIII: 12. Habak. II: 15. ſimile per phialas, thuribula & acerras in quibus ſuffimenta, ſignificatur quod per ſuffitus; in genere per omnis generis vaſa, ſimile quod per illa quæ in illis.

673. *Plenas ira Dei Viventis in ſæcula ſæculorum, ſignificat mala & falſa apparitura & detegenda per pura & genuina vera & bona Verbi.* Dicitur quod phialæ eſſent plenæ ira Dei, quia erant plenæ plagis, per quas ſignificantur mala & falſa Eccleſiæ, n. 657; ſed uſque non erant plenæ illis, ſed erant plenæ puris & genuinis veris & bonis ex Verbo, per quæ detegerentur mala & falſa Eccleſiæ; ſed uſque nec erant phialæ & in illis vera & bona, ſed per illas ſignificatur influxus e Cælo in Eccleſiam; quod dicantur plenæ ira Dei Viventis, eſt ſecundum ſtylum Verbi in ſenſu literæ ejus, ut conſtare poteſt ex locis adductis ſupra, in quibus adſcribitur Jehovæ ira & excandeſcentia, & uſque Jehovæ nulla ira & excandeſcentia eſt, ſed eſt homini contra Ipſum, cauſa quod in ſenſu literæ ita dicatur, videatur ſupra n. 525. 635. 658. Ex his patet, quod per phialas plenas ira Dei Viventis in ſæcula ſæculorum, ſignificentur dira mala & falſa Eccleſiæ apparitura & detegenda per bona & vera Verbi: mala & falſa nec aliter deteguntur quam per vera & bona, hæc enim ſunt in luce Cæli, at falſa & mala ſunt in tenebris inferni, & in tenebris nihil detegitur, quia non aliud quam malum & falſum ibi apparet, ſed e luce e Cælo omnia deteguntur, quia in illa omnia apparent: Lux Cæli enim eſt Divinum Verum Divinæ Sapientiæ Domini.

V. 8 674. *Et impletum eſt Templum fumo ex gloria Dei & virtute ejus, ſignificat intimum Cæli plenum Divino Vero Spirituali & Cæleſti a Domino.* Per Templum ſignificatur intimum Cæli, de quo ſupra n. 669; per fumum ſignificatur Divinum in ultimis, de quo ſequitur; per gloriam ſignificatur Divinum Verum ſpirituale, n. 249. 629, & per virtutem ſignificatur Divinum Verum cæleſte, n. 373: inde per impletum eſt Templum fumo ex gloria Dei & virtute ejus, ſignificatur intimum Cælum plenum Divino Vero ſpirituali & cæleſti. Quod fumus ſignificet divinum verum in ultimis, eſt quia ignis à quo fumi ſunt, ſignificat amorem; ignis Altaris holocauſti amorem cæleſtem, n. 395. 494; & ignis Altaris ſuffitus amorem ſpiritualem, n. 277. 392. 394: quod fumus illa ſignificet, conſtare poteſt ex his locis „ *Creabit Jehovah ſuper omne habitaculum montis Zionis nubem interdiu, ac* Fumum *& ſplendorem ignis noctu, nam ſuper omni gloria obtegumentum*, Eſaj. IV: 5. *Commoti ſunt poſtes liminum à voce clamantium Seraphim, ac domus impleta eſt* fumo, Eſaj. VI: 4. *Aſcendit* Fumus suffituum *cum precibus Angelorum e manu Angeli coram Deo*, Apoc. VIII. 4. Linum fumigans *non exſtinguet, in veritatem proferet judicium*, Eſaj. XLII: 3. Quod Fumus in oppoſito ſenſu ſignificet falſa concupiſcentiarum, videatur ſupra n. 422; & falſa oriunda ex faſtu propriæ intelligentiæ, n. 452: præterea fumus ſignificat ſimile cum nube in multis locis.

[674½] *Et nemo potuit ingredi in Templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem Angelorum, ſignificat in eo gradu ibi, ut ultra non ſuſtineri poſſet, & hoc uſque dum poſt devaſtationem finis illius Eccleſiæ viſus.* Per quod nemo poſſet ingredi

in Templum, significatur quod intimum Cæli plenum esset Divino Vero Spirituali & Cælesti, in eo gradu, ut ultra non sustineri posset; per Templum significatur, hic ut supra, intimum Cæli; per donec consummarentur septem plagæ septem Angelorum, significatur hoc usque post devastationem finis Ecclesiæ, n. 658; & per septem plagas septem Angelorum, significantur mala & falsa quæ devastant Ecclesiam & faciunt finem ejus, n. 657.

❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀ ❀

675. His adjiciam hoc MEMORABILE. Visa est quædam Charta a Domino per Cælum demissa in unam Societatem ex Anglis, sed erat illa Societas inter minimas illorum, ubi etiam duo Episcopi erant; in qua Charta fuit exhortatio, ut agnoscerent Dominum pro Deo Cæli & Terræ, ut Ipse docuit Matth. XXVIII: 18; & quod recederent a Doctrina de Fide justificante sine operibus legis, quia erronea. Charta illa lecta fuit & exscripta a multis, & de illis, quæ in ea erant, cogitabant & loquebantur ex interiori judicio sane, ac illustrabantur a Domino, & illustratio recipiebatur in luce, quæ Anglis præ cæteris est insita. At postquam receperunt illa, dixerunt inter se, audiamus Episcopos, & auditi sunt, sed contradixerunt & improbaverunt; verum illi Episcopi, qui ibi, erant ex illis, qui duri corde quoad spiritualia fidei & charitatis, ex amore Dominii super Sancta Ecclesiæ, & supereminentiæ per illa etiam in Politicis, in mundo facti fuerunt, quare post brevem consultationem inter se remiserunt chartam ad Cælum unde venit: quo facto, post aliquod murmur, plerique Laici a consensu priori suo recesserunt, & tunc Lux eorum in spiritualibus, quæ prius exsplenduit, subito exstincta est: & postquam iterum admoniti erant, at frustra, vidi Societatem illam subsidentem, sed quam profunde non vidi, ita subductam e conspectu Angelorum, qui unice colunt Dominum, & solam fidem aversantur.

Sed post aliquos dies vidi ascendentes usque ad centum ex inferiore terra, quo usque parva illa Societas subsidit, qui accesserunt ad me, & e quibus unus Sapiens loquutus dixit, audi mirabile; dum subsidimus, apparuit nobis locus primum sicut stagnum, sed mox sicut terra sicca, & postea sicut parva urbs, in qua cuivis fuit sua domus, sed vilis; post diem consultavimus inter nos, quid faciendum; dixerunt multi, quod duo Episcopi adeundi sint, ac mite arguendi, quia illi remiserunt chartam in Cælum, e quo demissa est, & propter id contigit nobis hoc; elegerunt aliquos, qui abiverunt ad Episcopos, & dixit mecum loquens quod esset unus inter illos, & tunc quidam inter nos sapientia præpollens loquebatur ad Episcopos, ita; audite, vos Patres, credidimus quod apud nos præ reliquis esset Ecclesia, quæ in Orbe Christiano mereretur vocari Primas, & Religio quæ mereretur vocari Magnas; sed data nobis est illustratio e Cælo, & in illustratione perceptio, quod hodie in Orbe Christiano non sit amplius Ecclesia, nec amplius Religio; dixerunt Episcopi, quid loquimini, estne Ecclesia ubi est Verbum, ubi Christus Salvator notus est, & ubi sunt Sacramenta; ad hæc respondit noster, illa sunt Ecclesia, & illa faciunt Ecclesiam, ast non faciunt illam:

illam extra hominem, sed intra hominem: & porro dixit, QUOAD ECCLESIAM; potest Ecclesia esse ubi coluntur Tres Dii; potest Ecclesia esse, ubi tota ejus Doctrina fundatur super unico Pauli dicto false intellecto, & inde non super Verbo; potest Ecclesia esse, dum non Salvator Mundi aditur, & ubi Ipse dividitur in duos: QUOAD RELIGIONEM; quis negare potest, quin Religio sit fugere malum & facere bonum, num est aliqua Religio ubi docetur quod sola fides salvet, & non charitas; num est Religio ubi docetur quod charitas procedens ab homine non sit nisi quam charitas moralis & civilis, quis non videt quod in ea charitate non sit aliquid religionis; num est in sola fide aliquid facti seu operis, & tamen in facere consistit Religio. Num datur in universo terrarum orbe gens, apud quam Religio, quæ excludit omne salvificum a bonis charitatis, quæ sunt bona opera; cum tamen omne Religionis consistit in bono, & omne Ecclesiæ in doctrina, quæ docebit vera, & per vera bonum: videte Patres, quæ Gloria nobis foret, si Ecclesia quæ non est, & Religio quæ non est, apud nos inchoet & oriatur. Tunc Episcopi illi responderunt, loqueris nimis alte, annon Fides actu quæ est fides plene justificans & salvans, est Ecclesia, & annon Fides statu, quæ est fides procedens & perficiens, est Religio; apprehendite hoc filii; sed tunc dixit Sapiens Anglus, audite Patres, annon homo concipit fidem actu sicut stipes, num in stipite secundum vestram ideam tunc vivificato est Ecclesia; annon fides statu est continuatio & progressio fidei actu, & cum secundum vestram ideam omne salvificum est in fide, & non aliquid in bono charitatis ab homine, ubi tunc est Religio. Tunc dixerunt Episcopi, Amice, loqueris ita, quia non scis Arcana justificationis per solam fidem, & qui illa non scit, non scit viam salvationis ab interiori; tua via est via externa & plebeja, vade illam si vis, at scias modo, quod omne bonum sit a Deo, & nihil ab homine, & quod sic homo in spiritualibus prorsus nihil possit a se; quomodo tunc potest homo facere bonum, quod est bonum spirituale, a se. Ad hæc indignatus Anglus loquens cum illis, dixit, scio arcana justificationis vestra plus quam vos, & aperte vobis dico, quod in interioribus vestris Arcanis non viderim nisi quam spectra; annon Religio est agnoscere & amare Deum, ac fugere & odio habere Diabolum, estne Deus Ipsum Bonum, & Diabolus ipsum Malum; quis in universo terrarum Orbe, cui est religio, hoc non novit; estne agnoscere & amare Deum, facere bonum, quia hoc est Dei & a Deo, & estne fugere & odio habere Diabolum, non facere malum, quia hoc est diaboli & a diabolo; vestra fides actu, quam vocavistis fidem plene justificantem & salvantem, seu, quod idem, vester actus justificationis per solam fidem, num docet facere aliquod bonum quod est Dei & a Deo, & num docet fugere aliquod malum quod est Diaboli & a Diabolo, prorsus nihil, quia statuitis quod in utroque nihil salutis sit; quid vestra Fides statu, quam vocavistis fidem procedentem & perficientem, nisi eadem cum fide actu, quomodo potest hæc perfici, cum excluditis omne bonum ab homine sicut ab ipso, dicendo, quomodo potest homo salvari per aliquod bonum a se, cum salvatio est gratuita; tum quid bonum ab homine nisi meritorium, & tamen meritum Christi est omne, quare bonum

bonum facere salutis causa, foret sibi attribuere quod solius Christi est, & sic etiam foret velle semet justificare & salvare; tum quomodo potest quis operari bonum, cum Spiritus Sanctus operatur omnia absque ulla ope hominis, quid tunc opus est aliquo bono accessorio ab homine, cum omne bonum ab homine in se non est bonum, praeter plura: nonne haec sunt arcana vestra, sed illa in meis oculis sunt merae argutiae & astutiae efficlae propter finem ut removeatis bona opera, quae sunt bona charitatis, ad stabiliendum vestram solam fidem; & quia hoc facitis, spectatis hominem quoad illa, & in genere quoad omnia spiritualia quae Ecclesiae & Religionis sunt, sicut stipitem, vel sicut simulachrum inanimatum, & non ut hominem creatum ad imaginem Dei, cui data est, & continue datur, facultas intelligendi & volendi, credendi & amandi, ac loquendi & faciendi, prorsus sicut a se, imprimis in spiritualibus, quia homo est homo ex illis; si homo in spiritualibus non cogitaret & operaretur sicut a se, quid tunc fides, quid tunc charitas, & quid tunc cultus, imo quid tunc Ecclesia & Religio: nostis quod facere bonum proximo ex amore sit charitas; at non nostis quid charitas, cum tamen charitas est anima, vita & essentia fidei, & quia charitas est omnis illa, quid tunc est fides remota charitate, nisi mortua, & fides mortua non est nisi quam spectrum; voco illam spectrum, quia Jacobus Apostolus vocat fidem absque bonis operibus non solum mortuam sed etiam diabolicam. Tunc unus ex binis illis Episcopis, cum audivit fidem suam vocari mortuam, diabolicam, & spectrum, in tantum excanduit, ut e capite suo eriperet Cidarim, & conjiceret super mensam, dicens, non resumam antequam ultus fuero hostes fidei Ecclesiae nostrae, at movit caput murmurans & dicens, Ille Jacob, Ille Jacob; super Cidari erat bractea, cui insculpta fuit Sola Fides: & tunc subito apparuit Monstrum e terra surgens cum septem capitibus, cui pedes sicut ursi, & os sicut leonis, prorsus simile bestiae, quae describitur Apocal. Cap. XIII: Vers. 1. 2, cujus imago facta & adorata est, Vers. 14. 15, in eodem Capite: hoc Spectrum e mensa desumsit Cidarim, & dilatavit illam infra, & posuit super septem suis capitibus; quo facto, terra hiabat sub pedibus ejus, & subsidit in Infernum; quo viso, clamavit Episcopus ille, violentia, violentia. Tunc abivimus ab illis, & ecce Gradus coram oculis nostris, per quos ascendimus, & redivimus supra terram, & in conspectum caeli, ubi fuimus prius. Haec narravit mihi Sapiens Anglus.

CAPUT

1. ET audivi vocem magnam e Templo dicentem Septem Angelis, ite & effundite phialas iræ Dei in terram.

2. Et abivit Primus, & effudit phialam suam super terram, & factum est ulcus malum & noxium in hominibus habentibus characterem bestiæ, & imaginem ejus adorantibus.

3. Et Secundus Angelus effudit phialam suam in Mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viva mortua est in Mari.

4. Et Tertius Angelus effudit phialam suam in Fluvios & in Fontes aquarum, & factus est sanguis.

5. Et audivi Angelum aquarum dicentem, justus, Domine, es, Qui Est & Qui Fuit, & Sanctus, quia hæc judicasti.

6. Quia sanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, & sanguinem illis dedisti bibere, digni enim sunt.

7. Et audivi alium ex Altari dicentem, etiam Domine Deus Omnipotens, vera & justa judicia tua.

8. Et Quartus Angelus effudit phialam suam in Solem, & datum est illi æstu affligere homines per ignem.

9. Et æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemarunt Nomen Dei habentis potestatem super plagas has, & non resipuerunt dare Ipsi gloriam.

10. Et Quintus Angelus effudit phialam super Thronum bestiæ, & factum est regnum ejus tenebrosum, & mandebant linguas suas præ molestia.

11. Et blasphemarunt Deum cæli præ molestiis suis, & præ ulceribus suis, & non resipuerunt ex operibus suis.

12. Et Sextus Angelus effudit phialam suam super fluvium magnum Euphratem, & exsiccata est aqua ejus, ut pararetur via regum ab ortu solis.

13. Et vidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ, Spiritus tres immundos similes ranis.

14. Sunt enim Spiritus dæmonum facientes signa ad abeundum ad reges terræ & orbis totius, ad congregandum illos in bellum diei illius magni Dei Omnipotentis.

15. Ecce venio sicut fur; beatus qui vigilat & servat vestimenta sua, ut non nudus ambulet, & videant pudorem ejus.

16. Et congregavit illos in locum dictum hebraice Armageddon.

17. Et Septimus Angelus effudit phialam ſuam in Aerem, & exivit vox magna e Templo Cæli e Throno, dicens, factum eſt.

18. Et factæ ſunt voces, & fulgura & tonitrua, & terræ motus factus eſt magnus, qualis non factus eſt ex quo homines facti ſunt ſuper terra, talis terræ motus adeo magnus.

19. Et facta eſt Urbs magna in tres partes, & urbes gentium ceciderunt; & Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum vini excandeſcentiæ iræ Ipſius.

20. Et omnis inſula fugit, & montes non inventi ſunt.

21. Et grando magna quaſi talenti pondo deſcendit de Cælo ſuper homines, & blaſphemarunt homines Deum præ plaga grandinis, quia magna erat plaga ejus valde.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Deteguntur in hoc Capite mala & falſa in Eccleſia Reformatorum per influxum e Cælo; Verſ. 1: In Clericos Verſ. 2. In Laicos Verſ. 3. In intellectum Verbi apud illos, Verſ. 4. 5. 6. 7. In amorem apud illos, Verſ. 8. 9. In fidem apud illos, Verſ. 10. 11. In ratiocinia interiora apud illos, Verſ. 12. 13. 14. 15. In omnia illorum ſimul, Verſ. 17 ad 21.

Contenta Singulorum Versuum. Et audivi vocem magnam e Templo, dicentem Septem Angelis, ite, & effundite phialas iræ Dei in terram, *ſignificat* influxum a Domino ex intimo Cæli in Eccleſiam Reformatorum ubi illi qui in Fide ſeparata a charitate quoad doctrinam & quoad vitam ſunt: & abivit Primus, & effudit phialam ſuper Terram, *ſign:* in illos qui in interioribus Eccleſiæ Reformatorum ſunt, & doctrinæ juſtificationis per ſolam fidem ſtudent, & vocantur Clerici: & factum eſt ulcus malum & noxium, *ſign:* interiora mala & falſa deſtructiva omnis boni & veri in Eccleſia: in hominibus habentibus characterem Beſtiæ, & imaginem ejus adorantibus, *ſign:* apud illos qui vivunt ſolam fidem, & recipiunt doctrinam ejus: & Secundus Angelus effudit phialam ſuam ſuper Mare, *ſign:* influxum apud illos ibi, qui in externis ejus ſunt, & in fide illa, & vocantur Laici: & factus eſt ſanguis tanquam mortui, & omnis anima viva mortua eſt in mari, *ſign:* apud illos falſum infernale, per quod omne verum Verbi & inde Eccleſiæ & fidei exſtinctum eſt: & Tertius Angelus effudit phialam in fluvios & fontes aquarum, *ſign:* influxum in intellectum Verbi apud illos: & factus eſt ſanguis, *ſign:* vera Verbi falſificata: & audivi Angelum aquarum dicentem, *ſign:* Divinum verum Verbi: juſtus es, Domine, Qui Eſt & Qui Fuit, & Sanctus, quia hæc judicaſti, *ſign:* quod hoc

hoc fit ex Divina Providentia Domini, Qui eſt & Qui fuit Verbum, quod alioquin prophanaretur: quia ſanguinem Sanctorum & Prophetarum effuderunt, *ſign:* illud propter cauſam, quia unicum illud, quod ſola fides abſque operibus Legis ſalvet, receptum pervertit omnia doctrinalia vera ex Verbo: & ſanguinem eis dediſti bibere, quia digni ſunt, *ſign:* quod permiſſum fuerit illis, qui in ſola fide & doctrina & vita ſe confirmaverunt, falſificare vera Verbi, & imbuere vitam ex falſificatis: & audivi alium ex Altari, dicentem, etiam Domine Deus Omnipotens, vera & juſta judicia tua, *ſign:* Divinum Bonum Verbi confirmans Divinum Verum illud: & Quartus Angelus effudit phialam ſuam in Solem, *ſign:* influxum in amorem illorum: & datum eſt illi æſtu affligere homines per ignem, *ſign:* quod amor in Dominum illos torqueret, quia in concupiſcentiis malorum ex jucundo amoris illorum erant: & æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemarunt Nomen Dei habentis poteſtatem ſuper plagas has, *ſign:* quod propter jucundum amoris ſui oriundum ex gravibus concupiſcentiis malorum non agnoverint Divinitatem Humani Domini, a Quo tamen influit omne bonum amoris & verum fidei: & non reſipuerunt dare Ipſi gloriam, *ſign:* quod propterea non poſſint aliqua fide recipere, quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, etiam quoad Humanum, tametſi Verbum id docet: & Quintus Angelus effudit phialam ſuam ſuper Thronum beſtiæ, *ſign:* influxum in fidem illorum: & factum eſt regnum ejus tenebroſum, *ſign:* quod non apparerent niſi falſa: & mandebant linguas ſuas præ moleſtia, *ſign:* quod non ſuſtinerent vera: & blaſphemarunt Deum Cæli præ moleſtiis ſuis & præ ulceribus ſuis, *ſign:* quod non agnoſcere potuerint Dominum Solum eſſe Deum Cæli & Terræ propter repugnantias ex interioribus falſis & malis: & non reſipuerunt ab operibus ſuis, *ſign:* quod tametſi inſtructi ex Verbo, uſque non recedant a falſis fidei & inde malis vitæ: & Sextus Angelus effudit phialam ſuam ſuper fluvium magnum Euphratem, *ſign:* influxum in ratiocinia interiora illorum, per quæ confirmant juſtificationem per ſolam fidem: & exſiccata eſt aqua ejus, ut pararetur via regum ab ortu ſolis, *ſign:* quod remota ſint falſa ratiociniorum illorum, apud eos qui a Domino in veris ex bono ſunt, ac in Novam Eccleſiam introducendi: & vidi ex ore draconis, & ex ore beſtiæ, & ex ore pſeudoprophetæ, *ſign:* perceptum ex Theologia fundata ſuper doctrina de Trinitate Perſonarum Divinitatis, & ſuper doctrina juſtificationis per ſolam fidem ſine operibus legis: ſpiritus tres immundos ſimiles ranis, *ſign:* quod orirentur meræ ratiocinationes & cupiditates falſificandi vera: ſunt enim ſpiritus dæmonum, *ſign:* quod eſſent cupiditates falſificandi vera & ratiocinandi ex falſis: facientes ſigna ad abeundum ad reges terræ & totius orbis, ad congregandum illos in bellum diei illius magni Dei Omnipotentis, *ſign:* conteſtationes quod falſa eorum ſint vera, & excitationes omnium in tota illa Eccleſia, qui in iiſdem falſis ſunt, ad impugnandum vera Novæ Eccleſiæ: ecce venio ſicut fur, beatus qui vigilat, & ſervat veſtimenta ſua, *ſign:* adventum Domini, & tunc Cælum illis qui ſpectant ad Ipſum, & permanent in vita ſecundum præcepta Ipſius, quæ ſunt vera Verbi: ut non nudus ambulet, & videant pudorem ejus, *ſign:* ne ſint cum illis qui in nullis veris

veris ſunt, & appareant amores infernales eorum: & congregavit illos in locum dictum hebraice Armageddon, *ſign:* ſtatum pugnæ ex falſis contra vera, & animum deſtruendi Novam Eccleſiam, oriundum ex amore imperii & ſupereminentiæ: & Septimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem, *ſign:* influxum in omnia ſimul apud illos: & exivit vox magna e Templo Cæli e Throno, dicens, factum eſt, *ſign:* ſic manifeſtatum a Domino, quod omnia Eccleſiæ devaſtata ſint, & quod nunc ultimum judicium inſtet: & factæ ſunt voces & fulgura & tonitrua, *ſign:* ratiocinationes, falſificationes veri, & argumentationes ex falſis mali: & terræ motus factus eſt magnus, qualis non factus ex quo homines facti ſunt ſuper terra, talis terræ motus adeo magnus, *ſign:* omnium Eccleſiæ quaſi concuſſiones, paroxyſmos, inverſiones, & detractiones e Cælo: & facta eſt Urbs magna in tres partes, & urbes gentium ceciderunt, *ſign:* quod Eccleſia illa quoad doctrinam ab illis prorſus deſtructa ſit, pariter omnes hæreſes quæ ab illa emanarunt: & Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum vini excandeſcentiæ iræ Ipſius, *ſign:* tunc etiam deſtructionem dogmatum Religioſi Catholico-Romani: & omnis inſula fugit, & montes non inventi ſunt, *ſign:* quod non aliquod verum fidei amplius, nec aliquod bonum amoris amplius: & grando magna quaſi talenti pondo deſcendit de Cælo ſuper homines, *ſign:* dira & atrocia falſa, per quæ omne verum Verbi & inde Eccleſiæ deſtructum eſt: & blaſphemarunt Deum præ plaga gradinis, quia magna erat plaga ejus valde, *ſignificat* quod quia confirmaverunt apud ſe talia falſa, negaverint vera adeo ut non poſſint cognoſcere illa, propter repugnantias oriundas ex interioribus illorum falſis & malis.

EXPLICATIO.

676. *Et audivi vocem magnam e Templo, dicentem ſeptem Angelis, ite & effundite phialas iræ Dei in Terram, ſignificat influxum a Domino ex intimo cæli in Eccleſiam Reformatorum ubi illi qui in fide ſeparata a charitate quoad doctrinam & quoad vitam ſunt, ad auferendum illis vera & bona, & ad aperiendum falſa & mala in quibus ſunt, & ſic ad ſeparandum illos ab iis qui credunt in Dominum, & ab Ipſo in charitate & ejus fide ſunt.* Hæc ſunt in ſummario quæ continentur in hoc Capite; per Templum ſignificatur Templum Tabernaculi Teſtimonii, de quo in præcedente Capite XV: 5; per quod ſignificatur Intimum Cæli, ubi Dominus in ſua ſanctitate in Verbo, & in Lege quæ Decalogus, eſt, n. 669; per vocem magnam inde, ſignificatur Divinum mandatum, quod irent & effunderent phialas; per ſeptem Angelos, intelligitur Dominus, ut ſupra n. 657; per effundere phialas, in quibus plagæ, in terram, ſignificatur influxus in Eccleſiam Reformatorum; per effundere phialas ſignificatur influxus, & per Terram ſignificatur Eccleſia, n. 285, Agitur adhuc de Eccleſia apud Reformatos, in ſequente autem Capite de Eccleſia apud Romano-Catholicos, & poſtea de Ultimo Judicio, & demum de Nova Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſoly-

ma,

ma, videatur PRÆFATIO, & n. 2. Supra Cap. VIII & IX agitur de Septem Angelis habentibus feptem tubas, quibus clanxerunt, & quia plura fimilia ibi occurrunt, dicetur hic, quid per illos Septem Angelos, & quid per hos, fignificatur; per feptem tubas, quibus clanxerunt Septem Angeli, fignificatur exploratio & manifeftatio falforum & malorum, in quibus funt qui in fide feparata a charitate; at per feptem phialas plenas feptem plagis ultimis, fignificatur devaftatio & confummatio illorum, nam non prius fit ultimum judicium fuper illos, quam cum devaftati funt, Devaftatio & Confummatio in Mundo Spirituali fit hoc modo; illis, qui in falfis quoad doctrinam & inde in malis quoad vitam funt, auferuntur omnia bona & vera, quæ folum in naturali homine poffiderunt, & ex quibus fimulaverunt homines Chriftianos, quibus ablatis feparati funt e Cælo, & conjuncti inferno; & tunc in Mundo Spirituum fecundum varietates concupifcentiarum difponuntur in Societates, quæ poftea fubfidunt. Auferuntur illis bona & vera per influxum e cælo; influxus fit ex genuinis veris & bonis, ex quibus torquentur & cruciantur, vix aliter quam ficut ferpens admotus igni, aut projectus fuper acervum formicarum, quare rejiciunt bona & vera Cæli, quæ etiam funt bona & vera Ecclefiæ, a fe, ac demum damnant illa, ex caufa, quia, ex illis ficut cruciatum infernalem fentiverunt; quo facto intrant in fua mala & falfa, & feparantur a bonis: hæc funt, quæ in hoc Capite defcribuntur & fignificantur per projectionem phialarum, in quibus erant feptem plagæ ultimæ: in phialis non erant illa mala & falfa, quæ per plagas fignificantur, fed erant genuina vera & bona, quorum effectus fuit qualis defcriptus eft; exiverunt enim Angeli ex Templo Tabernaculi Teftimonii, per quod intelligitur intimum Cæli, ubi non funt nifi quam vera & bona in Divina Sanctitate, Cap. XV: Verf. 6. Devaftatio & confummatio hæc eft de qua Dominus loquitur his verbis „ *Quicunque habet, dabitur illi, ut abundantius habeat; quicunque autem non habet, etiam quod habet, auferetur ab eo*, Matth. XIII: 21. Marc. IV: 25. *Tollite ab illo talentum, & date habenti decem talenta, nam habenti omni dabitur ut abundet, & ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo*, Matth. XXV: 28. 29. Luc. XIX: 24. 25. 26.

677. *Et abivit Primus, & effudit phialam fuper Terram, fignificat in illos qui in interioribus Ecclefiæ Reformatorum funt, & doctrinæ juftificationis per folam fidem ftudent, qui vocantur Clerici.* Per effundere phialam fignificatur influxus, ut fupra n. 676; per terram fignificatur Ecclefia, n. 285, hic apud illos ibi, qui in interioribus ejus funt, qui funt qui doctrinæ juftificationis per folam fidem ftudent, hi quoque dicunt fe interiora ejus fcire; at interiora funt modo confirmationes unius pofitionis, quod fola fides juftificet abfque operibus legis; alia interiora non fciunt; & quia in illis præcipue funt Sacerdotes, Profeffores Theologiæ & Lectores Gymnafiorum, verbo Doctores & Paftores, ideo Primus hic influxus in illos, qui vocantur Clerici, factus eft; quod illi fint qui intelliguntur, eft quia dicitur quod Primus Angelus effuderit phialam in Terram, & Secundus Angelus in Mare, & tunc per Terram intelligitur Ecclefia apud illos qui in Internis ejus funt, & per Mare intelligitur Ecclefia apud illos qui in

in Externis ejus sunt, ut supra n. 398. 403. 404. 420. 470; quod illi intelliguntur, patet etiam ex eo, quod dicatur quod factum sit Ulcus in illis.

678. *Et factum est ulcus malum & noxium*, *significat interiora mala & falsa destructiva omnis boni & veri in Ecclesia.* Per ulcus hic non aliud significatur, quam malum oriundum ex vita secundum hoc caput doctrinæ, quod sola fides sine operibus legis justificet & salvet, quia sequitur, in hominibus habentibus characterem bestiæ & imaginem ejus adorantibus, per quæ illa fides & vita secundum illam significatur; quare per ulcus malum & noxium significantur interiora mala & falsa destructiva omnis boni & veri in Ecclesia; per noxium significatur destructivum, & malum non potest non destruere bonum, ac falsum verum. Quod ulcus illa significet, est quia ulcera corporis oriuntur ex vitiositate sanguinis, aut ex alia malignitate interiore; similiter ulcera in spirituali sensu intellecta, hæc oriuntur ex concupiscentiis & earum jucundis, quæ sunt causæ interiores; ipsum malum, quod per ulcus significatur, & in externis apparet ut jucundum, intus in se recondit concupiscentias, a quibus oritur & conflatur: sed probe sciendum est, quod interiora mentis humanæ sint in successivo ordine & in simultaneo apud unumquemvis, in successivo ordine sunt a superioribus seu prioribus ad inferiora seu posteriora ejus, in simultaneo ordine sunt in ultimis seu postremis, sed in his sunt ab interioribus ad exteriora sicut a centro ad peripherias; quod ita sit multis ostensum est, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 173 ad 281, ubi de Gradibus; ex quibus patet, quod ultimum sit complexus omnium priorum; inde sequitur, quod omnes concupiscentiæ mali sint in ordine simultaneo intus in ipso malo quod homo percipit apud se, omne malum quod homo percipit apud se est in ultimis; quare cum homo rejicit a se malum, simul etiam rejicit concupiscentias ejus, sed usque non a se, sed a Domino; homo quidem a se potest rejicere malum, sed non concupiscentias ejus; quare cum vult rejicere malum, pugnando contra illud, spectabit ad Dominum, Dominus enim operatur ab intimis ad ultima, intrat enim per animam hominis, & purificat. Hæc dicta sunt, ut sciatur quod ulcus significet malum in ultimis seu extremis apparens, ex interna malignitate oriundum; hoc fit apud omnes qui sibi persuadent solam fidem salvare, & propterea non reflectunt super aliquod malum apud se, nec spectant ad Dominum. Ulcera & Vulnera significant mala in extremis oriunda ex malis interioribus, quæ sunt concupiscentiæ, etiam in sequentibus locis, „*A vola pedis usque ad caput non est integritas, Vulnus & Cicatrix, & plaga recens, non expressa sunt, non obligata, non emollita oleo*,„ Esaj. I: 6. 7. *Iniquitates meæ transiverunt caput meum, computruerunt, contabuerunt Vulnera propter stultitiam meam*, Psalm. XXXVIII: 5. 6. *In die, quo obligabit Jehovah fracturam populi sui, Vulnus plagæ sanabit*, Esaj. XXX: 26. *Si non obediveris voci Jehovæ, custodiendo ad faciendum præcepta Ipsius, percutiet te Jehovah Ulcere Ægypti, hæmorrhoidibus & scabie, & prurigine; & Ulcere malo super genubus, & super femoribus, a quibus non possis sanari, a vola pedis usque ad verticem tuum*, Deutr. XXVIII: 15. 27. 35. *Per Ulcus pustularum efflorescens in homine & in bestia in Ægypto*, Exod. IX: 8 ad 11, nec aliud significatum est, nam Mira-

cula

cula ibi facta ſignificabant mala & falſa in quibus erant. Et quia Gens Judaica erat in prophanatione Verbi, & hæc per Lepram ſignificatur, ideo fuit Lepra non modo in eorum carne, ſed etiam in veſtibus, domibus & vaſis; & prophanationis genera ſignificantur per varia mala Lepræ, quæ erant *tumores*, *ulcera tumorum*, *pupulæ albæ & rubeſcentes*, *abſceſſus*, *uſtiones*, *vitiligines*, *porrigines*, &c. Levit. XIII: 1 ad fin. Eccleſia enim apud illam gentem erat Eccleſia Repræſentativa, in qua Interna repræſentabantur per Externa quæ correſpondebant.

679. *In hominibus habentibus characterem beſtiæ, & imaginem ejus adorantibus, ſignificat apud illos qui vivunt ſolam fidem, & recipiunt doctrinam ejus.* Per habere characterem beſtiæ, ſignificatur ſolam fidem agnoſcere, illam apud ſe confirmare, & vivere ſecundum illam; & per adorare imaginem ejus, ſignificatur recipere doctrinam ejus, videatur ſupra n. 602, tum 634. 637. Per vivere ſolam fidem, & recipere doctrinam ejus, intelligitur nihili facere vitam propter ſalutem, nec aliquam veritatem, credentes, quod ſi modo orent ad Deum Patrem, ut miſereatur propter Filium, ſalventur. Hoc faciunt illi imprimis, qui interiora doctrinæ illius ſciunt & agnoſcunt, de illis enim hic agitur, videatur mox ſupra, n. 677.

680. *Et Secundus Angelus effudit phialam ſuam ſuper Mare, ſignificat influxum veri & boni a Domino apud illos in Eccleſia Reformatorum, qui in externis ejus ſunt, & in fide illa, & vocantur Laici.* Per effundere phialam, ſignificatur influxus veri & boni a Domino, ut ſupra n. 676. 677; per Mare ſignificatur Externum Eccleſiæ, proinde illi qui in Externis ejus ſunt, dum per Terram ſignificatur Internum Eccleſiæ, ita illi qui in Internis ejus ſunt, n. 398. 403. 404. 420. 470. 477; hi ſunt qui vocantur Laici & in fide illa.

681. *Et factus eſt ſanguis tanquam mortui, & omnis anima viva mortua eſt in mari, ſignificat apud illos falſum infernale, per quod omne verum Verbi & inde Eccleſiæ & fidei, exſtinctum eſt.* Per ſanguinem tanquam mortui ſeu per cruorem & ſaniem, ſignificatur falſum infernale; per ſanguinem enim ſignificatur Divinum Verum, & in oppoſito ſenſu illud falſificatum, n. 379; ſed per ſanguinem ſicut mortui ſignificatur falſum infernale, nam per mortem ſignificatur exſtinctio vitæ ſpiritualis, & inde per mortuum ſignificatur infernale, n. 321. 525; per quod omnis anima viva mortua ſit, ſignificatur quod omne verum Verbi, Eccleſiæ & fidei exſtinctum ſit, per animam vivam enim ſignificatur Verum fidei, inde per animam vivam mortuam, ſignificatur verum fidei exſtinctum: per Animam in Verbo, ubi de homine, ſignificatur vita ſpiritualis ejus, quæ etiam eſt vita intellectus ejus, & quia intellectus eſt intellectus ex veris, & vera ſunt fidei, ideo per animam ſignificatur verum fidei; quod per animam hoc ſignificetur, conſtare poteſt ex multis locis in Verbo, & quoque ex illis, ubi dicitur anima & cor; quod per animam & cor intelligatur vita hominis, patet, ſed vita ejus eſt ex voluntate & ex intellectu, aut ſpiritualiter loquendo eſt ex amore & ſapientia, tum ex charitate & fide, ac vita voluntatis ex bono amoris ſeu charitatis intelligitur per Cor, ac vita intellectus ex veris ſapientiæ ſeu fidei, intelligitur per Animam; hæc

 per

per Animam & Cor intelliguntur, Matth. XXII: 37. Marc. XII: 30. 33. Luc. X: 27. Deutr. VI: 5. Cap. X: 11. Cap. XI: 14. Cap. XXVI: 16. Jerem. XXXII: 41, & alibi; etiam in locis ubi Cor per ſe, & Anima per ſe dicitur. Quod cauſa denominationis illorum ſit ex correſpondentia Cordis cum Voluntate & Amore, ac Animationis pulmonis cum Intellectu & Sapientia, videri poteſt in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, Claſſe Vta, ubi de Correſpondentia illa actum eſt.

683. *Et tertius Angelus effudit phialam in fluvios & fontes aquarum, ſignificat influxum in intellectum Verbi apud illos.* Per tertium angelum effundentem phialam, ſimiliter ut per priores, ſignificatur influxus a Domino ex veris & bonis, hic in intellectum Verbi apud illos; per fluvios enim ſignificantur vera in copia, inſervientia rationali homini, ita intellectui, pro doctrina & vita, n. 409; & per fontem aquarum ſignificatur Dominus quoad Verbum, ita Verbum Domini, & inde per fontes aquarum ſignificantur Divina vera inde, n. 384. 409.

684. *Et factus eſt ſanguis, ſignificat vera Verbi falſificata.* Quod per ſanguinem in bono ſenſu ſignificetur Divinum Verum, & in oppoſito ſenſu illud falſificatum, videatur ſupra n. 373: quod Divinum Verum falſificatum & prophanatum ſignificetur per ſanguinem, eſt quia Judæi effuderunt Sanguinem Domini, qui erat Ipſum Divinum Verum ſeu Verbum, & hoc fecerunt quia falſificaverunt & prophanaverunt omnia vera Verbi: quod Dominus paſſus ſit ut Verbum, ſeu quod Gens Judaica violentiam intulerit Domino, ſicut intulerat Verbo, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 15 ad 17. Quod illi qui in Sola fide ſunt, falſificent omnia vera Verbi, eſt quia totum Verbum agit de vita ſecundum præcepta ibi, & de Domino quod ſit Jehovah & Solus Deus, & illi qui in ſola fide ſunt, non cogitant de vita ſecundum præcepta in Verbo, nec adeunt Dominum.

685. *Et audivi Angelum aquarum dicentem, ſignificat Divinum Verum Verbi.* Per Angelum aquarum non aliud ſignificatur quam Divinum Verum Verbi, quia aquæ ſignificant vera, n. 50; & Angelus ſignificat Divinum a Domino, n. 415. 631. 633, & quoque Verum ab Ipſo, n. 170.

686. *Juſtus es Domine, Qui Eſt & Qui Fuit, & Sanctus, quia hæc judicaſti, ſignificat quod hoc ſit ex Divina Providentia Domini, Qui eſt & Qui fuit Verbum, ac Ipſum Divinum Verum, quod alioquin prophanaretur.* Juſtus es Domine, quia hæc judicaſti, ſignificat quod hoc ex Divina Domini Providentia ſit, de qua ſequitur; Qui eſt & Qui Fuit, ſignificat Dominum quoad Verbum, quod ſit & quod fuerit Verbum, ſecundum Joh. I: 1. 2. 14, quod Dominus hic ut Verbum intelligatur, eſt quia de intellectu Verbi apud illos, qui ab Eccleſia ſunt, agitur; plura quæ ſignificantur per Eſt & Fuit, Principium & Finem, Primum & Ultimum, Alpham & Omegam, ubi de Domino, videantur ſupra n. 13. 29. 30. 31. 38. 57; per quod Sanctus, ſignificatur quod ſit Ipſum Divinum Verum, n. 173. 586. 666: ex his patet; quod per juſtus es Domine, Qui Eſt & Qui Fuit, & Sanctus, quia hæc judicaſti, ſignificetur quod hoc ſit ex Divina Providentia Domini, Qui Eſt & Fuit Verbum & Ipſum Divinum

vinum

vinum Verum. Quod ex Divina Providentia Domini sit, quod illi qui in sola fide sunt falsificent vera Verbi, est quia si scirent illa, usque ut interius cogitarent illa, prophanarent illa; sunt enim in malis, quia non fugiunt mala ut peccata, nec immediate adeunt Dominum, quare si genuina vera Verbi reciperent, commiscerent illa malis vitæ suæ; unde oriretur prophanatio sancti: ideo inter leges Permissionis, quæ etiam sunt leges Divinæ Providentiæ, est, ut illi ex se falsificent vera, ac in tantum, quantum in malis vitæ sunt. Quod Divina Providentia sit, ut qui in malis vitæ sunt, non sint nisi quam in falsis doctrinæ, ob causam ne prophanentur Divina Vera Verbi, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 221 ad 233, & 257 fin.

687. *Quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt, significat illud propter causam, quia unicum illud, quod sola fides absque operibus legis salvet, receptum pervertit omnia doctrinalia vera ex Verbo.* Per effundere sanguinem, significatur hic, ut supra n. 684, falsificare vera Verbi, ita pervertere illa; per sancctos significantur illi qui in veris in Ecclesia sunt, ita quoque abstracte vera Ecclesiæ, n 586; per prophetas significantur qui in doctrinalibus ex Verbo sunt, ita quoque abstracte doctrinalia ex Verbo, n 133.

688. *Et sanguinem eis dedisti bibere, quia digni sunt, significat quod ex Divina Providentia Domini permissum fuerit illis, qui in sola fide & doctrina & vita se confimaverunt, falsificare vera Verbi, & imbuere vitam ex falsificatis.* Per bibere sanguinem significatur non modo falsificare vera Verbi, sed etiam imbuere vitam ex falsificatis, nam qui bibit, appropriat sibi & imbuit. Dicitur quia digni sunt, ex causa quia illi qui recipiunt solam fidem, & vivunt secundum illam, in malis sunt quoad vitam, & malum id apud eos operatur; & de illis qui in malis sunt, dicitur hic quod digni sint, sicut in mundo, qui propter malefacta puniuntur. De Divina Providentia circa id, videatur supra n. 686.

689. *Et audivi alium ex Altari, dicentem, etiam Domine Deus Omnipotens, vera & justa judicia tua, significat Divinum Bonum Verbi confirmans Divinum Verum illud.* Per alium, nempe Angelum, significatur Divinum Bonum Verbi; per Angelum significatur Divinum a Domino, n. 415. 431. 633; & per Angelum ex Altari, significatur Divinum Bonum amoris, n 648, hic Divinum Bonum Verbi, quia de Verbo adhuc agitur, & quia per Angelum aquarum significatur Divinum Verum Verbi, n. 685: nunc quia Divinum Bonum Verbi & Divinum Verum Verbi unum faciunt, ideo similia significantur per quæ Angelus aquarum loquutus est & quæ Angelus ex Altari; Angelus aquarum enim dixit, Justus es Domine, Qui Est & Qui Fuit, & Sanctus, quia hæc judicasti, hic vero ex Altari dixit, etiam Domine Deus Omnipotens, vera & justa judicia tua, ; hæc & illa similia significant, solum cum discrimine, quod unus loquutus sit ex Vero, alter ex Bono, & quod unus confirmaverit quod alter loquutus est, sed per alias voces, unus per voces quæ pertinent ad classem veri, & alter per voces quæ pertinent ad classem boni; est enim conjugium veri & boni in singulis Verbi, n. 97. & dantur voces boni & voces veri, quæ apparent aliæ, sed usque involvunt similia.

690. *Et quartus Angelus effudit phialam suam in solem, significat influxum in*

amorem illorum. Per effundere phialam, ſignificatur hic, ut prius, influxus ex bonis & veris, hic in amorem illorum, nam per Solem ſignificatur Divinus Amor Domini, & in oppoſito ſenſu Amor ſui, n. 53. 382. 414, hic Amor ſui, quia ſequitur, quod homines æſtu affligerentur per ignem, & æſtuarent æſtu magno, per quæ ſignificantur concupiſcentiæ illius amoris.

691. *Et datum eſt illi æſtu affligere homines per ignem, ſignificat quod amor in Dominum illos torqueret, quia in concupiſcentiis malorum ex jucundo amoris illorum erant.* Quoniam per effundere phialam, ſignificatur influxus a Domino ex bonis & veris, inde per effundere phialam in ſolem, ſignificatur influxus a Domino ex Divino Amore, ad detegendum qualis amor eſſet apud homines iſtius Eccleſiæ; inde per datum Angelo æſtu affligere homines per ignem, ſignificatur quod amor Divinus Domini torqueret illos; & quia Divinus Amor Domini non alios torquet quam illos qui in concupiſcentiis malorum ex jucundo amoris ſui ſunt, inde ſequitur, quod per datum eſt illi æſtu affligere homines per ignem, ſignificetur, quod Amor in Dominum illos torqueret, quia in concupiſcentiis malorum ex jucundo Amoris ſui erant: quod æſtus ſignificet concupiſcentias ad mala & inde ad falſa, videatur ſupra n. 382, & quod ignis ſignificet Divinum Amorem, & in oppoſito ſenſu Amorem infernalem, ſupra n. 494. Quod Amor ſui ſit Amor infernalis & quod jucundum ejus ſit jucundum infernale, & quod jucundum illius amoris exiſtat & conſiſtat ex innumeris concupiſcentiis malorum, multis oſtenſum eſt in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, tum in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA: quod ita ſit, neſcitur in Orbe Chriſtiano, quia neſcitur quid Amor in Dominum, & hic Amor docebit quid Amor ſui.

692. *Et æſtuaverunt homines æſtu magno, & blaſphemarunt Nomen Dei habentis poteſtatem ſuper plagas has, ſignificat quod propter jucundum amoris ſui oriundum ex gravibus concupiſcentiis malorum non agnoverint Divinitatem Humani Domini, a Quo tamen influit omne bonum amoris & verum fidei.* Per æſtum ſignificantur concupiſcentiæ malorum, quæ ſunt in Amore ſui & ejus jucundo, n. 382. 691, inde per æſtuare æſtu magno, ſignificatur in gravibus concupiſcentiis eſſe, & ſic in jucundo amoris; per blaſphemare Nomen Dei, ſignificatur negare aut non agnoſcere Divinitatem Humani Domini, nec ſanctitatem Verbi, n 571. 582; blaſphemare eſt negare aut non agnoſcere, ac Nomen Dei eſt Divinum Humanum Domini & ſimul Verbum, n. 584; per habere poteſtatem ſuper plagas, ſignificatur quod ab Ipſo influat omne bonum amoris & verum fidei, per quæ removentur mala & falſa, n. 673. 687. 690. & quia ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas exiverunt e Templo Tabernaculi Teſtimonii, Apoc. XV: 5. 6, & per Templum Tabernaculi Teſtimonii, ſignificatur intimum Cæli, ubi Dominus in ſua Sanctitate in Verbo & in Lege quæ Decalogus, eſt, n. 669, & inde factus eſt influxus, qui per effundere plagas ſignificatur, n. 679, conſtat, quod per Deum habentem poteſtatem ſuper plagas, intelligatur Dominus a Quo. Paucis dicetur, qualis Amor ſui eſt; jucundum ejus excedit omne jucundum in mundo, eſt enim conflatum

tum ex meris concupiscentiis malorum, & unaquævis concupiscentia exspirat suum jucundum; omnis homo in hoc jucundum nascitur; & quia id adigit mentem hominis ad jugiter cogitandum de se, detrahit illam ad cogitandum de Deo & de proximo nisi a se, & de se, quare nisi Deus faveat concupiscentiis ejus, irascitur Deo, sicut irascitur proximo qui non favet: jucundum illud cum crescit, facit ut homo non possit cogitare supra se, sed infra se, immergit enim mentem in proprium corporis sui, inde homo fit successive sensualis, & homo sensualis loquitur tono alto & elato de mundanis & civilibus, sed non potest loqui de Deo & de Divinis, nisi solum ex memoria; si persona civilis est, agnoscit naturam pro creatrice, & propriam prudentiam pro gubernatrice, & Deum negat; si homo sacerdos est, loquitur de Deo & de Divinis ex Memoria, etiam tono alto & elato, sed corde parum credit illa.

693. *Et non resipuerunt dare Ipsi gloriam, significat quod propterea non possint aliqua fide recipere, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, etiam quoad Humanum, tametsi Verbum id docet.* Per non resipiscere, significatur non recedere a malis, sed manere in illis; & per non dare Ipsi gloriam, significatur non fide recipere quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, hoc enim est Ipsi gloriam dare. Quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, docet Ipse manifeste Matth. XXVIII: 18. Joh. XIII: 3. Cap. XVII: 2. 3, tum quod Pater & Ipse unum sint, Joh. X: 30. Cap: XII: 45. Cap. XIV: 6 ad 11. Cap. XVI: 15, & alibi; & insuper Doctrina Ecclesiæ docet, quod Divinum & Humanum sint Una Persona, unita sicut Anima & Corpus.

694. *Et Quintus Angelus effudit phialam suam super thronum bestiæ, significat influxum a Domino in fidem illorum.* Per quod Angelus effuderit phialam suam, significatur, hic ut prius, influxus; & per thronum bestiæ significatur ubi sola fides regnat, per thronum significatur regnum, & per bestiam sola fides, n. 567. 576. 577. 594. 601. 660. Quod Thronus etiam dicatur de regimine mali & falsi, patet ex his „ *Draco dedit bestiæ virtutem suam &* THRONUM *suum, & potestatem magnam* „ Apoc. XIII: 2. *Novi opera tua, & ubi habitas, ubi* THRONUS SATANÆ *est* „ Apoc. II: 13. *Videns fui usque dum* THRONI *projecti sunt, & Antiquus dierum sedit* „ Dan. VI: 9. *Evertam* THRONUM *Regnorum, & robur regnorum gentium.* Hagg. II: 22. *Dixit Lucifer, super stellas exaltabo* THRONUM *meum*, Esaj. XIV: 13, & alibi.

695. *Et factum est regnum ejus tenebrosum, significat quod non apparerent nisi falsa.* Per tenebras significantur falsa, quia per lucem significatur verum: quod tenebræ significent falsa per quæ mala, & quod caligo falsa ex malis, videatur supra n. 513, inde per factum est regnum bestiæ tenebrosum, significatur quod non apparerent nisi quam falsa. Quod illi qui fidem separatam a charitate confirmaverunt, falsificent totum Verbum, videatur supra n. 136. 610: quod illis non sint aliqua vera, n. 467. 501. 653; sed mere falsa, n. 563. 597. 602. Sed falsa fidei eorum non quidem apparent coram ipsis ut tenebrosa, hoc est, ut falsa, sed apparent ut lucida, hoc est, ut vera, postquam confirmaverunt illa, at usque dum spectantur e luce Cæli, quæ detegit om-

omnia, apparent ut tenebrosa; quare dum lux Cæli in Cameras apud illos in inferno influit, fit ita tenebrosum, ut non videat unus alterum; quare omne infernum clausum est, ut ne quidem pateat rima, & tunc in suo lumine sunt; quod non sibi appareant in tenebris sed in lumine, tametsi in falsis sunt, est quia falsa eorum, postquam confirmaverunt illa, apparent illis sicut vera, inde lumen eorum, sed est lumen fatuum, sicut est lumen confirmationis falsi, lumen hoc correspondet lumini visus noctuarum & vespertilionum, quibus tenebræ sunt lumen, & lumen tenebræ, imo quibus sol est mera caligo; tales oculos nancifcuntur illi post mortem, qui se in mundo in falsis confirmaverunt, eo usque ut videant falsum sicut verum, ac verum sicut falsum.

696. *Et mandebant linguas suas præ molestia, significat quod non sustinerent vera.* Per molestiam non intelligitur molestia ex falsis, hæc illis non aliquam molestiam faciunt, sed intelligitur molestia ex veris, ita quod non sustineant illa; per mandere linguas, significatur non velle audire vera, per linguam enim significatur confessio veri, quia lingua inservit cogitationi pro loquela, ac spiritualiter pro confessione; per mandere linguam significatur detinere cogitationem ab audiendis veris: quod hoc per mandere linguam significetur, non potest confirmari ex Verbo, quia ibi non legitur; sed datum est id scire ab experientia in Mundo Spirituali, ibi dum aliquis loquitur vera fidei, spiritus qui non sustinent audire vera, retinent linguas suas per dentes & quoque mordent labia, ut & inducunt aliis linguas suas & labia dentibus tangere, & hoc usque ad molestiam; ex his nunc patet, quod per lambebant linguas suas præ molestia, significetur quod non sustinerent vera. Quod Lingua ut organum loquelæ, significet cogitationem & confessionem, & quoque doctrinam veri, videatur supra n. 182. 282

697. *Et blasphemarunt Deum Cæli præ molestiis suis & præ ulceribus suis, significat quod non agnoscere potuerint Dominum solum esse Deum Cæli & Terræ propter repugnantias ex interioribus falsis & malis, oriundis ex Dogmatico de sola fide agnito & recepto.* Per blasphemare Deum Cæli, significatur negare aut non agnoscere Dominum Solum esse Deum Cæli & Terræ, n. 571. 582; per molestias significantur molestiæ agnoscendi id, ut supra n. 696, ita repugnantiæ ex interioribus falsis, nam quod repugnat, hoc molestum est; molestiæ prædicantur de falsis; per ulcera significantur interiora mala, ut supra n. 678, & quia interiora mala ac falsa oriuntur ex dogmatico de sola fide agnito & recepto, ideo etiam hoc significatur.

698. *Et non resipuerunt ab operibus suis, significat quod tametsi instructi ex Verbo, usque non recedant a falsis fidei & inde malis vitæ.* Per non resipiscere significatur non recedere, ut supra n. 693; & per opera hic significantur falsa fidei & inde mala vitæ, ut supra n. 641. Secundum sensum literæ est, quod molestiæ & ulcera non possent adigere illos ad resipiscendum a falsis & malis, sed secundum sensum spiritualem est, quod instructio ex Verbo non posset adigere illos a falsis & malis, quia hæc infernalia sunt. Ex his patet, quod per non resipuerunt ex operibus suis, significetur quod tametsi instructi ex Verbo usque non recedant a falsis fidei & inde malis vitæ. Dicitur quod opera

ra hic sint falsa fidei & inde mala vitæ, ita dicitur quia falsum fidei præcedit, & malum vitæ sequitur; falsum enim fidei est, quod malum non damnet illum qui in fide est, inde homo vivit secure non cogitando de aliquo malo, & sic nunquam resipiscit, seu pœnitentiam agit; similiter facit si sibi persuadet, quod opera nihil ad salutem faciant, sed sola fides absque illis.

699. *Et sextus Angelus effudit phialam suam super fluvium magnum Euphratem, significat influxum a Domino in ratiocinia interiora illorum, per quæ confirmant justificationem per solam fidem.* Per sextum Angelum effundentem phialam suam, significatur hic ut supra influxus; per fluvium magnum Euphratem, significantur ratiocinia interiora, similiter ut supra, n. 444. 445, hic ratiocinia interiora illius Ecclesiæ, per quæ confirmant justificationem per solam fidem, quia de his in nunc sequentibus agitur.

700. *Et exsiccata est aqua ejus, ut pararetur via Regum ab ortu solis, significat quod remota sint falsa ratiociniorum istorum, apud illos qui a Domino in veris ex bono sunt, ac in novam Ecclesiam introducendi.* Per quod exsiccata sit aqua, significatur quod remota sint falsa ratiociniorum interiorum istorum, per quod exsiccata sit significatur quod remota sint, & per aquam significantur vera, & in opposito sensu falsa, n. 50. 614, hic falsa ratiociniorum interiorum, quia erat aqua fluvii Euphratis, per quem significantur ratiocinia illa, n. 699; per reges quibus pararetur via, significantur qui a Domino in veris ex bono sunt, n. 28. 483; per ortum Solis significatur principium Novæ Ecclesiæ a Domino, simile quod per Mane, n. 151; per parare viam, significatur præparare ad introducendum: ex his patet, quod per quod exsiccata sit aqua, ut pararetur via regum ab ortu solis, significetur quod remota sint falsa ratiociniorum interiorum apud illos qui a Domino in veris ex bono sunt, & in Novam Ecclesiam introducendi sunt. Hæc est series rerum; agitur hic de consummatione seu fine Ecclesiæ Hodiernæ, & de instauratione seu principio Ecclesiæ Novæ, & de contentionibus; illi qui ab Ecclesia Hodierna in sola fide sunt, intelliguntur per draconem, bestiam & pseudoprophetam, de quibus sequitur, & ejus contentiones cum illis qui ab Ecclesia nova erunt, intelliguntur per congregationem regum terræ ad prælium; illi autem qui e Nova Ecclesia erunt, cum quibus contendent, intelliguntur per illos pro quibus exsiccata est aqua fluvii Euphratis, ut pararetur via regibus ab ortu solis. Hoc involvit simile cum introductione filiorum Israelis in terram Canaanem, cum discrimine, quod pro illis exsiccatus sit fluvius Jordanes, at pro his fluvius Euphrates; causa quod pro his fluvius Euphrates, est, quia hic contendunt per ratiocinia interiora, quæ exsiccanda, hoc est, removenda sunt, antequam fit introductio; quæ etiam causa est, quod ratiocinia eorum interiora in hoc Opere detegantur; quæ nisi detegerentur, homo ignarus, tametsi intelligens, facile posset seduci.

701. *Et vidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ & ex ore pseudoprophetæ, significat perceptum ex Theologia fundata super doctrina de Trinitate personarum Divinitatis, & super doctrina justificationis per solam fidem sine operibus legis.* Per os significatur doctrina, & inde prædicatio & sermo, n. 453. 574; per draconem si-

gnificatur agnitio trium Deorum, & justificationis per solam fidem, & inde devastatio Ecclesiæ, n. 537; per bestiam ex mari, quæ hic intelligitur, significantur Externæ Ecclesiæ homines qui in illa agnitione & fide sunt, n. 567. 576. 577. 601; per Pseudoprophetam significantur Internæ Ecclesiæ homines, qui docent ex illis doctrinis Theologiam; pseudopropheta non prius nominatus est, sed bestia de terra nunc ita vocatur, videatur supra n. 594. Nunc quia omnia illa significantur per draconem, bestiam ex mari & pseudoprophetam, qui hic est bestia e terra, sequitur, quod per vidi ex ore draconis & ex ore bestiæ & ex ore pseudoprophetæ, significetur perceptum quod ex Theologia fundata super Doctrina Trinitatis personarum Divinitatis, & super Doctrina justificationis per solam fidem sine operibus legis.

702. *Spiritus tres immundos similes ranis, significat quod orirentur meræ ratiocinationes & cupiditates falsificandi vera.* Per Spiritus significantur hic similia quæ per dæmones, quoniam mox dicitur quod essent spiritus dæmonum, & per dæmones significantur cupiditates falsificandi vera, n. 458; per tres significantur omnia, n. 400. 505, hic itaque mere; per ranas significantur ratiocinationes ex cupiditatibus, quia coaxant, & prurigines sunt: ex his patet, quod per Spiritus tres immundos similes ranis, significentur meræ ratiocinationes & cupiditates falsificandi vera. Per ranas hic non aliud significatur quam quod per ranas Ægypti, quia devastatio Ecclesiæ apud Ægyptios per miracula facta æque describitur, de quibus ita apud Mosen „ *Extendit Aharon manum suam super aquas Ægypti & ascendit Rana, & operuit terram, & postea remotæ sunt ranæ, & tantum in flumine supererant*, Exod. VIII: 1 ad 10. Psalm. LXXVIII: 45. Psalm. CV: 30. Quod ranæ productæ fuerint ex aquis Ægypti, & superessent in flumine, erat quia aquæ in Ægypto, & imprimis aquæ fluminis ibi, significabant falsa doctrinæ ex quibus ratiocinati sunt.

703. *Sunt enim Spiritus dæmonum, significat quod essent cupiditates falsificandi vera & ratiocinandi ex falsis.* Quod per dæmones significentur cupiditates falsificandi vera, videatur supra n. 458; & quia erant similes ranis, etiam erant cupiditates ratiocinandi ex falsis, ut mox supra n. 702.

704. *Facientes signa ad abeundum ad Reges terræ & totius orbis ad congregandum illos in bellum Diei illius magni Dei Omnipotentis, significat contestationes quod falsa eorum sint vera, & excitationes omnium in tota illa Ecclesia, qui in iisdem falsis sunt, ad impugnandum vera Novæ Ecclesiæ.* Quod facere signa sit testificari & quoque contestari quod verum sit, videatur supra n. 598. 599, hic quod falsa eorum sint vera; per reges terræ & totius orbis, significantur qui principaliter in falsis ex malo sunt, hic omnes qui in iisdem falsis sunt in tota Ecclesia; per reges enim significantur qui in veris ex bono sunt, & in opposito sensu qui in falsis ex malo, n. 483, per terram significatur Ecclesia, n. 285; similiter per orbem, n. 551; per abire ad congregandum illos in bellum, significatur excitare illos ad pugnam, seu ad impugnandum, per bellum enim significatur bellum Spirituale, quod est falsi contra verum & veri contra falsum, n 500. 586; quod sit ad impugnandum vera Novæ Ecclesiæ, est quia dicitur Diei magni Dei Omnipotentis, & per Diem illum significatur

catur Adventus Domini, & tunc Nova Eccleſia; quod hoc per diem magnum ibi ſignificetur, infra videbitur: dicitur quod Spiritus dæmonum id facturi ſint, quia per illos ſignificantur cupiditates falſificandi vera, & ratiocinandi ex falſis, de quo mox ſupra n. 703. Ex his patet, quod per Spiritus dæmonum facientes ſigna ad abeundum ad Reges terræ & totius orbis ad congregandum illos in bellum diei illius magni Dei Omnipotentis, ſignificentur conteſtationes ab illis qui intelliguntur per Draconem, Beſtiam & Pſeudoprophetam, de quibus ſupra n. 701. 702, quod falſa eorum ſint vera, & excitationes omnium in tota Eccleſia qui in iiſdem falſis ſunt, ad impugnandum vera Novæ Eccleſiæ. Quod per Diem magnum Dei Omnipotentis ſignificetur Adventus Domini, & tunc Nova Eccleſia, conſtat ex multis locis in Verbo, ut ex his ,, In die illo *exaltabitur Jehovah Solus;* Eſaj. II: 11. In Die illo *Iſrael innitetur Jehovæ, Sancto Iſraelis in Veritate*, Eſaj. X: 20. In Die illo *radicem Jiſhaji gentes quærent, & erit quies Ipſi gloria*, Eſaj. XI: 10. 11. In Die illo *reſpicient oculi ad Sanctum Iſraelis*, Eſaj. XVII. 7. 9. In Die illo *dicent, ecce Deus noſter Hic, Quem exſpectavimus, ut liberet nos*, Eſaj. XXV: 9. *Cognoſcet populus meus Nomen meum, & in* Die illo, *Ego Ille Qui loquens, ecce Me*, Eſaj. LII: 6. *Heu* Magnus Dies Jehovæ *& non erit ſicut ille*, Jerem. XXX: 37. *Ecce* Dies venientes; *quibus pangam Fœdus novum, & quibus ædificabitur Civitas Jehovæ*, Jerem. XXXI: 27. 31. 38. In Diebus illis *germinare faciam Davidi germen juſtum*, Jerem. XXXIII: 16. *Non ſtabunt in bello* Diei Jehovæ, Ezech. XIII: 5. In Die illo *ſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi ſui.* In Die illo *eripietur omnis qui invenietur ſcriptus in Libro*, Dan. XII. 1. In Die illo *vocabis, Marite mi.* In Die illo *feriam illis fœdus.* In Die illo *exaudiam*, Hoſch. II: 16. 18. 21. *Ecce Ego mitto Eliam antequam venit* Dies Jehovæ magnus, Malach. III: 23. In Die illo *ſervabit Jehovah ſicut gregem populum ſuum*, Sach. IX. 16. In Die illo *proteget Jehovah habitatores Hieroſolymæ*, Sach. XII: 1. Ecce Dies *Jehovæ venit.* Dies unus *qui notus erit Jehovæ. In* Die illo *erit Jehovah unus, & Nomen Ipſius unum. In* Die illo *erit tumultuatio magna. In* Die illo *erit ſuper tintinnabulis equorum Sanctitas Jehovæ*, Sach. XIV: 1. 4. 6. 7. 8. 13. 20. 21. Præter hæc loca ſunt plura alia, in quibus per Diem Jehovæ intelligitur Adventus Domini & tunc Nova Eccleſia ab Ipſo, ut in his, Eſaj. IV: 2. Cap. XX: 6. 18. 21. 24. Cap. XXV: 20. Cap. XXVIII: 5. Cap. XXIX: 18. Cap. XXX: 25. 26. Cap. XXXI: 7. Jerem. III: 16. 17. 18. Cap. XXIII: 5. 6. 7. 12. 20: Cap. L: 4. 20. 27. Ezech. XXIV: 26. 27. Cap. XXIX: 21. Cap. XXXIV: 11. 12. Cap. XXXVI: 33. Hoſch. III: 5. Cap. VI: 1. 2. Joel III: 2. Cap. IV: 1. 14. 18. Obad. Verſ. 15. Amos IX: 11. 13. Mich. IV: 6. Habak. III: 2. Zeph. III: 11. 16. 19. 20. Sach. II: 15: Pſalm. LXXII: 7. 8. Ac Dies ille vocatur Dies Jehovæ, Joel I: 15. Cap. II: 1. 2. 11. Amos V: 13. 18. 20: Zeph. I: 7. 14. Cap. II: 2. 3. Sach. XIV: 1, & alibi. Quoniam Conſummatio ſæculi, hoc eſt, finis Eccleſiæ veteris, eſt, quando adventus Domini & principium Eccleſiæ Novæ, ideo per Diem Jehovæ permultis in locis etiam ſignificatur finis prioris Eccleſiæ, & dicitur quod tunc

rumores, tumultus & bella, quæ loca videantur collata in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 4. 5.

705. *Ecce venio ſicut fur, beatus qui vigilat & ſervat veſtimenta ſua, ſignificat Adventum Domini, & tunc cælum illis qui ſpectant ad Ipſum, & permanent in vita ſecundum præcepta Ipſius, quæ ſunt vera Verbi.* Quod venire ſicut fur, cum de Domino, ſignificet Adventum Ipſius, & tunc Cælum illis qui bene vixerunt, ac infernum illis qui male vixerunt, videatur ſupra n. 164; quod beatus dicatur qui vitam æternam accipit, n. 639; quod vigilare ſignificet ſpiritualiter vivere, hoc eſt, in veris eſſe & in vita ſecundum illa, & ſpectare ad Dominum, n. 158; & quod ſervare veſtimenta ſua, ſignificet permanere in illis uſque ad finem vitæ, veſtimenta enim ſignificant vera inveſtientia, n. 166. 212. 328, ita præcepta Domini in Verbo, quia hæc ſunt vera: Hæc nunc ſequuntur in ordine ex illis quæ præcedunt; nam præcedit de adventu Domini, & de Nova Eccleſia, tum de impugnatione ejus ab illis qui e veteri Eccleſia ſunt, & quia pugna inſtat, admonentur qui in veris ſunt ex Verbo ut in illis permaneant, ne in prælio, de quo in Verſu ſequente, ſuccumbant.

706. *Ut non nudus ambulet & videant pudorem ejus, ſignificat ne ſint cum illis qui in nullis veris ſunt, & appareant amores infernales eorum.* Per nudus ambulare, ſignificatur abſque veris vivere; per pudorem nuditatis ſeu pudenda ſignificantur ſpurci amores, qui ſunt amores infernales; & quia dicitur ne videant pudorem, ſignificatur ne illi appareant; quod per nuditatem ſignificetur ignorantia veri, & per pudorem nuditatis amor infernalis, videatur ſupra n. 213. Hæc dicta ſunt illis, qui e Nova Domini Eccleſia erunt, ut diſcant vera & maneant in illis, quoniam abſque veris non removentur mala illis connata, quæ ſunt amores infernales: homo quidem abſque veris poteſt vivere ſicut Chriſtianus, at coram hominibus, ſed non coram angelis: vera quæ diſcent, ſunt de Domino, & de præceptis ſecundum quæ vivent.

707. *Et congregavit illos in locum, dictum hebraice Armageddon, ſignificat ſtatum pugnæ ex falſis contra vera, & animum deſtruendi Novam Eccleſiam, oriundum ex amore imperii & ſupereminentiæ.* Per congregare in locum, hic ad prælium, ſignificatur excitare ad pugnandum ex falſis contra vera; quod ſit ſtatus pugnæ, eſt quia locus ſignificat ſtatum rei; quod ſit ex animo deſtruendi Novam Eccleſiam, eſt quia pugna inter Eccleſiam veterem & novam intelligitur, & animus pugnæ eſt deſtruere: quid per Armageddon ſignificatur, dicetur infra. Dictum eſt prius, *quod Draco abiverit ad faciendum bellum cum reliquis ex ſemine mulieris, obſervantibus mandata Dei, & habentibus teſtimonium Jeſu Chriſti*, Apoc. XII: 17: tum, *quod Beſtiæ ex mari datum ſit bellum gerere cum ſanctis*, Cap. XIII: 7. Et in hoc Capite, *Quod ſpiritus dæmonum exeuntes ex ore draconis, beſtiæ & pſeudoprophetæ abirent ad reges terræ, ad congregandum illos in bellum diei illius magni Dei Omnipotentis*, Verſ. 13. 14; hic nunc agitur de ipſo prælio, cujus ſucceſſus non deſcribitur, ſed modo ſtatus, qui ſignificatur per Armageddon. Per Armageddon in Cælo ſignificatur amor honoris, imperii & ſupereminentiæ, & quoque in lingua Hebræa per Aram ſeu Arom ſignificatur celſitudo, & amor ex celſitudine per Megiddonem in Lingua vetuſta.

tuſta.

fuisset Hæbræa, ut patet a significatione ejus in Lingua Arabica; simile per Hadadrimmon in valle Megiddonis significatur apud Sachariam Cap. XII: 11; in eo Capite etiam agitur de Adventu Domini, & tunc de fine Ecclesiæ Judaicæ & de principio Novæ a Domino instaurandæ, & quoque de collisione inter illas Ecclesias, quare toties in illo Capite dicitur in DIE ILLO, & per Diem illum significatur adventus Domini, ut supra n. 704; ut videatur, adducam loca: IN DIE ILLO *ponam Hierosolymam lapidem oneris omnibus populis. In* DIE ILLO *percutiam omnem equum stupore & equitem amentia. In* DIE ILLO *ponam duces Jehudæ sicut fornacem ignis in lignis. In* DIE ILLO *proteget Jehovah habitatores Hierosolymæ, ut sit impulsus inter illos. In* DIE ILLO *quæram perdere omnes gentes venientes contra Hierosolymam:* & tandem, *in* DIE ILLO *erit planctus in Hierosolyma, sicut planctus in Hadradriminon in valle Megiddon*; Vers. 3. 4. 6. 8. 9. 11. & in Capite sequente „ *In* DIE ILLO *erit fons apertus domui Davidis & habitatoribus Hierosolymæ. In* DIE ILLO *pudefient prophetæ, & induent tunicam pili, ut mentiantur* „ Cap. XIII: 1. 4. Per DIEM ILLUM significatur Adventus Domini, & tunc finis Ecclesiæ veteris & principium Ecclesiæ Novæ, ut supra dictum est; quid autem ibi per vallem Megiddonis significatur, non videri potest, nisi series rerum in eo Capite & in binis sequentibus apud illum Prophetam per sensum Spiritualem detegatur, quæ quia mihi detecta est, dicetur, sed in brevi summario; in Capite XII apud Sachariam in sensu spirituali describitur,
„ Quod Dominus formaturus sit Novam Ecclesiam, Vers. 1. Quod non
„ aliquid doctrinæ tunc erit in Ecclesia Veteri, & quod ideo illam fugituri,
„ Vers. 2. 3. Quod non intellectus veri amplius, modo apud illos qui in
„ Verbo sunt, & qui ab Ecclesia nova, Vers. 4. Quod hi bonum doctrinæ
„ a Domino discent, Vers. 5. Quod tunc Dominus per Vera Verbi destruet
„ omnia falsa, ne Doctrina Novæ Ecclesiæ aliud quam verum doceat, Vers.
„ 6. 7. Quod tunc Ecclesia in Doctrina de Domino erit, Vers. 8. Quod
„ destructurus sit omnes & omnia quæ contra illam doctrinam sunt, Vers. 9.
„ & quod tunc Nova Ecclesia a Domino, Vers. 10. Et quod tunc omnia
„ & singula Ecclesiæ in luctu erunt, Vers. 10 ad 14: hæc sunt contenta Capitis XII, in sensu spirituali: CONTENTA CAPITIS SEQUENTIS XIII, sunt hæc:
„ Quod pro Nova Ecclesia erit Verbum, & hoc illis apertum, Vers. 1.
„ Quod falsa doctrinæ & cultus prorsus destruentur, Vers. 2. 3. Quod cessaturum propheticum seu doctrinale vetus; & quod non amplius falsa doctrinæ, Vers. 4. 5. Quod Dominus ab illis qui in Veteri Ecclesia sunt,
„ occidetur, ex intentione ut dispergantur qui credunt in Ipsum, Vers. 6. 7.
„ Quod qui ab Ecclesia devastata, perituri sint, & quod qui ab Ecclesia Nova purificandi & docendi sint a Domino, Vers. 8. 9; hæc sunt Contenta
„ Capitis XIII, in sensu spirituali. CONTENTA CAPITIS XIV sunt hæc; de
„ pugnis Domini contra malos & de dispersione illorum, Vers. 1 ad 5. Quod
„ tunc nullum verum, sed a Domino Divinum Verum, Vers. 6. 7. Quod
„ Divinum Verum a Domino procedet, Vers. 8. 9. Quod Verum in Nova
„ Ecclesia multiplicabitur, nec ibi erit falsum mali, Vers. 10. 11. Quod
„ qui contra illa vera pugnat, in omnis generis falsa se dabit, Vers. 12.

in

vid. Sum. Expos. Proph. et Psalm.

„ Quod tunc deſtructio omnium Eccleſiæ, Verſ. 13. 14. 15. Quod tunc „ acceſſuri ad cultum Domini, etiam a gentibus qui externi naturales ſunt, „ Verſ. 16. 17. 18. 19: & quod tunc intelligentia ex bono charitatis, ex „ quo cultus, Verſ. 20. 21: hæc ſunt contenta trium Capitum XII. XIII. XIV apud Sachariam in ſenſu ſpirituali, detecta quia in illis etiam de ultimo ſtatu Eccleſiæ Veteris & de primo ſtatu Eccleſiæ Novæ agitur: & quia dicitur quod congregandi ſint in locum dictum hebraice Armageddon, conſtat quod eadem apud Prophetam dicta ſint de ſtatu ultimo Eccleſiæ hodiernæ & de primo ſtatu Eccleſiæ Novæ. Per Armageddon, ſignificatur, ut dictum eſt, amor honoris, imperii & ſupereminentiæ, ex illo enim fit pugna, & ex illo & propter illum fit planctus, qui deſcribitur ibi Verſ. 11. 12. 13. 14. Cap. XII. Simile etiam ſignificatur per Megiddonem II Reg. XXIII: 29. 30. II Chron. XXXV: 20 ad 24, ſed in ſenſu ſpirituali.

708. *Et Septimus Angelus effudit phialam ſuam in aerem, ſignificat influxum a Domino in omnia ſimul apud homines Eccleſiæ Reformatorum.* Per Septimum Angelum effundentem phialam ſuam, ſignificatur, hic ut per priores, influxus; per aerem ſignificantur omnia perceptionis & cogitationis, ita fidei eorum, proinde etiam quales in communi ſunt omnes qui in fide ſeparata a charitate ibi ſunt, nam per aerem ſignificatur reſpiratio eorum, & reſpiratio correſpondet intellectui, ita perceptioni & cogitationi, & quoque fidei, quia fides eſt cogitationis ſecundum perceptionem intellectus; quod hæc correſpondentia ſit, & quod in Mundo ſpirituali quiſque reſpiret ſecundum ſuam fidem, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, in Parte V^ta^, plene oſtenſum eſt.

709. *Et exivit vox magna e Templo Cæli e Throno dicens, factum eſt, ſignificat ſic manifeſtatum a Domino, quod omnia Eccleſiæ devaſtata ſint, & quod nunc ultimum judicium inſtet.* Per vocem magnam exeuntem e Templo cæli, ſignificatur manifeſtatio a Domino ex intimo cæli, per vocem magnam manifeſtatio, & per Templum Cæli ſignificatur intimum Cæli, e quo influxus, n. 669; quod dicatur e Throno, eſt quia per Thronum ſignificatur cælum, & quoque judicium, quod cælum, videatur n. 221. 222; & quod judicium, n. 229, & hoc quia nunc manifeſtatum eſt, quod omnia Eccleſiæ devaſtata ſint, ita quod finis ejus ſit, & in fine Eccleſiæ fit judicium; quare hoc dicitur, cum ultimus Angelus effudit phialam e Templo Cæli e Throno: per factum eſt, ſignificatur quod conſummatum ſit, hoc eſt, quod devaſtata ſint omnia Eccleſiæ, videatur ſupra n. 676.

710. *Et factæ ſunt voces & fulgura & tonitrua, ſignificat ratiocinationes, falſificationes veri & argumentationes ex falſis mali in Eccleſia apud illos qui in ſola fide ſunt, & tergiverſantur reflectere ſuper mala apud ſe, quoniam non volunt recedere ab illis ſi ſcirent illa.* Quod per voces, fulgura & tonitrua, ſignificentur ratiocinationes, falſificationes veri & argumentationes ex falſis, conſtare poteſt ex ſupradictis n. 396. 531, & ibi ſimilibus. Quod illi, qui in fide ſeparata ab operibus legis & inde in malis vitæ ſunt, tergiverſentur reflectere ſuper mala apud ſe, quia non volunt recedere ab illis ſi ſcirent illa, patet abſque explicatione;

tione; experientia docet hoc; mala enim sunt jucunda, quia sunt amores, & a jucundis recedere nemo vult, nisi spectet ad vitam post mortem, & primum ad infernum quale est, & postea ad cælum quale est, ac cogitet extra actum mali de illis; si etiam tunc spectat ad Dominum, & cogitat, quid temporarium respectu ad æternum, annon sicut nihil, tunc potest reflectere super mala sua, ac velle scire illa, & recedere ab illis. At si in sola fide se confirmaverat, tunc dicet corde, fides nostra Theologica, Quod Deus Pater misereatur propter Filium, Qui passus est pro peccatis nostris, si hoc ex quadam fiducia supplicem, facit omnia, tunc non reflectit super aliquod malum apud se, dicit etiam secum ex illa fide, quod malum non damnet, & quod salvatio sit pura misericordia, præter similia alia, sic permanet in suis malis, & jucundat se in illis usque ad finem vitæ. Tales sunt ratiocinationes, falsificationes veri & argumentationes ex falsis mali, quæ hic significantur per voces, fulgura & tonitrua.

711. *Et terræ motus factus est magnus, qualis non factus ex quo homines facti sunt super terra, talis terræ motus adeo magnus, significat omnium Ecclesiæ quasi concussiones, paroxysmos, inversiones, detractiones e cælo.* Quod per terræ motus significentur mutationes status Ecclesiæ, videatur supra n. 331; & quia terræ motus sunt leviores & graviores, hic gravissimi, quia dicitur, quod talis terræ motus non factus sit ex quo homines facti sunt, patet quod per terræ motum hic significentur omnium Ecclesiæ concussiones, paroxysmi, inversiones, detractiones e cælo. Dicitur etiam de Dracone, qui vocatur serpens antiquus, diabolus & satanas, quod *cauda sua detraxerit e cælo tertiam partem stellarum, & projecerit in terram*, Apoc. XII: 4. Similiter de *Hirco caprarum*. Dan. VIII. 10. 11. 12. Dicit etiam Dominus de fine hujus Ecclesiæ ,, *Erit tunc* ,, *afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque nunc, nec fient*, Matth. XXIV. 21. Finis Ecclesiæ describitur etiam apud Prophetas per terræ concussiones, subversiones, dejectiones, & plura quæ sunt terræ motuum.

V. 19 712. *Et facta est urbs magna in tres partes, & urbes gentium ceciderunt, significat quod Ecclesia illa quoad doctrinam ab illis prorsus destructa sit, pariter omnes hæreses, quæ ab illa emanarunt.* Quod per urbem significetur doctrina Ecclesiæ, seu quod idem Ecclesia quoad doctrinam, videatur supra n. 194. 501. 502, inde per urbes gentium significantur doctrinæ hæreticæ seu hæreses, quæ ex illa emanaverunt, quæ sunt plures; per fieri in tres partes significatur prorsus destrui, nam per dividi in Verbo significatur dissipari, ex causa quia sic non cohærent, & per tria significatur omne & totum, n. 400. 505; inde per fieri in tres partes significatur prorsus destrui; per cadere, quod dicitur de urbibus gentium, etiam significatur destrui: dicitur quod urbs in tres partes facta sit, & quod urbes gentium ceciderint, quia mox prius de terræ motu, in quo talia fiunt. Per Urbem magnam intelligitur Urbs magna, de qua supra Cap. XI: vers. 8, quæ ibi *vocatur Sodoma & Ægyptus*, de qua videatur supra n. 501. 502. 503. 504. Quod Urbs significet doctrinam, & inde Urbes doctrinalia, est quia per Terram, in specie per Terram Canaanem, significatur Ecclesia; & quia Ecclesia est Ecclesia ex doctrina & secundum illam, inde per

per urbes ſignificantur doctrinalia; docebantur etiam in urbibus, quia ibi erant Synagogæ, & in Hieroſolyma etiam Templum; inde eſt quod per Hieroſolymam ſignificetur Eccleſia quoad doctrinam in univerſali ſenſu.

713. *Et Babylon magna venit in memoriam coram Deo, dare illi poculum vini excandeſcentiæ iræ Ipſius*, *ſignificat tunc etiam deſtructionem dogmatum Religioſi Catholico Romani.* Per Babylonem ut urbem, ut hic, ſignificatur Religioſum illud quoad ejus dogmata & doctrinalia, n. 631; per dare illi poculum vini excandeſcentiæ iræ Dei, ſignificatur devaſtare uſque ut non ſit niſi quam malum & falſum; quod id per poculum vini excandeſcentiæ iræ Dei ſignificetur, videatur ſupra n. 631. 632.

714. *Et grando magna quaſi talenti pondo deſcendit de Cælo ſuper homines*, *ſignificat dira & atrocia falſa, per quæ omne verum Verbi & inde Eccleſiæ deſtructum eſt.* Quod per grandinem ſignificetur falſum deſtruens verum & bonum, videatur ſupra n. 399; & quia dicitur grando magna quaſi talenti pondo, ſignificantur dira & atrocia falſa, per quæ omne verum & bonum Verbi & inde Eccleſiæ deſtructum eſt: quod dicatur talenti pondo, eſt quia talentum erat maximum pondus argenti & quoque auri; & per argentum ſignificatur verum, & per aurum bonum, & in oppoſito ſenſu falſum & malum, n. 211. Quod dicatur quod grando deſcenderit de Cælo ſuper homines, eſt ſecundum apparentias, ex quibus & ex correſpondentiis eſt ſenſus literæ Verbi: hoc ſimile eſt, ſicut prius dictum eſt de plagis, quod e Cælo per Angelos ſuper homines effuſæ ſint, cum tamen ſunt vera & bona a Domino demiſſa, quæ apud illos qui infra ſunt, vertuntur in falſa & mala, n. 673: etiam in Mundo ſpirituali apud illos, cum in ratiociniis ex falſis contra vera Verbi ſunt, apparet quandoque grando deſcendere, & apud quoſdam ſulphur & ignis, & quia hæc apparent in athmoſphæra ſupra illos, & ſicut e Cælo, ideo ex apparentia illa dicitur, quod grando talis e cælo deſcenderit.

715. *Et blaſphemarunt homines Deum præ plaga grandinis, quia magna erat plaga ejus valde*, *ſignificat quod, quia confirmaverunt apud ſe talia falſa, negaverint vera adeo ut non poſſint agnoſcere illa, propter repugnantias oriundas ex interioribus eorum falſis & malis.* Per blaſphemare Deum, ſignificatur negare & non agnoſcere Dominum eſſe Solum Deum cæli & terræ, n. 571. 582. 697, ſimiliter verum Verbi; quia magna erat plaga ejus valde, ſignificat propter dira & atrocia illa falſa ex confirmato dogmate de juſtificatione per ſolam fidem, n. 715; quod non poſſint agnoſcere propter illa, eſt quia confirmatio falſi eſt negatio veri. Apparet ſicut intelligatur quod plaga grandinis tanta fuerit, ut ex cruciatu aut dolore impulſus ejus blaſphemaverint Deum, verum hoc non intelligitur, ſed quod non potuerint agnoſcere vera propter falſa; ſimiliter ut prius in hoc Capite, ubi dicitur quod blaſphemaverint Nomen Dei præ æſtu, Verſ. 9; & quod blaſphemaverint Deum cæli præ moleſtiis, & præ ulceribus, Verſ. 11; quæ explicata videantur, n. 692 & 697.

716. His adjiciam hoc MEMORABILE. In Mundo Spirituali loquutus sum cum quibusdam Episcopis Angliæ, ibi de Opusculis editis Londini Anno 1758, quæ erant de CÆLO ET INFERNO: de NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA CÆLESTI: de ULTIMO JUDICIO: de EQUO ALBO: & DE TELLURIBUS IN UNIVERSO: quæ Opuscula ad omnes Episcopos, & ad plures Magnates seu Lords, dono missa sunt; dixerunt, quod receperint illa, viderint illa, at quod non reputaverint illa digna, tametsi scite scripta; & quoque quod persuaserint quibuscunque possent ne legerentur: quæsivi cur hoc, cum tamen ibi sunt Arcana de Cælo & Inferno, & de Vita post mortem, & plura dignissima, quæ a Domino revelata sunt pro illis, quæ e Nova Ipsius Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, erunt; sed dixerunt, quid hæc ad nos; & effuderunt vituperia contra illa, sicut prius in Mundo; audivi. Et tunc lecta sunt coram illis ex Apocalypsi, hæc „ *Et Sextus Angelus effudit phialam suam super fluvium magnum Euphratem, & exsiccata est aqua ejus, ut pararetur via Regum ab ortu solis: & vidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos, similes ranis; sunt enim spiritus dæmonum facientes signa ad abeundum ad reges terræ, & orbis totius, ad congregandum illos in bellum Diei illius magni Dei Omnipotentis, & congregavit illos in locum dictum hebraice* ARMAGEDDON, Apoc. XVI: 12 ad 16: hæc coram illis explicata sunt, & dictum est, quod illi essent, & similes alibi, qui per illa intelliguntur.

Hæc, quæ dicta sunt ad Episcopos, Rex Avus Regis hodie regnantis e Cælo audivit, & aliquantum indignatus dixit, quid hoc; & tunc quidam ex illis, qui non unum cum illis in Mundo fecerat, convertit se ad Regem, & dixit; illi, quos nunc vides oculis tuis, cogitaverunt in Mundo, & inde etiam nunc cogitant, de Divino Humano Domini, sicut de humano vulgaris hominis, & addicant omnem Salvationem & Redemptionem Deo Patri, & non Domino nisi sicut causæ propter quam; credunt enim in Deum Patrem, & non in Ipsius Filium, tametsi sciunt ex Domino, quod *Voluntas Patris sit ut credant in Filium, & quod qui credunt in Filium, vitam æternam habeant, & quod qui non credunt in Filium, non visuri sint vitam.* Præter quod Charitatem, quæ fit a Domino per hominem ut ab illo, a puncto Salvationis ejiciant. Ulterius loquens cum Rege detexit HIERARCHIAM, quam plures ex illis continuo affectant & quoque exercent, quam constabiliunt per conjunctionem & colligationem, quæ fit per Emissarios, Internuntios, Epistolas & Loquelas, Ecclesiastica & simul Politica autoritate suffultas, cum omnibus sui Ordinis, ex quo cohærent pæne omnes sicut unus Fascis; & quod per illam Hierarchiam etiam effectum sit, quod supra nominata OPERA PRO NOVA HIEROSOLYMA, tametsi Londini edita, & ad illos dono missa, tam fæde rejecta sint, ut ne quidem digna habita sint, inter Libros recensionis nominari. His auditis Rex obstupuit, imprimis quod ita cogitaverint de Domino, Qui tamen est Deus Cæli & Terræ; ac de Charitate, quæ tamen est ipsa Religio. Et tunc per lucem e Cælo immissam aperta

ta ſunt interiora mentis & fidei illorum, & Rex vidit, & tunc dixit, abite, heu quis poteſt in tantum occaleſcere ad audiendum aliquid de Cælo, & de Vita æterna.

Deinde a Rege inquiſitum eſt, unde illis tam univerſalis obedientia a Clero, & dictum eſt, quod ſit a conceſſa cuivis Epiſcopo in ſua Diœceſi poteſtate nominandi coram Rege modo Unum ad Eccleſias, & non ſicut in aliis Regnis, Tres, etiam Vocatos; & quod ex ea poteſtate illis ſit auctoritas promovendi Clientes ad honores eminentiores & ad reditus largiores, quemlibet ſecundum obedientiam quam præſtitit. Detectum etiam eſt quouſque Hierarchia illa progredi poſſit, & quod progrediatur eouſque ut Dominium ſit eſſentiale, & Religio formale. Apertus etiam eſt horum ardor dominandi, & ſpectatus ab Angelis, & viſum quod excedat ardorem dominandi illorum, qui in ſæculari poteſtate ſunt.



CAPUT

1. ET venit unus ex Septem Angelis habentibus ſeptem phialas, & loquutus cum me, dicens mihi, veni, oſtendam tibi judicium Meretricis magnæ ſedentis ſuper aquis multis.

2. Cum qua ſcortati ſunt Reges terræ, & inebriati ſunt ex vino ſcortationis ejus inhabitantes terram.

3. Et detulit me in deſertum in ſpiritu, & vidi Mulierem ſedentem ſuper Beſtia coccinea, plena nominibus blaſphemiæ, habente capita ſeptem, & cornua decem.

4. Et Mulier circuminduta purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo & margaritis, habens aureum poculum in manu ſua, plenum abominationibus & immunditie ſcortationis ejus.

5. Et ſuper fronte ejus Nomen ſcriptum, Myſterium, Babylon magna mater ſcortationum & abominationum terræ.

6. Et vidi Mulierem inebriatam ex ſanguine Sanctorum, & ex ſanguine teſtium Jeſu, & admiratus ſum videns illam admiratione magna.

7. Et dixit mihi Angelus, quare admiraris; ego tibi dicam myſterium mulieris, & beſtiæ portantis illam, habentis ſeptem capita & decem cornua.

8. Beſtia, quam vidiſti, erat & non eſt, & futura eſt aſcendere ex abyſſo, & in interitum abire: & mirabuntur habitantes ſuper terra, quorum non ſcripta Nomina in Libro vitæ a fundatione mundi, videntes Beſtiam, quæ erat & non eſt, attamen eſt.

9. Hæc mens habens ſapientiam; ſeptem Capita Montes ſunt ſeptem, ubi Mulier ſedet ſuper illis.

10. Et Reges ſeptem ſunt, quinque ceciderunt, & unus eſt, alter nondum venit; & quando venerit, brevi illum oportet manere.

11. Et Beſtia, quæ erat & non eſt, ipſa Octavus eſt, de Septem eſt, & in interitum abit.

12. Et decem cornua, quæ vidiſti, decem Reges ſunt, qui Regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatem tanquam Reges unam horam accipiunt cum Beſtia.

13. Hi unam ſententiam habent, & potentiam & poteſtatem ſuam Beſtiæ tradent.

14. Hi cum Agno pugnabunt, ſed Agnus vincet illos, quia Dominus dominorum eſt & Rex regum; & qui cum Ipſo, vocati, electi & fideles.

15. Et dicit mihi, aquæ, quas vidisti, ubi Meretrix sedet, populi & turbæ sunt, & gentes & linguæ.

16. Et decem Cornua quæ vidisti super Bestia, hi odio habebunt Meretricem, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus comedent, & illam comburent igne.

17. Quoniam Deus dedit in corda illorum facere sententiam ejus, & facere unam sententiam, & dare Regnum suum Bestiæ, donec consummarentur verba Dei.

18. Et Mulier, quam vidisti, est Urbs magna, habens regnum super Reges terræ.

SENSUS SPIRITUALIS.

CONTENTUM TOTIUS CAPITIS. De Religioso Romano Catholico: describitur qualiter falsificaverat Verbum, & inde omnia vera Ecclesiæ perverterat, Vers. 1 ad 7: quomodo illa falsificaverat & perverterat apud illos qui Dominio ejus subjecti sunt, Vers. 8. 9. 10. 11. quod minus apud illos qui non ita Dominio ejus se subjecerant, Vers. 12 ad 15: de Reformatis quod se jugo dominationis ejus subtraxerint, Vers. 16. 17: de dominatione ejus usque, n. 18.

CONTENTA SINGULORUM VERSUUM. 1. Et venit unus ex septem Angelis habentibus septem phialas, & loquutus cum me, *significat* nunc influxum & revelationem a Domino ex intimo Cæli de Religioso Catholico Romano: dicens mihi, ostendam tibi judicium Meretricis magnæ sedentis super aquis multis, *sign:* revelationem de illo Religioso quoad prophanationes ejus & adulterationes veritatum Verbi: 2. cum qua scortati sunt reges terræ, *sign:* quod adulteraverit vera & bona Ecclesiæ quæ ex Verbo: & inebriati sunt ex vino scortationis ejus inhabitantes terram, *sign:* insanitionem in spiritualibus ex adulteratione Verbi apud illos qui in Religioso illo sunt: 3. & detulit me in desertum in spiritu, *sign:* in statu spirituali delatum ad illos apud quos omnia Ecclesiæ devastata sunt: & vidi Mulierem sedentem super Bestia coccinea, plena nominibus blasphemiæ, *sign:* Religiosum illud super Verbo ab illis prophanato; habente capita septem, & cornua decem, *sign:* intelligentiam ex Verbo principio sanctam, postea nullam, & tandem insaniam, ac potentiam ex Verbo continue multam: 4. & Mulier circuminduta purpura & coccino, *sign:* Divinum Bonum & Divinum Verum cæleste, quæ sunt Verbi, apud illos: & inaurata auro & lapide pretioso, *sign:* Divinum Bonum & Divinum Verum spirituale, quæ sunt Verbi, apud illos: & margaritis, *sign:* cognitiones boni-

ni & veri, quæ sunt Verbi apud illos: habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus & immunditie scortationis ejus, *sign:* Religiosum illud ex sanctis Verbi prophanatis, & ex bonis & veris ejus per dira falsa conspurcatis: super fronte ejus scriptum, mysterium, Babylon magna, mater scortationum & abominationum terræ, *sign:* Religiosum Catholico Romanum quale est interius quod reconditum, quod ex ortu suo ab Amore dominandi ex amore sui super Sancta Ecclesiæ & super Cælum, ita super omnia Domini & Verbi Ipsius, conspurcaverit & prophanaverit illa quæ Verbi & inde Ecclesiæ sunt: & vidi Mulierem inebriatam ex sanguine sanctorum & ex sanguine testium Jesu, *sign:* Religiosum illud insaniens ex adulteratis & prophanatis Divinis Veris & Bonis Domini, Verbi & inde Ecclesiæ: & admiratus sum videns illam admiratione magna, *sign:* stuporem quod Religiosum illud tale sit interius, cum tamen aliter apparet exterius: & dixit mihi Angelus, quare admiraris, ego tibi dicam mysterium Mulieris & Bestiæ portantis illam, habentis septem capita & decem cornua, *sign:* detectionem, quid illa quæ præcedunt & visa sunt significant: Bestia, quam vidisti, erat & non est, *sign:* Verbum apud illos pro sancto agnitum, & tamen realiter non agnitum: & futura est ascendere ex abysso, & in interitum abire, *sign:* deliberatum in Consistorio Papali aliquoties de receptione & lectione Verbi a Laicis & vulgo, sed rejectum: & mirabuntur habitantes super terra, quorum non scripta nomina in Libro vitæ Agni a fundatione mundi, videntes bestiam, quæ erat & non est, attamen est, *sign:* obstupescentiam illorum, qui e Religioso illo sunt, omnes qui ab instauratione ejus affectarunt dominium super Cælum & Terram, quod Verbum, tametsi ita rejectum, usque sit: hæc mens habens sapientiam, *sign:* quod hæc interpretatio sit in sensu naturali, sed pro illis qui in sensu spirituali a Domino sunt: septem capita montes sunt septem, & Mulier sedet super illis, & Reges septem sunt, *sign:* Divina Bona & Divina Vera Verbi, super quibus Religiosum illud fundatum est, tempore destructa & tandem prophanata: quinque ceciderunt, & unus est, & alter nondum venit, & quando venerit, brevi illum oportet manere, *sign:* quod omnia Divina Vera Verbi destructa sint, præter unum hoc, quod Domino data sit omnis potestas in Cælo & in Terra; & præter alterum, quod nondum in quæstionem venit, non permansurum est, quod est, quod Humanum Domini sit Divinum: & Bestia, quæ erat & non est, ipsa octavus est, & de septem est, & in interitum abit, *sign:* quod Verbum, de quo prius, sit Ipsum Divinum Bonum, & quod sit Divinum Verum; & quod auferatur Laicis & vulgo, ne prophanationes & adulterationes ibi ab Antesignanis factæ appareant, & illi propterea recedant: & decem cornua, decem Reges sunt, qui nondum regnum acceperunt, *sign:* Verbum quoad potentiam ex Divinis Veris apud illos qui in Regno Galliæ sunt, & non ita sub jugo Dominii Papalis sunt, apud quos tamen nondum Ecclesia ita separata a Religioso Catholico Romano facta est: sed potestatem tanquam Reges unam horam accipiunt cum Bestia, *sign:* quod Verbum apud illos valeat, & illi per Verbum sicut in Divinis Veris ejus essent: hi unam sententiam habent, & potentiam

& potestatem suam Bestiæ tradent, *sign:* quod illi unanimiter agnoscant, quod regimen & dominium super Ecclesiam unice sit per Verbum; hi cum Agno pugnabunt, sed Agnus vincet eos, quia Dominus dominorum est & Rex regum, *sign:* pugnam Domini cum illis de agnitione Divini Humani Ipsius, quia Dominus in Illo est Deus Cæli & Terræ, & quoque Verbum: & qui cum Ipso vocati, electi & fideles; *sign:* quod qui Dominum Solum adeunt & colunt, sint qui in Cælum veniunt, tam qui in Ecclesiæ externis sunt, quam qui in ejus internis & intimis sunt: & dicit mihi, aquæ quas vidisti, ubi Meretrix sedet, populi & turbæ sunt, gentes & linguæ, *sign:* quod sub Dominio Papali sint, sed in veris Verbi a Religioso illo diversimode adulteratis & prophanatis, qui ex varia Doctrina & Disciplina, & ex varia Religione & Confessione ejus sunt: & decem cornua, quæ vidisti super Bestia, hi odio habebunt Meretricem, *sign:* Verbum quoad potentiam ex Divinis Veris apud Protestantes, qui jugum Dominii Papalis a se prorsus rejecerunt: & desolatam facient illam & nudam, *sign:* quod exuent se falsis & malis ejus: & carnes ejus comedent, & illam comburent igne, *sign:* quod mala & falsa, quæ propria illius Religiosi sunt, ex odio damnabunt & apud se destruent, & ipsum Religiosum devovebunt & apud se delebunt: quoniam Deus dedit in corda illorum facere sententiam ejus, & facere unam sententiam, & dare regnum suum Bestiæ, *sign:* judicium apud illos a Domino, quod Religiosum Catholico Romanum prorsus repudiarent & devoverent, & apud se delerent & exstirparent, ac judicium unanimum quod Verbum agnoscerent, & super illo Ecclesiam fundarent: donec consummarentur verba Dei, *sign:* usque dum impleta sunt omnia quæ de illis prædicta sunt: & Mulier, quam vidisti, est Urbs magna habens regnum super reges terræ, *sign:* quod Religiosum Catholico Romanum quoad Doctrinam regnet in Christiano Orbe, & ad aliquam partem etiam adhuc apud Reformatos, tametsi non sub Dominio Papali sunt.

EXPLICATIO.

717. „ Actum est in antecedentibus a Cap. VII: ad Cap. XVI inclusive, „ de Reformatis; agitur nunc in hoc Capite & in sequente de Pontificiis, „ inter quos illi qui sibi potestatem aperiendi & claudendi cælum vindicaverunt, „ intelliguntur per Babyloniam; hic itaque primum dicetur, quid in specie „ per Babyloniam intelligitur. Per Babyloniam seu Babelem intelligitur Amor „ dominandi super Sancta Ecclesiæ ex amore sui, & quia ille amor scandit „ quousque laxatur ei frænum, & Sancta Ecclesiæ etiam sunt Sancta Cæli, „ ideo per Babyloniam seu Babelem etiam significatur Dominium super Cælum: „ & quia ille Amor sic agit Diabolum, qui similia affectat, ille non „ potest aliter quam prophanare Sancta, adulterando bona & vera Verbi, „ ideo per Babyloniam seu Babelem etiam significatur Prophanatio sancti, ac „ adulteratio boni & veri Verbi: Hæc sunt quæ significantur per Babyloniam „ hic in Apocalypsi, & per Babelem in Verbo Prophetico & Historico, in

„ his

„ his locis „ *De Babele; Ecce dies Jehovæ venit crudelis: stellæ cælorum & si-*
„ *dera illorum non lucent luce sua; obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non*
„ *splendere facit lumen suum. Cessare faciam elationem superborum, & fastum vio-*
„ *lentorum humiliabo. Babel, ornamentum regnorum, erit sicut eversio Dei Sodo-*
„ *ma & Gomorrha; cubabunt ibi jiim, implebuntur domus eorum ochim, & habita-*
„ *bunt ibi filiæ noctuæ, & satyri saltabunt ibi, respondebunt jiim in palatiis e-*
„ *jus, & dracones in palatiis deliciarum ejus,* Esaj. XIII: 1. 9. 10. 11. 14. 19.
„ 21. 22; præter plura alia in toto illo Capite.

„ *Enunties hanc parabolam de Rege Babelis: demissa est in infernum magnificen-*
„ *tia tua: cecidisti de Cælo Lucifer, tu dixisti in corde tuo Cælos ascendam, su-*
„ *per stellas Dei exaltabo thronum meum, ascendam super excelsa nubis, similis fiam*
„ *Altissimo; veruntamen in infernum demissus es: surgam contra te, & exscin-*
„ *dam Babeli nomen & residuum* „ Esaj. XIV: 4. 11. 12. 13. 14. 15. 21; præ-
„ ter plura in toto illo Capite.

„ *Loquutus est Jehovah contra Babelem: pudefacta est Mater vestra valde, pu-*
„ *dore suffusa est Genetrix vestra, ecce postremitas desertum, siccitas & solitudo.*
„ *Disponite vos contra Babelem circum circa, jaculamini contra eam, nec parcite*
„ *telis: quomodo facta est in desolationem Babel inter gentes: contra Jehovam inso-*
„ *lenter egit, contra Sanctum Israelis: siccitas super aquas ejus ut exarescant,*
„ *quia terra sculptilium illa, & de horrendis gloriatur; ideo habitabunt ibi Zjim*
„ *cum Ijim, & habitabunt in ea Noctuæ, juxta eversionem Dei Sodomam & Go-*
„ *morrham* „ Jerem. L: 1. 13. 14. 23. 29. 31. 34. 39. 40; præter plura alia
„ de Babele in toto illo Capite.

„ *Calix auri Babel in manu Jehovæ, inebrians universam terram, de vino ejus*
„ *biberunt gentes, ideo insaniunt: deserite eam, quia pertigit ad Cælos judicium ejus,*
„ *& extulit se usque ad nubes: ecce Ego contra te Mons perdens, perdens univer-*
„ *sam terram: devolvam te de petris, & dabo te in montem combustionis. Visitabo*
„ *super Belem in Babele, extraham bolum ejus ex ore ejus, ut non amplius con-*
„ *fluant ad eum gentes; etiam murus Babelis concidet. Ecce dies venientes, qui-*
„ *bus visitabo super sculptilia Babelis, ut omnis terra ejus pudefiat. Si ascenderit*
„ *Babel in cælos, & si muniverit excelsum roboris sui, a Mecum venient vastato-*
„ *res. Imo inebriabo principes ejus & sapientes ejus, & duces ejus, & antistites*
„ *ejus, ut dormiant somnum sæculi, nec evigilent* „ Jerem: LI: 1. 7. 9. 26. 44.
„ 47. 53. 57; præter plura alia in toto illo Capite de Babele.

„ *Descende & sede super pulvere virgo filia Babelis, sede in terra; non thro-*
„ *nus: sume molam & mole farinam: revela femur, transi flumina, reveletur nu-*
„ *ditas tua, videatur opprobrium tuum; dixisti, in æternum ero domina, non re-*
„ *cordata es finis: confisa es in malitia tua; dixisti, non videns me, sapientia tua*
„ *& scientia tua seduxit te, dum dixisti in corde tuo, ego & non sicut ego præte-*
„ *rea: veniet subito devastatio, non scias: persta in incantationibus tuis, in multi-*
„ *tudine præstigiarum tuarum, in quibus laborasti a juventute tua, forte poterunt*
„ *prodesse, forte terribilis fies,* Esaj. XLVII: 1. 2. 3. 7. 10. 11. 12, præter
„ plura de Babele in illo Capite.

„ Similia significantur per *Urbem & Turrim, cujus caput in Cælo, quam ve-*
nien-

„ *nientes ex Oriente in valle Schinaar ædificare aggressi sunt, quorum labia Jehovah e cælo descendens confudit, unde nomen loci Babel* (confusio) Genes. XI: 1 ad 9.

„ Similia significantur per hæc sequentia apud Danielem; Per *statuam visam Nebucbadnezari Regi Babelis, cujus pedes erant ex parte ferrum & ex parte argilla, quam Lapis excisus non per manum percussit & contrivit, & facta sunt omnia statuæ sicut palea in areis, & Lapis factus est in Petram magnam*, Dan. II: 31 ad 47. *Per statuam magnam, quam Nebuchadnezar Rex Babelis fecit, & mandavit ut coram illa prociderent & adorarent; & quod qui non facerent, projicerentur in fornacem ignis* „ Dan. III: 1 ad 7 seq. *Per Arborem crescentem usque dum altitudo ejus pertingeret Cælum, & prospectus ejus ad finem terræ, quam Vigil & Sanctus e Cælo descendens jussit ut excideretur, amputeretur, discuteretur & dispergeretur: & quia Rex Babelis per illam repræsentabatur, factum est quod depelleretur ab homine, cum bestiis habitaret, herbam sicut bos comederet* „ Dan. IV: 1 ad fin. *Per quod Belschazar Rex Babelis cum magnatibus, uxoribus & pellicibus suis, biberet vinum ex vasis auri & argenti Templi Hierosolymitani, & laudaret deos auri, argenti, æris, ferri & lapidis; propter quæ sciptum est in pariete, & ipse Rex in eodem die occisus est* „ Dan. V: ad fin. *Per edictum Darii Medi Regis Babelis, quod nemo intra* 30 *dies peteret aliquid a Deo nec ab homine, sed a Rege solo, si secus, conjiceretur in foveam leonum*, Dan. VI: 8 ad fin. *Perque quatuor bestias ascendentes ex mari visas Danieli, quarum quarta terribilis, robusta, habens dentes ferri magnos comedit & contrivit, & reliquum pedibus conculcavit: & quod tunc judicium consederit, & libri aperti sunt, & occisa sit bestia, & data in combustionem ignis: & quod tunc visus sit cum nubibus cælorum veniens sicut Filius hominis, Cui datum est dominium & gloria & regnum, & omnes populi & gentes & linguæ Ipsum colent, dominium Ipsius dominium sæculi quod non transibit, & regnum Ipsius quod non peribit*, Dan. VII: 1 ad 14 seq.

718. *Et venit unus ex septem Angelis habentibus septem phialas, & loquutus cum me, significat nunc influxum, & revelationem a Domino ex intimo Cæli de Religioso Catholico Romano.* Hactenus de statu Ecclesiæ Reformatorum in fine ejus, actum est, nunc de statu Religiosi Romano Catholici in fine ejus agitur; hoc etiam sequitur in ordine, de quo in Prologo. Non dicitur Ecclesia Catholica Romana, sed Religiosum Catholico Romanum, quia non adeunt Dominum, nec legunt Verbum, & quia mortuos invocant, & Ecclesia est Ecclesia ex Domino & ex Verbo, & ejus perfectio secundum agnitionem Domini, & secundum intellectum Verbi. Quod unus ex septem Angelis habentibus septem phialas venerit & loquutus sit cum Johanne, est quia per septem Angelos habentes septem phialas, significatur influxus a Domino ex intimo Cæli Christiani in Ecclesiam ad detegendum mala & falsa ibi, videatur supra n. 672. 676. 677. 683. 690. 691. 699. 700, hic itaque per septem illos Angelos significatur Dominus ex intimo Cæli loquens & revelans in quo statu est Religiosum Catholico Romanum in fine ejus: inde etiam est, quod unus ex septem illis Angelis sumserit Johannem super Montem altum, & ostendit-

ſtenderit illi uxorem Agni, quæ eſt Nova Hieroſolyma, Cap. XXI: 9 10.

719. *Dicens mihi, oſtendam tibi judicium Meretricis magnæ ſedentis ſuper aquis multis, ſignificat revelationem de illo Religioſo quaod prophanationes ejus & adulterationes veritatum Verbi:* Per dicere & oſtendere ſignificatur revelatio; per judicium ſignificatur ſtatus ejus in fine ejus; per Meretricem magnam ſignificatur prophanatio ſanctorum Verbi & Eccleſiæ, ac adulteratio boni & veri; per aquas multas ſignificantur veritates Verbi adulteratæ; per ſedere ſuper illis ſignificatur eſſe & vivere in illis: quod per meretricari, mæchari, ſcortari & adulterari, ſignificetur falſificare & adulterare Verbum, videatur ſupra n. 134. 620. 632; & quod per aquas ſignificentur vera ejus, n. 50. 563. 614. 685, hic illa adulterata & prophanata, quia dicitur meretrix ſuper illis; ex his patet, quod per dicens mihi, oſtendam tibi judicium Meretricis magnæ ſedentis ſuper aquis multis, ſignificetur revelatio de illo Religioſo quoad prophanationes ejus & adulterationes veritatum Verbi. Simile dicitur de Babele apud Jeremiam „ *Jehovah faciet id quod loquutus eſt contra habitatores Babelis, quæ habitas ſuper aquis multis, magna theſauris, venit finis tuus, menſura lucri tui* „ Eſaj. LI: 12. 13. Quod dicatur quod ab illis vera Verbi adulterata & prophanata ſint, eſt quia applicuerunt vera Verbi ad obtinendum dominium ſuper ſancta Eccleſiæ & ſuper Cælum, & ad vindicandum ſibi Divinam poteſtatem Domini; & applicare vera Verbi ad obtinendum dominium ſuper Sancta Eccleſiæ & Cæli, eſt adulterare illa; & applicare illa ad vindicandum ſibi Divinam poteſtatem Domini, eſt prophanare. Quod ſua dogmata confirmaverint ex Verbo, notum eſt; ſed lege illa & attende, & videbis quod applicuerint omnia illa, quæ ex Verbo deſumpſerunt, ad dominium ſuper animas hominum, & ad acquirendum ſibi potentiam, auctoritatem & majeſtatem Divinam. Inde eſt quod Babylon dicatur *Mater ſcortationum & abominationum terræ*, Verſ. 5.

720. *Cum qua ſcortati ſunt reges terræ, ſignificat quod adulteraverit vera & bona Eccleſiæ quæ ex Verbo.* Per ſcortari ſignificatur falſificare & adulterare vera; ut mox ſupra n. 719; per reges terræ ſignificantur vera Eccleſiæ quæ ex Verbo, per reges vera ex bono, & per terram Eccleſia: quod per reges ſignificentur illi qui in veris ex bono ſunt ex Domino, & inde abſtracte vera ex bono, videatur ſupra n. 20. 664, hic illa adulterata & prophanata. Dicitur quod Reges Terræ cum Meretrice magna ſcortati ſint, ita ſicut vera Eccleſiæ quæ ex Verbo, quæ ſignificantur per reges terræ; ſed hoc eſt ſecundum ſtylum Verbi in ſenſu literæ, in quo tribuitur Deo ac Divinis quæ ab Ipſo, quæ ſunt vera Verbi, quæ tamen fiunt ab homine & ejus malis, ut ſupra ſæpius; quare genuinus ſenſus, qui eſt ſenſus ſpiritualis, eſt, quod Religioſum illud vera Eccleſiæ, quæ ex Verbo, adulteraverit, imo prophanaverit. Qui non ſenſum Spiritualem Verbi novit, facile poteſt hallucinari, credendo, quod per Reges terræ intelligantur Reges terræ, cum tamen non Reges intelliguntur, ſed Vera ex bono, & in oppoſito ſenſu Falſa ex malo. Ut adhuc videatur, quod per Reges terræ non aliud quam vera aut falſa Eccleſiæ intelligantur, & per Scortationes eorum vera Eccleſiæ, quæ ex Verbo, falſifica-

sificata, adulterata & prophanata, adducentur aliqua loca ex Apocalypsi, & ex Daniele, ex quibus quisque, qui potest reflectere, videre potest, quod non Reges intelligantur; quæ sint „ *Jesus Christus fecit nos Reges & Sacerdotes*, Apoc. I: 6. *Fecisti nos Deo nostro Reges & Sacerdotes, ut regnemus super terra*, Apoc. V: 10. *Comedetis carnes Regum, carnes Chiliarchorum, carnes equorum & sedentium super illis*, Apoc. XIX: 18. *Septem Capita Bestiæ coccineæ septem montes sunt, & Reges septem sunt, quinque ceciderunt & unus est, & Bestia Rex octavus est, & de septem est*, Apoc. XVII: 9. 10. 11. *Decem cornua decem Reges sunt, qui regnum nondum acceperunt*, Apoc. XVII: 12: etiam dicitur sicut hic, *quod Reges terræ cum Meretrice scortati & deliciati sint*, Apoc. XVIII: 3. 9. quis qui potest reflectere, non videt, quod per Reges hic non intelligantur Reges. Similiter apud Danielem, ut, *quod per hircum hirsutum intelligatur Rex, & per cornu ejus magnum inter oculos Rex primus; & cum ad summum venirent prævaricationes, exsurgeret Rex durus faciebus ac intelligens subtilia*, Dan. VIII: 21. 23. *Quod quatuor Bestiæ ascendentes ex mari, essent quatuor Reges qui surgent de terra; & quod decem cornua bestiæ quartæ decem Reges essent, & quod alius surgeret post eos, qui tres Reges humiliabit*, Dan. VII: 17. 24. *Pariter quod Rex meridiei & Rex septentrionis pugnarent inter se; & quod Rex meridiei mitteret filiam suam ad Regem septentrionis; & quod hic Rex exaltaret se contra Deum, & quod Deum alienum agnosceret, & quod illos, qui agnituri illum deum, honoraret auro, argento, lapide pretioso & desiderabilibus, & illos dominari faceret in multos, & terram divideret pretio: & quod plantaret tentoria Tabernaculi sui inter maria, circa montem decoris sanctitatis: sed quod venturus sit ad finem suum*; præter plura alia, Dan. XI: 1 ad fin: per Regem meridiei significatur Regnum seu Ecclesia ab illis qui in veris sunt, & per Regem septentrionis significatur Regnum & Ecclesia ab illis qui in falsis sunt, est enim propheticum de Ecclesiis venturis, quales futuræ in principio, & quales postea. Causa quod qui in veris ex bono a Domino sunt, dicantur Reges, est quia vocantur filii Domini, & quia regenerati sunt ab Ipso, vocantur nati ab Ipso, & quoque hæredes, & quia Dominus est Ipse Rex, ac Cælum & Ecclesia sunt Regnum Ipsius.

721. *Et inebriati sunt ex vino scortationis ejus inhabitantes terram, significat insanitionem in spiritualibus ex adulteratione Verbi apud illos qui in Religioso illo sunt.* Per inebriari vino scortationis, significatur insanire in spiritualibus ex falsificatione veritatum Verbi, hic ex adulteratione illarum; per vinum significatur Divinum Verum Verbi, n. 316: & per scortationem significatur falsificatio & adulteratio ejus, n. 134. 620. 632. 635; inde per inebriari ex illo vino, significatur insanire in spiritualibus; per inhabitantes terram, significantur illi qui in Ecclesia sunt, ut supra Cap. XI: 10. Cap. XII: 12. Cap. XIII: 13. 14. Cap: XIV: 16, hic autem qui in Religioso illo sunt, quoniam non ibi est Ecclesia, ex causa quia non adeunt Dominum, nec legunt Verbum, & quia invocant mortuos, ut supra n. 718. Quod inebriari illo vino significet insanire in spiritualibus, quidem absque confirmatione ex aliis locis in Verbo, videri potest, sed quia plures non vident id, ex eo quod non spiritualiter sed sensua-

ſenſualiter, hoc eſt, materialiter de ſingulis Verbi, dum legunt id, cogitent, velim aliqua loca e Verbo adducere confirmantia, quod inebriari ibi ſignificet inſanire in ſpiritualibus, hoc eſt, in Theologicis; quæ ſint „ *Inebriati ſunt ſine vino, titubant ſine ſicera*, Eſaj. XXIX: 9. *Audi afflicta, Ebria ſed ſine vino*, Eſaj. LI: 21. *Calix auri Babel in manu Jehovæ, Inebrians univerſam terram; de vino ejus biberunt gentes, ideo Inſaniunt gentes*, Jerem. LI: 7. *Sit Babel in ſibilum, cum incaluerint, ponam conviuia illorum, & Inebriabo eos, ut exultent, & dormiant ſomnum ſæculi, nec evigilent*, Jerem. LI: 39. *Cecidit, cecidit Babylon, quia ex vino ſcortationis ſuæ potavit omnes gentes*, Apoc. XIV: 8. Cap. XVIII: 3. *Omnis uter impleatur vino, ecce implebo omnes habitatores terræ hujus, reges, ſacerdotes & prophetas Ebrietate*, Jerem. XIII: 12. 13. *Ebrietate & triſtitia impleberis, calice devaſtationis & deſolationis*, Ezech. XXIII: 32. 33. *Filia Edomi, etiam ad te tranſibit calix, Inebriaberis & revelaberis*, Thren. IV: 21. *Etiam tu Inebriaberis*, Nah. III: 11. *Bibite & Inebriamini, & vomite & cadite, ut non reſurgatis*, Jerem. XXV: 27. *Væ ſapientibus in oculis ſuis, & coram faciebus ſuis intelligentibus, væ heroibus ad bibendum vinum, & viris roboris ad miſcendum ſiceram*, Eſaj. V: 21. 22; præter alibi, ut Eſaj. XIX: 11. 12. 14. Cap. XXIV: 20. Cap. XXVIII: 1. 3. 7. 8. 9. Cap. LVI: 12. Jerem. XXIII: 9. 10. Thren. III. 15. Hoſch. IV: 11. 12. 17. 18. Joel I: 5. 6. 7. Habak. II: 15. Pſalm. LXXV: 19. Pſ. CVII: 27.

722. *Et detulit me in deſertum in ſpiritu, ſignificat in ſtatu ſpirituali delatum ad illos apud quos omnia Eccleſiæ devaſtata ſunt.* Per deſertum ſignificatur Eccleſia, in qua non eſt aliquod verum amplius, ita ubi omnia ejus devaſtata ſunt, n. 546; & per eſſe in ſpiritu, ſignificatur eſſe in ſtatu ſpirituali ex Divino influxu, de quo ſupra n. 36: inde per detulit me in deſertum in ſpiritu, ſignificatur in ſtatu ſpirituali delatum eſſe ad illos apud quos omnia Eccleſiæ devaſtata ſunt.

723. *Et vidi Mulierem ſedentem ſuper Beſtia Coccinea, plena nominibus blaſphemiæ, ſignificat Religioſum illud ſuper Verbo ab illis prophanato.* Per Mulierem ſignificatur Religioſum Catholico Romanum ſeu Babylonicum, nam ſequitur, *ſuper fronte ejus Nomen ſcriptum, myſterium, Babylon magna, mater ſcortationum & abominationum terræ*; quod mulier ſignificet Eccleſiam ex affectione veri, videatur, n. 434, hic Religioſum Romano Catholicum, quod eſt in affectione oppoſita; per Beſtiam Coccineam ſignificatur Verbum, de quo ſequitur; & per plenam nominibus blaſphemiæ, ſignificatur prorſus prophanatum; per blaſphemiam enim ſignificatur negatio Divini Domini in Humano Ipſius, & adulteratio Verbi, n. 571. 582. 692. 716, ita prophanatio; nam qui non agnoſcit Divinum Domini in Humano Ipſius, & falſificat Verbum, ſed non ex propoſito, quidem prophanat, at leviter; ſed qui addicant ſibi omnem potentiam Divini Humani Domini, & propterea negant illud, & qui applicant omnia Verbi ad acquirendum ſibi Dominium ſuper Sancta Eccleſiæ & Cæli, & propterea adulterant Verbum, illi prophanant graviter. Ex his conſtare poteſt, quod per vidi Mulierem ſedentem ſuper Beſtia Coccinea, plena nominibus blaſphemiæ, ſignificetur Religioſum illud ſuper Ver-

bo ab illis prophanato; per Coccineum ſignificatur Verum Verbi ex origine cæleſti. Quod per Beſtiam coccineam ſignificetur Verbum quoad Divinum Verum Cæleſte, ex prima cogitatione apparet ſicut remotum & alienum, imo abſonum, quia vocatur Beſtia; ſed quod per Beſtiam in ſenſu ſpirituali ſignificetur affectio naturalis, & quod dicatur de Verbo, de Eccleſia & de Homine, videatur ſupra n. 239. 405. 567: quod quatuor Animalia, quorum unum erat Leo, alterum Vitulus & quartum Aquila, ſignificent Verbum, & quoque apud Ezechielem vocantur Beſtiæ, n. 239. 275. 286. 672: quod Equus, qui etiam eſt beſtia, ſignificet intellectum Verbi, n. 298. Quod Agnus ſignificet Dominum, quod Ovis hominem Eccleſiæ, & quod Grex ipſam Eccleſiam, notum eſt: hæc allata ſunt, ne quis miretur quod per Beſtiam coccineam ſignificetur Verbum: & quia Religioſum Catholico Romanum ſuper Verbo fundat ſuum robur & ſuam dignitatem, ideo viſa eſt Mulier illa ſedens ſuper Beſtia coccinea, ut prius ſuper aquis multis, Verſ. 1, per quas ſignificantur veritates Verbi adulteratæ & prophanatæ, ſupra n. 729. Quod per Beſtiam illam ſignificetur Verbum, patet manifeſte ex illis quæ de ea in ſequentibus hujus Capitis dicuntur, ut in Verſu 8. *Beſtia, quam vidiſti, erat & non eſt; & mirabantur habitantes ſuper terra, videntes Beſtiam, quæ erat & non eſt, attamen eſt.* In Verſu 11, *Beſtia, quæ erat & non eſt, ipſa Rex octavus eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum abit*, in Verſ. 12. 13. *Quod decem Cornua decem reges ſint, qui potentiam & poteſtatem ſuam Beſtiæ tradent.* In Verſ. 17. *Deus dedit in corda eorum dare Regnum ſuum Beſtiæ.* Talia non poſſunt dici niſi de Verbo.

724. *Habente capita ſeptem, & cornua decem, ſignificat intelligentiam ex Verbo principio ſanctam, poſtea nullam, & tandem inſaniam, ac potentiam ex Verbo continue multam.* Quod Caput ſignificet intelligentiam & ſapientiam cum de Domino & de Verbo, & in oppoſito ſenſu inſaniam & ſtultitiam, videatur ſupra n. 538. 585; quod ſeptem non ſignificent ſeptem, ſed omne illud, & dicantur de re ſancta, n. 10. 391; quod cornu ſignificet potentiam, n. 270, & quod cornua decem ſignificent potentiam multam, n. 539; quod per capita ſeptem ſignificetur intelligentia principio ſancta, poſtea nulla; & tandem inſania, patet a Verſ. 9. 10. hujus Capitis, ubi ab Angelo dicitur quid per Capita ſeptem ſignificatur, de quibus infra. Ex his patet, quod per Beſtiam habentem capita ſeptem & cornua decem, ſignificetur intelligentia ex Verbo principio ſancta, poſtea nulla, & tandem inſania, & potentia ex Verbo continue multa.

725. *Et Mulier circuminduta purpura & coccino, ſignificat Divinum Bonum & Divinum Verum Cæleſte, quæ ſunt Verbi, apud illos.* Per purpuram ſignificatur Divinum Bonum Cæleſte, & per coccinum ſignificatur Divinum Verum Cæleſte, de quibus ſequitur; circumindui illis, ſignificat circum illos eſſe, ita apud illos; quod illa ſint ex Verbo apud illos, eſt quia per Beſtiam coccineam, ſuper qua Mulier ſedebat, ſignificatur Verbum, n. 723: quod Divinum Bonum & Verum Verbi ſit circum illos ſicut indumentum, ita apud illos, notum eſt, adorant enim Verbum ab extra & non ab intra, agnoſcunt

cunt illud, quia agit de Domino, & de Ipsius potestate super Cælum & super Ecclesiam, quam in se transtulerunt; & agit de Clavibus datis Petro, cujus successores se dicunt esse; & quia super his duobus fundatur eorum majestas, dignitas & potestas, ex necessitate sanctitatem Verbi agnoscunt: sed usque est Verbum illis modo sicut Vestis ex purpura & coccino, exque auro, lapide pretioso & margaritis, super Meretrice tenente poculum aureum in manu sua, plenum abominationibus & immunditie scortationis. Quoniam dicitur purpura & coccinum, & dein aurum, lapis pretiosus & margaritæ, & per purpuram & coccinum significatur Divinum Bonum & Verum Cæleste, ac per aurum & lapidem pretiosum Divinum Bonum & Verum spirituale, utrumque ex Verbo, ideo aliquid dicetur de Divino Cælesti & de Divino Spirituali; sunt duo Regna, in quæ universum Cælum Domini distinctum est, Regnum Cæleste & Regnum Spirituale; Regnum Cæleste consistit ex Angelis qui in Amore a Domino sunt, & Regnum spirituale ex Angelis qui in Sapientia a Domino sunt; in unoquovis Regno est Bonum & Verum, Bonum & Verum apud Angelos Regni Cælestis, significatur per purpuram & coccinum, ac Bonum & Verum apud Angelos Regni spiritualis significatur per aurum & lapidem pretiosum; hæc & illa Bona & Vera sunt Angelis a Domino per Verbum; quare in Verbo sunt bini Sensus interiores, Cælestis & Spiritualis: inde nunc est, quod Mulier sedens super Bestia coccinea visa sit circuminduta purpura & coccino, tum inaurata auro, lapide pretioso & margaritis. Simile quod per Mulierem hanc significatur per *Hominem divitem, qui induebatur purpura & bysso, & lautitiis indulgebat quotidie splendide, ad cujus vestibulum projectus est Lazarus, desiderans saturari ex micis cadentibus ex mensa ejus* ,, Luc XVI: 19. 20. 21; per divitem indutum purpura & bysso intelliguntur Judæi, qui habebant Verbum, & per Lazarum intelliguntur Gentes quæ non habebant. Similia significantur in sequentibus his ,, *Qui comederunt lautitias, devastati sunt in plateis, educati super Coccinum, amplexi sunt sterquilinium*, Thren. IV: 5. *Tu ergo vastata quid facies, si indueris te Coccino, si ornaveris te ornatu auri, frustra pulchram te reddes*, Jerem. IV: 30. *Filiæ Israelis supra Schaule flete, qui amicivit vos Coccino cum delicatis, & qui posuit ornatum auri super vestem*, II. Sam. I: 24. *Byssus ex acupictura fuit expansio tua, hyacinthinum & purpura fuit tegumentum tuum*, Ezech. XXVII: 7, ibi de Tyro, per quam significantur cognitiones veri & boni ex Verbo. Quoniam per purpuram & coccinum significantur Bonum & Verum Cæleste, ideo vestes Aharonis, ut & Vela & Aulæa Tabernaculi, contexta erant ex hyacinthino, purpura, coccino & bysso, Exod. XXVI. 4. 31. 36. Cap. XXVII: 16. Cap. XXVIII: 6. 15; quod Aulæa, Exod. XXVI: 1. Quod Velum ante Arcam, Exod. XXVI. 31; quod Tegumentum pro ostio Tentorii, Exod. XXVI: 36. quod Tegumentum portæ atrii, Exod. XXVIII: 16. quod Ephodum, Exod. XXVIII: 6. quod Baltheus, Exod. XXVIII: 8. quod Pectorale judicii, Exod. XXIII: 15. quod Fimbriæ pallii Ephodi, Exod. XXVIII: 33: quod Pannus coccini super panes facierum, Num. IV: 8. Ex his patet, quid per purpuram & coccinum, quibus circuminduta apparuit Mulier sedens super Bestia

coccinea, significatur: similiter in sequentibus, ubi dicitur, *Væ urbs magna, quæ induta fuisti bysso & purpura & coccino, inaurata auro & lapide pretioso & margaritis; quia una hora devastatæ sunt tantæ divitiæ*, Apoc. XVIII: 16. 17. & quod purpura & coccinum, aurum, lapis pretiosus & margaritæ, essent inter merces Babylonis, Apoc. XVIII: 12.

726. *Et inaurata auro & lapide pretioso, significat Divinum Bonum & Divinum Verum spirituale, quæ sunt Verbi, apud illos.* Per Aurum significatur Bonum, n. 211; per lapidem pretiosum significatur Verum, n. 231. 540. 570, utrumque Verbi: quod bonum & verum spirituale significetur, est quia per purpuram & coccinum significatur bonum & verum cæleste, ac utrumque in Verbo conjungitur propter conjugium boni & veri ibi, n. 106, ac bonum & verum cæleste, quia sunt amoris, sunt in sua essentia boni, ac bonum & verum spirituale, quia sunt sapientiæ, sunt in sua essentia verum; quod bonum & verum cæleste sint amoris, ac bonum & verum spirituale sint sapientiæ, videatur supra n. 725. Quid præterea intelligitur per quod Mulier hæc apparuerit ita circuminduta & inaurata, videatur in præcedente Articulo.

727. *Et margaritis, significat cognitiones boni & veri, quæ sunt Verbi, apud illos.* Per margaritas in sensu spirituali, significantur cognitiones boni & veri tam cælestis quam spiritualis, quæ ex Verbo sunt, in specie ex sensu literæ ejus, & quia margaritæ significant illas cognitiones, ideo nominantur post purpuram & coccinum, ac post aurum & lapidem pretiosum. Eædem cognitiones significantur per Margaritas in his locis „ *Simile est Regnum cælorum negotiatori quærenti pulchras Margaritas, qui cum invenisset unam pretiosam Margaritam, abiens vendidit omnia quæ habuit, & emit illam*, Matth. XIII: 45. 46; per hanc significatur cognitio de Domino. *Duodecim portæ Muri Novæ Hierosolymæ duodecim Margaritæ, unaquævis portarum erat una Margarita*, Apoc. XXI: 21; portæ Novæ Hierosolymæ significant introitum in Novam Ecclesiam, ac introitus fit per cognitiones boni & veri ex Verbo. *Ne projicite Margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus, & lacerent vos*, Luc. VII: 6, per porcos significantur qui solum opes mundanas amant, & non opes spirituales, quæ sunt cognitiones boni & veri ex Verbo. Quia per Babylonem significatur Religiosum, a quo omnes cognitiones boni & veri ex Verbo projectæ sunt, dicitur de illa „ *Mercatores terræ flebunt & plangent super Babylone, quod merces eorum nemo emat, Merces auri & argenti, lapidis pretiosi, & Margaritæ*, Apoc. XVIII: 12.

728. *Habens aureum poculum in manu sua, plenum abominationibus & immunditie scortationis ejus, significat Religiosum illud ex sanctis Verbi prophanatis, & ex bonis & veris ejus per dira falsa conspurcatis.* Quod per poculum seu calicem simile significetur quod per vinum, quia est continens, videatur supra n. 672, & per vinum Babylonis significatur Religiosum illud quoad dira ejus falsa, n. 632. 635; per abominationes significantur prophanationes Sancti; & per immunditiem scortationis significantur conspurcationes boni & veri Verbi; inde per habens aureum poculum in manu sua plenum abominationibus & immunditie scortationis ejus, significatur Religiosum illud consistens

ex

ex fanctis Ecclesiæ prophanatis, & ex bonis & veris Verbi per dira falsa conspurcatis. Hæc similia sunt illis quæ Dominus dixit ad Scribas & Pharisæos ,, *Væ vobis hypocritæ, quia similes vos facitis sepulchris dealbatis, quæ foris quidem apparent pulchra, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni immunditie*, Matth. XXIII: 27.

729. *Super fronte ejus scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater scortationum & abominationum terræ, significat Religiosum Catholico Romanum quale est interius quod reconditum, quod ex ortu suo ab Amore dominandi ex amore sui super sancta Ecclesiæ & super cælum, ita super omnia Domini & Verbi Ipsius, conspurcaverit & prophanaverit illa quæ Verbi & inde Ecclesiæ sunt.* Per scriptum in fronte, significatur insitum amori, frons enim significat amorem, n. 347. 605; per mysterium, significatur quod interius est reconditum; per Babylonem magnam, significatur Religiosum Catholico Romanum, & omne quale ejus, ut supra n. 717; per scortationes significantur adulterationes boni & veri Verbi; n. 719. 720. 721, & quoque conspurcationes eorum, ut mox supra n. 728, per abominationes significantur prophanationes sanctorum Ecclesiæ, ut quoque mox supra, n. 728; per terram significatur Ecclesia, n. 285; inde per matrem scortationum & abominationum terræ, significatur ortus illarum: nunc quia illa verba in fronte ejus scripta sunt, & per scriptum in fronte significatur insitum amori, & amor illorum est amor dominandi ex amore sui super omnia Ecclesiæ & super Cælum, ita super omnia Domini & Verbi Ipsius, ideo hoc significatur. Ex his videri potest, quod per super fronte ejus scriptum, mysterium, Babylon magna, mater scortationnm & abominationum terræ, significetur Religiosum Catholico Romanum quale est interius quod reconditum, quod ex ortu suo ab amore dominandi ex amore sui super sancta Ecclesiæ & super Cælum, ita super omnia Domini & Verbi Ipsius, conspurcaverit & prophanaverit illa quæ Verbi & inde Ecclesiæ sunt. Quod sit amor dominandi super omnia Ecclesiæ, notum est ex jure sibi vindicato super animas hominum, & super omnia cultus illorum; quod super cælum, notum est ex potestate assumpta solvendi & ligandi, & sic aperiendi & claudendi; quod super omnia Domini, notum est ex Vicariatu, per quem sibi attribuunt omnia Ipsius; quod super omnia Verbi, etiam notum est ex reservata sibi solis interpretatione ejus. Dicitur amor dominandi ex amore sui, quia etiam datur amor dominandi ex amore usuum, qui bini amores sunt sibi e diametro oppositi; amor enim dominandi ex amore sui est diabolicus, spectat enim se solum & mundum propter se; at amor dominandi ex amore usuum est cælestis, spectat enim Dominum, a Quo omnia quæ procedunt sunt usus, ac usus ei sunt facere bonum Ecclesiæ propter salutem animarum; quare hic amor abominatur amorem dominandi ex amore sui.

730. *Et vidi mulierem inebriatam ex sanguine sanctorum & ex sanguine testium Jesu, significat Religiosum illud insaniens ex adulteratis & prophanatis Divinis Veris & Bonis Domini, Verbi & inde Ecclesiæ.* Per Mulierem significatur Religiosum illud, ut supra n. 723. 725; per inebriari significatur insanire in spiritualibus, n. 721; per sanguinem significatur falsificatio, adulteratio & pro-

pha-

phanatio Verbi, n. 327. 379. 681. 684; per ſanctos, ſignificantur illi qui a Domino per Verbum in Divinis Veris ſunt, & abſtracte Divina vera Domini, Verbi & inde Eccleſiæ, n. 173. 586. 666; per teſtes Jeſu, ſignificantur abſtracte vera & bona a Domino per Verbum in Eccleſia n. 6. 16. 490. 506.
668 669, hic illa prophanata, quia dicitur ſanguis martyrum ſeu teſtium Jeſu, & de Babylone, per quam etiam ſignificatur prophanatio boni & veri Verbi & Eccleſiæ, n. 717. 718. Ex his conſtat, quod per vidi mulierem inebriatam ex ſanguine ſanctorum & ex ſanguine teſtium Jeſu, ſignificetur Religioſum illud inſaniens ex adulteratis & prophanatis Divinis veris & bonis Domini, Verbi & inde Eccleſiæ.

731. *Et admiratus ſum videns illam admiratione magna*, *ſignificat ſtuporem quod Religioſum illud tale ſit interius*, *cum tamen aliter apparet exterius.* Admirari admiratione magna eſt obſtupeſcere valde; videns illam, ſignificat quod Mulier, hoc eſt, Religioſum, tale ſit interius, cum tamen aliter apparet exterius: obſtupuit enim, quod videret Mulierem ſedentem ſuper beſtia coccinea indutam purpura & coccino, inauratam auro, lapide pretioſo & margaritis, habentem poculum aureum in manu ſua, quæ erant apparentiæ ejus in externis, & tamen poculum erat plenum abominatione & immunditie ſcortationis; ac in fronte vidit ſcriptum, *Mater ſcortationum & abominationum terræ*, quæ ſunt interna ejus. Hæc a Johanne dicta ſunt, quia unuſquiſque etiam hodie non poteſt non obſtupeſcere, cum videt Religioſum illud tam ſanctum & ſplendidum in externis, & non novit quod tam prophanum & abominabile ſit in internis.

v. 7 732. *Et dixit mihi Angelus*, *quare admiraris; ego tibi dicam myſterium Mulieris & Beſtiæ portantis illam*, *habentis ſeptem capita & decem cornua*, *ſignificat detectum*, *quid illa quæ præcedunt & viſa ſunt*, *ſignificant.* Hæc non opus habent ulteriore explicatione.

v. 8. 733. *Beſtia*, *quam vidiſti*, *erat & non eſt*, *ſignificat Verbum apud illos pro ſancto agnitum*, *& tamen realiter non agnitum.* Quod per Beſtiam ſignificetur Verbum, videatur ſupra n. 723; per erat & non eſt, ſignificatur illud pro ſancto agnitum, & tamen realiter non agnitum. Quod Verbum apud illos fuerit, & quoque ſit, & tamen quod non ſit, notum eſt; agnoſcitur quidem pro ſancto, quia agit de Domino, & de Ipſius poteſtate ſuper Eccleſiam & ſuper Cælum, ac de Petro & ejus clavibus, ſed uſque non agnoſcitur, non enim legitur a populo, quia ab illo legendo detinetur, & per varia a Monachis figmenta abducitur, imo etiam prohibetur, & ſolummodo cuſtoditur in Bibliothecis & Monaſteriis, ubi etiam pauci id legunt, minus ad aliquod verum inibi attendunt; ſed modo ad dictata Papæ, quæ dicunt in ſimili ſanctitate eſſe; imo quando ex corde loquuntur, vituperant & blaſphemant Verbum. Ex his conſtare poteſt, quod per Beſtiam quæ erat & non eſt, ſignificetur Verbum apud illos pro ſancto agnitum, & tamen realiter non agnitum.

734. *Et futura eſt aſcendere ex abyſſo*, *& in interitum abire*, *ſignificat deliberatum in Conſiſtorio Papali aliquoties de receptione & lectione Verbi a Laicis & vulgo*, *ſed rejectum.* Per Beſtiam quæ futura eſt aſcendere, ſignificatur Verbum,

bum, ut fupra n. 723. 733; per abyffum ex quo futura eft afcendere, non aliud fignificari poteft, quam Religiofum illud, & præcipue ubi Thronus ejus eft, ita Confiftorium Papale; caufa quod fit abyffus, eft quia id quod ibi decernitur, fpectat dominium fuper Sancta Ecclefiæ & fuper Cælum, ita fuper omnia Domini & Verbi Ipfius, n. 729, hæc ut effentialia pro fine habent, at bonum Ecclefiæ & falutem animarum ut formalia pro mediis ad finem; per abire ad interitum, fignificatur rejici. Quod aliquoties ibi deliberatum fit de receptione & lectione Verbi a laicis & vulgo, at rejectum, ex Hiftoria Ecclefiaftica notum eft; propofitum etiam eft a Pontifice qui nunc inter Reformatos & beatos eft, de quo in CONTINUATIONE DE MUNDO SPIRITUALI, n. 59, fed non acceptatum; & imprimis hoc notum eft ex Bulla Unigenitus, & præterea ex Conciliis.

735. *Et mirabuntur habitantes fuper terra, quorum non fcripta nomina in Libro vitæ a fundatione mundi, videntes beftiam quæ erat & non eft, attamen eft, fignificat obftupefcentiam illorum qui e Religiofo illo funt, omnes qui ab inftauratione ejus affectarunt dominium fuper Cælum & Terram, quod Verbum, tametfi ita rejectum eft, ufque fit.* Per mirari fignificatur obftupefcere; per habitantes fuper terra, fignificantur qui ab Ecclefia funt, hic qui ex Religiofo illo, ut fupra n. 721; quorum nomina non fcripta funt in libro vitæ a fundatione mundi, fignificat qui non credunt in Dominum, & non in doctrina funt ex Verbo, omnes ab inftauratione Ecclefiæ, hic ab inftauratione hujus Religiofi, n. 588. 589, & hi non alii funt quam qui affectant dominium fuper Cælum & fuper Terram; per beftiam quæ erat & non eft, attamen eft, fignificatur quod Verbum ita rejectum, ufque fit. Ex his patet, quod per mirabuntur habitantes fuper terra, quorum non fcripta nomina in libro vitæ a fundatione mundi, videntes beftiam, quæ erat & non eft, attamen eft, fignificetur obftupefcentia illorum qui e Religiofo illo funt, omnes qui ab inftauratione ejus, affectarunt dominium fuper Cælum & terram, quod Verbum, tametfi ita rejectum eft, ufque fit: omnes enim qui affectant dominium fuper fancta Ecclefiæ & fuper Cælum, odio habent Verbum, quia odio habent Dominum, fi non ore ufque corde; quod ita fit, pauci fciunt in mundo, quia tunc in corpore funt, at manifeftatur poft mortem, dum quifque in fuo fpiritu eft: inde eft, quod mirentur, quod ufque Verbum fit, tametfi rejectum ita, ut fupra n. 734 dictum eft. Quod Verbum ufque fit, eft quia eft Divinum, & Dominus in illo.

v. 9 736. *Hæc mens, habens fapientiam, fignificat quod hæc interpretatio fit in fenfu naturali, fed pro illis qui in fenfu fpirituali a Domino funt.* Hæc mens, fignificat quod hoc fit intellectus & interpretatio illorum quæ vifa funt; habens fapientiam, fignificat pro illis, qui interius fapiunt: quod fit interpretatio in fenfu naturali pro illis qui in fenfu fpirituali funt, eft quia interpretatio ab Angelo facta eft in fenfu naturali & non in fpirituali, dixit enim quod feptem capita Beftiæ feptem montes effent, & quoque quod feptem reges fint, & quod ex illis unus fit, & alter nondum venerit, tum quod Beftia fit Octavus & de feptem, præter plura quæ fequuntur ufque ad finem Capitis; & hæc non poffunt intelligi nifi ab illis qui in fenfu fpirituali a Domino funt, ideo id per haben-

tem ſapientiam ſignificatur. Quod interpretatio ab Angelo facta ſit in ſenſu naturali & non in ſpirituali, eſt quia ſenſus naturalis eſt baſis, continens & firmamentum ſenſus ſpiritualis & cæleſtis ejus, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 27 ad 49; quare etiam interpretationes alibi in Verbo datæ ſunt in ſenſu naturali, quæ uſque non poſſunt interius intelligi niſi per ſenſum ſpiritualem, ut videri poteſt apud Prophetas, & quoque apud Evangeliſtas multis in locis.

737. *Septem Capita Montes ſunt ſeptem, ubi Mulier ſedet ſuper illis, & Reges ſeptem ſunt, ſignificat Divina Bona & Divina Vera Verbi, ſuper quibus Religioſum Catholico Romanum fundatum eſt, tempore deſtructa & tandem prophanata.* Quoniam per Beſtiam coccineam ſignificatur Verbum, & ideo per Capita ejus ſignificantur bona amoris & vera ſapientiæ ibi, quare Verbum, quale eſt quoad illa duo apud illos qui per Babylonem intelliguntur, hic deſcribitur, Divinum Bonum amoris ibi per Montes, & Divinum Verum ibi per Reges; quod per Montes ſignificentur bona amoris, videatur n. 336. 339. 714; & quod per Reges ſignificentur vera ſapientiæ, n. 20. 664. 604; & quod per Caput, dum de Domino, ſignificetur Divinus Amor Divinæ ſapientiæ ac Divina Sapientia Divini Amoris Ipſius, n. 47. 538. 565; & quod per ſeptem ſignificetur omne & completum, & quod dicantur de rebus ſanctis, n. 10. 391. 657; & quod per Mulierem ſignificetur Religioſum Catholico Romanum, n. 723: inde nunc per ſeptem capita montes ſunt ſeptem, ubi Mulier ſedet ſuper illis, ſignificantur Divina Bona & Divina Vera Verbi, ſuper quibus Religioſum Catholico Romanum fundatum eſt, cauſa eſt, quia ab illo Religioſo totum Verbum prophanatum & adulteratum eſt, de quo ſupra n. 717. 719. 720. 721. 723. 728. 729. 730. Dicitur tempore prophanatum, quoniam principio fuit Verbum illis Sanctum, ſed ſicut viderunt ſe potuiſſe dominari per Sancta Eccleſiæ, a Verbo receſſerunt, ac pro ſancto æquali, at realiter ſuperiori, agnoverunt propria Edicta, Præcepta & Statuta; & tandem omnem poteſtatem Domini in ſe tranſtulerunt, non relinquendo aliquid: ex ſtatu illorum primo, quando ſanctum habuerunt Verbum, eſt quod Lucifer, per quem intelligitur Babel, n. 717, dictus ſit filius auroræ, at ex ſtatu poſteriori, quod demiſſus ſit in infernum, Eſaj. XIV; ſed de hoc videantur plura in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 257. Videri poteſt, ſicut per Montes ſeptem, ubi Mulier ſedet, intelligatur Roma, quia illa ſuper ſeptem montibus eſt ædificata, a quibus etiam nomen habet; ſed ſit quod Roma intelligatur, quoniam ibi eſt Thronus & Tribunal illius Religioſi, uſque tamen per Montes ſeptem hic ſignificantur Divina Bona Verbi & inde Eccleſiæ, prophanata, nam numerus ſeptem non aliud quam ſanctum, hic quod prophanatum eſt, adjicit, ſicut idem numerus alibi; ut quod dicantur *Septem Spiritus coram Throno Dei*, Apoc. I: 4. *Septem Candelabra, in quorum medio Filius hominis*, Apoc. I: 13. Cap. II: 1. *Septem ſtellæ*, Apoc. II: 1. Cap. III: 1. *Septem lampades ignis coram Throno*, Apoc. IV: 5. *Septem ſigilla, quibus Liber obſignatus eſt*, Apoc. V: 1. *Septem cornua & ſeptem oculi Agni*, Apoc. IV: 6. *Septem Angeli*

cum

cum ſeptem tubis, Apoc. VIII: 2. *Septem tonitrua*, Apoc. X: 3. 4. *Septem Angeli habentes ſeptem plagas in phialis*, Apoc. XV. 1. 6. 7. Similiter hic quod Beſtia coccinea haberet *ſeptem Capita*, & quod ſeptem Capita eſſent *ſeptem Montes*, & quoque eſſent *ſeptem Reges.*

738. *Quinque ceciderunt, & Unus eſt, & Alter nondum venit, & quando venerit, brevi illum oportet manere, ſignificat quod omnia Divina vera Verbi deſtructa ſint, præter unum hoc, quod Domino data ſit omnis poteſtas in Cælo & in Terra; & præter alterum, quod nondum in quæſtionem venit, & cum venit, non permanſurum eſt, quod eſt quod Humanum Domini ſit Divinum.* Per quinque non ſignificantur quinque, ſed omnia reliqua, hic omnia reliqua Divina Vera Verbi, quæ per Reges ſignificantur; nam numeri in Apocalypſi, & in genere in Verbo, ſignificant quale rerum, cum quibus copulantur, ſunt ſicut quædam adjectiva copulata ſubſtantivis, aut ſicut quædam prædicata adjuncta ſubjectis, ut videri poteſt ex numeris, duo, tria, quatuor, ſex, ſeptem, decem, duodecim, centum quadraginta quatuor, de quibus ſupra; hic itaque quinque ſignificant omnia reliqua, quia ſeptem omnia ſancta Verbi, & ſequitur quod unus ſit, & quod alter venturus ſit, ita quod duo ſint ex omnibus quæ remanſerunt; inde patet, quod per quinque ceciderunt, ſignificetur quod omnia reliqua deſtructa ſint; dicitur cadere, quia de Regibus qui gladio cadunt; per UNUS EST, non aliud ſignificatur, quam hoc Divinum Verum, quod DOMINO DATA SIT OMNIS POTESTAS IN CÆLO ET IN TERRA, ſecundum Ipſius Domini verba, Matth. XXVIII: 18. Joh. XIII: 3. Cap. XVII: 2. 3. 10, videatur ſupra 618: quod hoc unum non deſtructum ſit, eſt quia alioquin non potuerunt addicare ſibi dominium ſuper omnia Eccleſiæ & Verbi & ſuper Cælum. Per Alterum, qui nondum venit, & quando venerit, brevi illum oportet manere, ſignificatur Divinum Verum quod nondum in quæſtionem venit, & cum venit, non apud illos permanſurum eſt, quod eſt, quod HUMANUM DOMINI SIT DIVINUM: dicitur brevi oportet manere, quia eſt ſecundum Divinam Providentiam, de qua ſupra n. 686. Quod Divinum Verum ſit, quod Humanum Domini ſit Divinum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, a principio ad finem. At quod nondum in quæſtionem venerit, eſt quia poſtquam in ſe tranſtulerunt omnem poteſtatem Domini, non potuerunt agnoſcere Humanum Domini pro Divino, quia tunc diceretur a laicis & vulgo, quod in ſe tranſtulerint Divinam Poteſtatem, & ſic quod ipſe Pontifex eſſet Deus, & ejus miniſtri eſſent dii: ſed quod uſque hoc in quæſtionem venturum ſit, conſtare poteſt ex eo, quod hic in Apocalypſi prædictum ſit. „ Quod hoc
„ Alterum, quod eſt quod Humanum Domini ſit Divinum, viderint, tamet-
„ ſi ſicut clauſis oculis, patet ex his apud illos, quod dicant quod in Eucha-
„ riſtia non ſolum ſit Corpus & Sanguis Domini ſed etiam Anima & Divinitas
„ Ipſius, ita quod ſit Omnipræſentia tam Humani quam Divini Ipſius, & Hu-
„ manum non poteſt Omnipræſens eſſe, niſi ſit Divinum: tum quod dicant,
„ quod Chriſtus quoad Corpus & Sanguinem, & ſimul quoad Animam & Divi-
„ nitatem per Euchariſtiam in illis ſit, & illi in Ipſo ſint, & hoc dicitur de

„ Humano Ipſius; quod non poteſt dici, quia non dari, niſi Humanum Ipſius ſit Divinum: præter illa etiam dicunt, quod Sancti cum Chriſto regnent, & quod Chriſtus adorandus ſit, & quod Sancti invocandi & venerandi, tum quod Chriſtus ſit vera Lux, & quod in Ipſo vivant & mereantur, & ſimilia alia, quæ involvunt Divinitatem Humani Ipſius: hæc ex Concilio Tridentino & ex Bulla: ita quod, ſicut dictum eſt, videant illud verum, ſed tanquam clauſis oculis.

V. 11 739. *Et Beſtia quæ erat & non eſt, ipſa octavus eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum abit, ſignificat quod Verbum, de quo prius, ſit ipſum Divinum Bonum, & quod ſit Divinum Verum, & quod auferatur Laicis & Vulgo, ne prophanationes & adulterationes ibi ab Anteſignanis factæ appareant, & illi propterea recedant.* Per Beſtiam quæ erat & non eſt, ſignificatur Verbum, ut prius Verſ. 8; per quod ipſa Octavus ſit, hic Octavus Mons, ſignificatur quod ſit ipſum Divinum Bonum, per ſeptem montes enim ſignificantur Divina Bona Verbi, n. 737; inde per quod ipſa Beſtia ſit Octavus Mons, ſignificatur quod ſit ipſum Divinum Bonum; per octavum etiam ſignificatur Bonum; & quia omnia bona Verbi apud illos prophanata ſunt, non dicitur ipſa de ſeptem montibus, ſicut mox de ſeptem regibus, per quos ſignificantur Divina Vera Verbi, quorum non omnia adulterata ſunt, n. 737. 738: ex his paucis videri poteſt arcanum, quod in his verbis reconditum latet; per quod in interitum abeat, ſignificatur quod rejiciatur, ut ſupra n. 734; at quia Verbum non ita rejicitur, quin agnoſcatur pro ſancto, ſed a laicis & vulgo aufertur, ne prophanationes boni & adulterationes veri ibi ab Anteſignanis factæ appareant, & laici propterea recedant, quare hoc, quia eſt ipſa cauſa, per abire in interitum ſignificatur. Quod Verbum ſit ipſum Divinum Bonum & Divinum Verum, eſt quia in omnibus & ſingulis ejus eſt conjugium Domini & Eccleſiæ, & inde conjugium boni & veri; tum quia in ſingulis ejus eſt ſenſus cæleſtis & ſenſus ſpiritualis, & in ſenſu cæleſti eſt Divinum Bonum, ac in ſenſu ſpirituali eſt Divinum Verum; & hæc ſunt in Verbo, quia Dominus eſt Verbum; quæ omnia in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, Amſtelodami edita, demonſtrata ſunt.

[Vers. 12] [? quae vidisti,] 740. *Et decem cornua decem Reges ſunt, qui regnum nondum acceperunt, ſignificat Verbum quoad potentiam ex Divinis veris apud illos qui in Regno Galliæ ſunt, & non ita ſub jugo Dominii papalis ſunt, apud quos tamen nondum Eccleſia ita ſeparata a Religioſo Catholico Romano facta eſt.* Quod hæc de illis in Galliæ Regno dicta ſint, conſtare poteſt ex ſerie rerum in ſenſu ſpirituali; agitur enim nunc de receptione Verbi ab illis qui in Chriſtiano Orbe ſunt; de receptione Verbi & inde ſtatu Eccleſiæ apud Romano Catholicos Verſ. 9. 10. 11: de receptione Verbi & inde ſtatu Eccleſiæ apud illos, qui Religioſo iſti niſi ſolum quoad externa addicti ſunt, qui ſunt in Regno Galliæ imprimis, Verſ. 12. 13. 14. De reliquis qui quidem Religioſum illud profitentur ſed uſque in variis diſſentiunt, Verſ. 15: & de Proteſtantibus ſeu Reformatis, qui a Religioſo illo plane receſſerunt, Verſ. 16. 17. Sed quod de his & illis hic agatur, prorſus non ſciri poteſt, niſi ſciatur, quod per Beſtiam Coccineam intelligatur Ver-

Verbum, & quod Ecclesia sit secundum receptionem Verbi: quod per Bestiam coccineam intelligatur Verbum, videatur supra n. 723; & quod Ecclesia sit Ecclesia ex Verbo & secundum intellectum ejus, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 76 ad 79. Per Cornua, hic cornua Bestiæ, significatur potentia Verbi, & per decem cornua multa potentia, hic Divina potentia, quia est Domini per Verbum: quod cornua significent potentiam, & decem cornua multam potentiam, videatur supra n. 270. 539. 724; quod per Reges significentur illi qui in Divinis veris ex Verbo sunt, & abstracte Divina Vera ibi, n. 20. 664. 704, & quod per decem non intelligantur decem, sed multi ac multa, n. 101; per Regnum significatur Ecclesia ex Verbo, quia per Reges significantur qui in Divinis Veris ex Verbo sunt, & abstracte Divina Vera ibi; inde per Regnum nondum acceperunt, significatur apud quos nondum Ecclesia ita separata a Religioso Catholico Romano facta est. Ex his videri potest, quod per decem cornua decem Reges sunt, qui Regnum nondum acceperunt, significetur Verbum, quoad potentiam ex Divinis Veris, apud illos qui in Regno Galliæ sunt, & alicubi alibi, etiam qui Jansenistæ vocantur, & non ita sub jugo Dominii papalis sunt, apud quos tamen nondum Ecclesia ita separata a Religioso Catholico Romano facta est. Dicitur Ecclesia apud illos in Regno Galliæ nondum separata a Religioso Catholico Romano, quia cohæret cum illo in externis, sed non ita in internis, Externa sunt formalia ac Interna sunt essentialia; quod adhuc ibi cohæreant, est quia tot ibi Monasteria sunt, & quia Sacerdotia ibi sub jure Pontificis sunt, & hi in omni formali sunt secundum edicta est statuta Papalia, & inde permulti adhuc in essentialibus Religiosi istius sunt, quare Ecclesia ibi separata nondum est: hoc est, quod significatur per quod Regnum nondum acceperint. it/

741. *Sed potestatem tanquam Reges unam horam accipiunt cum Bestia, significat quod Verbum apud illos valeat, & illi per Verbum, sicut in Divinis veris ejus essent.* Per accipere potestatem cum bestia, significatur una valere cum Verbo, ita quod Verbum apud illos valeat, ac illi per Verbum valeant; per potestatem accipere significatur valere, & per Bestiam significatur Verbum, n. 723; per tanquam reges, significatur sicut in Divinis veris ex Verbo essent; quod per Reges significentur qui in Divinis veris ex Verbo sunt, & abstracte Divina Vera ibi, n. 20. 664. 704. 740; per unam horam significatur aliquamdiu, & quoque aliquantum: ex his patet, quod per potestatem tanquam Reges unam horam accipiunt cum bestia, significetur quod Verbum apud illos valeat & illi per Verbum, sicut in Divinis veris ejus essent. Hæc dicta sunt, quia agnoscunt quod Verbum sit Divinitus inspiratum, & inde quod Ecclesia sit Ecclesia ex Verbo; sed usque Divina Vera ex illo non adhuc hauriunt, modo hæc communia, quod Solus Deus colendus sit, & quod non aliquis homo sicut Deus; & quod potestas Petro data non in se sit Divina, & quod tamen Divinum sit aperire & claudere Cælum, quod non in hominis propria potestate est; hæc confirmant apud se ex Verbo; sed coram aliis, qui non audiunt Verbum, ex rationalitate, quæ apud unumquemvis, qui in veris

vult esse, ex continuo influxu e cælo datur: quod non ulterius progrediantur, & ex Verbo hauriant doctrinalia fidei & vitæ, est ex Divina Domini Providentia, quia in externis seu formalibus adhuc cohærent cum Religioso Catholico Romano, ne verum & falsum commisceantur, & inde luctatio interior, quæ est sicut fermentatio quæ turbat, exoriatur.

742. *Hi unam sententiam habent, & potentiam & potestatem suam Bestiæ tradent, significat quod illi unanimiter agnoscant, quod regimen & dominium super Ecclesiam unice sit per Verbum.* Per unam sententiam habere, significatur unanimiter agnoscere; per potentiam & potestatem Bestiæ tradere, significatur regimen & dominium super Ecclesiam addicare Verbo; quod sit regimen & dominium super Ecclesiam, est quoniam de illa, quia de Verbo, agitur: ex his patet, quod per hi unam sententiam habent, & potentiam & potestatem suam Bestiæ tradent, significetur quod illi unanimiter agnoscant quod regimen & dominium super Ecclesiam unice sit per Verbum. Agnoscunt quidem Pontificem ut Caput Ecclesiæ, sed regimen & dominium ejus super Ecclesiam non sicut est Capitis super Corpus, sed sicut est Supremum supra Corpus, quod non regit & dominatur ex se, sed ex Deo per Verbum, & quod tunc obediendum sit: consequenter quod interpretatio Verbi non sit Illi Soli ex arbitrio, ut fit, quia sic pervertitur & perit Divina auctoritas Verbi.

743. *Hi cum Agno pugnabunt, sed Agnus vincet eos, quia Dominus dominorum est & Rex regum, significat pugnam Domini cum illis de agnitione Divini Humani Ipsius, quia Dominus in Illo est Deus Cæli & Terræ & quoque Verbum.* Per pugnam illorum cum Domino & Domini cum illis, non intelligitur pugna qualis est a malis & cum malis, sed qualis est ab illis & cum illis, qui nondum in veris sunt de Domino; per Agnum intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum & quoque quoad Verbum, n. 269. 291. 595; & per vincere illos significatur convincere per Verbum; quia est Dominus dominorum & Rex regum, significat quia est Deus Cæli & Terræ, ex Dominio Ipsius super omnia Bona Cæli & Ecclesiæ vocatur Ipse Dominus dominorum, & ex Regno Ipsius super omnia Vera Cæli & Ecclesiæ vocatur Ipse Rex regum, n. 664: ex his patet, quod per hi pugnabunt cum Agno, & Agnus vincet eos, quia est Dominus dominorum & Rex regum, significetur pugna Domini cum illis de agnitione Divini Humani Domini, quia Dominus in Divino Humano suo est Deus Cæli & Terræ. Quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, Ipse manifestis verbis docet, nam dicit „ *Omnia quæcunque Pater habet, Mea sunt,* Joh. XII: 45. *Pater dedit omnia in manum Filii,* Joh. III: 35. 36. Cap. XIII: 3. *Pater dedisti Mihi potestatem omnis carnis: omnia Mea, Tua sunt & Tua Mea,* Joh. XVII. 2. 3. 10. *Data est Mihi omnis potestas in Cælo & in Terra,* Matth. XXVIII: 18. *Ego sum Via, Veritas & Vita, nemo venit ad Patrem nisi per Me: qui cognoscit & videt Me, cognoscit & videt Patrem, quia Ego in Patre, & Pater in Me,* Joh. XIV: 6 ad 11. *Pater & Ego unum sumus,* Joh. X: 30. *Quod omnis qui credit in Dominum, vitam æternam habeat & qui non credit in Ipsum, non videat vitam,* Joh. III: 15. 17. 18. 36. Cap. VI: 47. Cap. XXV: 26, & alibi. Quis non scit, quod Dominus conceptus

sit

ſit a Deo Patre, Luc. I: 34. 35; & quis non inde ſcire poteſt, quod Deus Pater, qui eſt Jehovah, ſuſceperit Humanum in mundo, & inde quod Humanum ſit Humanum Dei Patris, & ſic quod Deus Pater & Ipſe ſint unum, ſicut Anima & Corpus unum ſunt: num itaque aliquis poteſt adire Animam hominis, & inde deſcendere ad Corpus ejus, annon Humanum ejus adeundum eſt, & tunc Anima ejus aditur. Per hæc & per plura alia, quæ in Verbo ſunt, Agnus vincet illos; quare quia deſierunt colere Papam, colant Ipſum à Quo Papa ſe dicit habere omnem poteſtatem ſuper Eccleſiam & Cælum, Papa eſt homo, & Dominus eſt Deus, & Deus ſolus adeundus, invocandus & adorandus, hoc eſt, colendus eſt. Eſt Dominus ſolus Sanctus qui invocandus Apoc. XV: 4. Scio quod cogitaturi ſint, quomodo poteſt Johovah Pater, Qui eſt Creator Univerſi, deſcendere & aſſumere Humanum; ſed cogitent etiam, quomodo poteſt Filius ab æterno, Qui eſt æqualis Patri, & quoque Creator Univerſi, id facere, eſtne eadem res: dicitur Pater & Filius ab æterno, ſed non eſt aliquis Filius ab æterno, eſt Divinum Humanum, quod vocatur Filius miſſus in mundum, Luc. I: 34. 35. Sed de his videatur infra n. 990.

744. *Et qui cum Ipſo, vocati, electi & fideles, ſignificat quod qui Dominum Solum adeunt & colunt, ſint qui in Cælum veniunt, tam qui in Eccleſiæ externis ſunt, quam qui in ejus internis & intimis ſunt.* Qui cum Ipſo, ſignificat qui Dominum adeunt, illi enim cum Ipſo ſunt; per vocatos, electos & fideles, ſignificantur qui in Eccleſiæ externis, internis & intimis ſunt, qui quia in Domino ſunt, in Cælum veniunt. Per vocatos, quidem intelliguntur omnes, quia omnes vocati ſunt, ſed per vocatos qui cum Domino, intelliguntur, qui in Cælo cum Domino ſunt, ſicut vocantur omnes qui in nuptiis cum Sponſo ſunt; per electos non intelligitur quod aliqui ſint electi ex prædeſtinatione, ſed qui cum Domino ſunt, vocantur ita; per fideles intelliguntur qui fidem in Dominum habent. Quod ſint qui in Eccleſiæ externis, internis & intimis ſunt, eſt quia Eccleſia Domini diſtinguitur ſicut Cælum in tres gradus, in ultimo gradu ſunt qui in externis ejus ſunt, in ſecundo gradu ſunt qui in internis ejus ſunt, & in tertio gradu ſunt qui in intimis ejus ſunt, illi qui in externis Eccleſiæ cum Domino ſunt, dicuntur vocati; qui in internis ejus, dicuntur electi; & qui in intimis, dicuntur fideles; ita enim vocantur in Verbo, ubi Jacob dicitur vocatus, & Iſrael electus, quoniam per Jacobum ibi intelliguntur qui in externis Eccleſiæ ſunt, & per Iſraelem qui in internis ejus. Quod dicatur hic, *qui cum Ipſo vocati, electi & fideles*, eſt quia præcedit, quod pugnabunt cum Agno, & Agnus vincet eos, ut ſciant, quod illi quos Dominus vincet, hoc eſt, per Verbum convincet, ſint cum Ipſo in Cælo, quidam in Cælo ultimo, quidam in ſecundo, & quidam in tertio, quiſque ſecundum receptionem.

745. *Et dixit mihi, aquæ quas vidiſti, ubi Meretrix ſedet, populi & turbæ ſunt, & gentes & linguæ, ſignificat quod ſub Dominio Papali ſint, ſed in veris Verbi a Religioſo illo diverſimode adulteratis & prophanatis, qui ex varia doctrina & diſciplina, & ex varia religione & confeſſione ejus ſunt.* Aquæ, quas vidit ubi Meretrix ſedet,

ſedet, ſunt aquæ quæ in Verſ. 1 hujus Capitis memorantur, ubi dicitur, *oſtendam tibi judicium Meretricis ſedentis ſuper aquis multis*; quod per aquas ibi ſignificentur vera Verbi adulterata & prophanata, videatur ſupra n. 719. Quod dicatur quod aquæ illæ ſint populi, turbæ, gentes & linguæ, eſt quia per illos ſignificantur omnes qui ſub Dominio papali ſunt ex varia Doctrina & Diſciplina & Religione & Confeſſione; per populos enim ſignificantur qui in Doctrina ſunt, n. 383, per turbas qui in diſciplina, per gentes qui in religione, n. 483, & per linguas qui in confeſſione, n. 282. 483. Quod hæc nunc dicantur, eſt quia præcedit de receptione & intellectu Verbi ab illis qui in Ipſo Religioſo Catholico ſunt, a Verſ. 8 ad 11: & poſtea de receptione & intellectu Verbi a nobili Gente Gallica, a Verſ. 12 ad 14; hic itaque de receptione & intellectu Verbi apud reliquos ſub Dominio papali; poſthæc ſequitur Verſ. 16 & 17 de Proteſtantibus: ita in juſto ordine omnia prædicta ſunt. Quod ſub Dominio Papali ſint qui in varia Doctrina, Diſciplina, Religione & Confeſſione ſunt, notum eſt; non enim ſimiliter colitur Religioſum illud in variis Regnis.

746. *Et decem cornua, quæ vidiſti ſuper Beſtia, hi odio habebunt Meretricem, ſignificat Verbum quoad potentiam ex Divinis Veris apud Proteſtantes, qui jugum Dominii Papalis a ſe prorſus rejecerunt.* Dicitur, hic ut ſupra Verſ. 12, *decem cornua quæ vidiſti*, ibi *decem reges ſunt*, hic autem Hi, quia ibi, ſicut hic, agitur de illis qui a Religioſo Catholico Romano receſſerunt, ſed ibi illi quoad partem, hi autem prorſus: quod hic agatur de Proteſtantibus ſeu Reformatis, patet a ſequentibus his, quod facient Meretricem deſolatam & nudam, carnes ejus comedent, & illam igne comburent, & dabunt regnum ſuum Beſtiæ; quod per decem cornua, quæ vidiſti ſuper Beſtia, ſignificetur Verbum quoad potentiam ex Divinis Veris, videatur ſupra n. 740; quod odio habere Meretricem ſit Religioſum Catholico Romanum non ſufferre, & ideo jugum Dominii Papalis a ſe rejicere.

747. *Et deſolatam facient illam, & nudam, ſignificat quod exuent ſe falſis & malis ejus.* Per deſolatam facere illam, ſignificatur exuere ſe falſis ejus, & per illam nudam facere, ſignificatur exuere ſe malis ejus, nam deſolatam & nudam faciunt illam apud ſe; deſolatio in Verbo prædicatur de veris & falſis, & nuditas de bonis & malis, ut conſtare poteſt ex illis quæ de nuditate, ſupra n. 213. 706 adducta ſunt. Ex his conſtare poteſt, quod per deſolatam facient illam & nudam, ſignificetur quod exuent ſe omnibus falſis & malis Religioſi iſtius. Quod Proteſtantes ſeu Reformati ita fecerint, notum eſt.

748. *Et carnes ejus comedent, & illam comburent igne, ſignificat quod mala & falſa quæ propria Religioſi iſtius ſunt, ex odio damnabunt & apud ſe deſtruent, & Ipſum Religioſum devovebunt & apud ſe delebunt.* Hæc de Proteſtantibus, qui ita facturi ſunt cum Meretrice, hoc eſt, cum Religioſo Catholico Romano; per carnes ejus comedere, ſignificatur propria Religioſi iſtius, quæ ſunt mala & falſa, ex odio damnare apud ſe & deſtruere, de quo ſequitur; & per illam comburere igne, ſignificatur Ipſum Religioſum ut prophanum devovere & apud

apud ſe delere; quod igne comburere id ſit, eſt quia pœna prophanationis ſancti fuit combuſtio; quare ex Lege Divina fuit, quod qui *prophanabant Nomen Jehovæ colendo alios deos, illi & omnia illorum comburerentur igne*, Deut: XIII. 13. 19: ideo *Moſes Vitulum aureum, quem filii Iſraelis profane colebant, combuſſit igne*, Exod: XXXII; Deut: IX: 21: & *bini filii Aharonis, quia prophanabant ſancta, ex igne e cælo conſumti ſunt*, Levit: X: 1 ad 6: nec aliud *per ignem & rogum in Topheth, quam ignis inferni*, qui eſt illis, *qui prophanant ſancta*, ſignificatur, Eſaj: XXX: 33. Jerem: VII: 11. 32. 33. Capt. XIX: 5. 6. II Reg: XXIII. 10, colebant enim ibi Molechum per nefandum ſacrificium. Quoniam per Beſtiam quartam apud Danielem Cap. VII, ſignificatur Religioſum, quod prophanat Verbum & inde Sancta Eccleſiæ, n 751, ideo dicitur, *quod combuſta ſit igne*, Dan: VII: 11. Nunc quia Cultus prophanus eſt, colere hominem loco Domini, ideo hic dicitur, quod ipſam meretricem combuſſerint igne, per quod ſignificatur quod ipſum Religioſum devoverint & apud ſe deleverint. Quod per carnes ejus comedere, ſignificetur mala & falſa, quæ propria Religioſi iſtius ſunt, ex odio damnare & apud ſe deſtruere, eſt quia id per carnes ejus comedere ſignificatur; per carnes enim ſignificantur propria alicujus, quæ ſe referunt ad bona & vera, & in oppoſito ſenſu ad mala & falſa, & per comedere ſignificatur conſumere, ita delere: quod per carnem ſignificetur proprium alicujus, quod in ſe eſt malum, conſtat ex his locis „ *Spiritus eſt qui vivificat, caro non prodeſt quicquam*, Joh: VI: 63; *Quod natum eſt ex carne, hoc caro eſt, quod generatum eſt a ſpiritu, ſpiritus eſt*, Joh: III: 6. *Quotquot receperunt, dedit illis poteſtatem ut filii Dei eſſent, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis*, Joh: I: 12. 13. *Deus recordatus quod caro illi, ſpiritus qui abivit non reverteretur*, Pſalm: LXXVIII: 39. *Ægyptus homo & non Deus, & equi ejus caro & non ſpiritus*, Eſaj. XXXI: 3. *Scortata eſt Hieroſolyma cum filiis Ægypti magnis carne*, Ezech: XVI: 26. *Jeſus dixit Petro, Caro & ſanguis non hæc revelavit tibi*, Matth: XVI: 17. *Maledictus qui confidet homini, & ponit carnem brachium ſuum*, Jerem: XVII: 5 Quia Caro ſignificat proprium hominis, ac illi qui odio habent alterum, propria ejus aggrediuntur, animo deſtruendi illa, ideo per carnes comedere id ſignificatur, ut quoque in his locis „ *Moriens moriatur, & exſcindendo exſcindatur, reliquæ comedent quælibet Carnem alterius*, Sach: XI: 9. *Comedent Iſraelem omni ore, vir Carnem brachii ſui comedent, Menaſche Ephraimum, & Ephraimus Menaſchen*, Eſaj: IX: 11. 19. 20. *Cibabo oppreſſores tuos Carne eorum*, Eſaj. XLIX: 26. *Quiſque Carnem ſocii ſui comedent*, Jerem: XVI: 9. *Per comedere carnem filiorum & filiarum*, Jerem: XVII: 5. Cap. XIX: 19, ſignificatur deſtruere vera & bona apud ſe, per filios enim ſignificantur vera, & per filias bona, videatur ſupra n. 139. 543. 546. 612. Præterea in Verbo dicitur omnis Caro, & per id ſignificatur omnis homo, Geneſ: VI: 12. 13. 17. 19. Eſaj. XL: 5. 6. Cap. XLIX: 26. Cap. LXVI: 16. 23. 24. Jerem: XXV: 31. Cap. XXXII: 27. Cap. XLV: 5. Ezech. XX. 48. Cap. XXI: 4. 5.

749. *Quoniam Deus dedit in corda illorum facere ſententiam ejus, & facere unam ſententiam, & dare regnum ſuum Beſtiæ, ſignificat judicium apud illos a Domino,*

quod Religiosum Catholico Romanum prorsus repudiarent & devoverent, & apud se delerent & exstirparent, ac judicium unanimum, quod Verbum agnoscerent, & super illo Ecclesiam fundarent. Quoniam per Meretricem significatur Religiosum Catholico Romanum, & per decem cornua qui odio habebunt Meretricem, significantur Protestantes, ut supra n. 746. 747. 748, patet quod per facere sententiam ejus, significetur quod judicaverint & concluserint, quod Religiosum illud prorsus repudiarent & devoverent, & apud se delerent & exstirparent, ut supra n. 748; & quoque patet, quod per facere unam sententiam & dare regnum Bestiæ, significetur unanimiter judicare & concludere, quod Verbum agnoscerent, & Ecclesiam super illo fundarent; per Bestiam significatur Verbum, ut supra ubivis, videatur n. 723, & per Regnum significatur Ecclesia, & regimen super illa, de quo hic infra; per quod Deus dederit in corda illorum, significatur quod illa a Domino sint: Quod Regnum significet Ecclesiam, constare potest ex his locis „ *Filii Regni ejicientur in tenebras exteriores*, Matth. VIII: 12. *Semen sunt filii Regni*, Matth. XIII: 38. *Qui audit Verbum Regni, & non attendit* „ Matth. XIII: 19. *Auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructus*, Matth. XXI: 43. *Omnis injiciens manum in aratrum, non dispositus est ad Regnum Dei*, Luc. IX: 22. *Adveniat Regnum tuum & fiat voluntas tua, sicut in Cælo ita in Terra* „ Matth. VI: 10. Jesus, Johannes & discipuli prædicaverunt, *quod appropinquaret Regnum Dei*, Matth. III: 2. Cap. IV: 17. Cap. X: 7. Luc X: 11. Cap. XVI: 16. tum *Evangelium Regni*, Matth. IV: 23. Cap. IX: 35. Cap. XXIV: 14. Luc. VIII: 1. *Si per digitum Dei ejicio dæmonia, utique pervenit ad vos Regnum Dei*, Luc. XI: 20, præter multis aliis in locis, ubi Regnum Dei dicitur. Similiter in his „ *Si audiveritis vocem meam, & custodiveritis fœdus meum, eritis Mihi Regnum sacerdotum*, Exod. XIX: 5. 6. *Tu turris gregis, clivæ filiæ Zionis, ad te redibit Regnum prius, Regnum filiæ Hierosolymæ*, Mich. IV: 8. *Postea accipient Regnum Sancti, & confirmabunt Regnum usque in sæcula sæculorum*, Dan. VII: 13. 22. *Regnum & dominium & majestas Regnorum sub omnibus cælis dabitur populo sanctorum, cujus Regnum Regnum æternum, & omnia Dominia colent Ipsum & obedient*, Dan. VII: 27. *Filio hominis datum est Regnum, quod non peribit, & omnes populi, gentes & linguæ Ipsum colent* „ Dan. VII: 14; præter alibi. Quod per Regnum significetur Ecclesia, est quia Regnum Domini est in Cælo & in Terra, & Regnum Ipsius in Terra est Ecclesia: inde etiam Dominus vocatur Rex regum.

750. *Donec consummentur verba Dei, significat usque dum impleta sunt omnia quæ de illis prædicta sunt.* Per consummari significatur impleri; & per verba Dei, significantur quæ in Verbo prædicta sunt; & quia dicitur consummari, significatur dum omnia; hoc dicitur de Protestantibus, & de eo quod daturi sint Regnum Bestiæ, hoc est, quod agnituri sint Verbum, & Ecclesiam super illo fundaturi, ut mox supra n. 749: sed illi quidem agnoscunt Verbum, & dicunt quod super eo fundetur Ecclesia, usque tamen fundant doctrinam Ecclesiæ suæ super unico Pauli dicto, quod HOMO SOLA FIDE JUSTIFICETUR SINE OPERIBUS LEGIS, Rom: III: 28, prorsus falsè intellecto, n. 417. Quia hic dicitur, donec consummentur verba Dei, dicetur etiam quid significatur per Domini ultima verba ad discipulos, hæc „ *Euntes discipulos facite*

omnes

omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis: & ecce, Ego vobiscum sum omnibus diebus USQUE AD CONSUMMATIONEM SÆCULI, *amen*, Matth: XXVIII: 19, 20; usque ad Consummationem sæculi est usque ad finem Ecclesiæ, n. 658; & tunc si non adeunt Ipsum Dominum, & vivunt secundum præcepta Ipsius, a Domino relinquuntur, & relicti a Domino fiunt sicut pagani, quibus nulla religio est; & tunc Dominus solum est apud illos, qui e nova Ipsius Ecclesia erunt: hæc significantur per donec consummentur verba Dei, & per usque ad consummationem sæculi.

751. *Et Mulier, quam vidisti, est Urbs magna, habens regnum super reges terræ, significat quod Religiosum Catholico Romanum quoad Doctrinam regnet in Christiano Orbe, & ad aliquam partem etiam adhuc apud Reformatos, tametsi non sub dominio papali sunt.* Quod hæc omnia significentur per illa verba, est quia conclusum faciunt, & inde involvunt non modo illa, quæ de Romano Catholicis dicta sunt, sed etiam quæ de Gente Gallica, & de Protestantibus, ita quod, Mulier, quæ est Urbs magna, etiam super hos regnum habeat; sed quomodo, dicetur; non habet regnum super Protestantes, quemadmodum habet super illos, qui Religioso ejus addicti sunt, sed quatenus doctrinalia ejus quoad aliquam partem receperunt; doctrinalia quæ receperunt, sunt hæc, Quod adeant Deum Patrem & non Dominum; quod Humanum Domini non pro Divino agnoscant; Quod Passio crucis Ipsius sit expiatio, propitiatio & satisfactio apud Deum Patrem: de Imputatione meriti Domini: aliqua de Baptismo, de Peccato originali, de Libero arbitrio; & apud Lutheranos, quod prope accedant ad transsubstantiationem. Hæc doctrinalia ex Catholismo papali residua, & cum illo quoad partem concordantia, sunt ex quo dicitur, quod Mulier, quæ est Urbs magna, habeat regnum super reges terræ. Per Mulierem significatur Religiosum Catholico Romanum, ut supra; per Urbem significatur doctrina, n. 194. 501. 502. 712; per Regnum significatur Ecclesia n. 749, inde per habere regnum significatur regimen; per reges terræ significantur vera aut falsa Ecclesiæ, n. 20. 483. 664. 704. 720. 737. 740, inde quoque doctrinalia; per terram Ecclesia, n. 285, ex his patet, quod per hæc, Mulier, quam vidisti, est Urbs magna, habens regnum super reges terræ, significetur quod Religiosum Catholico Romanum quoad doctrinam regnet in Christiano Orbe, & quoad aliquam partem etiam apud Reformatos, tametsi non sub Dominio Papali sunt.



752. His adjiciam hoc MEMORABILE. Datum est loqui cum Pontifice SIXTO QUINTO; exibat e Societate quadam in Occidente ad sinistrum; dixit mihi, quod præfectus sit ut summus Moderator Societati collectæ ex Catholicis, qui pollent judicio & industria præ reliquis; & quod factus sit summus Moderator illorum, propter causam, quia a dimidio anni ante obitum suum crediderat, quod Vicariatus esset Inventum propter Dominium, & quod Dominus Salvator, quia Deus, sit Qui Solus adorandus & colendus est, tum quod Scriptura

Sacra sit Divina, & sic Sancta præ Edictis Paparum: dixit, quod in fide duorum istorum Capitum Religionis permanserit usque ad finem vitæ suæ. Dixit etiam quod Sancti illorum non sint aliquid; miratus est, cum narravi, quod in Synodo decretum sit, & per Bullam confirmatum, quod invocarentur. Dixit, quod in vita activitatis sit, in quali fuerat in Mundo; & quod sibi quovis mane proponat novem aut decem res, quas vult ut intra vesperam sint peractæ. Quæsivi, unde Illi intra tam paucos annos tantus Thesaurus, quem in Castello del Angelo reposuit, respondit quod propria manu scripserit ad Præfectos Monasteriorum divitum, ut pro arbitrio mitterent ex opibus quantum vellent, quia ad usum sanctum, & quod quia timebant illum, miserint abundanter; & cum dixi, quod Thesaurus ille adhuc superstes sit, dixit, cui usui nunc. Inter loquendum cum illo, retuli, quod Thesaurus in Loretto ab illius tempore immensum auctus & locupletatus sit; & quod Thesauri in quibusdam Monasteriis, imprimis in Hispania similiter; sed hodie non in tantum, ut in prioribus sæculis; & addidi, quod illos custodiant, absque ullo fine, qui est usus, alio quam ut jucundent se ex possessione; & cum hoc retuli, etiam dixi, quod ita sint, sicut dii infernales, quos antiqui vocabant Plutones; cum nominavi plutones, respondit, tace, scio. Dixit iterum, quod in Societatem, cui Ille præest, non alii admittantur, quam qui judicio pollent, & recipere possunt, quod Dominus Solus sit Deus Cæli & Terræ, & quod Verbum sit Sanctum Divinum; & quod perficiat quotidie, sub auspicio Domini, Societatem illam: & dixit, quod loquutus sit cum Sanctis ita dictis, sed quod fiant fatui quando audiunt & credunt quod sancti sint: etiam Pontifices & Cardinales vocabat stupidos, illos qui volunt adorari sicut Christus, tametsi non in persona, & qui non agnoscunt Verbum ut ipsum Sanctum Divinum, secundum quod solum vivendum est.

Vult ut dicam illis qui hodie vivunt, quod Christus sit Deus Cæli & Terræ, & quod Verbum sit Sanctum Divinum; & quod Spiritus Sanctus non loquatur per os alicujus, sed Satanas, qui vult adorari sicut Deus: & quod illi qui ad hæc non attendunt, ut stupidi, abeant ad suos, & post tempus dejiciantur in Infernum ad illos, qui laborant phantasia, quod dii sint, quibus non alia vita est quam vita feræ: ad hæc dixi, forte hæc nimis dura sunt ut scribam, sed respondit, scribe, & subscribo, quia vera sunt: & tunc a me abivit in Societatem suam, & unum Exemplar subscripsit, ac ut BULLAM ad alias Societates eidem Religioni addictas transmisit.

CAPUT

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

1. ET poſt hæc vidi Angelum deſcendentem e Cælo, habentem poteſtatem magnam, & Terra illuſtrata eſt a gloria ejus. [alium]

2. Et exclamavit in virtute voce magna, dicens, cecidit, cecidit, Babylon magna, & facta eſt habitaculum dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis avis immundæ & exoſæ.

3. Quia ex vino iræ ſcortationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa ſcortati ſunt; & mercatores terræ ex facultatibus delitiarum ejus ditati ſunt.

4. Et audivi aliam vocem e Cælo, dicentem, exite ex illa populi mei, ne participes fiatis peccatorum ejus, & ne recipiatis ex plagis ejus.

5. Quoniam pertigerunt ejus peccata uſque ad cælum, & recordatus eſt Deus injuſtitiarum ejus.

6. Reddite illi quemadmodum illa reddidit vobis, duplicate ei dupla ſecundum opera ejus, in poculo, quo miſcuit, miſcete ei duplum.

7. Quantum glorificavit ſeipſam & delitiata eſt, tantum date illi cruciatum & luctum, quia in corde ſuo dicit, ſedeo regina & vidua non ſum, & luctum non videbo.

8. Propter hoc in una die venient plagæ ejus, mors & luctus & fames, & in igne comburetur, quia fortis Dominus Deus judicans illam.

9. Et deflebunt illam, & plangent ſuper illa Reges terræ, qui cum illa ſcortati ſunt & delitiati, quando viderint fumum combuſtionis ejus.

10. E longinquo ſtantes propter timorem cruciatus ejus, dicentes, væ, væ, urbs illa magna Babylon, urbs illa valida, quia in una hora venit judicium tuum.

11. Et mercatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illa, quod merces eorum nemo emat amplius:

12. Merces auri & argenti & lapidis pretioſi & margaritæ, & byſſi & purpuræ & ſerici & coccini, & omne lignum thyinum & omne vas eburneum, & omne vas ex ligno pretioſo & ære & ferro & marmore.

13. Et cinnamomum & ſuffimenta & pigmentum & thus, & vinum & oleum & ſimilam & triticum, & jumenta & oves,

& equorum, & rhedarum, & corporum, & animas hominum.

14. Et fructus deſiderii animæ tuæ abiverunt a te, & omnia pinguia & ſplendida abiverunt a te, & amplius non invenies illa.

15. Mercatores horum, qui divites facti ab illa, e longinquo ſtabunt propter timorem cruciatus ejus, flentes & lugentes.

16. Et dicentes, væ, væ, urbs illa magna, circumamicta byſſo & purpura & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioſo, & margaritis, quia una hora devaſtatæ ſunt tantæ divitiæ.

17. Et omnis gubernator, & omnis ſuper navibus verſans, & nautæ, & quotquot mare operantur, e longinquo ſteterunt,

18. Et clamaverunt videntes fumum combuſtionis ejus, dicentes, quæ ſimilis urbi iſti magnæ.

19. Et miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt flentes & lugentes, dicentes, væ, væ, urbs illa magna, in qua ditati ſunt omnes habentes naves in mari ex pretioſitate ejus, quia una hora devaſtati ſunt.

20. Exulta ſuper ea Cælum, & ſancti Apoſtoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium veſtrum de illa.

21. Et ſuſtulit unus Angelus robuſtus lapidem quaſi molarem magnum, & projecit in mare, dicens, ſic impetu dejicietur Babylon, illa magna urbs, & non invenietur amplius.

22. Et vox citharædorum, & muſicorum, & tibicinum, & buccinatorum, non audietur in te amplius, & omnis artifex omnis artis non invenietur in te amplius, & vox molæ non audietur in te amplius.

23. Et lux lucernæ non lucebit in te amplius, & vox ſponſi & ſponſæ non audietur in te amplius; quia mercatores tui erant magnates terræ, quia veneficio tuo ſeductæ ſunt omnes gentes.

24. Et in ea ſanguis Prophetarum & Sanctorum inventus eſt, & omnium occiſorum ſuper terra.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Continuatur de Religioſo Romano

no Catholico: quod propter adulterationes & prophanationes Veritatum Verbi, & inde Eccleſiæ periturum ſit, Verſ. 1 ad 8. De Supremis in Ordine Eccleſiaſtico ibi, quales ſunt, & de luctu illorum. Verſ. 9. 10: de Inferioribus in illo ordine, Verſ. 11 ad 16. De Laicis & Vulgo, qui ſub illorum obedientia, n. 17 ad 19. Angelorum gaudium propter remotionem ejus, Verſ. 20. De interitu ejus in Mundo Spirituali propter nullam veri agnitionem, inquiſitionem, illuſtrationem, receptionem, & inde nullam conjunctionem veri & boni, quæ facit Eccleſiam, Verſ. 21 ad 24.

Contenta Singulorum Versuum. Poſthæc vidi, *ſignificat* continuationem de Religioſo Catholico Romano: vidi Angelum deſcendentem e Cælo, habentem poteſtatem magnam, & Terra illuſtrata eſt a gloria ejus, *ſign:* influxum Domini e Cælo fortem per Divinum Verum, ex quo Eccleſia Ipſius in luce cæleſti fuit: & exclamavit in virtute voce magna, dicens, cecidit, cecidit Babylon magna, *ſign:* quod notum fecerit, quod per Divinam potentiam Domini omnes qui in Religioſo illo & ſimul in amore dominandi ex illo fuerunt, in Mundo ſpirituali deſtructi ſint, & in plura inferna conjecti: & facta eſt habitaculum dæmoniorum, *ſign:* quod inferna eorum ſint inferna concupiſcentiarum dominandi ex œſtro amoris ſui, & concupiſcentiarum prophanandi vera cæli ex zelo ſpurio illius amoris: & cuſtodia omnis ſpiritus immundi & cuſtodia omnis avis immundæ & exoſæ, *ſign:* quod mala voluntatis & inde facti, & falſa cogitationis & inde conſilii illorum, qui in infernis illis ſunt, diabolica ſint, quia averſi a Domino ad ſemet ipſos ſunt: quia ex vino iræ ſcortationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa ſcortati ſunt, *ſign:* quod nefaria dogmata, quæ ſunt adulterationes & prophanationes boni & veri Verbi, protulerint, & illis omnes in Regnis ſub dominatione eorum natos & educatos imbuerint: & mercatores terræ ex facultatibus delitiarum ejus ditati ſunt, *ſign:* majores & minores Ordinis in Hierarchia illa, qui per dominium ſuper ſancta aucupant Divinam Majeſtatem & Superregiam gloriam, & continue affectant conſtabilire illam per multiplicationem monaſteriorum & poſſeſſionum ſub illis, & per theſauros, quos abſque fine e Mundo congregant & cumulant, & ſic ſibi comparant jucunditates corporeas & naturales ex attributo ſibi Dominio cæleſti & ſpirituali: & audivi aliam vocem e Cælo, dicentem, exite ex illa populi mei, ne participes fiatis peccatorum ejus, & ne recipiatis ex plagis ejus, *ſign:* a Domino exhortationem ad omnes, tam qui in illo Religioſo ſunt, quam qui in illo non ſunt, ut caveant ſibi a conjunctione cum illo per agnitionem & affectionem, ne quoad animas conjungantur abominationibus ejus, & pereant: quoniam pertigerunt ejus peccata uſque ad cælum, & recordatus eſt Deus injuſtitiarum ejus, *ſign:* quod mala & falſa ejus infeſtent Cælos, & quod hos Dominus a violentia inde tutaturus ſit: reddite illi

illi quemadmodum illa reddidit vobis, duplicate ei dupla ſecundum opera ejus, in poculo quo miſcuit miſcete ei duplum, *ſign:* juſtam retributionem & pœnam poſt mortem, quod tunc mala & falſa, quibus ſeduxerunt & perdiderunt alios, ſuper illos, ſecundum quantum & quale eorum, reditura ſint: quantum glorificavit ſeipſam, & delitiata eſt, tantum date illi cruciatum & luctum, *ſign:* quod in gradu ſecundum elationem cordis ex dominio, & ſecundum exultationem animæ & corporis ex divitiis, poſt mortem ſit illis internus dolor ex dejectione & ſubſannatione, & ex egeſtate & miſeria: quia in corde ſuo dicit, ſedeo Regina & Vidua non ſum, & luctum non videbo, *ſign:* quod hæc illis ſint, quia ex cordis elatione ſuper dominio, & animi exultatione ſuper divitiis, in fiducia & confidentia ſunt, quod perpetuo dominaturi ſint, & ſemet ipſos tutaturi, & quod non poſſint illis uſquam orbari: propter hæc in una hora venient plagæ ejus, mors & luctus & fames, *ſign:* quod propterea tempore ultimi judicii, pœnæ malorum, quæ fecerunt, ſuper illos rediturae ſint, quæ ſunt *Mors* quæ eſt vita infernalis, ac inteſtinus dolor ex dejectione a dominio, *Luctus* qui eſt internus dolor ex egeſtate & miſeria loco opulentiæ, & *Fames* quæ eſt deprivatio intellectus omnis veri: & in igne comburetur, quia fortis Dominus Deus judicans illam, *ſign:* quod futuri ſint odia contra Dominum, & contra Ipſius Cælum & Eccleſiam, quia tunc vident quod Solus Dominus ſuper omnia in Cælis & in Terris dominetur & regnet, & ne hilum aliquis homo ex ſe: & deflebunt illam, & plangent ſuper illa reges terræ, qui cum illa ſcortati ſunt & delitiati, quando viderint fumum combuſtionis ejus, *ſign:* interiores dolores illorum, qui in ſuperiori dominio & ejus jucundis fuerunt, per falſificata & adulterata vera Verbi, quæ fecerunt ſancta Eccleſiæ, cum vident ea verſa in prophana: & e longinquo ſtantes propter timorem cruciatus ejus, dicentes, væ væ urbs illa magna Babylon, urbs illa valida, quia in una hora venit judicium tuum, *ſign:* timorem illorum pro pœnis, & tunc gravem lamentationem quod Religioſum id ita munitum tam ſubito & plane poſſit everti, & illi poſſint perire: & mercatores terræ flebunt & lugebunt ſuper illa, quod merces eorum nemo emat amplius, *ſignificat* minores in ordine qui miniſtrant & per ſancta lucrantur, hic illorum dolores, quod poſt deſtructionem Babylonis non poſſint quæſtus ſicut prius per illa facere: merces auri & argenti & lapidis pretioſi & margaritæ, *ſign:* quod hæc illis non amplius ſint, quia illis non ſunt ſpiritualia bona & vera, quibus talia correſpondent: & byſſi & purpuræ & ſerici & coccini, *ſign:* quod hæc illis non amplius ſint, quia illis non ſint cæleſtia bona & vera quibus talia correſpondent: & omne lignum thyinum & omne vas eburneum, *ſign:* quod hæc illis non amplius ſint, quia illis non ſunt naturalia bona & vera quibus talia correſpondent: & omne vas ex ligno pretioſo & ære & ferro & marmore, *ſign:* quod hæc illis non amplius ſint, quia non ſunt illis ſcientifica bona & vera in rebus Eccleſiæ, quibus talia correſpondent: & cinnamomum & ſuffimenta & pigmentum & thus, *ſign:* quod non illis ſit amplius cultus ex bonis & veris ſpiritualibus, quia non aliquid intus in cultu habent, quod ſupra nominatis correſpondet: & vinum & oleum & ſimilam & triticum, *ſign:* quod non illis amplius ſit cultus ex veris

ris & bonis cæleſtibus, quia non intus in cultu habent quæ ſupra nominatis correſpondent: & jumenta & oves, *ſign:* quod non illis amplius ſit cultus ex bonis & veris Eccleſiæ externis ſeu naturalibus, quia non aliquid intus in cultu habent, quod ſupra nominatis correſpondet: & equorum & rhedarum & corporum, & animæ hominum, *ſign:* illa omnia ſecundum intellectum Verbi & doctrinam inde, & ſecundum bona & vera ſenſus literæ ejus, quæ illis non ſunt, quia illa falſificaverunt & adulteraverunt: & fructus deſiderii animæ tuæ abiverunt a te, & omnia pinguia & ſplendida abiverunt a te, & amplius non invenies illa, *ſign:* quod omnes beatitudines & felicitates cæli, etiam externæ quales ab illis cupiuntur, prorſus fugituræ ſint, & non amplius appariturae, quia non aliquæ affectiones boni & veri cæleſtes & ſpirituales apud illos: & mercatores horum qui divites facti ab illa, e longinquo ſtabunt propter timorem cruciatus ejus, flentes & lugentes, *ſign:* ſtatum ante damnationem, ac tunc timorem & lamentationem illorum, qui per varias diſpenſationes & promiſſiones gaudiorum cæleſtium, lucrati ſunt: & omnis gubernator, & omnis ſuper navibus verſans, & nautæ, & quotquot mare operantur, *ſign:* illos qui vocantur Laici, tam qui in majore dignitate quam qui in minore conſtituti ſunt uſque ad plebem, qui Religioſo iſti addicti ſunt, ac illud amant & oſculantur, aut corde agnoſcunt & venerantur: e longinquo ſteterunt, & clamaverunt videntes fumum combuſtionis ejus, dicentes, quæ ſimilis urbi iſti, *ſign:* in ſtatu remoto luctum eorum ſuper damnatione iſtius Religioſi, quod crediderunt ſupereminens præ omni religione in mundo: & miſerunt pulverem ſuper capita ſua, & clamaverunt flentes & lugentes, dicentes, væ, væ, urbs illa magna, *ſign:* dolorem & luctum eorum interiorem, & exteriorem, qui eſt lamentatio, quod tam eminens Religioſum prorſus deſtructum & damnatum ſit: in qua ditati ſunt omnes habentes naves in mari ex pretioſitate ejus, quia una hora devaſtati ſunt, *ſign:* propter id, quod per ſancta Religioſi iſtius omnes, quotquot emere vellent, propitiati ſint, & pro divitiis mundanis & temporariis receperint divitias cæleſtes & æternas: exulta ſuper ea Cælum, & ſancti Apoſtoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium veſtrum de illa, *ſign:* ut gaudeant corde nunc Angeli cæli & homines Eccleſiæ qui in bonis & veris ex Verbo ſunt, quod remoti & rejecti ſint qui in Religioſi iſtius malis & falſis ſunt: & ſuſtulit unus Angelus robuſtus lapidem quaſi molarem magnum, & projecit in mare, dicens, ſic impetu dejicietur Babylon, illa magna urbs, & non invenietur amplius, *ſign:* quod per fortem influxum Domini e Cælo Religioſum illud cum omnibus ejus adulteratis veris Verbi, præceps conjicietur in Infernum, & quod amplius nuſquam Angelis appariturum ſit: & vox citharædorum & muſicorum & tibicinum & buccinatorum, non audietur in te amplius, *ſign:* quod apud illos non erit aliqua affectio veri & boni ſpiritualis, nec affectio boni & veri cæleſtis: & omnis artifex omnis artis in te non invenietur amplius, *ſign:* quod illis, qui in Religioſo illo ex doctrina & ex vita ſecundum illam ſunt, non ſit aliquis intellectus veri ſpiritualis, & inde nec aliqua cogitatio veri ſpiritualis, quantum a ſe: & vox molæ non audietur in te amplius, *ſign:* quod illis qui in Religioſo iſto ex doctrina ejus & ex vita ſe-

cundum illam ſunt, non ſit aliqua inquiſitio, ſcrutatio & confirmatio veri ſpiritualis, quia obſtat falſum receptum & confirmatum & ſic implantatum: & lux lucernæ non lucebit in te amplius, *ſign:* quod illis qui in Religioſo iſto ex doctrina & ex vita ſecundum illam ſunt, non ſit aliqua illuſtratio a Domino, & inde perceptio veri ſpiritualis: & vox ſponſi & ſponſæ non audietur in te amplius, *ſign:* quod illis qui in Religioſo iſto ex doctrina & ex vita ſecundum illam ſunt, ſit nulla conjunctio boni & veri, quæ facit Eccleſiam: quia magnates tui erant mercatores terræ, *ſign:* quod ſuperiores in Hierarchia Eccleſiaſtica illorum tales ſint, quia per varia jura etiam arbitraria illis in ſtatutis ordinis relicta, mercantur & quæſtus faciunt: quia veneficio tuo ſeductæ ſunt omnes gentes, *ſign:* illorum nefarias artes & aſtutias, per quas omnium animos a ſancto cultu Domini ad prophanum cultum hominum vivorum & mortuorum atque idolorum abduxerunt: & in ea ſanguis prophetarum & ſanctorum inventus eſt, & omnium occiſorum ſuper terra, *ſign:* quod ex Religioſo, quod per Urbem Babylonem intelligitur, ſit adulteratio & prophanatio omnis veri Verbi & inde Eccleſiæ, & quod inde emanaverit falſum in totum Chriſtianum Orbem:

EXPLICATIO.

753. *Et poſthæc vidi, ſignificat manifeſtationem de interitu & damnatione illorum, qui in Religioſo Catholico Romano erant, & exercuerunt poteſtatem ſuper Sancta Eccleſiæ & Cælum, animo dominandi ſuper omnes, & poſſidendi omnia aliorum.* Hæc ſignificantur hic per Poſthæc vidi, quia de his in hoc Capite agitur. Præmiſſa ſunt ante hoc Opus Dogmata Religioſi iſtius, ut illi qui in illuſtratione a Domino ſunt, videre poſſint, quod non aliud ſpectent, quam Dominium ſuper animas hominum, ob finem ut colantur ſicut Dii, ac ſoli poſſideant bona totius Mundi; & quia ille finis fuit, & prorſus non ſalus animarum, dogmata ſua non potuerunt aliunde deſumere, quam ex inferno; non enim potuerunt e Cælo, hoc eſt, a Domino, ſed a ſemet, quia in ſe tranſtulerunt omnia Domini. Quid deteſtabilius quam dividere Corpus & Sanguinem Domini, ſeu Panem & Vinum, in Sacra Cæna, manifeſte contra inſtitutionem, & hoc per figmenta, & unice propter Sacrificia Miſſæ diurna & nocturna, per quæ lucrantur mundum. Quid deteſtabilius quam colere mortuos homines invocatione Divina, ac ſuper genubus procumbere ad ſimulachra eorum, & ſancte oſculari illa, imo oſſa & reliquias cadaveris eorum, & ſic abducere populos a cultu Divino, ac inducere in cultum prophanum, & hoc quoque propter lucrationes. Quid deteſtabilius quam ponere cultum Divinum diebus dominicis & feſtis in Miſſis non intellectis, ita in externis quæ corporis & ejus affectuum ſunt abſque internis quæ animæ & ejus affectionum ſunt, ac illis omnem ſanctitatem addicere, & ſic tenere omnes in ignorantia & cæca fide, ut dominentur & lucrentur. Quid deteſtabilius quam in ſe transferre omnia Divinæ poteſtatis Domini, quod non aliud eſt quam detrahere Dominum de Thro-

Throno; & se superimponere. Quid detestabilius, quam Verbum, quod est ipsum Divinum Verum, auferre Laicis & Vulgo, & loco ejus dare edicta & dogmata, in quibus vix unum genuinum verum Verbi est. Hæc sunt, de quibus in hoc Capite Apocalypseos agitur.

754. *Vidi Angelum descendentem e Cælo, habentem potestatem magnam, & Terra illustrata est a gloria ejus, significat influxum Domini e Cælo fortem per Divinum Verum, ex quo Ecclesia Ipsius in luce cælesti fuit.* Per Angelum significatur Dominus; per Angelum descendentem e Cælo significatur influxus Domini e cælo; per habentem potestatem magnam significatnr influxus fortis; per Terram illustratam a gloria ejus, significatur Ecclesia a Domino per Divinum Verum in luce cælesti: quod per Angelum & per Angelos in Verbo intelligatur Dominus, videatur, n. 258. 344. 465. 649. 657. 718; per descendere significatur influere, quia de Domino; quod per terram significetur Ecclesia, n. 285. 721; quod gloria dicatur de Divino Vero, & significet illud, n. 249. 629. Dicitur Divinum Verum in luce cælesti, quia Divinum Verum procedens a Domino est Lux Cæli, quæ illustrat angelos, & sapientiam eorum facit. Quod nunc dicatur de influxu Domini per Divinum Verum, & de illustratione Ecclesiæ per id, est quia per illum influxum separantur illi qui in falsis sunt ab illis qui in veris, & quoque falsa ex luce veri apparent qualia sunt.

755. *Et exclamavit in virtute voce magna, dicens, cecidit, cecidit Babylon magna, significat quod notum fecerit quod per Divinam potentiam Domini, omnes qui in Religioso illo, & simul in amore dominandi ex illo fuerunt, in Mundo Spirituali destructi sint, & in plura inferna conjecti.* Quod hæc per illa verba significentur, constare potest ex Opusculo de ULTIMO JUDICIO ET DE BABYLONIA DESTRUCTA, Anno 1758; Londini edito, ubi describitur destructio ejus a n. 53 ad 64, ex quo videri potest, quod illi ex eo Religioso destructi fuerint & conjecti in infernum, qui ex æstro amoris sui dominati sunt super Sancta Divina Domini, quæ Cæli & Ecclesiæ sunt, & qui mere idololatræ fuerunt; quod autem illi ex eodem Religioso, qui vixerunt secundum præcepta Decalogi, fugiendo mala ut peccata, & simul spectaverunt ad Dominum, salvati sint, videatur in CONTINUATIONE DE ULTIMO JUDICIO ET DE MUNDO SPIRITUALI, n. 58; quibus plura adjicere non opus est. Simile de Babele dicitur apud Esajam „ *Clamavit Leo super specula, & dixit, cecidit, cecidit Babel, & omnia sculptilia deorum ejus confregit in terram* „ XXI: 8. 9. Similes ex illo Religioso post ultimnm judicium colliguntur, & per vices ad suos mittuntur.

756. *Et facta est habitaculum dæmoniorum, significat quod inferna eorum sint inferna concupiscentiarum dominandi ex æstro amoris sui, & concupiscentiarum profanandi vera Cæli ex zelo spurio illius amoris.* Per dæmonia significantur concupiscentiæ mali, n. 458, & quoque concupiscentiæ falsificandi vera; sed dæmonia, sicut concupiscentiæ, sunt plurium generum, at pessima sunt quæ sunt concupiscentiæ dominandi ex æstro amoris sui super Sancta Ecclesiæ & super Cælum; & quia hic dominatus insidet cordibus illorum, sunt etiam concupiscentiæ prophanandi vera Cæli ex zelo spurio illius amoris: & quia illi, cum fiunt dæmonia, quod fit post mortem, sciunt quod Solus Dominus dominetur super

per Cælum & Terram, fiunt odia contra Ipſum, uſque tandem ut poſt elapſum ſæculi non ſuſtineant audire Ipſum nominari. Ex his patet, quod per Babylon facta eſt habitaculum dæmoniorum, ſignificetur quod inferna illorum ſint inferna concupiſcentiarum dominandi ex æſtro amoris ſui, & concupiſcentiarum profanandi vera Cæli ex zelo ſpurio illius amoris. Neſcitur in mundo, quod omnes poſt mortem fiant affectiones amoris regnantis apud ſe, affectiones bonæ, qui ſpectaverunt ad Dominum & ad Cælum, ac ſimul fugerunt mala ut peccata, at affectiones malæ, quæ ſunt concupiſcentiæ, qui ſpectaverunt ſolum ad ſe & ad mundum, ac mala fugerunt non ut peccata, ſed modo ut damna famæ & honoris: affectiones illæ ad vivum apparent & percipiuntur in Mundo ſpirituali, at ſolum cogitationes ex affectionibus in Mundo naturali; inde eſt, quod homo non ſciat quod Infernum inſit affectionibus amoris mali, & Cælum affectionibus amoris boni; quod homo non ſciat, eſt inde, & quod non percipiat, eſt quia concupiſcentiæ amoris mali trahunt ex hæreditate quod in voluntate ſint jucundæ, & inde in intellectu amænæ, & ſuper id quod jucundum & amænum eſt, homo non reflectit, quia id ducit animum ejus, ſicut vena fluvii torrentis navigium; quare illi qui ſe immerſerunt illis jucundis & amænis, non poſſunt aliter ad jucunda & amæna affectionum amoris boni & veri venire, quam ſicut illi qui valida vi brachii urgent remos contra venam fluvii torrentis: ſecus autem illi qui non profunde immerſerunt ſe.

757. *Et cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis avis immundæ & exoſæ, ſignificat quod mala voluntatis & inde facti, ac falſa cogitationis & inde conſilii illorum, qui in infernis illis ſunt, diabolica ſint, quia averſi a Domino ad ſemetipſos ſunt.* Per cuſtodiam ſignificatur infernum, quia ibi incarcerati ſunt; per ſpiritum ſignificatur omne quod affectionis ſeu voluntatis & inde facti eſt; & per avem ſignificatur omne quod cogitationis ſeu intellectus & inde conſilii eſt, quare per ſpiritum immundum & avem immundam ſignificantur omnia mala quæ voluntatis & inde facti ſunt, & omnia falſa quæ cogitationis & inde conſilii ſunt; & quia hæc ſunt in infernis apud illos, ideo ſignificatur quod illa diabolica ſint; & quia ſunt averſi a Domino ad ſemetipſos, dicitur etiam avis exoſa. Per ſimilia deſcribitur Babel apud Prophetas, ita apud Eſajam „ *Erit Babel ſicut everſio Dei Sodoma & Gomorrha, non habitabitur in æternum, ita ut non moretur ibi Arabs; cubabunt ibi zjim, & implebuntur domus eorum ochim, & habitabunt ibi filiæ noctuæ, & ſatyri ſaltabunt ibi; reſpondebunt etiam zjim in palatiis ejus, & dracones in palatiis deliciarum ejus* „ XIII: 19 ad 22: apud Eundem „ *Exſcindam Babeli nomen & reſiduum; ponam eam in hæreditatem anatariæ* „ XIV: 22. 23. Et apud Jeremiam „ *In Babele habitabunt zjim & ijim & filiæ noctuæ, juxta everſionem Dei, Sodomam & Gomorrham & vicinas ejus, non habitabit ibi filius hominis* „ L: 39. 40. Ex his patet, quod per cuſtodiam omnis ſpiritus immundi, & omnis avis immundæ & exoſæ, ſignificetur quod mala voluntatis & inde facti, ac falſa cogitationis & inde conſilii illorum, qui in infernis illis ſunt, diabolica ſint, quia averſi a Domino ad ſemetipſos ſunt. Quod aves ſignificent talia quæ intellectus & cogitationis & inde conſilii ſunt, in utroque ſenſu tam malo quam bono, patet ex Verbo; in ſenſu malo ibi in

his

his locis ,, *In medio septimanæ cessare faciam sacrificium; tandem super Avem abominationum desolatio, usque ad consummationem stillabit devastatio* ,, Dan. IX: 27. *Possidebunt terram platea & anataria, ulula & corvus habitabunt in ea*, Esaj. XXXIV: 11. Non aliud quam falsa infernalia significantur per ochim, zjim, filias noctuæ, dracones, in locis supra adductis, tum per *Aves quæ descenderunt super cadavera, quas Abram abegit*, Gen. XV: 16. Per *Aves, quibus darentur cadavera eorum in cibum*, Jerem. VII: 33. Cap. XV: 3. Cap. XVI: 4. Cap. XIX: 7. Cap. XXXIV: 20. Ezech. XXIX: 5. Psalm. LXXIX: 1. 2. tum per *aves quæ comedunt id quod seminatum est*, Matth. XIII: 3. 4. In bono sensu in his locis, *Laudent Nomen Jehovæ reptile & avis*, Psalm. CXLVIII: 10. *Feriam illis fœdus in die illo cum avi cælorum & reptili terræ* ,, Hosch. II: 18. *Interroga bestias & docebunt te, & Aves Cæli & annuntiabunt tibi, quis non novit ex his omnibus quod manus Jehovæ faciat illud*, Hiob. XII: 7. 8. 9. *Vidi cum ecce non homo, omnis Avis cælorum avolarunt*, Jerem. IV: 24. 25. 26. *Ab Ave Cælorum usque ad bestiam avolarunt, quia dabo Hierosolymam acervos, habitaculum draconum* ,, Jerem. IX: 9. 10. Cap. XII: 9. *Non veritas, non misericordia, non cognitio Dei, propterea lugebit terra quoad bestiam agri & quoad Avem cælorum*, Hosch. IV: 1. 3. *Ego Deus vocans ab ortu Avem, e terra longinqua virum consilii*, Esaj. XLVI: 9. *Aschur cedrus in Libano, in ramis ejus nidificarunt omnes aves cælorum, & in umbra ejus habitarunt omnes gentes magnæ*, Ezech. XXXI: 5. 6. Similia ut hic de Aschure ut cedro dicuntur alibi, ut Ezech. XVII: 23. Dan. IV: 7. ad 11. 17. 18. Matth. XIII: 31. 32. Matth. IV: 32. Luc. XIII: 19. *Dic Avi omnis alæ, & omni bestiæ agri, venite ad sacrificium magnum super montibus Israelis: sic dabo gloriam meam inter gentes*, Ezech. XXXIX: 17. 21. Apoc. XIX: 17. præter alibi, ut Esaj. XVIII: 1. 6. Ezech. XXXVIII: 20. Hosch. IX: 11. Cap. XI: 9. 16. Zeph. I: 3. Psalm. VIII: 7. 8. 9. Ps. L: 11. Psalm. CIV: 10. 11. Quod aves significent illa quæ intellectus & inde cogitationis & consilii sunt, patet manifeste ex avibus in Mundo spirituali, ubi etiam apparent aves omnis generis & omnis speciei, in Cælo pulcherrimæ, paradisiacæ, turtures, columbæ, in Inferno dracones, ululæ, bubones, & similes aliæ, quæ omnes sunt repræsentationes ad vivum cogitationum ex affectionibus bonis in Cælo, & cogitationum ex affectionibus malis in Inferno.

758. *Quia ex vino iræ scortationis ejus biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa scortati sunt, significat quod nefaria dogmata, quæ sunt adulterationes & prophanationes boni & veri Verbi, protulerint, & illis omnes in regnis sub dominatione eorum natos & educatos imbuerint.* Quod hæc per illa verba significentur, constare potest ab explicatis supra n. 631. 632, & n. 720. 721, ubi similia, quibus plura adjicere non opus est; solum quod similia de Babele dicantur apud Jeremiam ,, *Calix auri Babel in manu Jehovæ inebrians universam terram, de vino ejus biberunt gentes, ideo insaniunt* ,, LI: 7. Tum ,, *Sit Babel in sibilum, cum incaluerint, ponam convivia eorum, & inebriabo eos, ut exultent; & dormiant somnum sæculi, nec evigilent* ,, LI: 39. Per vinum, quod bibunt, & quo inebriantur, significantur dogmata eorum, quæ quam nefaria sunt, videatur supra n. 754; inter illa etiam est hoc nefarium, quod opera, quæ fiunt secun-

dum doctrinalia eorum, faciant merita, transscribendo meritum & justitiam Domini in illa & sic in illos, cum tamen omne charitatis & omne fidei, seu omne bonum & verum est a Domino, & quod est a Domino, manet Domini apud recipientes; nam quod est a Domino est Divinum, quod nusquam fieri potest proprium hominis: Divinum potest apud hominem esse, sed non in ejus proprio, nam proprium hominis non est nisi quam malum, quare qui Divinum addicat sibi ut proprium, non modo conspurcat illud, sed etiam prophanat illud; Divinum a Domino exquisite separatur a proprio hominis, ac elevatur super id, & nusquam ei immergitur. Sed quia omne Divinum Domini in se transtulerunt, & sic appropriaverunt sibi illud, fluit id sicut aqua bituminosa, dum pluit, ex fonte qui est bitumen. Simile est cum illo dogmate, quod justificatio sit realis sanctificatio, & quod sancti eorum fiunt sancti in se, cum tamen Dominus solus est Sanctus, Apoc. XV:4. Videantur plura de Merito in Opere DE NOVA HIEROSOLYMA ET DE DOCTRINA EJUS CÆLESTI, Londini Anno 1758 edito, n. 150 ad 158.

759. *Et mercatores terræ ex facultatibus delitiarum ejus ditati sunt, significat majores & minores ordinis in Hierarchia illa, qui per dominium super sancta aucupant Divinam majestatem & superregiam gloriam, & continue affectant constabilire illas per multiplicationem monasteriorum & possessionum sub illis, & per thesauros, quos absque fine e mundo congregant & cumulant, & sic sibi comparant jucunditates & amænitates corporeas & naturales ex attributo sibi Dominio Cælesti & Spirituali.* Per mercatores Babylonis non alii possunt intelligi quam majores & minores ordinis in Hierarchia eorum Ecclesiastica, quia in Vers. 23 hujus Capitis dicitur quod sint magnates terræ; & per facultates delitiarum quibus ditati sunt, non alia possunt intelligi, quam dogmata, per quæ ut media sibi comparant dominium super animas hominum, & sic etiam super possessiones & opes eorum; quod has congregent absque fine, & illis distendant thesauraria sua, notum est; tum etiam quod negotientur cum sanctis Ecclesiæ, ut quod per oblationes & dona data monasteriis & eorum sanctis & simulachris, & per missas, indulgentias & dispensationes varias, vendant salutem, hoc est, cælum. Quis non videre potest, quod si Dominium papale non fractum fuisset temporæ Reformationis, corrasissent possessiones & opes omnium Regnorum in Universa Europa, & tunc quod illi soli Domini facti fuissent, & omnes reliqui servi; annon ex sæculis quæ præcedunt, quando illis fuit potestas super Imperatores & Reges, quos, si non obedirent, potuerunt excommunicare & abdicare, præcipua illis opulentia est, & adhuc annui reditus qui immensi, ac thesauraria plena auro, argento & lapidibus pretiosis: simile Dominium barbarum insidet adhuc animis plurium eorum, & unice per timorem jacturæ ejus, si ultra limites extenditur, coercetur. Sed cui usui sunt tanti reditus, thesauri & possessiones, nisi ut ex illis delitientur & superbiant, ac ut Dominatum suum in æternum firment. Ex his constare potest, quid hic per mercatores terræ, qui ex facultatibus delitiarum Babylonis ditati sunt, significatur. Vocantur etiam Mercatores apud Esajam „ *Facti sunt habitatores Babelis sicut stipula, ignis adussit eos, non eripiunt animam suam e manu flammæ; tales sunt Me-*

Mercatores tui a juventute,, XLVII: 14. 15. Per mercari & negotiari in Verbo significatur comparare sibi opes spirituales, quæ sunt cognitiones veri & boni, & in opposito sensu cognitiones falsi & mali, & per has lucrari mundum & per illas lucrari Cælum; quare Dominus comparavit *Regnum cælorum Negotiatori quærenti pulchras margaritas*, Matth. XIII: 45. 46; & *homines Ecclesiæ servis, quibus data sunt talenta, cum quibus negotiarentur & lucrarentur*, Matth. XXV: 14 ad 20; & *quibus datæ sunt decem Minæ, cum quibus similiter negotiarentur & lucrarentur*, Luc. XIX: 12 ad 26. Et quia per Tyrum significatur Ecclesia quoad cognitiones veri & boni, ideo agitur de *Negotiatione & lucratione ejus* in toto Capite XXVII apud Ezechielem, & dicitur de illa, *In sapientia tua & in intelligentia tua feceras tibi aurum & argentum in thesauris tuis, & per multitudinem sapientiæ in negotiatione tua multiplicasti tibi opes*, Ezech. XXVIII: 4. 5. & alibi, *Devastata est Tyrus, cujus Mercatores principes, & Negotiatores honorati terræ*, Esaj. XXIII: 1. 8. Et Ecclesia perversa apud Judæos in terra Canaane, vocatur *Terra Negotiationis*, Ezech. XVI: 3. 29. Cap. XXI: 35. Cap. XXIX: 14. [*]

v. 4 760. *Et audivi aliam vocem e Cælo, dicentem, exite ex illa populi mei, ne participes fiatis peccatorum ejus, & ne recipiatis ex plagis ejus, significat a Domino exhortationem ad omnes, tam qui in illo Religioso sunt, quam qui in illo non sunt, ut caveant sibi a conjunctione cum illo per agnitionem & affectionem, ne quoad animas conjungantur abominationibus ejus, & pereant.* Per aliam vocem e cælo dicentem, significatur a Domino exhortatio ad omnes tam qui in illo Religioso sunt, quam qui in illo non sunt, quia sequitur, exite ex illa populi mei, hoc est, omnes qui adeunt Dominum; quod a Domino sit illa exhortatio, est quia vox illa fuit e cælo; per ne participes fiatis peccatorum ejus, significatur ut caveant sibi ne quoad animas conjungantur abominationibus ejus, & quia conjunctio fit per agnitionem & affectionem, etiam hoc significatur; quod peccata eorum sint abominationes, est quia ita vocantur in Capite præcedente Vers. 4; per ne recipiatis ex plagis ejus, significatur ne pereant, per plagas enim significantur mala & falsa, & simul interitus per illas; hæc significata sunt per plagas supra, n. 657. 673. 676, & alibi. Similia dicuntur de Babele in Verbo in his locis,, *Exite e medio Babelis popule mi, eripite quisque animam suam, præ excandescentia iræ Jehovæ, ne mollescat cor vestrum, & timeatis ob famam*,, Jerem. LI: 45. 46. *Fugite e medio Babelis, & eripite quisque animam suam, ne exscindamini ob iniquitatem ejus*, Jerem. LI: 6. *Deserite Babelem, & eamus quisque in terram suam, quia pertigit ad Cælos judicium ejus, & extulit se usque ad nubes*, Jerem. LI: 9. *Exite e Babele, fugite e Chaldæis cum voce cantus; indicate & audiri facite hoc, proferte hoc usque ad extremitatem terræ, dicite redemit Jehovah*,, Esaj. XLVIII: 20. 21. Jerem. L: 8.

v. 5 761. *Quoniam pertigerunt ejus peccata usque ad Cælum, & recordatus est Deus injustitiarum ejus, significat quod mala & falsa eorum infestent Cælos, & quod hos Dominus a violentia inde tutaturus sit.* Per quod peccata ejus pertigerint ad Cælos, significatur quod mala & falsa illorum infestent angelos Cæli; per quod recordatus sit Deus injustitiarum ejus, significatur quod Dominus Cælos ex vio-

* [Vid. Bibl. Hebr. Sebas. Schmidii; tum quoque Ez. XVII. 4, cap. XXVIII. 18.]

violentia inde tutaturus fit. Quod hæc fignificentur per illa verba, eft quia omnia in Cælis funt bona & vera, & omnia in Infernis funt mala & falfa; & inde Cæli & Inferni prorfus feparati funt, & in fitu inverfo ficut antipodes; quare non poffunt mala & falfa pertingere ad Cælos; fed tamen cum mala & falfa ultra gradus oppofitionis, & inde juftam menfuram, multiplicantur, infeftantur Cæli, & nifi tunc Dominus tutatur Cælos, quod fit per influxum fortiorem a fe, violentia infertur Cælis; & cum hoc ad fummum pervenit, tunc Ultimum Judicium facit, & fic liberantur: inde eft, quod fequatur in hoc Capite, „ *Exulta fuper ea Cælum, quia judicavit Deus judicium veftrum fuper ea* „ Verf. 20. & in fequente Capite XIX: Verf. 1. ad 9: & apud Jeremiam „ *Tunc canent fuper Babele Cæli & Terræ, & omne quod in illis, quando venient fuper illam vaftatores*, LI: 48.

v. 6. 762. *Reddite illi quemadmodum illa reddidit vobis, duplicate ei dupla fecundum opera ejus, in poculo quo mifcuit mifcete ei duplum; fignificat juftam retributionem & pœnam poft mortem, quod tunc mala & falfa, quibus feduxerunt & perdiderunt alios, fuper illos fecundum quantum & quale eorum, reditura fint, quod vocatur jus talionis.* Reddite illi quemadmodum illa reddidit vobis, fignificat juftam retributionem & pœnam eorum poft mortem; duplicate ei dupla fecundum opera ejus, fignificat quod mala, quibus feduxerunt & perdiderunt alios, fuper illos fecundum quantum & quale eorum, reditura fint; in poculo quo mifcuit mifcete ei duplum, fignificat quod fimiliter falfa; nam per poculum feu vinum, fignificantur falfa, n. 316. 635. 649. 672. Pæne fimilia dicuntur de Babele apud Prophetas „ *Retribuite Babeli juxta opus ejus, juxta omne quod fecit facite illi, quia contra Jehovam infolenter egit, contra Sanctum Ifraelis* „ Jerem. L: 29. *Vindicta Jehovæ hæc, vindictam fumite de Babele, quemadmodum fecit, facite illi*, Jerem. L: 15. *Filia Babelis devaftata eft, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuifti nobis* „ Pfalm. CXXXVII: 8. Secundum fenfum literæ eft, quod illi, quos feduxerunt & perdiderunt, retributuri fint illos, fed fecundum fenfum fpiritualem eft, quod non illi illis, fed quod ipfi fibi, quia omne malum fecum fert pœnam fui; hoc fimile eft, quemadmodum in Verbo paffim dicitur, quod Deus retribuet & vindicabit injuftitias & injurias fibi factas, & ex ira & excandefcentia perdet illos, cum tamen ipfa mala, quæ contra Deum fecerunt, ita ipfi fibi, id faciunt: hoc enim eft jus talionis, quod ipfam fuam originem ducit ex hac Lege Divina „ *Omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, fic & vos facite illis; hæc eft Lex & Prophetæ* „ Matth. VII: 12. Luc. VI: 31; hæc Lex in Cælo eft Lex amoris mutui feu charitatis, ex qua fit oppofitum in Inferno, quod eft, quod cuivis fiat ficut fecerat alteri, non quod illi qui in Cælo funt, id faciant, fed quod ipfi fibi, eft enim retributio talionis ex oppofitione ad illam legem vitæ in Cælo, ficut infcripta malis eorum. Per duplum fignificatur multum fecundum quantum & quale, etiam in his locis „ *Pudefient perfequutores mei, adduc fuper illos diem mali, & duplicata fractione frange illos*, Jerem. XVII: 18: tum multum fecundum quantum & quale converfionis eorum a malis, in his „ *Confolamini populum meum, quod impleta fit malitia ejus, & expiata iniqui-*

tas

tas ejus, accepit namque e manu Jehovæ duplum; revertimini ad munimentum vincti spei, hoc die annuntians duplum, quod retribuam tibi, Sachar. IX: 9. *Pro pudore vestro duplum erit; & in terra eorum duplum possidebunt, gaudium æternitatis erit illis* ,, Esaj. LXI: 7.

763. *Quantum glorificavit seipsam, & delitiata est, tantum date illi cruciatum & luctum*, *significat quod in gradu secundum elationem cordis ex dominio, & secundum exultationem animi & corporis ex divitiis, post mortem sit illis internus dolor ex dejectione & subsannatione, & ex egestate & miseria.* Per quantum glorificavit seipsam, significatur in gradu secundum elationem cordis ex dominio, ex hoc enim glorificant se; per quantum delitiata est, significatur in gradu secundum exultationem animi & corporis ex divitiis, & inde jucunditatibus & amænitatibus, ut supra n. 759; per dare illi cruciatum, significatur internus dolor ex dejectione a dominio, & tunc subsannatione, cruciatus illorum post mortem non aliunde est; & per dare illi luctum, significatur internus dolor ex egestate & miseria, luctus eorum post mortem, inde est: Jucundum amoris dominandi ex amore sui super omnia Domini, quæ sunt omnia Cæli & Ecclesiæ, vertitur post mortem in talem cruciatum, ac amænum amoris implendi animum & corpus deliitis captis ex opulentia, apud illos, qui in dicto amore dominandi sunt, vertitur in talem luctum; nam jucunda & amæna procedentia ex amoribus faciunt vitam cujusvis, quare cum illa vertuntur in opposita, fit cruciatus & luctus: hæc sunt retributiones & pænæ, quæ in Verbo intelliguntur per cruciatus in inferno; & inde odium contra Dominum, & contra omnia Cæli & Ecclesiæ, intelliguntur per ignem ibi. Similia de Babele dicuntur apud Prophetas, ut, *Retribuam Babeli omne malum, quod fecerunt in Zione coram oculis vestris*, Jerem. LI: 24. *Veniet super Babele vastator, Deus namque Retributionum Jehovah, retribuendo retribuet* ,, Jerem. LI: 56. *Demissa est in infernum magnificentia tua, sub te substratus est vermis* (cruciatus qui est internus dolor), *dixisti in corde tuo, Cælos ascendam*, super *stellas Dei exaltabo thronum meum, similis fiam Altissimo: verumtamen ad infernum demissus es, videntes te dicent, num hic vir commovens terram, tremefaciens regna*, &c. Esaj. XIV: 11. 13. 14. 15. 16, hæc de Lucifero, qui ibi est Babel, ut patet a Vers. 4 & 22 ibi.

764. *Quia in corde suo dicit, sedeo regina, & vidua non sum & luctum non videbo*, *significat quod hæc illis sint, quia ex cordis elatione super dominio & animi exultatione super divitiis in fiducia & confidentia sunt, quod perpetuo dominaturi sint, & semetipsos tutaturi, & quod non possint illis usquam orbari.* Dicere in corde suo, significat ex cordis elatione super dominio in fiducia esse, tum ex animi exultatione super divitiis in confidentia esse; sedeo regina, significat quod dominaturi sint, hic perpetuo, quia sequitur non videbo luctum; vidua non sum, significat quod semetipsos tutaturi sint; per viduam significatur qui est absque tutela, quia absque viro; dicitur Regina & Vidua, & non Rex & Vir, quia intelligitur Babylon ut Ecclesia; & luctum non videbo, significat quod non illis duobus possint usquam orbari; quod inde illis luctus post mortem sit, videatur mox supra n. 763. Pæne similia dicuntur de Babele apud Esajam ,, *Non addes vocent te Dominam regnorum; dixisti in corde tuo, in æternum ero Domina,*

dicens in corde ſuo, ego & non ſicut ego præterea, non ſedebo Vidua, nec cognoſcam orbitatem; atqui venient tibi Duo illa in die uno, Orbitas & Viduitas: venient ſuper te propter multitudinem præſtigiarum tuarum, & magnitudinem incantationum tuarum plurimam. Confiſa es in malitia; dixiſti, non videns me, ſapientia tua ſeduxit te, cum dixiſti in corde tuo, ego & non ſicut ego præterea, ideo veniet ſuper te ſubito devaſtatio, XLVII: 5. 8. 9. 10. 11. Per viduam in Verbo intelligitur qui abſque tutela eſt, nam in ſenſu ſpirituali per viduam ſignificatur qui in bono eſt & non in vero, per Virum enim ſignificatur Verum, & per Uxorem ejus Bonum, inde per viduam ſignificatur bonum abſque vero, & bonum abſque vero eſt abſque tutela, verum enim tutatur bonum; hoc ſignificatur per Viduam in Verbo, ubi nominatur, ut Eſaj. IX: 13. 14. 16. Cap. X: 1. 2. Jerem. XXII: 3. Cap. XLIX: 10. 11. Thren. V: 2. 3. Ezech. XXII: 6. 7. Malach. III: 5. Pſalm. LXVIII: 6. Pſ. CXLVI: 7. 8. 9. Exod. XXII: 20 ad 23. Deutr. X: 18. Cap. XXVII: 18. Matth. XXIII: 14. Luc. IV: 24. Cap. XX: 6. 7. 47.

765. *Propter hoc in una die venient plagæ ejus, mors & luctus & fames, ſignificat quod propterea tempore ultimi judicii pœnæ malorum, quæ fecerunt, ſuper illos redituræ ſint, quæ ſunt mors quæ eſt vita infernalis ac inteſtinus dolor ex dejectione a dominio, luctus qui eſt internus dolor ex egeſtate & miſeria loco opulentiæ, & fames quæ eſt deprivatio intellectus omnis veri.* Per propter hoc intelligitur, quia in corde ſuo dixit, ſedeo regina & vidua non ſum, & luctum non videbo, de quibus mox ſupra n. 764; per una die, ſignificatur tempore ultimi judicii, quod etiam dies judicii vocatur; per plagas ſignificantur pœnæ malorum, quæ fecerunt in mundo; quæ tunc ſuper illos redituræ ſunt: per mortem ſignificatur vita infernalis, ac inteſtinus dolor ex dejectione a dominio, qui ſupra n. 764 vocatur cruciatus, de qua morte aliquid ſequitur; per luctum ſignificatur internus dolor ex egeſtate & miſeria loco opulentiæ, ut quoque ſupra n. 764; per famem ſignificatur deprivatio intellectus omnis veri; in has tres plagas ſeu pœnas, veniunt illi ex iſto Religioſo, qui ex amore ſui & nullo amore uſuum niſi propter ſe, dominati ſunt; hi quoque corde athei ſunt, quoniam propriæ prudentiæ ac naturæ omnia attribuunt, reliqui ex illa gente, qui tales ſunt, ſed non interius in ſe cogitant, idolatræ ſunt; quod per plagam ſeu pœnam, quæ vocatur fames, intelligatur deprivatio intellectus omnis veri, videatur ſupra n. 323: eſt quidem cuivis homini, quamdiu in mundo vivit, rationalitas, hoc eſt, facultas intelligendi verum; hæc facultas manet apud omnem hominem poſt mortem, uſque illi qui ex amore ſui & faſtu propriæ intelligentiæ imbuerunt falſa religionis in mundo, poſt mortem non volunt intelligere verum, & non velle eſt ſicut non poſſe; hoc non poſſe ex non velle eſt apud omnes tales, & augetur ex eo, quod ex jucundo concupiſcentiæ falſi propter dominium continue imbuant nova falſa confirmantia, & ſic fiunt quoad intellectum mera falſa, ac ita manent in æternum. Similia intelliguntur per hæc de Babele apud Jeremiam „ *Pudefacta eſt Mater veſtra valde, pudore ſuffuſa eſt Genetrix veſtra, ecce poſtremitas deſertum, ſiccitas & ſolitudo; ab ira Jehovæ non habitabitur, ſed erit devaſtatio tota; omnis tranſiens præter Babelem obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper omnibus plagis ejus*, L: 12. 13.

766.

766. *Et in igne comburetur, quia fortis Dominus Deus judicans illam, significat quod futuri sint odia contra Dominum & contra Ipsius Cœlum & Ecclesiam, quia tunc vident quod Solus Dominus super omnia in Cœlis & in Terris dominetur & regnet, & ne hilum aliquis homo ex se.* Per ignem quo comburetur, significatur odium contra Dominum, & contra Ipsius Cælum & Ecclesiam, de quo infra; per quia fortis Dominus judicans illam, significatur quia vident tunc, hoc est, in Mundo spirituali, in quem post mortem veniunt, quod Solus Dominus super omnia in Cælis & in Terris dominetur & regnet, & ne hilum aliquis homo ex se; quod hæc significentur per quia fortis Dominus Deus judicans illam, est quia Dominus non judicat aliquem ad infernum, sed ipsi; cum enim sentiunt angelicam sphæram de Domino e Cælo defluentem, aufugiunt ac in infernum se conjiciunt, ut constare potest ex illis quæ supra n. 233. 325. 340. 387 502, ostensa sunt. Quod per ignem significetur amor in utroque sensu, amor cælestis qui est amor Domini, & amor infernalis qui est amor sui, videatur supra n 468. 494: quod ignis infernalis sit odium, est quia amor sui odit, omnes enim qui in illo amore sunt, secundum gradum ejus, ira exardescunt, ac odio & vindicta flagrant contra illos qui impugnant, & illi qui e Babylone sunt, contra illos qui negant, quod ut Sanctitates colendi & adorandi sint; ideo cum audiunt, quod in Cælo Solus Dominus colatur & adoretur, & quod colere aliquem hominem loco Domini sit prophanum, fit adoratio Domini apud illos odium contra Illum, & adulteratio Verbi propter illum finem ut colantur, fit prophanum: hoc itaque est quod significatur per quod Babylon igne comburetur; quod igne comburi sit pæna prophanationis sancti, videatur supra n. 748. Simile intelligitur per hæc apud Jeremiam „ *Ego contra te Babel, Mons perdens, perdens universam terram, devolvam te e petris, & dabo te in montem combustionis. Muri Babelis evertendo evertentur, & portæ ejus altæ igne comburentur*, LI: 25. 58.

767. *Et deflebunt illam, & plangent super illa Reges terræ, qui cum illa scortati sunt & delitiati, quando viderint fumum combustionis ejus, significat interiores dolores illorum, qui in superiori dominio & ejus jucundis fuerunt per falsificata & adulterata vera Verbi, quæ fecerunt sancta Ecclesiæ, cum vident ea versa in prophana.* In hoc & in sequente Versu agitur de luctu Regum terræ, per quos intelliguntur supremi in Ordine, qui magnates & primates vocantur; a Vers. 11 ad 16 agitur de luctu mercatorum terræ, per quos intelliguntur inferiores in Ordine, qui vocantur monachi; & a Versu 17 ad 19 agitur de luctu nauclerorum & nautarum, per quos intelliguntur qui apportant, qui vocantur laici. Hic nunc de Regibus terræ, per quos significantur supremi in Ordine; quod per Reges non intelligantur Reges, sed qui in veris ex bono sunt, & in opposito sensu in falsis ex malo, videatur supra n. 483 704. 737. 740. 720; hic itaque per Reges terræ qui cum Meretrice scortati sunt & delitiati, significantur qui in dominio sunt & ejus jucundis per falsificata & adulterata vera Verbi, imprimis per id Verum ab illis falsificatum & adulteratum, quod Dominus dixit ad Petrum, de quo aliquid sequitur; quod scortari significet falsificare & adulterare vera Verbi, videatur n. 134 632. 635; & quod delitiari significet frui jucun-

dis dominii & ſimul opulentiæ, n. 759; per quod illi deflebunt & plangent, ſignificantur interiores illorum dolores; deflere & plangere dicitur, quia deflere eſt doloris ſuper dejectione e dominio, & plangere eſt doloris ſuper deprivatione opulentiæ; & quia horum dolores ſunt interiores quam mercatorum terræ, ideo de regibus terræ, per quos intelliguntur ſuperiores in Ordine, dicitur quod deflerent & plangerent, & de mercatoribus terræ, per quos intelliguntur inferiores in ordine, dicitur quod flerent & lugerent; per videre fumum combuſtionis, ſignificatur dum vident falſa Religioſi ſui, quæ ſunt falſificata & adulterata vera Verbi, verſa in prophana, per fumum ſignificantur falſa illa, n. 422. 452, & per combuſtionem ſignificatur prophanum; n. 766. Ex his & ex illis quæ ſupra n. 766, explicata ſunt, patet, quod per deflebunt illam & plangent ſuper illa Reges terræ, qui cum illa ſcortati ſunt & delitiati, quando viderint fumum combuſtionis ejus, ſignificentur interiores dolores illorum, qui in ſuperiori dominio & ejus jucundis fuerunt per falſificata & adulterata vera Verbi, cum vident ea verſa in prophana.

768. Aliquid dicetur hic de illo Vero, quod Dominus dixit ad Petrum de Clavibus Regni Cælorum, & de poteſtate ligandi & ſolvendi, Matth. XVI: 15 ad 20: dicunt quod illa poteſtas data ſit Petro, & quod tranſlata in illos ut ſucceſſores ejus, & quod ſic Dominus reliquerit Petro & poſt illum Illis omnem ſuam poteſtatem, & quod ageret Vicarium Ipſius in terra; ſed uſque ex ipſiſmet Domini verbis patet manifeſte, quod ne hilum poteſtatis dederit Petro, dicit enim Dominus, *Super hac Petra ædificabo Eccleſiam meam;* per Petram ſignificatur Dominus quoad Divinum Ipſius Verum, & Divinum Verum, quod eſt Petra, ibi eſt quod Petrus confeſſus eſt, antequam Dominus illa dixit, quod eſt hoc „ *Dixit Jeſus diſcipulis, vos vero quem Me dicitis eſſe, reſpondens Simon Petrus dixit,* Tu es Christus Filius Dei viventis, Verſ. 15. 18; hoc Verum eſt ſuper quo Dominus ædificat Eccleſiam ſuam, & Petrus tunc repræſentabat illud Verum; ex quo patet, quod confeſſio Domini, quod sit Filius Dei Viventis, Cui poteſtas eſt ſuper Cælum & terram, Matth. XXVIII: 18, ſit ſuper qua Dominus ædificat Eccleſiam ſuam, ita ſuper Se & non ſuper Petro. Quod Dominus intelligatur per Petram, in Eccleſia notum eſt. „ Quondam loquutus ſum cum Gente Babylonica in Mundo ſpirituali de Clavibus „ Petro datis, num credant in illum Poteſtatem a Domino ſuper Cælum & „ Infernum tranſlatam eſſe; quod quia erat caput Religionis eorum, vehe„ menter inſtabant, dicentes quod de eo nihil dubii ſit, quia manifeſte dici„ tur: ſed ad interrogationem num ſciant, quod ſingulis Verbi inſit ſenſus „ ſpiritualis, qui eſt ſenſus Verbi in Cælo; dicebant primum quod non ſciant, „ ſed poſtea dicebant quod inquiſituri ſint, & cum inquirebant inſtructi ſunt, „ quod ſenſus ſpiritualis ſit in ſingulis Verbi, qui a ſenſu literæ differt ut ſpi„ rituale a naturali; & inſuper inſtructi ſunt, quod non aliqua Perſona nomi„ nata in Verbo nominetur in Cælo, ſed quod loco ejus aliquod ſpirituale ibi „ intelligatur; informati denique ſunt, quod pro Petro in Verbo intelligatur „ Eccleſiæ Verum ex bono, ſimiliter per Petram, quæ tunc nominatur una „ cum Petro; & quod per id ſciri poſſit, quod non Petro data ſit aliqua po-

„ teſtas,

„ teſtas, ſed quod Vero ex Bono, nam omnis poteſtas in Cælis eſt Vero ex „ Bono, ſeu Boni per Verum; & quia omne bonum & omne verum ſunt ex „ Domino, & nihil ex homine, quod omnis poteſtas ſit Domino. His au- „ ditis indignati dixerunt, quod velint ſcire num is ſenſus ſpiritualis ſit in illis „ verbis, quapropter datum eſt illis Verbum quod in Cælo, in quo Verbo „ non eſt ſenſus naturalis ſed ſpiritualis, quia pro Angelis qui ſunt Spirituales, „ & cum id legebant, manifeſte videbant non ibi Petrum nominari, ſed loco „ ejus Verum ex bono quod a Domino. Hoc viſo ex ira rejecerunt illud, „ pæne dilaniaſſent dentibus, niſi eo momento ablatum fuiſſet. Inde convic- „ ti ſunt, tametſi non voluerunt convinci, quod Soli Domino illa poteſtas ſit, „ & eo minus alicui homini, quia eſt poteſtas Divina.

769. *Et e longinquo ſtantes propter timorem cruciatus ejus, dicentes væ væ urbs illa magna Babylon, urbs illa valida, quia in una hora venit judicium tuum, ſignificat timorem illorum pro pœnis, & tunc gravem lamentationem quod Religioſum id ita munitum tam ſubito & plane poſſit everti, & illi poſſint perire.* E longinquo ſtare propter timorem cruciatus, ſignificat ſtatum adhuc remotum a ſtatu illorum qui in damnatione ſunt, quia in timore pro cruciatu, de quo ſequitur; væ væ, ſignificat gravem lamentationem, quod væ ſignificet lamentationem ſuper calamitate, infelicitate & damnatione, videatur ſupra n. 416, inde væ væ gravem lamentationem; per Urbem magnam Babylon, ſignificatur Religioſum illud, hic ut ſupra n. 751, Babylon ut mulier aut meretrix, quia dicitur cruciatus ejus; per urbem validam, ſignificatur Religioſum tam munitum; per in una hora venit judicium tuum, ſignificatur quod illud tam ſubito poſſit everti, & illi poſſint perire, in una hora ſignificat tam ſubito, & per judicium ſignificatur everſio ejus & interitus illorum, qui cum Meretrice illa ſcortati & delitiati ſunt, de quibus hic agitur; quod illi per Ultimum Judicium perierint, videri poteſt in Opuſculo de Ultimo Judicio et de Babylonia destructa, Londini 1758 edito, de illo interitu hæc dicta ſunt. Quod e longinquo ſteterint propter timorem cruciatus ejus, ſignificet ſtatum adhuc remotum a ſtatu illorum qui in damnatione ſunt quia in timore pro cruciatu, eſt quia per longinquum non intelligitur longinquum ſpatii, ſed longinquum ſtatus quando quis in timore eſt propter pœnas, nam quamdiu homo in ſtatu timoris eſt, tunc videt, expendit & lamentatur; longinquum ſtatus, quod eſt longinquum in ſpirituali ſenſu, etiam ſignificatur per longinquum alibi in Verbo, ut in his „ *Audite* Longinqui *quid faciam, & cognoſcite* Propinqui *virtutem meam*„ Eſaj. XIII: 13. *Deus e Propinquo Ego, & non Deus e* Longinquo, Jerem. XXIII: 23. *Invenit gratiam in deſerto, dixit Iſrael, e* Longinquo *Jehovah apparuit mihi*, Jerem. XXXI: 2. 3. *Adduc filios meos e* Longinquo, Eſaj. XLIII: 6. *Audite populi e* Longinquo, Eſaj. XLIX: 1. 2. *Populi & gentes venientes e terra* Longinquitatis, Eſaj. V: 26; præter alibi, ut Jerem. IV: 16. Cap. IV: 15. Sach. VI: 15; ubi per gentes & populos e longinquo intelliguntur remotiores a veris & bonis Eccleſiæ: in communi ſermone etiam affines dicuntur propinqui, & remotiores in affinitate longinqui.

770. Vocatur Religioſum illud Urbs valida, quia muniverat ſe valde, mu-

niverat enim se non solum per multitudinem gentium & populorum qui illud agnoscunt, sed etiam per multa alia; ut per pluralitatem monasteriorum, & ibi per exercitus Monachorum, hoc dicitur quia vocant Ministerium suum Militiam; per possessiones opum absque ulla mensura & satietate; tum per Judicium inquisitorium; & insuper per minas & terrores, imprimis pro Purgatorio, in quod unusquisque dicitur venire; per lucis Evangelicæ exstinctionem, & inde cæcitatem in spiritualibus, quod fit per prohibitiones & inhibitiones lectionis Verbi, per Missas in lingua vulgo ignota edictas, per varias sanctitates externas, per cultum mortuorum & simulachrorum, plebi, quæ in ignorantia de Deo tenetur, insitum; perque varia splendida in externis; ut per hæc & illa in corporea fide de sanctitate omnium Religiosi istius sint: inde est quod prorsus nesciatur, quid intus in Religioso illo latet; cum tamen Religiosum illud est prorsus sicut describitur supra his verbis „ *Mulier erat circuminduta purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso, & margaritis, habens aureum poculum in manu sua plenum abominationibus & immunditie scortationis ejus* „ Apoc. XVII: 4. Sed quantumvis Babylon ita muniverat se, etiam similiter in Mundo spirituali, de quo infra n. 772, usque die ultimi judicii prorsus destructa est: de devastatione ejus ita prophetat Jeremias „ *Si ascenderit Babel in Cælos, & si muniverit excelsum roboris sui, a Mecum venient vastatores*, LI: 53. *Fortes Babelis sedent in munitionibus; oblivioni data est potentia ejus, accenderunt munitiones ejus, fracti sunt vectes ejus; capta est Urbs ab extremitate. Etiam murus Babelis concidit*, LI: 30. 31. 44. *Subito cecidit Babel & confracta est, ejulate super ea, sumite balsamum pro dolore, forte sanabitur*, LI: 8.

771. *Et mercatores terræ flebunt & lugebunt super illa, quod merces eorum nemo emat amplius, significat minores in Ordine qui ministrant & per sancta lucrantur, hic illorum dolores quod post destructionem Babylonis non agnoscantur religiosa illorum pro sanctis, sed pro adulteratis & prophanatis bonis & veris Verbi & inde Ecclesiæ, & sic quod non amplius possint quæstus sicut prius per illa facere.* Per mercatores intelliguntur minores in Ordine Hierarchiæ Ecclesiasticæ illorum, quia per reges terræ, de quibus hactenus, intelliguntur superiores in eo Ordine, videatur supra n. 767; ita per mercatores terræ intelliguntur qui ministrant & per sancta lucrantur; per flebunt & lugebunt, significantur dolores illorum, ut quoque supra n. 767; per merces eorum significantur sancta seu religiosa, per quæ lucra seu quæstus faciunt; per non emere illa amplius, significatur non velle habere illa, quia non sunt sancta, sed adulterata & prophanata bona & vera Verbi & inde Ecclesiæ, quod emere sit sibi comparare n. 606. De hoc ita apud Jeremiam „ *Babel quæ habitas super aquis multis, magna thesauris, venit finis tuus, mensura lucri tui*, LI: 13.

772. *Merces auri & argenti & lapidis pretiosi & margaritæ, significat quod hæc illis non amplius sint, quia non illis sunt spiritualia bona & vera, quibus talia correspondent.* Per merces illorum non alia significantur, quam quæ ibi nominantur; nam quod illis aurum, argentum & lapis pretiosus & margaritæ in copia sint, & quod illa per religiosa sua, quæ fecerunt sancta Divina, lucrati sint, notum est: talia fuerunt illis, qui e Babylonia erant, ante ultimum judicium; nam

nam tunc concessum fuit illis sibi sicut Cælos formare, & per varias artes sibi talia e Cælo comparare, imo illis sicut in Mundo cellaria implere: at post ultimum Judicium, quando fictitii illorum Cæli destructi sunt, tunc omnia illa in pulverem & cinerem redacta sunt, & per ventum orientalem abducta, ac ut pulvis prophanus super Inferna eorum constrata: sed de his legantur quæ in Opusculo de ULTIMO JUDICIO ET BABYLONIA DESTRUCTA, Londini 1758 edito, ex visis descripta sunt. Post illam eversionem & illorum dejectionem in infernum, in tam miserabili statu sunt, ut non sciant quid aurum, argentum, lapis pretiosus & margarita sunt; causa est, quia aurum, argentum, & lapis pretiosus, correspondent bonis & veris spiritualibus, ac margaritæ cognitionibus illorum; & quia illis non aliqua vera & bona sunt, nec cognitiones illorum, sed pro illis mala & falsa & horum cognitiones, non possunt habere illa, sed talia quæ correspondent, quæ sunt materiæ viles & tetri coloris, præter aliqua conchilia, in quibus cor suum ponunt, sicut antea in pretiosis supra nominatis. Sciendum est, quod in Mundo Spirituali sint omnia quæ in Mundo naturali, cum sola differentia, quod omnia in Mundo spirituali sint correspondentiæ, correspondent enim interioribus illorum, splendida & magnifica illis qui in sapientia ex Divinis veris & bonis a Domino per Verbum sunt, ac contraria illis qui in vesania ex falsis & malis sunt: talis correspondentia ex creatione est, cum spirituale mentis in sensuale corporis demittitur; quare ibi quisque scit qualis alter est, dum in propriam ejus Cameram venit. Ex his constare potest, quod per merces auri & argenti & lapidis pretiosi & margaritæ, significetur quod hæc illis non amplius sint; quia illis non sunt spiritualia bona & vera, nec cognitiones boni & veri, quibus talia correspondent. Quod aurum ex correspondentia significet bonum & argentum verum, videatur supra n. 211. 726. Quod lapis pretiosus significet verum spirituale, n. 231. 540. 726. Quod margaritæ significent cognitiones veri & boni, n. 727.

773. *Et byssi & purpuræ & serici & coccini, significat quod hæc illis non amplius sint, quia illis non sunt cælestia bona & vera, quibus talia correspondent.* Per supra nominata, quæ erant aurum, argentum, lapis pretiosus & margarita, in genere significantur spiritualia bona & vera, ut supra n. 772 dictum est; per hæc autem, quæ sunt byssus, purpura, sericum & coccinum, in genere significantur cælestia bona & vera; sunt enim apud illos, qui in Cælo & in Ecclesia sunt, bona & vera spiritualia, & sunt bona & vera cælestia; bona & vera spiritualia sunt sapientiæ, ac bona & vera cælestia sunt amoris; & quia hæc bona & vera nec illis sunt, sed mala & falsa illis opposita, ideo hæc dicuntur; sequuntur enim in ordine. Nunc quia similis res cum his est, quæ cum prioribus, non opus est ulteriore explicatione, quam quæ in præcedente Articulo facta est. Quid in specie byssus significat, dicetur in sequente Capite, ad hæc ibi, *Byssinum sunt justitiæ sanctorum*, Vers. 8: n. 814. 815; quod purpura significet bonum cæleste, & coccinum verum cæleste, videatur supra n. 725: per sericum significatur bonum & verum cæleste medians, bonum ex mollitie & verum ex splendore, nominatur solum Ezech. XVI: 10. 13.

774. *Et omne lignum thyinum, & omne vas eburneum, significat quod hæc illis* non

non amplius sint, quia non illis sunt naturalia bona & vera, quibus talia correspondent. Hæc similia sunt cum illis, quæ supra n. 772. 773, explicata sunt, cum sola differentia, quod per primum nominata intelligantur bona & vera spiritualia, de quibus supra n. 772; & quod per secundo nominata intelligantur bona & vera cælestia, de quibus mox supra n. 773; & quod per hæc nunc nominata, quæ sunt lignum thyinum & vas eburneum, intelligantur bona & vera naturalia: sunt enim tres gradus sapientiæ & amoris, & inde tres gradus veri & boni; primus gradus vocatur cælestis, secundus spiritualis, & tertius naturalis; hi tres gradus sunt ex nativitate apud unumquemvis hominem, & quoque sunt in communi in Cælo & in Ecclesia; quæ causa, est quod Cæli tres sint, supremum, medium & ultimum, inter se prorsus distincti secundum illos gradus; similiter Ecclesia Domini in terris; sed qualis est apud illos qui in gradu cælesti sunt, & qualis apud illos qui in gradu spirituali sunt, & qualis apud illos qui in gradu naturali sunt, non hujus loci est exponere, sed videatur de illis in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, in Classe Tertia, ubi de Gradibus actum est; hic solum, quod apud illos qui e Babylone sunt, non sint bona & vera spiritualia, nec bona & vera cælestia, & ne quidem bona & vera naturalia: quod spiritualia primo loco nominentur, est quia multi ex illis possunt spirituales esse, modo sanctum habeant Verbum corde, sicut ore dicunt; at non possunt cælestes fieri, quia non adeunt Dominum, sed adeunt homines vivos & mortuos, & colunt; hæc causa est, quod cælestia secundo loco nominentur. Quod per Lignum thyinum significetur bonum naturale, est quia Lignum in Verbo significat bonum, & Lapis verum, ac Lignum thyinum ducit suam denominationem ex duo, ac duo etiam significant bonum: quod sit bonum naturale, est quia lignum non est materia pretii, sicut est aurum, argentum, lapis pretiosus, margarita, byssus, purpura, sericum & coccinum; similiter lapis; simile est cum Ebore, per quod significatur verum naturale; quod Ebur significet verum naturale, est quia est album, & poliri potest, & quia protenditur ex ore Elephantis & quoque facit robur ejus; ut Ebur sit verum naturale illius boni, quod significatur per lignum thyinum, dicitur vas eburneum, per vas enim significatur continens, hic verum continens boni. Quod Lignum significet bonum aliquatenus constare potest his „ *Quod aquæ amaræ in Marah dulces factæ sint per Lignum injectum*, Exod. XV: 35. *Quod Tabulæ lapideæ, quibus Lex fuit inscripta, in* ARCA EX LIGNIS SCHITTIM *facta, fuerint repositæ*, Exod. XXV: 10 ad 16. *Quod Templum Hierosolymitanum* LIGNO FUERIT TECTUM *ac* INTUS VESTITUM, I Reg. VI: 10. 15. *Quod Altare in deserto ex* LIGNO *factum fuerit*, Exod. XXVII: 1. 6. Præter ex his „ *Lapis e pariete clamat, & trabs ex* LIGNO *respondet*, Habak II: 11. *Diripient opes tuas, & deprædabuntur merces tuas, & lapides tuos &* LIGNA *tua in medium maris dabunt*, Ezech. XXVI: 11. Dictum ad Prophetam, *ut sumeret unum* LIGNUM, *ut scriberet super illo Nomen Judæ & filiorum Israelis, & quoque Nomen Josephi & Ephraimi; & faciam illos in* LIGNUM UNUM, Ezech. XXXVII: 16. 17. *Aquas nostras pro argento bibimus, &* LIGNA *nostra pro pretio veniunt*, Thren. V: 4. *Si quis cum socio venit in sylvam, & cadit securis e* LIGNO

LIGNO *in socium, ut moriatur, fugiet in Urbem asyli*, Deutr. XIX: 5; hoc ideo, quia lignum significat bonum, & sic quod non morti dederit socium ex malo seu mala intentione, sed ex errore, quia in bono fuit; præter alibi. Per Lignum autem in opposito sensu significatur malum & maledictum, ut quod fecerint sculptilia ex ligno & adoraverint illa, Deutr. IV: 23 ad 28. Esaj. XXXVII: 19. Cap. XL: 20. Jerem. X: 3. 8. Ezech. XX: 32; tum quod suspensio super *Ligno* esset maledictio, Deutr. XXI: 22. 23. Quod Ebur significet verum naturale, constare etiam potest ex locis, ubi Ebur nominatur, ut Ezech: XXVII: 6. 15. Amos III: 15. Cap. VI: 4. Psalm. XL: 9. XLV. 9 (n.a.8)

775. *Et omne vas ex ligno pretioso, & ære & ferro & marmore, significat quod hæc illis non amplius sint, quia non sunt illis scientifica bona & vera in rebus Ecclesiæ, quibus talia correspondent.* Hæc similia sunt cum illis, quæ supra n. 772. 773. 774, explicata sunt; cum differentia, quod per hæc significentur scientifica, quæ ultima naturalis mentis hominis sunt, quæ quia differunt qualitate ex essentia quæ in illis, dicuntur vasa ex ligno pretioso, ex ære, ex ferro & ex marmore, per vasa enim significantur scientifica, hic in rebus Ecclesiæ; quia scientifica sunt continentia boni & veri, sicut sunt vasa continentia olei & vini: scientifica etiam sunt in multa varietate, & receptaculum eorum est Memoria; quod sint ex multa varietate, est quia interiora hominis sunt in illis, immittuntur etiam in memoriam vel ex intellectuali cogitatione, vel ex auditione, vel ex lectione, & tunc secundum variam perceptionem ex rationali; hæc omnia intus in scientificis sunt, quod apparet quando reproducuntur, quod fit cum homo loquitur aut cogitat. Quid autem per vasa ex ligno pretioso, ex ære, ex ferro & ex marmore significatur, paucis dicetur; per vas ex ligno pretioso significatur scientificum ex bono & vero rationali, per vas ex ære significatur scientificum ex bono naturali, per vas ex ferro significatur scientificum ex vero naturali, & per vas ex marmore significatur scientificum ex apparentia boni & veri. Quod Lignum significet bonum, videatur mox supra n. 764; quod hic per lignum pretiosum significetur bonum & simul verum rationale, est quia lignum significat bonum, & pretiosum prædicatur de vero; nam aliud bonum significatur per lignum ex arbore oleæ, aliud ex arbore cedri, ficus, abietis, populi & quercus. Quod vas ex ære & ferro significet scientificum ex bono & vero naturali, est quia omnia metalla, ut aurum, argentum, æs, ferrum, stannum, plumbum, in Verbo significant bona & vera, significant quia correspondent, & quia correspondent etiam in Cælo sunt; sunt enim omnia ibi correspondentiæ. Quid autem singula metalla ex correspondentia significant, non est hujus loci ex Verbo confirmare, solum aliquibus quod Æs significet bonum naturale, & inde Ferrum verum naturale, ut videri potest ex his, Quod *Pedes Filii hominis visi sint similes* ÆRI, *tanquam in Camino igniti*, Apoc. I: 15. *Quod Danieli visus sit Vir cujus pedes erant sicut splendor* ÆRIS LÆVIGATI, Dan. X: 5. 6. *Quod etiam Cheruborum pedes visi sint micantes sicut splendor* ÆRIS LÆVIGATI, Ezech. I: 7; quod pedes significent naturale, videatur n. 49. 468. 470. 510. *Quod Angelus visus sit sicut aspectus* ÆRIS, Ezech. XL: 3. Quod *Statua Nebuchadnezari visa quoad*

caput esset aurum, quoad pectus & brachia argentum, quoad ventrem & latus Æs, quoad crura FERRUM, Dan. II: 32. 33, per quam Statuam repræsentati sunt successivi status Ecclesiæ, qui ab Antiquis dicti fuerunt Sæcula, aureum, argenteum, æneum, & ferreum. Quoniam Æs significabat naturale, & populus Israeliticus fuit mere naturalis, ideo Naturale Domini repræsentatum est *per Serpentem Æneum, quem morsi a serpentibus aspicerent, & sanarentur*, Num. XXI: 6. 8. 9. Joh. III: 14. 15. Quod Æs significet bonum naturale, etiam videri potest apud Esajam. LX: 17. Jerem. XV: 20. 21. Ezech. XXVII: 13. Deutr. VIII: 7. 9. Cap. XXXIII: 24. 25.

776. Qui non scit quid per Aurum, Argentum, Lapidem pretiosum, Margaritam, Byssum, Purpuram, Sericum, Coccinum, Lignum thyinum, Vas eburneum, Lignum pretiosum, Æs, Ferrum, Marmor & Vas, significatur, potest mirari quod talia enumerata sint, & opinari quod modo sint cumulatæ voces ad exaltationem rei; sed ab explicatis constare potest, quod non unica vox sit vana, & quod per illa describatur plene, quod non illis, qui confirmaverunt se in dogmatibus Religiosi istius, sit unicum verum, & si non unicum verum non est unicum bonum, quod est bonum Ecclesiæ. Loquutus sum cum illis qui in Religioso illo se confirmaverunt, etiam cum aliquibus qui in Conciliis Niceno, Lateranensi & Tridentino, Legati fuerunt, qui principio crediderunt, quod quæ decreverant, puræ & sanctæ Veritates essent, sed post instructionem, & tunc datam e Cælo illustrationem confessi sunt, quod ne unum verum videant; at quia se in illis tunc præ aliis confirmaverunt, post illustrationem, quam ipsi exstinxerunt, ad fidem suam priorem redierunt: imprimis crediderunt, quod illa quæ de BAPTISMO & JUSTIFICATIONE sanciverunt, essent Veritates; sed usque dum in illustratione erant, viderunt & ex visu illustrato confessi sunt, quod peccatum originale non sit alicui ex Adamo, sed a propriis parentibus successive, & quod non id in Baptismo per imputationem & applicationem meriti Domini tollatur; tum quod imputatio & applicatio meriti Domini, sit figmentum humanum, quia impossibile; & quod nusquam alicui lactanti infundatur fides, quia fides est cogitantis. Viderunt usque quod Baptismus sit Sanctus & Sacramentum, quia in Signum & in Memoriale quod homo possit regenerari a Domino per vera ex Verbo, in Signum pro Cælo, & in Memoriale pro homine, & quod homo per illum introducatur in Ecclesiam, sicut filii Israelis per transitum Jordanis in terram Canaanem, & sicut habitatores Hierosolymæ ad receptionem Domini per baptismum Johannis, nam absque illo signo in Cælo coram Angelis non potuerunt Judæi subsistere & vivere veniente Jehovah, hoc est, Domino in Carne. Similia his fuerunt quæ de Justificatione sanciverunt. Quod Imputatio meriti Domini non sit, nec detur, videatur IN DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 18. Et quod malum hæreditarium, quod vocatur peccatum originale, non sit ab Adamo sed a parentibus successive, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 277. Quid Adamus in Verbo, n. 241, ibi.

v. 13 777. *Et cinnamomum & suffimenta & pigmentum & thus, significat quod non illis sit amplius cultus ex bonis & veris spiritualibus, quia non aliquid intus in cultu ha-*

habent, quod supranominatis correspondet. In Versu præcedente actum est de omnibus quæ sunt doctrinæ Ecclesiæ, in hoc Versu autem agitur de omnibus quæ sunt cultus Ecclesiæ: præmissa sunt illa quæ sunt doctrinæ, & sequuntur illa quæ sunt cultus, quoniam ex bonis & veris doctrinæ est quale cultus, cultus enim non est nisi quam actus externus, in quo interna, quæ sunt doctrinæ, erunt, absque his est cultus absque sua essentia, vita & anima. Nunc quia omnia quæ doctrinæ sunt, se referunt ad bona quæ amoris & charitatis sunt & ad vera quæ sapientiæ & fidei sunt, & illa bona & vera secundum gradus ordinis illorum sunt cælestia, spiritualia & naturalia, ita quoque omnia cultus; & quia primo loco in versu præcedente nominantur spiritualia doctrinæ, ita hic quoque, spiritualia cultus, quæ sunt cinnamomum, suffimenta, pigmentum & thus, & secundo loco nominantur cælestia cultus, quæ sunt vinum, oleum, simila & triticum, & tertio nominantur naturalia cultus, quæ sunt jumenta & oves; quod omnia illa bona & vera cultus erunt ex Verbo, significatur per quod sint equorum, rhedarum, corporum, & animæ hominum; hæc est series rerum in sensu spirituali in hoc Versu. Sed per omnia illa quæ in hoc Versu enumerata sunt, intelligitur similiter ut per illa quæ in præcedente Versu enumerata sunt, hoc est, quod illa bona & vera apud illos non sint, quia non habent talia apud se quæ illis correspondent; quod patet ab illis quæ præcedunt, ubi hæc, quod Urbs Babylon igne comburetur, & nemo merces ejus emet amplius, Vers. 8. 9. 10. 11; & ex illis quæ sequuntur, ubi hæc, quod omnia pinguia & splendida abiverint ab illa, & non invenientur amplius, Vers. 14; & quod devastata sint, Vers. 16 19. Sed nunc dicetur aliquid de illis quæ nominata sunt, quæ sunt cinnamomum, suffimenta, pigmentum & thus; hæc nominantur, quia sunt talia per quæ suffitus fiebant; quod per suffitus significetur cultus Domini ex bonis & veris spiritualibus, videatur supra n. 277. 392; & quod suffitus placerent quia erant ex fragrantibus quæ correspondebant, n. 394: omnia fragrantia, per quæ parabatur, intelliguntur per cinnamomum, suffimenta & pigmentum, & essentiale eorum per thus; hoc patet a recensione aromatum ex quibus conficiebatur, apud Mosen ,, *Dixit Jehovah ad Mosen, sume tibi aromata, stacten, onychen & galbanum, & thus purum; & facies illa suffimentum, pigmentum, opus pigmentarii, salitum, purum, sanctum*, Exod. XXX: 34. 35. 36. 37; ex illis fiebant suffitus, per quos significabatur cultus ex bonis & veris spiritualibus, ut dictum est: nominatur hic cinnamomum loco omnium aromatum ibi. Quid autem singula illa aromate in sensu spirituali significant, videri potest in ARCANIS CÆLESTIBUS super Exodo, ubi illa singillatim explicata sunt.

778. *Et vinum & oleum & similam & triticum, significat quod non illis amplius sit cultus ex veris & bonis cælestibus, quia non intus in cultu habent, quæ supranominatis correspondent.* Hæc similia sunt cum illis, quæ nunc supra & prius dicta sunt, cum sola differentiâ, quod per hæc significentur bona & vera cælestia: quænam bona & vera dicuntur cælestia, & quænam spiritualia, videatur supra n. 773; & quod, quia hæc illis non sunt, nec in cultu eorum sint; nam, ut supra dictum est, bona & vera doctrinæ sunt in cultu sicut anima in cor-

pore, quare cultus absque illis est cultus inanimatus; talis est cultus qui in externis est sanctus, in quo non aliquid internum sanctum est.' Quod Vinum significet verum ex bono amoris, videatur supra n. 316; quod Oleum significet bonum amoris, videbitur in sequente Articulo; per Similam significatur verum cæleste, & per Triticum significatur bonum cæleste. Quod per vinum, oleum, similam & triticum, significentur vera & bona cultus, est quia ex illis constabant libamina & minchæ, quæ una cum sacrificiis offerebantur super Altari; & per Sacrificia ac per Munera oblata super Altari significatur cultus, principalis enim cultus in illis consistebat: quod Libamina, quæ erant vinum, super Altari una cum sacrificiis oblata fuerint, videri potest Exod. XXIX: 40. Levit. XXIII: 12. 13. 18. 19. Num. XV: 2 ad 15. Cap. XXVIII: 11 ad 15. 18 ad fin. Cap. XXIX: 1 ad 7 seq. & insuper, Esaj. LVIII: 6. Cap. LXV: 11. Jerem. VII: 18. Cap XLIV: 17. 18. 19. Ezech. XX: 28. Joel I: 9. Psalm. XVI: 4. Deutr. XXXII: 38. Quod etiam Oleum super Altari una cum sacrificiis oblatum fuerit, Exod. XXIX: 40. Num. XV: 2 ad 15. Cap. XXVIII: 1 ad fin. Quod Minchæ, quæ erant ex simila tritici, una cum sacrificiis super Altari oblatæ fuerint, Exod. XXIX: 40. Levit. II: 1 ad 13. Cap. V: 11 ad 14. Cap. VI: 6 ad 14. Cap. VII: 9 ad 13. Cap. XXIII: 12. 13. 17. Num. VI: 14 ad 21. Cap. XV: 2 ad 15. Cap. XVIII: 8 ad 20. Cap. XXVIII: 1 ad 15. Cap. XXIX: 1 ad 7. & insuper Jerem. XXXIII: 18. Ezech. XVI: 13. 19. Joel I: 9. Mal. I: 10. 11. Psalm. CXLI: 2. Panes facierum seu propositionis super mensa in Tabernaculo etiam ex Simila tritici confecti sunt, Levit. XXIII: 17. Cap. XXIV: 5 ad 10. Ex his videri potest, quod quatuor hæc, Vinum, Oleum, Simila & Triticum fuerint sancta & cælestia cultus.

779. Quoniam Oleum hic inter Sancta Cultus nominatur, & significat bonum Cæleste, dicetur hic aliquid de Oleo Unctionis, quod apud Antiquos in usu fuit, & postea mandatum filiis Israelis. Quod Antiquis temporibus unxerint lapides erectos in statuas, patet ex Genes. XXVIII: 18. 19. 22. Quod etiam unxerint arma belli, scuta & clypeos, 2 Sam. I: 21. Esaj. XXI: 5. Quod mandatum sit, ut Oleum sanctitatis præpararent, quo Ungerent omnia sancta Ecclesiæ; quod illo unxerint Altare & omnia ejus vasa, tum Tabernaculum & omnia ejus, Exod. XXX: 22 ad 33. Cap. XL: 9. 10. 11. Levit. VIII: 10. 11. 12. Num. VII: 1. Quod eo unxerint Illos qui sacerdotio fungerentur, & illorum vestes, Exod. XXIX: 7. 29. Cap. XXX: 30. Cap. XL: 13. 14. 15. Levit. VIII: 13. Psalm. CXXXIII: 1. 2. 3. Quod illo unxerint Prophetas, 1 Reg. XIX: 15. 16. Quod illo unxerint Reges, & quod ideo Reges dicti sint Uncti Jehovæ, 1 Sam. X: 1. Cap. XV: 1. Cap. XVI: 6. Cap. XVIII: 3. 12. Cap. XXIV: 7. 11. Cap. XXVI: 9. 11. 16. 23. 2 Sam. I: 16. Cap. II: 4. 7. Cap. V: 13. Cap. XIX: 22. 1 Reg. I: 34. 35. Cap. XIX: 15. 16. 2 Reg. IX: 3. Cap. XI: 12. Cap. XXIII: 30. Thren. IV: 20. Habacc. III: 13. Psalm. II: 2. 6. Ps. XX: 6. Ps. XXVIII: 8. Ps. XLV: 1. Ps. LXXXIV: 9. Ps. LXXXIX: 24. 38. 51. Ps. CXXXII: 17. Quod Unctio per Oleum sanctitatis mandata sit, est quia Oleum significabat Bonum amoris, & repræsentabat

bat Dominum, Qui quoad Humanum suum est Ipse & Solus Unctus Jehovæ, Unctus non Oleo sed ipso Divino Bono Divini Amoris; quare etiam nominatus est Messias in Veteri Testamento & Christus in Novo, Joh. I: 41. Cap. IV: 25, ac Messias & Christus significant Unctum: inde est, quod Sacerdotes, Reges, & omnia Ecclesiæ uncta fuerint, & cum Uncta dicta sint sancta, non quod sancta in se essent, sed quia per id repræsentabant Dominum quoad Divinum Humanum; inde fuit sacrosanctum lædere Regem, quia Unctus Jehovæ, 1 Sam. XXIV: 7. 11. Cap. XXVI: 9. II Sam. I: 16. Cap. XIX: 22. Præterea in usu receptum fuit semet & alios ungere ad testificandum animi lætitiam & benevolentiam, sed oleo communi aut alio nobili, at non oleo sanctitatis, Matth. VI: 17. Marc. VI: 13. Luc. VII: 46. Esaj. LXI: 3. Amos. VI: 6. Mich. VI: 15. Psalm. XCII: 11. Ps. CIV: 15. Dan. X: 37. Deut. XXVIII: 40: quod non licuerit se aut alios ungere Oleo sanctitatis, Exod. XXX: 32. 33.

780. *Et jumenta & oves, significat quod non illis amplius sit cultus ex bonis & veris Ecclesiæ externis seu naturalibus, quia non aliquid intus in cultu habent, quod supra nominatis correspondet.* Hæc similia sunt cum illis quæ supra, n. 777. 778, explicata sunt, cum differentia quod ibi sint bona & vera spiritualia, ac bona & vera cælestia, hic autem bona & vera naturalia, de quorum discrimine videatur supra n. 773. Per Jumenta & Oves significantur Sacrificia quæ fiebant per boves, juvencos, hircos, oves, hædos, arietes, capras, agnos; boves & juvenci intelliguntur per jumenta, ac hædi, arietes, capræ, agni per Oves; & Sacrificia erant externa cultus, quæ etiam naturalia cultus vocantur.

781. *Et equorum & rhedarum & corporum & animæ hominum, significat illa omnia secundum intellectum Verbi & Doctrinam inde, & secundum bona & vera sensus literæ ejus, quæ illis non sunt, quia falsificant & adulterant Verbum, applicando illa quæ ibi contra genuinum sensum ejus ad Dominium super Cælum & Mundum.* Hæc dicuntur in Casu genitivo, quia sunt illarum rerum quæ præcedunt: quod per equos significetur intellectus Verbi, videatur n. 298; quod per currus significetur doctrina e Verbo, n. 437, inde simile per rhedas; quod per corpora & animas hominum significentur bona & vera sensus literæ Verbi, est quia per illa significantur similia quæ per corpus & sanguinem in sacra Cæna, per corpus in illa significatur Divinum Bonum Domini, & per Sanguinem Divinum Verum Domini, & quia significant illa, etiam significant Divinum Bonum & Divinum Verum Verbi, quia Dominus est Verbum: sed pro sanguine hic dicitur Anima, causa est, quia per animam pariter significatur Verum, videatur supra n. 681, & quia sangvis in Verbo dicitur Anima, Genes. IX: 4. 5. Levit. XVII: 12. 13. 14. Deut. XXVII: 25. simile significatur per *Animam hominis*, Ezech. XXVII: 13; tum per *Semen hominis*, Dan. II: 43. Similia per Equos & Rhedas significantur apud Esajam ,, *Tunc ducent omnes fratres vestros super equis & super curru & super rhedis, & super mulis & super veredariis ad montem sanctitatis meæ Hierosolymam* ,, LXI: 20; hæc dicuntur de Nova Ecclesia Domini, quæ est Hierosolyma, de illis ibi qui in intellectu Verbi & in doctrina

inde sunt, quæ sunt equi, currus, rhedæ. Nunc quia illi, qui ex Religioso Romano Catholico sunt, falsificant & adulterant Verbum per applicationem ad dominium super Cælum & Mundum, significatur quod illis non aliqua bona & vera sint ex Verbo, & ideo nec in doctrina illorum: de hoc ita dicit Jeremias ,, *Comedit me, conturbavit me Rex Babelis, constituit me vas vacuum, deglutivit me sicut cetus, implevit ventrem suum ex delitiis meis*, LI: 34. 35. *Gladius contra equos Babelis, & contra currus ejus, & contra thesauros ejus, ut diripiantur; siccitas super aquas ejus, ut exarescant; quia terra sculptilium illa, & de horrendis gloriantur*, L: 37. 38.

782. *Et fructus desiderii animæ tuæ abiverunt a te, & omnia pinguia & splendida abiverunt a te, & amplius non invenies illa*, *significat quod omnes beatitudines & felicitates cæli, etiam externæ quales ab illis cupiuntur, prorsus fugituræ sint, & non amplius apparituræ, quia non aliquæ affectiones boni & veri cælestes & spirituales apud illos*. Per fructus desiderii animæ, non aliud significatur quam beatitudines & felicitates Cæli, quia hæ sunt fructus omnium doctrinæ & cultus, de quibus actum est, & quia sunt desideria hominum quando moriuntur, & quoque desideria cum recentes in mundum spiritualem veniunt; per pinguia & splendida significantur affectiones boni & veri cælestes & spirituales, per pinguia affectiones boni, de quibus sequitur, & per splendida affectiones veri, quæ splendida dicuntur, quia existunt ex luce Cæli & ejus splendore in mentibus, unde intelligentia boni & veri ac sapientia; per abire & non invenire illa amplius, significatur quod fugituræ sint & non magis apparituræ, quia illi non in aliquo bono & vero cælesti & spirituali sunt; quod etiam externæ, quales ab illis cupiuntur, dicitur, quia non aliæ beatitudines & felicitates & affectiones ab illis cupiuntur, quam corporeæ & mundanæ, & inde non scire possunt, quid & quales illæ sunt quæ vocantur cælestes & spirituales. Sed hæc illustrentur per detectionem sortis illorum post mortem; omnes illi ex illo Religioso, qui in amore dominii ex amore sui & inde in amore mundi fuerunt, dum in Mundum spiritualem veniunt, quod fit statim post mortem, non spirant aliud quam dominium ac voluptates animi ex illo, & voluptates corporis ex opulentia; amor enim regnans cum ejus affectionibus seu concupiscentiis & desideriis, manet unumquemvis post mortem; sed quia amor dominandi ex amore sui super Sancta Ecclesiæ & Cæli, quæ omnia sunt Divina Domini, est diabolicus, ideo post exactum tempus separantur a sociis, & dejiciuntur in inferna: at usque quia ex Religioso suo in externo cultu Divino fuerunt, primum instruuntur quid & quale Cælum est, ac quid & qualis felicitas vitæ æternæ, quod sint meræ beatitudines influentes a Domino apud unumquemvis in Cælo secundum quale affectionis boni & veri cælestis apud illos; sed quia illi non adiverunt Dominum, & inde non conjuncti sunt cum Ipso, & quoque non in aliqua tali affectione boni & veri fuerunt, aversantur illa, & avertunt se, & tunc cupiunt voluptates amoris sui & mundi, quæ sunt mere naturales & corporeæ; sed quia illis voluptatibus insitum est malefacere, imprimis illis qui colunt Dominum, ita Angelis cæli, ideo etiam illis voluptatibus deprivantur, & tunc rejiciuntur inter socios qui in Ergastulis infernalibus in contemtu & miseria sunt; sed hæc

fiunt

sunt illis secundum gradum amoris Dominii super Divina Domini, secundum quem gradum est illis rejectio Domini. Ex his nunc constare potest, quod per fructus desiderii animæ tuæ abiverunt, & omnia pinguia & splendida abiverunt a te, & amplius non invenies illa, significetur quod omnes beatitudines & felicitates cæli, etiam externæ, quales ab illis cupiuntur, prorsus fugituræ sint & non amplius apparituræ, quia non aliquæ affectiones boni & veri sunt apud illos. Quod Pinguia significent bona cælestia ac eorum affectiones & affectionum jucunditates, constare potest ex sequentibus locis, „ *Attendite ad Me, comedite bonum, ut delitietur in* PINGUEDINE *anima vestra*, Esaj. LV: 2. *Implebo animam sacerdotum* PINGUEDINE, *& populus meus* BONO *saturabitur*, Jerem. XXXI: 14. ADIPE *&* PINGUEDINE *saturabitur anima mea, & labiis canticorum laudabit os meum*, Psalm. LXIII: 6. *Implentur* PINGUIDINE *domus tuæ, & flumine delitiarum tuarum potas eos*. Psam. XXXVI: 9. *Faciet Jehovah omnibus populis in Monte hoc Convivium* PINGUEDINUM, PINGUEDINUM MEDULLATARUM, Esaj. XXV: 6. *Adhuc proventum habebunt in senio*, PINGUES *& virides erunt, ad annuntiandum quod rectus Jehovah*, Psalm. XCII: 15. 16. *Quod in Convivio quod Jehovah faciet, comedent* PINGUEDINEM AD SATIETATEM, *& bibent Sanguinem ad ebrietatem* „ Ezech. XXXIX: 19. *Jehovah holocaustum tuum* PINGUE FACIET, Psalm. XX: 4. Quia Pinguedo significat bonum cæleste, ideo statutum fuit, ut omnis PINGUEDO *ex sacrificatis super Altari adoleretur*, Exod. XXIX: 13. 22. Levit. I: 8. Cap. III: 3 ad 16. Cap. IV: 8 ad 35. Cap. VII: 3. 4. 30. 31. Cap. XVII: 16. Num. XVIII: 17. 18. In opposito sensu per Pingues significantur illi qui ad bonum nauseant, & quia nimium est id contemnunt & rejiciunt, Deutr. XXXII: 15, Jerem. V: 27. Cap. L: 11. Psalm. XVII: 10. Ps. XX: 4. Ps. LXVIII: 32. Ps. CXIX: 70, & alibi.

783. *Mercatores horum qui divites facti ab illa, e longinquo stabunt propter timorem cruciatus ejus, flentes & lugentes, significat statum ante damnationem, ac tunc timorem & lamentationem illorum, qui per varias dispensationes & promissiones gaudiorum cælestium, lucrati sunt.* Per Mercatores horum, nempe fructuum desiderii animæ, ac pinguium & splendidorum, de quibus in mox præcedente Versu, significantur illi qui per varias dispensationes, & promissiones gaudiorum cælestium, divites facti sunt, hoc est, lucrati: per hos Mercatores intelliguntur omnes tam superiores quam inferiores in Ordine Ecclesiastico illorum, qui per talia lucrati sunt; quod etiam superiores, patet a Versu 23 hujus Capitis, ubi dicitur, *Quia Mercatores tui erant Magnates terræ;* quod inferiores, a Vers. 10, videatur supra n. 771; per stare e longinquo propter timorem cruciatus flentes & lugentes, significatur dum adhuc sunt in statu remoto a damnatione, & usque in timore tunc pro pœnis, & in lamentatione, ut supra n. 769, ubi similia dicuntur.

784. Quod attinet dispensationes per quas lucrantur, sunt illæ variæ: sunt dispensationes circa Matrimonia intra gradus in legibus prohibitos contrahenda; circa Divortia; circa Mala, etiam enormia, & tunc liberationem a pœnis temporalibus: tum etiam per Indulgentias: dispensationes circa Ministeria absque ulla potestate aut autoritate Sæcularium; inter quæ etiam sunt confirmationes Du-

Ducatuum & Principatuum; præterea per promissiones gaudiorum Cælestium factas illis qui ditant monasteria, & thesauraria illorum augent, vocando dona illorum bona opera, in se sancta, ut & merita; ad quæ adducuntur per impressam fidem de potestate & ope Sanctorum suorum, & de miraculis ab illis factis: imprimis insidiantur divitibus cum ægrotant, & quoque tunc infundunt terrorem pro Inferno, & sic extorquent; promittendo sacrificia Missæ pro animabus eorum secundum valorem testati, & per illa successivam exemptionem e loco cruciatus, quem vocant Purgatorium, & sic intromissionem in Cælum. Quod Purgatorium attinet, asseverare possum, quod sit pure figmentum Babylonicum propter lucrationes, & quod non detur nec dari possit: omnis homo post mortem primum venit in Mundum spirituum, qui est medius inter Cælum & Infernum, & ibi præparatur vel ad Cælum vel ad Infernum, quisque secundum vitam suam in Mundo; & in illo Mundo non est alicui cruciatus, sed malus tunc primum in cruciatum venit, quando post præparationem in infernum: sunt in illo Mundo innumeræ Societates, in illis gaudia similia quæ in Terris, ex causa quia illi, qui ibi, conjuncti sunt hominibus in terris, qui etiam in medio inter Cælum & Infernum sunt; externa illorum ibi successive exuuntur, ac sic interna aperiuntur, & hoc usque dum amor regnans, qui quia amor vitæ est, ac intimus & dominans super externa, revelatur; quo revelato patet qualis homo est; & secundum quale illius amoris emittitur e Mundo spirituum ad locum suum, si bonus in Cælo, & si malus in Inferno. Quod ita sit, datum est pro certo scire, quia a Domino datum est mihi una cum illis esse qui in illo Mundo sunt, ac videre omnia, & sic ab ipsa experientia id referre, & hoc nunc per viginti annos: quare asseverare possum, quod Purgatorium sit figmentum, quod vocari potest diabolicum, quia propter lucrationes, & propter potestatem super animas, etiam defunctorum, post mortem.

785. *Et dicentes, væ, væ, urbs illa magna, circumamicta bysso & purpura & coccino & inaurata auro, lapide pretioso & margaritis, quia una hora devastatæ sunt tantæ divitiæ*, significat gravem lamentationem quod magnifica & lucra eorum, tam subito & plane destructa sint. Per væ væ, significatur gravis lamentatio, ut supra n. 769; per Urbem illam magnam, significatur Religiosum Catholico Romanum, quia dicitur circumamicta bysso & purpura ac inaurata auro, quod non dici potest de Urbe, sed de Religioso; per circumamictam bysso, purpura & coccino, & inauratam auro, lapide pretioso, & margaritis, significantur similia, quæ supra n. 725. 726. 727, ubi eadem verba, in genere magnifica in externa forma; per quia una hora devastatæ sunt tantæ divitiæ, significatur quod lucra eorum tam subito & plane destructa sint, per unam horam significatur subito & plane, ut supra n. 769, quia per tempus & omnia temporis significantur status, n. 476. Ex his patet, quod per illa verba significentur illa quæ supra allata. De devastatione Babelis consimilia dicuntur apud Jeremiam ,, *Terra Babelis plena est reatu a Sancto Israelis: stant cogitationes Jehovæ contra illam, ad ponendum illam in desolationem: non sument de te lapidem pro angulo aut lapidem fundamentorum, quia vastitas sæculi eris. Erit Babel in acervos, habitaculum draconum, stuporem & sibilum. Reducta est Babel in desolationem, ascendit*

dit super illam mare, multitudine fluctuum obtecta est, redactæ sunt urbes ejus in desolationem, terram siccitatis & solitudinis ,, LI: 5. 26. 29. 37. 41. 42. 43.

786. *Et omnis gubernator & omnis super navibus versans & nautæ, & quotquot mare operantur, significat illos qui vocantur Laici, tam qui in majore dignitate quam qui in minore constituti sunt, usque ad plebem, qui Religioso isti addicti sunt, ac illud amant & osculantur, aut corde agnoscunt & venerantur.* Actum est a Versu 9 ad 16, de Clericis, qui ex Religioso illo in Dominio fuerunt, & exercuerunt potestatem Divinam Domini, & per illam lucrati sunt mundum; nunc agitur de illis qui non in aliquo ordine ministerii sunt, at usque Religiosum illud amant & osculantur, aut corde agnoscunt & venerantur, qui nuncupantur Laici; per omnem gubernatorem, intelliguntur supremi ex illis, qui sunt Imperatores, Reges, Duces & Principes; per omnem super navibus versantem, intelliguntur qui in variis functionibus sunt in majori & minori gradu; per nautas intelliguntur infimi qui vocantur plebs; per quotquot mare operantur, intelliguntur omnes in genere qui Religioso isti addicti sunt, & illud amant & osculantur aut corde agnoscunt & venerantur: quod hi & illi hic intelligantur, patet a serie rerum in sensu spirituali; & ex significatione super navibus, & versantium super navibus & nautarum, & ex significatione operantium mare; per gubernatores navium, & versantium super illis & nautarum, non alii possunt intelligi quam qui apportant illa, quæ supra vocantur merces, quæ sunt quæ in thesauraria sua colligunt, ut & possessiones, ac pro illis reportant benedictiones & beatificationes, ut merita, & alia similia quæ pro animabus suis desiderant; & cum hi intelliguntur, patet quod per omnem gubernatorem intelligantur summi eorum, per omnem versantem super navibus, omnes in officiis subordinati illis, & per nautas infimi; quod per naves significentur merces spirituales quæ sunt cognitiones veri & boni, videatur supra, n. 406, hic merces naturales, & reportant spirituales, ut opinantur; quod per quotquot mare operantur, intelligantur omnes quicunque sint, qui Religiosum illud amant & osculantur, aut corde agnoscunt & venerantur, est quia per Mare significatur Religiosum illud, per Mare enim significatur Externum Ecclesiæ, videatur supra n. 238. 290. 403. 404. 420. 470. 566. 659. 661, & Religiosum hoc est mere Externum. Similia significantur per hæc apud Esajam ,, *Sic dixit Jehovah Redemptor vester Sanctus Israelis, propter vos misi in Babelem, & dejiciam vectes omnes, quorum in Navibus clamor; sic dixit Jehovah, qui dedi in mari viam, & in aquis validis semitam* ,, XLIII: 14. 16; dicitur clamor in navibus, ut quoque hic, quod steterint e longinquo & e navibus clamaverint: & quoque apud Ezechielem ,, *Ad vocem clamoris Nauclerorum tuorum contremiscent suburbana, & descendent e navibus tuis omnes tenentes remum, omnes nautæ & naucleri maris, & super te clamabunt amare* ,, XXVII: 28. 29. 30; sed hæc de devastatione Tyri, per quam significatur Ecclesia quoad cognitiones veri & boni. At sciendum est, quod non alii hic intelligantur, quam qui Religiosum illud amant & osculantur, aut corde agnoscunt & venerantur. At vero illi ex eodem Religioso, qui quidem agnoscunt illud, quia nati & educati in illud, & non sciunt aliquid de astutiis & laqueis eorum ad arrogandum sibi cultum Divinum, & ad possiden-

dum omnia omnium in mundo, & usque bona faciunt ex sincero corde, & quoque oculos suos ad Dominum verterunt, hi post mortem inter beatos veniunt, nam instructi ibi recipiunt veritates, ac rejiciunt adorationem Papæ, & invocationem Sanctorum, & agnoscunt Dominum pro Deo Cæli & Terræ, elevantur in Cælum, & fiunt Angeli: quare ex illis etiam sunt plures Societates cælestes in Mundo spirituali, quibus præficiuntur honorati, qui similiter vixerunt: datum est videre, quod etiam quidam qui fuerunt Imperatores, Reges, Duces, & Principes, qui quidem agnoverunt Pontificem pro Supremo Ecclesiæ, sed non pro Vicario Domini, & quoque agnoverunt aliqua ex Bullis Papalibus, sed tamen sanctum habuerunt Verbum, ac juste egerunt in administratione sua, præfectos Societatibus illis: videantur de his aliqua in CONTINUATIONE DE ULTIMO JUDICIO ET DE MUNDO SPIRITUALI n. 58 & 60, ab experientia relata.

praeficiuntur
Sint praefecti
V. 18

787. *E longinquo steterunt, & clamaverunt videntes fumum combustionis ejus, dicentes, quæ similis urbi isti, significat in statu remoto luctum eorum super damnatione istius Religiosi, quod crediderunt supereminens præ omni religione in Mundo.* Per e longinquo steterunt, significatur dum adhuc in statu remoto sunt a damnatione, & usque in timore pro pœnis, n. 769. 783; per clamaverunt, significatur luctus eorum; per fumum combustionis, significatur damnatio propter adulterationem & prophanationem Verbi, n. 766. 767; per dicentes quæ similis urbi isti, significatur quod crediderint Religiosum illud præ omni Religione in Mundo supereminens esse; per Urbem magnam illam, significatur Religiosum illud, ut supra sæpius. Quod credant Religiosum illud esse supereminens præ omni Religione, & quod sit Ecclesia Mater, Regina & Domina, notum est; tum quod ut ita credant, continue infundatur a Canonicis & Monachis, & quod hi id faciant ex igne dominandi & lucrandi, etiam notum est illis qui attendunt; at usque non possunt propter potestatem dominationis eorum recedere ab omnibus externis ejus; sed usque possunt recedere ab internis ejus, quoniam voluntati & intellectui hominis, & inde affectioni & cogitationi ejus, relicta est & relinquitur omnis libertas.

V. 19

788. *Et miserunt pulverem super capita sua, & clamaverunt flentes & lugentes, dicentes, væ væ Urbs illa magna, significat dolorem & luctum eorum interiorem, & exteriorem, qui est lamentatio, quod tam eminens Religiosum prorsus destructum & damnatum sit.* Per mittere pulverem super capita, significatur interior dolor & luctus propter destructionem & damnationem, de qua sequitur; per clamare flentes & lugentes, significatur dolor & luctus exterior, per flere significatur luctus animæ, & per lugere luctus cordis; per væ væ urbs ista, significatur gravis lamentatio super destructione & damnatione, quod væ significet lamentationem super calamitate, infelicitate & damnatione, & inde væ væ gravem lamentationem, videatur n. 416. 769. 785, & quod Urbs significet Religiosum illud, n. 785, & alibi. Quod per mittere pulverem super caput significetur interior dolor & luctus propter destructionem & damnationem, constat ex his sequentibus ,, *Clamabunt amare, & ascendere facient* PULVEREM SUPER CAPITE SUO, *& in* CINERE *volvent se* ,, Ezech. XXVII: 30. *Sedent in terra filiæ Zionis, ascendere fecerunt* PULVEREM SUPER CAPUT SUUM ,, Thren. II: 10.

[Seniores]

Ami-

Amici Hiobi sciderunt tunicas suas, & sparserunt PULVEREM SUPER CAPITA SUA, Hiob. II: 12. *Descende & sede super* PULVERE *filia Babelis, sede in terra, non thronus tibi*, Esaj. XLVII: 1; præter alibi. Quod miserint pulverem super capita, cum intime dolerent, erat causa, quia pulvis significabat damnatum, ut patet ex Genes. III: 14. Matth. X: 14. Marc. VI: 11. Cap. X: 10. 11. 12, & pulvis super capite repræsentabat agnitionem quod ex se damnati essent, & sic pænitentiam, ut Matth. XI: 21. Luc. X: 13: quod pulvis significet damnatum, est quia terra super inferna in Mundo spirituali consistit ex mero pulvere absque gramine & herba.

789 *In qua ditati sunt omnes habentes naves in mari ex pretiositate ejus, quia una hora devastati sunt, significat propter id, quod per sancta Religiosi istius omnes, quotquot emere vellent, propitiati sint, & pro divitiis mundanis & temporariis receperint divitias spirituales ac æternas, & quod nunc non aliquis.* Per ditari ex pretiositate ejus, significatur per sancta Religiosi istus propitiari Deo, seu credere quod pro mercibus seu divitiis temporalibus & temporariis recipiant merces seu divitias spirituales ac æternas, hoc est, quod pro auro, argento, lapide pretioso, margaritis, purpura, & cæteris, quæ Vers. 12. 13, enumerantur; accipiant benedictiones ac felicitates post mortem; hæc intelliguntur per pretiositatem, qua se dicunt ex Urbe illa ditatos esse; quod sic etiam loquantur, notum est; per quod una hora devastati sint, significatur quod propter destructionem Religiosi istius post hac non aliquis sancta illorum emere possit; ex his patet, quod per ea verba significentur illa qua supra allata sunt. Quod sancta Ecclesiæ per pretiosa significentur, patet ex his locis ,, *Benedicta a Jehovah terra Josephi, de* PRETIOSIS *Cæli, de* PRETIOSIS *prouentuum Solis, de* PRETIOSIS *producti mensium, de* PRETIOSIS *collium æternitatis, & de Pretiosis terræ* ,, Deutr. XXXIII: 13. 14. 15. *Filius* PRETIOSUS *Mihi Ephraim, natus delitiarum*, Jerem. XXXI: 20; per Ephraimum intelligitur intellectus Verbi. *Filii Zionis* PRETIOSI *æstimati sunt præ auro puro*, Thren. II: 2; filii Zionis sunt vera Ecclesiæ; præter alibi, ut Esaj. XIII: 12. Cap. XLIII: 4. Psalm. XXXVI: 8. Ps. XLV. 10. Ps. XLVIII: 9. Ps. XCVI: 8 inde nunc est, quod dicatur, quod ex Urbe illa ditati sint omnes habentes naves in mari de Pretiositate ejus.

790. *Exulta super ea Cælum & sancti Apostoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium vestrum de illa, significat ut gaudeant corde nunc Angeli cæli & homines Ecclesiæ qui in bonis & veris ex Verbo sunt, quod remoti & rejecti sint qui in Reliogisi istius malis & falsis sunt.* Exulta super ea Cælum, significat ut gaudeant corde nunc Angeli Cæli; exultatio enim est gaudium cordis; & sancti Apostoli & Prophetæ, significant & una cum illis homines Ecclesiæ qui in bonis & veris ex Verbo sunt, per Apostolos significantur qui in bonis & inde veris Ecclesiæ ex Verbo sunt, & abstracte bona & inde vera Ecclesiæ ex Verbo, n. 79; & per Prophetas significantur vera ex bono e Verbo, n. 8. 133; qui sancti appellantur, quia Apostoli & Prophetæ, ut dictum est, significant abstracte bona & vera Verbi, quæ in se sancta sunt, quia Domini, n. 586. 666; quia judicavit Deus judicium vestrum de illa, significat quia remoti & rejecti sunt, qui in Religiosi istius malis & falsis sunt; quod non alii, videatur supra n. 786.

De gaudio Angelorum Cæli ſuper remotione & rejectione illorum qui in malis & falſis iſtius Religioſi ſunt, agitur in Capite ſequente a Verſu 1 ad 9, hic ſolum ut gauderent; aſt Angelicum gaudium non eſt ex damnatione illorum, ſed ex novo Cælo & Nova Eccleſia, ac ſalvatione fidelium, quæ non dari poſſunt priuſquam illi remoti ſunt, quod fit & factum eſt per Ultimum Judicium, de qua re videbitur in Explicatione Verſuum 7. 8. 9. Capitis ſequentis. Ex his conſtare poteſt, quod per exulta ſuper ea Cælum & ſancti Apoſtoli & Prophetæ, quia judicavit Deus judicium veſtrum de illa, ſignificetur ut gaudeant corde Angeli Cæli ac homines Eccleſiæ qui in bonis & veris ex Verbo ſunt, quod remoti & rejecti ſint qui in Religioſi iſtius malis & falſis ſunt. Quis non videre poteſt, quod non Apoſtoli & Prophetæ, de quibus in Verbo, hic intelligantur, hi pauci fuerunt & non præſtantiores aliis; ſed per illos intelliguntur omnes qui in Eccleſia Domini in bonis & veris ex Verbo ſunt, ſicut etiam per duodecim Tribus Iſraelis, de quibus ſupra n. 349; per Apoſtolum Petrum intelligitur Eccleſiæ Veritas ſeu Fides, per Apoſtolum Jacobum Eccleſiæ Charitas, & per Apoſtolum Johannem hominum Eccleſiæ Opera Charitatis.

v. 21. 791. *Et ſuſtulit unus Angelus robuſtus lapidem quaſi molarem magnum, & projecit in mare, dicens ſic impetu dejicietur Babylon, illa magna Urbs, & non invenietur amplius, ſignificat quod per fortem influxum Domini e Cælo Religioſum illud cum omnibus ejus adulteratis veris Verbi, præceps conjicietur in infernum, & quod amplius nuſquam Angelis apparitiurum ſit.* Per ſuſtulit unus Angelus robuſtus, ſignificatur fortis influxus Domini e Cælo, per Angelum enim ſignificatur Dominus, & operatio Ipſius, quæ fit per Cælum, n. 258. 415. 465. 649, hic quia vocatur Angelus robuſtus, & ſuſtulit lapidem molarem magnum, ſignificatur fortis operatio, quæ eſt fortis influxus; per lapidem quaſi molarem magnum ſignificantur adulterata & prophanata vera Verbi; per lapidem enim ſignificatur Verum, & per molam ſignificatur inquiſitio, ſcrutatio & confirmatio veri ex Verbo, de qua n. 794, hic autem adulteratio & prophanatio veri Verbi, quia de Babylone; per projicere in mare, ſignificatur in Infernum; per ſic impetu dejicietur Babylon illa magna Urbs, ſignificatur quod ſic Religioſum illud præceps conjicietur in Infernum; per non invenietur amplius, ſignificatur quod amplius nuſquam Angelis apparitiurum ſit: quod hoc ſignificetur, eſt quia omnes ex illo Religioſo qui in malis & falſis ejus ſunt, quidem poſt mortem in Mundum ſpirituum veniunt, ille enim Mundus eſt ſicut Forum, in quo primum congregantur omnes; & eſt ſicut Ventriculus, in quem omnes cibi primum colliguntur, Ventriculus etiam correſpondet iſti Mundo: aſt hodie, quia eſt poſt Ultimum judicium, quod peractum eſt Anno 1757, non conceditur illis ſicut prius, morari in illo Mundo, & ſibi ſicut Cælos formare, ſed ut primum illuc alluunt, delegantur ad Societates ibi, quæ in conjunctione ſunt cum Infernis, in quæ etiam per vices conjiciuntur; & ſic præcautum eſt a Domino, ne illi amplius uſquam apparituri ſint Angelis: hoc itaque eſt, quod ſignificatur per quod Urbs illa, hoc eſt, Religioſum illud, non invenietur amplius. Quoniam per lapidem molarem ſignificatur verum Verbi adulteratum, & per mare infernum,

fernum, ideo dicit Dominus, *Qui scandalizaverit unum parvorum credentium in Me, expedit ei ut suspendatur Mola asinaria in collum ejus, & demergatur in profundum maris*, Matth. XVIII: 6; dicitur *Lapis molaris*, Marc. IX: 42. Luc. XVII: 2. De Babele pæne simile dicitur apud Jeremiam „ *Cum absolveris legere librum hunc, ligabis super eum Lapidem, & projicies eum in medium Euphratis, ac dices, sic submergetur Babel, nec resurget*, LI: 63. 64; per medium Euphratis intelligitur simile quod per mare, quia Euphrates fluvius terminabat & separabat Assyriam, ubi erat Babel, a terra Canaane.

v. 22 792. *Et vox citharædorum & musicorum, & tibicinum & buccinatorum non audietur in te amplius, significat quod apud illos non erit aliqua affectio veri & boni spiritualis, nec affectio veri & boni cælestis.* Per vocem intelligitur sonus, & omnis sonus correspondet affectioni quæ amoris, quoniam inde oritur; ex eo est, quod soni citharæ, musices, tibiæ, ex correspondentia significent affectiones: sed affectiones sunt duplicis generis, spirituales & cælestes; affectiones spirituales sunt affectiones sapientiæ, & affectiones cælestes sunt affectiones amoris, differunt inter se quemadmodum Cæli, qui quod distincti sint in duo Regna, Cæleste & Spirituale, supra aliquoties dictum est: sunt itaque instrumenta musica, quorum soni se referunt ad affectiones spirituales, & sunt quæ se referunt ad affectiones cælestes; vox seu sonus citharædorum & musicorum ad affectiones spirituales, & vox seu sonus tibicinum & buccinatorum ad affectiones cælestes; instrumenta enim, quorum soni discreti sunt, ut chordacea, ad classem affectionum spiritualium pertinent, & instrumenta quorum soni sunt continui, ut inflatoria, ad classem affectionum cælestium pertinent; inde est, quod vox seu sonus citharædorum & musicorum significet affectionem veri & boni spiritualis, ac vox seu sonus tibicinum & buccinatorum significet affectionem veri & boni cælestis: quod sonus citharæ ex correspondentia significet confessionem ex affectione veri spiritualis, videatur n. 276. 661. Quod nullæ affectiones veri & boni spiritualis, nec affectiones veri & boni cælestis sint illis qui in malis & falsis Religiosi Catholico Romani sunt, intelligitur hic, quia dicitur, quod vox citharædorum & musicorum & tibicinum & buccinatorum non audietur in te amplius; quod non sint, est quia non possunt dari apud illos, non enim est illis aliquod verum ex Verbo, & quia non verum, nec est aliquod bonum; hoc solum datur apud illos qui desiderant vera; at non alii desiderant vera ex affectione spirituali quam qui adeunt Dominum, hi secundum id desiderium suum, post mortem instruuntur ab angelis, & recipiunt illa. Affectiones externæ, in quibus sunt dum audiunt Missas, & in aliis devotionibus, quæ sunt absque veris a Domino per Verbum, non sunt nisi quam mere naturales, sensuales & corporeæ; & quia tales sunt, & absque internis ex Domino, non mirum est, quod in caligine & cæcitate illa ferantur ad cultum hominum vivorum & mortuorum, & ad sacrificia dæmonum, qui plutones vocantur, ut expient pro animabus illorum.

793. *Et omnis Artifex omnis artis in te non invenietur amplius, significat quod illis qui in Religioso illo ex doctrina & ex vita secundum illam sunt, non sit aliquis intellectus veri spiritualis, & inde nec aliqua cogitatio veri spiritualis, quantum a se.*

Per Artificem in sensu spirituali Verbi significatur intelligens, & ex intellectu cogitans, in sensu bono ex intellectu cogitans vera, quæ cælestia, & in sensu malo ex intellectu cogitans falsa, quæ infernalia; & quia hæc & illa sunt plurium generum, & quodlibet genus plurium specierum, & quælibet species iterum plurium generum & specierum, quæ tamen particularia & singularia vocantur, ideo dicitur artifex omnis artis: etiam per artifices ex artificiis & artibus eorum ex correspondentia significantur talia, quæ sapientiæ, intelligentiæ & scientiæ sunt: ex correspondentia dicitur, quia omne opus hominis correspondet, similiter omnis operatio, modo sit alicujus usus, talibus quæ intelligentiæ angelicæ sunt; ast aliis rebus aut subjectis intelligentiæ angelicæ, quæ artificum auri, argenti & lapidum pretiosorum sunt, aliis quæ artificum æris, ferri, ligni & lapidis sunt, & aliis quæ artificum aliorum usuum desiderabilium sunt, ut pannorum, linteorum, vestium & indumentorum varii generis; hæc omnia correspondent, ut dictum est, quia sunt opera; ex his constare potest, quod per artificem omnis artis, qui non invenietur in Babylone, non intelligatur quod non aliquis artifex ibi, sed quod non aliquis intellectus veri spiritualis, & inde nec aliqua cogitatio veri spiritualis; sed ita solum illis, qui in Religioso illo ex doctrina ejus & ex vita secundum illam sunt, & quoque quantum ex se. Quod Artifex significet illos qui in intellectu veri sunt, & inde in cogitatione veri, constare potest ex his,, *Bezaleel & Oboliabus* ARTIFICES *facient Tabernaculum, quia impleti* SAPIENTIA, INTELLIGENTIA, ET SCIENTIA, Exod. XXXI: 3. Cap. XXXVI: 1. 2. *Fecerunt omnis* SAPIENS CORDE *inter facientes opus, habitaculum*, OPERE ARTIFICIS,, Exod. XXXVI: 8. *Facies Habitaculum xylinum intertextum, & hyacinthinum & purpuram, & coccineum dibaphum, & cherubos*, OPERE ARTIFICIS *facies illa*, Exod. XXVI: 1. *Facies velum similiter opere Artificis*, Vers. 31. Cap XXXV: 35. *Similiter Ephodum* OPERE ARTIFICIS: *ut & Pectorale*, Exod. XXVIII: 6. Cap. XXXIX: 8. Artifex ibi nominatur voce, quæ etiam significat Excogitatorem. *Sculpes duos lapides, quos pones super humeris Ephodi*, OPERE ARTIFICIS *gemmarum*, Exod. XXVIII: 11. In opposito sensu per opus Artificis significatur id opus, quod fit ex propria intelligentia, ex qua non aliud produci potest quam falsum, hoc intelligitur per opus artificis in his locis,, *Facient fusile ex argento suo in* INTELLIGENTIA SUA, OPUS ARTIFICUM *totum*, Hosch. XIII: 2. *Sculptile fundit* ARTIFEX, *& conflator auro obducit, & catenas argenti conflat*, ARTICEM SAPIENTEM *quærit*, Esaj. XL: 19. 20. *Lignum de sylva excidit, opus manuum fabri, argentum ex Tharshish adfertur, & aurum ex Uphaso*, OPUS ARTIFICIS; *hyacinthinum & purpura, vestis eorum, Opus sapientum tota*, Jerem. X: 3 9. Tum Deutr. XXVII: 15. Quod idola significent falsa cultus & religionis ex propria intelligentia, videatur supra n. 459. 460.

794. *Et vox molæ non audietur in te amplius, significat quod illis, qui in Religioso isto ex doctrina ejus & ex vita secundum illam sunt, non sit aliqua inquisitio, scrutatio & confirmatio veri spiritualis, quia obstat falsum receptum & confirmatum & sic implantatum.* Per vocem molæ, non aliud significatur quam inquisitio, scrutatio & confirmatio veri spiritualis, imprimis ex Verbo; quod hæc per vocem

vocem molæ seu per molitionem significetur, est quia per triticum & hordeum, quæ moluntur, significatur bonum cæleste & spirituale, & inde per similam & farinam significatur verum ex bono illo; omne enim verum est ex bono, & omne verum quod non est ex bono spirituali, non est spirituale. Dicitur vox molæ, quia spiritualia per instrumentalia, quæ sunt ultima naturæ, passim in Verbo designantur, sicut spiritualia vera & bona, per poculos, phialas, utres, patinas, & plura alia vasa, videatur supra n. 672. Quod per triticum significetur bonum Ecclesiæ ex Verbo, n. 315; & quod per similam ex tritico significetur verum ex illo bono, n. 778. Quod mola significet inquisitionem, scrutationem & confirmationem veri spiritualis, videri potest ex his locis „ *Jesus dixit, in consummatione sæculi duo erunt in agro, unus assumetur & alter derelinquetur; duæ erunt* MOLENTES, *una assumetur & alter derelinquetur*, Matth. XXIV: 40. 41; per consummationem sæculi intelligitur finis Ecclesiæ, quando ultimum judicium; per agrum significatur Ecclesia, quia ibi messis; per molentes significantur qui in Ecclesia inquirunt vera; per assumtos significantur qui illa inveniunt & recipiunt, & per derelictos qui non inquirunt nec recipiunt, quia in falsis sunt. *Abrogabo ex illis vocem gaudii & vocem lætitiæ, vocem sponsi & sponsæ, vocem* MOLARUM, *& lucem lucernæ*, Esaj. XXV: 10; per vocem molarum hic simile significatur quod hic in Apocalypsi. *Non in pignus accipies* MOLAM *aut* MOLAREM, *quia animam ille accipit in pignus*, Deutr. XXIV: 6; mola hic vocatur anima, quia per animam significatur verum sapientiæ & fidei, n. 681. In opposito sensu per molam significatur scrutatio & confirmatio falsi, ut patet ex his locis „ *Juvenes ad* MOLENDUM *abduxerunt, & pueri in ligno corruunt*, Thren. V: 13. *Sede super pulvere filia Babelis, sume* MOLAM & MOLE FARINAM, *revela crines tuos, revela femur, transi flumina, reveletur nuditas tua, & videatur opprobrium tuum* „ Esaj. XLVII: 1. 2. 3; sume molam & mole farinam, significat ut inquirant ac scrutentur, ut confirment falsa.

795. Sed illustretur hoc per exemplum: quis non videre potest, quod illi qui in Babylone sunt, inquisiverint & scrutati sint, quomodo possent confirmare hoc enorme falsum, quod Panis & Vinum in Eucharistia divideretur, ut daretur Laicis Panis & Clericis Vinum; hoc videri potest ex lecta solum Confirmatione in Concilio Tridentino facta, & per Bullam constabilita, quæ talis est „ Quod statim post consecrationem verum Jesu Christi Corpus, & verus Sanguis sub Panis & Vini specie, una cum Ipsius Anima & Divinitate, vere, realiter & substantialiter contineatur, Corpus sub specie Panis, & Sanguis sub specie Vini, EX VI VERBORUM: at ipsum Corpus sub specie Vini, & Sanguis sub specie Panis, ac Anima sub utraque vi naturalis connexionis & concomitantiæ, qua partes Domini Christi inter se copulantur, & Divinitas propter admirabilem illam cum corpore & anima hypostaticam unionem; & quod tantundem sub altera specie atque sub utraque contineatur; ac quod totus & integer Christus sub Panis specie, & sub quavis istius speciei parte, ac totus etiam sub Vini specie & hujus partibus existat. Tum quod aqua vino miscenda. Hæc sunt ipsa illorum verba, quæ quod sint con-

tra

altera

Jerem.

tra contra vim verborum Domini, ipſi fatentur: quis qui in judicio ſano eſt, non videt ibi ipſa Vera inverſa, & converſa in falſa per ratiocinia, quæ recti corde non poſſunt non abominari. Sed cur hoc, annon ſolum propter Miſſas, quas vocant Sacrificia propitiatoria, ſanctiſſima, pura, & non niſi ſanctum in illis, per quas infunderent ſenſibus corporeis hominum ſanctitatem, & ſimul noctem in omnibus fidei & vitæ ſpiritualis, & hæc propter cauſam ut in caligine dominentur & lucrentur; tum ut de Miniſtris ſit idea, quod pleni ſint Domino, & Dominus in illis; ut & ne defatigentur, ſit illis vinum, & ne inebrientur, ſit aqua in vino.

796. *Et lux lucernæ non lucebit in te amplius*, *ſignificat quod illis qui in Religioſo iſto ex doctrina & ex vita ſecundum illam ſunt, non ſit aliqua illuſtratio a Domino & inde perceptio veri ſpiritualis.* Per lucem lucernæ ſignificatur illuſtratio a Domino & inde perceptio veri ſpiritualis; per Lucem enim intelligitur lux cæli, in qua ſunt Angeli, & quoque homines quoad intellectum, quæ Lux in ſua eſſentia eſt Divina Sapientia, nam procedit a Domino ut Sole Mundi ſpiritualis, qui in ſua ſubſtantia eſt Divinus Amor Divinæ Sapientiæ, ex quo non alia Lux poteſt procedere, quam quæ eſt Divinæ Sapientiæ, nec alius Calor quam qui eſt Divini Amoris; quod ita ſit, in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 83 ad 172, demonſtratum eſt. Quoniam Lux illa eſt a Domino, & Dominus per illam & in illa eſt omnipræſens, ideo per illam fit omnis illuſtratio, & inde perceptio veri ſpiritualis, quæ eſt illis qui ſpiritualiter amant Divina Vera, hoc eſt, qui amant vera quia vera ſunt, ita quia Divina; quod hoc ſit amare Dominum, patet; eſt enim Dominus in illa luce omnipræſens, quia Divinus Amor & Divina Sapientia non ſunt in loco, ſed ſunt ubi recipiuntur & ſecundum receptionem. Quod illis, qui in Religioſo Catholico Romano ſunt, non ſit aliqua illuſtratio & inde perceptio veri ſpiritualis, conſtare poteſt ex eo, quod non aliquam lucem ſpiritualem ament; origo enim lucis ſpiritualis eſt a Domino, ut dictum eſt, & non alii illam lucem poſſunt accipere, nec recipere, quam qui conjuncti ſunt Domino, & conjunctio cum Domino fit unice per agnitionem & cultum Ipſius; & ſimul per vitam ſecundum præcepta Ipſius e Verbo; agnitio & cultus Domini & lectio Verbi faciunt præſentiam Domini, at illa duo ſimul cum vita ſecundum præcepta Ipſius, faciunt conjunctionem cum Ipſo. In Babylone eſt contrarium, agnoſcitur ibi Dominus, ſed abſque Dominio, & agnoſcitur Verbum ſed abſque lectione ejus; vice Domini ibi colitur Papa, & loco Verbi agnoſcuntur Bullæ papales, ſecundum quas vivitur, & non ſecundum præcepta Verbi; & Bullæ illæ pro fine habent Dominium Papæ & Miniſtrorum ejus ſuper Cælum & Mundum, & præcepta Verbi pro fine habent Dominium Domini ſuper Cælum & Mundum; & hæc & illa ſibi e diametro oppoſita ſunt, ſicut Infernum & Cælum. Hæc dicta ſunt, ut ſciatur, quod prorſus nulla lux lucernæ, hoc eſt, illuſtratio & inde perceptio veri ſpiritualis ſit illis qui in Religioſo Babylonico ex doctrina & ex vita ſecundum illam ſunt. Quod Dominus ſit Lux, ex qua omnis illuſtratio & perceptio veri ſpiritualis eſt, patet ex his „ LUX VERA ERAT, *quæ illuminat omnem hominem venientem in mundum*, Joh. I: 4 ad 12, hæc de Do-

Domino. *Hoc est judicium, quod* Lux venit in mundum, *qui facit veritatem, venit ad* Lucem, Joh. III: 19. 21. *Jesus dixit, adhuc breve tempus* Lux vobiscum *est; ambulate quousque* Lucem habetis, *ne tenebræ vos apprehendant: quousque* Lucem *habetis, credite in* Lucem, *ut filii* Lucis *fitis*, Joh. XII: 35. 36. *Jesus dixit, Ego* Lux in mundum veni, *ut omnis qui credit in Me, in tenebris non maneat*, Joh. XII: 46. *Jesus dixit*, Ego Lux mundi sum, Joh. IX: 5. *Simeon dixit, viderunt oculi mei Salutare tuum*, Lucem *in revelationem gentium*, Luc. II: 30. 31. 32. *Populus sedens in tenebris vidit* Lumen magnum, *sedentibus in regione & umbra mortis*, Lux exorta est, Matth. IV: 16. Esaj. IX: 1. *Dedi Te in* Lucem gentium, *ut sis Salus mea usque ad extremitatem terræ*, Esaj. XLIX: 6. *Urbs Nova Hierosolyma non opus habet sole & luna ut luceant in illa; gloria enim Dei illustrat illam, &* Lucerna ejus Agnus, Apoc. XXI: 23. Cap. Cap. XXII: 5. Ex his patet, quod Dominus sit Lux ex qua omnis illustratio & inde perceptio veri; & quia Dominus est Lux, est Diabolus Caligo; & Diabolus est Amor dominandi super omnia Sancta Divina Domini, ac ita super Ipsum, & quantum datur illi dominium, tantum Sancta Divina Domini caligat, exstinguit, succendit & exurit.

797. *Et vox sponsi & sponsæ non audietur in te amplius, significat quod illis qui in Religioso isto ex doctrina & ex vita secundum illam sunt, sit nulla conjunctio boni & veri, quæ facit Ecclesiam.* Per vocem hic significatur gaudium, quia est sponsi & sponsæ; per Sponsum intelligitur in supremo sensu Dominus quoad Divinum Bonum, & per Sponsam intelligitur Ecclesia quoad Divinum Verum a Domino; Ecclesia enim est Ecclesia ex receptione Divini Boni Domini in Divinis veris quæ sunt ab Ipso. Quod Dominus dicatur Sponsus & quoque Maritus, & quod Ecclesia dicatur Sponsa & quoque Uxor, patet ex Verbo: quod inde sit conjugium cæleste, quod est conjunctio boni & veri, videbitur in Opusculo de Conjugio. Nunc quia Conjugium hoc cæleste fit per receptionem Divini Boni a Domino in Divinis veris e Verbo ab hominibus Ecclesiæ, patet quod non aliqua conjunctio boni & veri sit apud illos qui in Religioso illo ex doctrina & inde vita sunt, quia illis nulla est cum Domino, sed est conjunctio cum hominibus vivis & mortuis; & hæc conjunctio apud illos, qui in amore dominandi ex amore sui super Sancta Divina Domini, & super Dominum, est sicut cum Diabolo, qui, ut in præcedente articulo dictum est, est ille amor; & adire Diabolum ut per illum veniatur ad Deum, est detestabile. Quod Dominus dicatur Sponsus & Ecclesia Sponsa, patet ex his locis ,, *Qui habet* Sponsam *Sponsus est, amicus autem* Sponsi *est, qui stat & audit Ipsum, gaudio gaudet ob vocem* Sponsi, Joh. III: 29, hæc Johannes Baptista de Domino. *Jesus dixit, quamdiu cum illis est* Sponsus, *non possunt filii nuptiarum jejunare, veniet dies quando auferetur ab iis* Sponsus, *tunc jejunabunt* ,, Matth. IX: 15. Marc. II: 19. 20. Luc. V: 34. 35. *Vidi Urbem Sanctam Hierosolymam novam paratam sicut* Sponsam ornatam Marito, Apoc. XXI: 2. *Angelus dixit, veni & ostendam tibi* Sponsam Agni uxorem, Apoc. XXI: 9. 10. *Venit tempus nuptiarum Agni, &* Uxor *Illius paravit se. Beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, Apoc. XIX: 7. 9. *Per* Sponsum, *in cujus occursum exiverunt*

B. a. 2

decem virgines, etiam intelligitur Dominus, Matth. XXV: 1. 2 seq. ex his patet, quid significatur per vocem & gaudium Sponsi & Sponsæ in his locis,, *Sicut gaudium* SPONSI SUPER SPONSA, *gaudebit super te Deus tuus*, Esaj. LXII: 5. *Exultabit anima mea super Deo meo*, *sicut* SPONSUS *imponit cidarim*, *& sicut* SPONSA *se ornat vasis suis*, Esaj. LXI: 10. *Adhuc audietur in loco hoc vox gaudii & vox lætitiæ*, *ac* VOX SPONSI *&* VOX SPONSÆ, *dicentium*, *confitemini Jehovæ Zebaoth*,, Jerem. XXXIII: 10. 11. *Exeat* SPONSUS *e thalamo suo*, *&* SPONSA *e conclavi suo*, Joel II: 16. *Cessare faciam ex plateis Hierosolymæ vocem gaudii & vocem lætitiæ*, *vocem* SPONSI *& vocem* SPONSÆ, Jerem. VII: 34. Cap. XV: 9. ABROGABO EX IIS VOCEM GAUDII ET VOCEM LÆTITIÆ, ET VOCEM SPONSI ET VOCEM SPONSÆ, VOCEM MOLARUM, ET LUCEM LUCERNÆ, ET ERIT TOTA TERRA IN DESOLATIONEM A REGE BABELIS,, Jerem. XXV: 10. 11.

Ex his nunc videri potest series rerum in his binis Versibus, quæ est, quod illi qui in Religioso illo sunt non sit aliqua affectio veri & boni spiritualis, n. 792: quod non aliquis intellectus veri spiritualis, & inde nec aliqua cogitatio ejus, n. 793; cogitatio enim est ex affectione & secundum illam. Quod nec aliqua inquisitio, scrutatio & confirmatio veri spiritualis, n. 794. Quod nec aliqua illustratio a Domino & inde non perceptio veri spiritualis, n. 796. Et denique quod non illis sit aliqua conjunctio boni & veri, quæ facit Ecclesiam, n. 797: hæc ita quoque ordine sequuntur.

798. Quoniam dicitur quod illis non sit aliqua conjunctio boni & veri, quia apud illos non est conjugium Domini & Ecclesiæ, dicetur hic aliquid de potestate aperiendi & claudendi Cælum, quæ unum agit cum potestate remittendi & retinendi peccata, quam sibi ut successores Petri & Apostolorum vindicant. Dixit Dominus ad Petrum,, *Super hanc eandem Petram ædificabo Ecclesiam meam*, *& portæ inferni non prævalebunt illi: dabo tibi claves Regni Cælorum*, *& quicquid ligaveris in terra*, *erit ligatum in Cælis*, *& quicquid solveris in terra*, *erit solutum in Cælis*, Matth. XVI: 18. 19; Divinum Verum, quod intelligitur per Petram, super quam Dominus ædificaturus Ecclesiam suam, est quod confessus est Petrus tunc, quod erat, TU ES CHRISTUS, FILIUS DEI VIVENTIS, Vers. 16 ibi: per claves Regni cælorum, quæ sunt, quod quicquid Petra illa, quæ est Dominus, ligaverit in terra erit ligatum in cælis, & quicquid solverit in terra, erit solutum in cælis, intelligitur quod Domino sit potestas super Cælum & Terram, ut quoque dicit Matth. XXVIII: 18, ita potestas salvandi homines, qui in illa Petri confessione ex fide cordis sunt: Divina Domini operatio ad salvandum homines est a primis per ultima, & hoc est quod intelligitur, per quicquid ligaverit aut solverit in terra, erit ligatum aut solutum in cælo; ultima per quæ Dominus operatur, sunt in terra, & quidem apud homines; propter id, ut Dominus Ipse in ultimis esset sicut in primis est, venit in mundum, & induit Humanum. Quod omnis Divina Operatio Domini sit a primis per ultima, ita a Se in primis & a Se in ultimis, videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n. 217. 218. 219. 221: & quod inde sit, quod Dominus dicatur Primus & Ultimus, Alpha & Omega, Principium & Finis, Omnipotens, videatur supra n. 29. 30. 31. 38. 57. Quis non videre potest, si vult, quod salvatio hominis sit continua ope-

operatio Domini apud hominem a primo infantiæ ejus usque ad ultimum vitæ ejus, & quod hoc pure Divinum sit, & nusquam dabile alicui homini, illud tale Divinum est, ut sit simul Omnipræsentiæ, Omniscentiæ & Omnipotentiæ; & quod Reformatio & Regeneratio hominis, ita Salvatio ejus, sit omne Divinæ Providentiæ Domini, videri potest in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, a principio ad finem. Ipse Adventus Domini in mundum fuit unice propter Salvationem hominis, propter eam assumsit Humanum, removit inferna, & glorificavit Se, & induit Omnipotentiam etiam in ultimis, quæ intelligitur per sedere a dextris Dei. Quid itaque abominabilius est, quam condere Religiosum, per quod sancitur, quod Divina illa potestas & potentia sit homini, & non amplius Domino; & quod aperietur & claudetur Cælum, modo Canonicus dicit, absolvo vel excommunico; & quod remittatur peccatum etiam enorme, modo dicit Remitto: sunt multi diaboli in mundo, qui ad evitandas pænas temporales absolutionem a diabolico facinore per artes & dona petunt ac obtinent; quis tam insanus potest esse ut credat quod detur potestas intromittendi diabolos in Cælum.

Supra n. 790 ad fin: dictum est, quod Petrus repræsentaverit Ecclesiæ verum fidei, Jacobus Ecclesiæ bonum charitatis, & Johannes hominum Ecclesiæ bona opera, & quod duodecim Apostoli simul repræsentaverint Ecclesiam quoad omnia ejus; quod illa repræsentaverint, patet clare a Domini verbis ad illos apud Matthæum „ *Quando sedebit Filius hominis super Throno gloriæ suæ, sedebitis etiam vos super duodecim thronis judicantes duodecim Tribus Israelis*, XIX: 28. Luc. XXII: 30; per quæ verba non aliud significari potest, quam quod Dominus judicaturus sit omnes secundum bona & vera Ecclesiæ; si non hæc intelligerentur per illa verba, sed ipsi Apostoli, potuissent omnes in magna Urbe Babylone, qui se dicunt successores Apostolorum, etiam sibi vindicare, quod sessuri sint super totidem thronis, quot sunt, a Pontifice usque ad monachum, & judicaturi omnes in universo terrarum orbe.

799: *Quia magnates tui erant mercatores terræ, significat quod superiores in Hierarchia Ecclesiastica illorum tales sint, quia per varia jura etiam arbitraria illis in statutis ordinis relicta, mercantur & quæstus faciunt.* Per magnates intelliguntur superiores in Hierarchia Ecclesiastica illorum, qui vocantur Cardinales, Episcopi, & Primates; qui mercatores vocantur quia per sancta Ecclesiæ, ut per merces, lucrantur, n. 771. 783, hic, qui per varia jura etiam arbitraria illis in statutis ordinis relicta mercantur & quæstus faciunt: cur hoc dicitur, patet ab antecedentibus, est enim hoc illorum consequens; in antecedentibus dicitur, quod non audietur amplius in Babylone vox citharædorum, musicorum, tibicinum & buccinatorum; non erit ibi artifex alicujus artis, non audietur ibi vox molæ, non erit ibi lux lucernæ, & non vox sponsi & sponsæ, per quæ significatur, quod in Babylone non aliqua veri spiritualis affectio, non ejus intellectus & inde cogitatio, nec ejus inquisitio & scrutatio, neque illustratio & ejus perceptio, & inde nulla conjunctio boni & veri, quæ facit Ecclesiam, videatur supra n. 792. 793. 794. 796. 797; quod hæc illis non sint, est quia superiores in Ordine etiam mercantur & lucrantur, & sic dant inferioribus

ribus exempla; hoc itaque est cur dicitur, Quia Magnates tui erant mercatores terræ. Sed forte quis dicat, quænam illa jura etiam arbitraria sunt, quæ possunt Mercaturæ vocari; non sunt annui illorum reditus & stipendia, sed sunt dispensationes ex potestate clavium, quæ sunt, quod remittant peccata etiam enormia, & eximant per id a pænis temporalibus; quod per intercessiones apud Papam valeant pro contrahendis matrimoniis intra gradus prohibitos, & pro illis dirimendis intra gradus non prohibitos, ac ipsi absque intercessione per tolerantias; per donationes privilegiorum quæ juris illorum sint; per ordinationes ministrorum, & confirmationes; per gratuita ex monasteriis communia & particularia; per addictiones redituum aliunde qui sunt juris alieni; & per plura alia. Hæc faciunt, & non annui reditus, si illis contenti sunt, quod non illis sit aliqua veri spiritualis affectio, cogitatio, scrutatio, perceptio, & non veri & boni conjunctio, quia sunt lucrationes injusti Mammonis, & injustus perpetuo concupiscit opes naturales, & aversatur opes spirituales, quæ sunt Divinæ Veritates ex Verbo. Ex his nunc constare potest, quod per quia Magnates tui erant mercatores terræ, significetur quod superiores in Hierarchia Ecclesiastica illorum tales sint, quia per varia jura etiam arbitraria illis in statutis ordinis relicta mercantur & quæstus faciunt. Adhuc aliquid hic dicetur de dispensatione ex potestate clavium super crimina etiam enormia, per quam non modo liberant reos a pænis æternis, sed etiam a pænis temporalibus, & si non liberant, usque per azyla tutantur: quis non videt, quod hoc non juris Ecclesiastici sit, sed juris civilis; & quod sit dominium extendere super omne sæculare; & quod sit publicam securitatem destruere; tum quod per hanc sibi adhuc reservatam potestatem sint in potentia reducendi priorem despoticam dominationem super omnia judicia a Regibus stabilita, ita super judices etiam supremos; quod etiam facturi, si non timerent recessionem: hoc intelligitur apud Danielem, per quod *quarta Bestia e mari ascendens cogitabit immutare tempora & jus*, VII: 25.

800. *Quia veneficio tuo seductæ sunt omnes gentes*, *significat illorum nefarias artes & astutias, per quas omnium animos a sancto cultu Domini ad prophanum cultum hominum vivorum & mortuorum atque idolorum abduxerunt.* Per veneficium quo seductæ sunt omnes Gentes, significantur nefandæ artes & astutiæ, per quas illuserunt & persuaserunt, ut colerentur & adorarentur vice Domini, ita sicut Dominus; & quia Dominus est Deus Cæli & terræ, nt Ipse docet Matth. XXVIII: 18, ita sicut dii: quod Divinam Domini potestatem in se transtulerint, videatur supra n. 798: & quia hæc significantur per illa verba, etiam significatur quod per nefarias artes & astutias omnium animos a sancto cultu Domini ad prophanum cultum hominum vivorum & mortuorum atque idolorum abduxerint. Quod hæc usque finem habitura sint, & finem in Mundo spirituali habuerint, prius dictum & ostensum est: hoc describitur ita apud Esajam, *Persta in incantationibus tuis Babel, & in multitudine præstigiorum tuarum, in quibus laborasti a juventute tua, forte potuerunt prodesse, forte terribilis fias, defatigata es multitudine consilii tui: stent nunc & servent te observatores cælorum, spectantes terram, divinantes in menses. Ecce facti sunt sicut stipula, ignis adussit eos,* non

non eripient animam e manu flammæ: tales facti sunt Mercatores tui a juventute, quisque e regione sua aberravit, non salvans te, XLVII: 14. 15. 16.

801. *Et in ea sanguis prophetarum & sanctorum inventus est, & omnium occisorum super terra, significat quod ex Religioso, quod per Urbem Babylonem intelligitur, sit adulteratio & prophanatio omnis veri Verbi & inde Ecclesiæ, & quod inde emanaverit falsum in totum Christianum Orbem.* Per sanguinem significatur falsificatio, adulteratio & prophanatio Verbi, n. 327. 379. 684; per prophetas significantur omnes qui in Divinis veris ex Verbo sunt, & abstracte vera doctrinæ ex Verbo, n. 8. 133; quod per sanctos significentur qui ab Ecclesia Domini sunt, & abstracte sancta vera Ecclesiæ, n. 173. 586. 666; quod per occisos significentur qui spiritualiter occisi sunt, & quod spiritualiter occisi dicantur qui per falsa pereunt, n. 325, & alibi pluries; & quia per terram significatur Ecclesia, per omnes occisos terræ significantur omnes in Christiana Ecclesia qui per falsa perierunt, quia falsum apud illos ex illo Religioso emanavit: dicitur etiam de Babele apud Jeremiam, *Quod ibi sint confossi omnis terræ*, LI: 49. 52; & apud Esaiam, *Quod Lucifer*, qui ibi est Babel, *terram suam perdiderit, & populum suum occiderit*, XIV: 20. Quod ex Religioso Babylonico emanaverint plura falsa in Ecclesias Reformatorum, videatur supra n. 751, ubi explicatum est, *Quod Mulier, quam vidisti, sit Urbs magna habens regnum super Reges terræ*, Apoc. XVII: 18.



802. Dicitur, quod ex Religioso, quod per Babylonem Urbem intelligitur, fit adulteratio & prophanatio omnis veri Verbi & inde omnis sancti Ecclesiæ; & in antecedentibus pluries, quod Religiosum illud non modo adulteraverit bona & vera Verbi, sed etiam prophanaverit illa, & quod ideo Babel in Verbo significet Prophanationem sancti: nunc dicetur, quomodo Prophanatio illa facta est & fit. Dictum est supra, quod Amor dominandi ex amore sui super Sancta Ecclesiæ & super Cælum, ita super omnia Divina Domini, sit Diabolus: nunc quia Dominium illud ut finis insedit animis eorum, qui Religiosum illud condiderunt, non potuerunt aliter quam prophanare Sancta Verbi & Ecclesiæ: suppone quod Amor ille, qui est Diabolus, insideat alicujus menti interius, ut facit omnis amor regnans, & pone aliquod Divinum Verum exterius ante oculos ejus, annon discerpet illud, projiciet in terram, & proculcabit illud, & loco ejus arcesset falsum secum concordans. Amor possidendi omnia Mundi est Satanas, ac Diabolus & Satanas unum agunt, sicut fœdere conjuncti, apud tales, qui ab uno amore in altero sunt. Ex his concludi potest, unde est, quod per Babylonem in Verbo significetur Prophanatio. Pro Exemplo sit; ponatur ante illum Amorem, qui est Diabolus, hoc Divinum Verum, quod Solus Deus colendus & adorandus sit, & non aliquis homo, & sic quod Vicariatus sit inventum & figmentum, quod rejiciendum est: similiter hoc Verum, quod invocare homines mortuos, procumbere ad imagines illorum, osculari llas & ossa illorum, sit pure & fœde idololatricum, quod etiam rejiciendum: annon

Amor ille, qui est Diabolus, hæc duo Vera in vehementia iræ rejiceret, fulminaret contra illa, & dilaceraret illa. Si autem quis ad illum Amorem, qui est Diabolus, dicturus esset, quod aperire & claudere cælum, seu solvere & ligare, ita remittere peccata, quod idem est cum reformare & regenerare, & sic redimere & salvare hominem, sit pure Divinum; & quod homo absque prophanatione non sibi aliquod Divinum possit vindicare, & quod Petrus nec sibi vindicaverit, quare nec aliquid tale exercuerat; præterea quod successio sit inventum ab Amore illo; ut & translatio spiritus sancti ab homine in hominem: his auditis, annon Amor ille, qui est Diabolus, obtunderet loquentem Anathematibus, & in igne furoris mandaret ut traderetur Inquisitori, & conjiceretur in damnatum carcerem. Si adhuc quis dicturus sit, quomodo potest Divina potestas Domini in vos transferri, quomodo potest Divinitas Domini separari ab Ipsius Anima & Corpore, annon est secundum vestram fidem quod non possit: quomodo potest Deus Pater Divinam suam Potentiam inferre in Filium nisi in Divinitatem Ipsius, quæ est receptaculum; quomodo potest hoc transcribi in hominem, ut sit ejus: præter similia plura: his auditis, annon Amor ille, qui est Diabolus, taceret; intus excandesceret, frenderet dente, & exclamaret, educ, crucifige, crucifige, exeant exeant omnes, videant magnum hæreticum, & oblectent se.

damnatorum



CAPUT

CAPUT DECIMUM NONUM.

1. POst hæc audivi tanquam vocem turbæ multæ in Cælo, dicentis Alleluja, Salus & Gloria & Honor & Potentia Domino Deo nostro.

2. Quia vera & justa judicia Ipsius, quia judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram scortatione sua, & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus.

3. Et secundo dixerunt Alleluja, & fumus ejus ascendet in sæcula sæculorum.

4. Et prociderunt Seniores viginti quatuor, & quatvor Animalia, & adoraverunt Deum sedentem super Throno, dicentes, Amen Alleluja.

5. Et vox e Throno exivit, dicens, laudate Deum nostrum omnes servi Ipsius, & timentes Ipsum, & parvi & magni.

6. Et audivi tanquam vocem turbæ multæ, & tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitruum vehementium, dicentium Alleluja, quia regnat Dominus Deus Omnipotens.

7. Gaudeamus & exultemus & demus gloriam Ipsi, quia venerunt nuptiæ Agni, & Uxor Ipsius paravit se.

8. Et datum illi ut amiceretur byssino mundo & splendido, nam byssinum justitiæ sanctorum.

9. Et dixit mihi, scribe, beati qui ad cænam nuptiarum Agni vocati sunt; & dixit, hæc verba vera sunt Dei.

10. Et procidi ante pedes ejus adorare illum, & dixit mihi, vide, ne, conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Deum adora, nam testimonium Jesu est spiritus prophetiæ.

11. Et vidi Cælum apertum, & ecce Equus albus, & Sedens super illo vocatur fidelis & verus, & in justitia judicat & pugnat.

12. Et oculi Ipsius tanquam flamma ignis, & super Capite Ipsius diademata multa, habens nomen scriptum, quod nemo novit nisi Ipse.

13. Et circumindutus vestimento tincto sanguine, & vocatur Nomen Ipsius Verbum Dei.

14. Et Exercitus qui in Cælo sequebantur Ipsum super equis albis, induti byssino albo & mundo.

15. Et ex ore Ipsius prodibat romphæa acuta, ut per illam percutiat gentes, & Ipse pascet illas virga ferrea, & Ipse calcat torcular vini furoris & iræ Dei Omnipotentis.

16. Et

16. Et habet super vestimento & super femore suo Nomen scriptum, Rex regum & Dominus dominorum.

17. Et vidi unum Angelum stantem in Sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio Cælo, venite & congregamini ad Cænam Magni Dei.

18. Ut comedatis carnes regum, & carnes chiliarchorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium super illis, & carnes omnium liberorum & servorum, & parvorum & magnorum.

19. Et vidi bestiam, & reges terræ & exercitus eorum congregatos facere bellum cum Sedente super Equo & cum Exercitu Ipsius.

20. Et comprehensa est bestia & cum illa pseudopropheta, qui fecit signa coram illa, quibus seduxit accipientes characterem bestiæ, & adorantes imaginem ejus, vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardens sulphure.

21. Et reliqui occisi sunt romphæa Sedentis super Equo, procedente ex ore Ipsius, & omnes aves satiatæ sunt ex carnibus eorum.

SENSUS SPIRITUALIS.

CONTENTUM TOTIUS CAPITIS. Glorificatio Domini ab Angelis Cæli, quod Religiosum Romano Catholicum in Mundo spirituali remotum sit, ex quo illi in lucem & in beatitudinem suam venerunt, Vers. 1 ad 5. Annuntiatio de Adventu Domini, & de Nova ab Ipso Ecclesia, Vers. 6 ad 10. Aperitio Verbi quoad sensum spiritualem pro illa Ecclesia, Vers. 11 ad 16: Vocatio omnium ad illam, Vers. 17. 18. Resistentia ab illis qui in fide separata a charitate sunt, Vers. 19: horum remotio & damnatio, Vers. 20. 21.

CONTENTA SINGULORUM VERSUUM. Post hæc audivi tanquam vocem turbæ multæ in Cælo, dicentis Alleluja, *significat* gratiarum actionem, confessionem, & celebrationem Domini ab Angelis inferiorum Cælorum, propter remotionem Babyloniorum: salus & gloria & honor & potentia Domino Deo nostro, *sig:* quod nunc a Domino salvatio, quia nunc receptio Divini Veri & Divini Boni ex Divina potestate Ipsius: quia vera & justa judicia Ipsius, quia judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram scortatione sua, *sign:* quia

quia ex justitia condemnatum est prophanum Religiosum Babylonicum, quod per fœdas adulterationes Verbi Ecclesiam Domini destruxit: & vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus, *sign:* retributionem propter damna, & violentias illatas animabus cultorum Domini: & secundo dixerunt, alleluja, fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum, *sign:* ex gaudio gratiarum actionem & celebrationem Domini, quod prophanum illud Religiosum damnatum sit in æternum: & prociderunt Seniores viginti quatvor, & quatvor Animalia, & adoraverunt Deum Sedentem super Throno, dicentes, amen alleluja, *sign:* adorationem Domini ut Dei Cæli & Terræ, ac ut Judicis universi, ab Angelis superiorum Cælorum, & confirmationem gratiarum actionis, confessionis & celebrationis Domini ab Angelis inferiorum cælorum: & vox e Throno exivit, dicens, laudate Deum nostrum omnes servi Ipsius, & timentes Ipsum, *sign:* influxum a Domino in Cælum; & sic unanimitatem Angelorum quod omnes qui in veris fidei & in bonis amoris sunt, colant Dominum ut Solum Deum Cæli: & parvi & magni, *sign:* qui in minori & majori gradu colunt Dominum ex veris fidei & ex bonis amoris: & audivi tanquam vocem turbæ multæ, & tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitruum vehementium, dicentium Alleluja, quia regnat Dominus Deus Omnipotens, *sign:* gaudium Angelorum Infimi Cæli, Angelorum Medii Cæli, & Angelorum Supremi Cæli, quod Solus Dominus regnet in Ecclesia quæ nunc ventura est: gaudeamus & exultemus, & demum gloriam Ipsi, quia venerunt nuptiæ Agni, *sign:* gaudium animæ & cordis, & inde glorificationem Domini, quod a nunc fiat plenum conjugium Ipsius cum Ecclesia: & Uxor Ipsius paravit se, *sign:* quod illi qui ab Ecclesia hac, quæ est Nova Hierosolyma, erunt, colligantur, inaugurentur & instruantur: & datum illi ut amiceretur byssino mundo & splendido, *sign:* quod illi instruantur in veris genuinis & puris per Verbum a Domino: & byssinum justitiæ sanctorum, *sign:* quod per vera ex Verbo sint bona vitæ illis qui ab Ecclesia Domini sunt: & dixit mihi, scribe, beati qui ad Cænam nuptiarum Agni vocati sunt, *sign:* unum Angelum e Cælo missum ad Johannem, & loquentem cum illo de Nova Ecclesia Domini, & dicentem, quod daretur scire in terris, quod vita æterna sit illis, qui recipiunt illa quæ istius Ecclesiæ sunt: & dixit, hæc verba vera sunt Dei, *sign:* quod hoc credendum sit quia a Domino: & procidi ante pedes ejus adorare illum, & dixit, vide, ne, conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium Testimonium Jesu, Deum adora, *sign:* quod Angeli Cæli non adorandi & invocandi sint, quia nihil Divinum est illis, sed quod associati sint hominibus, ut fratres fratribus, illis qui colunt Dominum, & sic quod Solus Dominus in consociatione cum illis adorandus sit: nam Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ, *sign:* quod agnitio, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & simul vita secundum præcepta Ipsius, sit in universali sensu omne Verbi & doctrinæ inde: & vidi Cælum apertum, & ecce Equus albus, *sign:* Sensum spiritualem Verbi a Domino revelatum, & per id intellectum Verbi interiorem detectum, quod est Adventus Domini: & Sedens super illo vocatur fidelis & verus, & in justitia judicat & pugnat, *sign:* Dominum quoad Verbum, quod sit Ipsum Divinum Bonum

& Divinum Verum, ex quo utroque facit judicium; & oculi Ipſius tanquam flamma ignis, *ſignificat* Divinam Sapientiam Divini Amoris Domini: & ſuper Capite Ipſius diademata multa, *ſign*: Divina vera Verbi ab Ipſo: habens Nomen ſcriptum quod nemo novit niſi Ipſe, *ſign:* quod quale eſt Verbum in ſenſu ſpirituali & cæleſti ejus, nemo videat quam Dominus, & cui Ipſe revelat: & circumindutus veſtimento tincto ſanguine, & vocatur Nomen Ipſius Verbum Dei, *ſign:* Divinum Verum in ſenſu ultimo, ſeu Verbum in litera, cui violentia illata eſt: & exercitus qui in Cælis ſequebantur Ipſum ſuper equis albis, induti byſſino albo & mundo, *ſign:* Angelos in Cælo Novo Chriſtiano, qui conjuncti Domino, in intellectu Verbi interiori, & ſic in puris & genuinis veris erant: & ex ore Ipſius prodibat romphæa acuta, *ſign:* diſperſionem falſorum per doctrinam inde a Domino: ut per illam percutiat gentes, & Ipſe paſcet illas virga ferrea, *ſign:* quod omnes qui in fide mortua ſunt, per vera ſenſus literæ Verbi, & per rationalia, convincet: & Ipſe calcat torcular furoris & iræ Dei Omnipotentis, *ſign:* quod Dominus Solus ſuſtinuerit omnia mala Eccleſiæ, & omnem violentiam illatam Verbo, ita Sibi: & habet ſuper veſtimento & ſuper femore ſuo Nomen ſcriptum, Rex regum & Dominus dominorum, *ſign*: quod Dominus doceat in Verbo qualis eſt, quod ſit Divinum Verum Divinæ Sapientiæ & Divinum Bonum Divini Amoris, ita quod ſit Deus univerſi: & vidi unum Angelum ſtantem in Sole, & clamavit voce magna, dicens omnibus avibus volantibus in medio Cæli, venite & congregamini ad Cænam Magni Dei, *ſign*: Dominum ex Divino Amore, & inde ex Divino Zelo, vocantem & convocantem omnes, qui in affectione veri ſpirituali ſunt, & de Cælo cogitant, ad Novam Eccleſiam, & ad conjunctionem Secum, ita ad vitam æternam: ut comedatis carnes regum & carnes chiliarchorum & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium ſuper illis, & carnes liberorum & ſervorum, & parvorum & magnorum, *ſign*: appropriationem bonorum a Domino per vera Verbi & doctrinæ inde, in omni ſenſu, gradu & genere: & vidi beſtiam & reges terræ & exercitus eorum congregatos facere bellum cum Sedente ſuper Equo, & cum Exercitu Ipſius, *ſign*: quod omnes interius mali, qui profeſſi ſunt ſolam fidem, cum anteſignanis & eorum clientibus, impugnaturi ſint Divina Vera Domini in Verbo Ipſius, & infeſtaturi illos qui e Nova Eccleſia Domini erunt: & comprehenſa eſt beſtia & cum illa pſeudopropheta qui fecit ſigna coram illa, quibus ſeduxit accipientes characterem beſtiæ, & adorantes imaginem ejus, *ſign*: omnes illos qui profeſſi ſunt ſolam fidem, ac interius mali erant, tam Laici & vulgus quam Clerici & docti, qui per ratiocinationes & conteſtationes, quod ſola fides ſit unicum medium ſalutis, & adduxerunt alios ad recipiendum illam fidem, & ad vivendum ſecundum illam: vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardens ſulphure, *ſign*: quod omnes illi ſicut fuerunt, conjecti ſint in Infernum, ubi amores falſi ſunt & ſimul cupiditates mali: & reliqui occiſi ſunt ex romphæa Sedentis ſuper Equo, procedente ex ore Ipſius, *ſign*: quod omnes ex varia hæreſi inter Reformatos, qui non vixerunt ſecundum præcepta Domini in Verbo, quæ noverant, ex Verbo judicati pereant: &

& omnes aves fatiatæ funt ex carnibus eorum, *fign*: quod genii infernales ex concupifcentiis mali eorum, quæ funt propria eorum, quafi alantur. 837

EXPLICATIO.

V. 1 803. *Poft hæc audivi tanquam vocem tubæ multæ in Cælo, dicentis Alleluja, fignificat gratiarum actionem, confeffionem & celebrationem Domini ab Angelis inferiorum Cælorum propter remotionem Babyloniorum.* Per turbam multam in Cælo fignificantur Angeli inferiorum Cælorum; per vocem ejus dicentis Alleluja, fignificatur gratiarum actio, confeffio & celebratio Domini ab illis, per Alleluja in Lingua Hebræa fignificatur laudate Deum, fic fuit vox gratiarum actionis, confeffionis & celebrationis Domini ex gaudio cordis, ut patet ex his, *Benedic anima mea Jehovæ, Alleluja*, Pfalm. CIV: 35. *Benedictus Jehovah Deus Ifraelis ab æterno in æternum ufque, & dicat omnis populus, Amen Alleluja*, Pfalm. CVI: 48. *Benedicamus Jah ex nunc & in æternum, Alleluja*, Pfalm. CXV: 18. *Omnis anima laudet Jah, Alleluja*, Pfalm. CL: 6, præter alibi, ut Pfalm. CV: 45. Pf. CVI: 1. Pf. CXI: 1. Pf. CXII: 1. Pf. CXIII: 1. 9. Pf. CXVI: 19. Pf. CXVII: 2. Pf. CXXXV: 3. Pf. CXLVIII: 1. 14. Pf. CXLIX: 1. 9. Pf. CL: 1. Quod fit propter rejectionem Babyloniorum, patet ex Capite præcedente, in quo de Babyloniis actum, quare dicitur *pofthæc*, & ex fequentibus in Verf. 2. 3. in hoc Capite. Quod fint Angeli inferiorum Cælorum, qui per Turbam multam in Cælo intelliguntur, conftat ex Verfu 4. hujus Capitis, ubi dicitur, quod viginti quatvor Seniores & quatvor Animalia adoraverint Sedentem fuper Throno, dicentes Amen Alleluja, per quos intelliguntur Angeli fuperiorum Cælorum.

804. *Salus & Gloria & Honor & Potentia Domino Deo noftro, fignificat quod nunc a Domino falvatio, quia nunc receptio Divini Veri & Divini Boni ex Divina Poteftate Ipfius.* Per falus fit Domino Deo noftro, fignificatur agnitio & confeffio quod a Domino fit falvatio; per gloria & honor fit Domino Deo noftro, fignificatur agnitio & confeffio quod a Domino fit Divinum Verum & Divinum Bonum, ita receptio eorum, n. 249. 629. 693; per potentia fit Domino Deo noftro, fignificatur agnitio & confeffio quod Domino fit poteftas: dicere quod Domino fit falus, gloria, honor & poteftas, eft fecundum fenfum literæ; ut quoque alibi, quod Domino fit benedictio, fed hoc in fenfu fpirituali fit quod illa quia in Domino funt, etiam a Domino fint, hic quod nunc Angelis & hominibus fint; ex caufa, quia remoti & rejecti funt Babylonii, qui influxum illorum a Domino interpolaverunt, debilitaverunt & impediverunt; fimiliter ut in mundo nubes nigræ inter folem & homines, nam ficut lux folis mundi interpolatur, debilitatur & impeditur per interpofitas nigras nubes, fimiliter lux Solis Cæli, qui eft Dominus, per interpofitas atras falfitates a Babyloniis; prorfus fimilis res eft, modo quod unum fit naturale & alterum fpirituale; etiam falfitates in Mundo fpirituali apparent ficut nubes, obfcuræ ac atræ fecundum quale earum: hæc quoque caufa eft, quod non prius quam poft ultimum judi-

cium revelatus sit sensus spiritualis Verbi, & quod Solus Dominus sit Deus Cæli & Terræ; per Ultimum enim Judicium remoti sunt Babylonii, & quoque Reformati qui solam fidem confessi sunt, quorum falsitates fuerunt sicut furvæ nubes interpositæ inter Dominum & inter homines super terris; & quoque fuerunt sicut frigora, quæ calorem spiritualem, qui est amor boni & veri, sustulerunt.

v. 2 805. *Quia vera & justa judicia Ipsius, quia judicavit Meretricem magnam, quæ corrupit terram scortatione sua, significat quia ex justitia condemnatum est prophanum Religiosum Babylonicum, quod per fædas adulterationes Verbi Ecclesiam Domini destruxit.* Per vera & justa judicia tua, significantur Divina vera & bona Verbi, secundum quæ judicium fit a Domino, n. 668. 689, quæ simul vocantur Justitia, per justitiam enim, ubi de Domino, non aliud significatur, ut infra Vers. 11; tum Esaj. LXIII: 1. Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16; per quia judicavit Meretricem magnam, significatur quia condemnatum est prophanum Religiosum Babylonicum, de quo in Capite præcedente actum est; dicitur illud Meretrix magna ex adulteratione & prophanatione Verbi; per quæ corrupit terram scortatione sua, significat quæ per fædas adulterationes Verbi Ecclesiam Domini destruxit, per scortationem ejus significatur adulteratio Verbi, n. 134, & per terram Ecclesia, n. 285. 721.

806. *Et vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus, significat retributionem propter damna & violentias illatas animabus cultorum Domini.* Quod per vindicavit sanguinem servorum suorum de manu ejus, significetur retributio propter damna & violentias illatas animabus cultorum Domini, est quia per vindicavit significatur retributio; per sanguinem effundere significatur violentiam inferre Divino Domini & Verbo, n. 327. 684, hic cultoribus Domini, qui intelliguntur per servos Ipsius; horum animabus damna & violentias intulerunt per quod Divinum cultum Domini in se transtulerunt, & inhibuerunt legi Verbum. Dicitur de Domino, quod vindicaverit seu ultus sit sanguinem servorum suorum, sicut ex vindicta seu ultione hoc fecerit, sed usque non est ex vindicta & ultione, sicut non ex ira & excandescentia, quæ tamen Domino passim in Verbo tribuitur, videatur supra n. 525 635. 658. 673. Dicitur ira & vindicta de Domino, quando mali separati a bonis conjiciuntur in infernum, quod fit die ultimi judicii, quare ille dies vocatur dies iræ & quoque ira, tum dies vindictæ; non quod Dominus irascatur & vindicet, sed quod illi Domino irascantur, & contra Ipsum spirent vindictam; est sicut maleficus post sententiam latam irascitur Legi & spirat vindictam contra Judicem, non enim Lex irascitur, nec Judex vindicat. In hoc sensu intelligitur vindicta in sequentibus locis „ DIES VINDICTÆ *in corde meo, annus redemptorum meorum venit*, Esaj. LXIII: 4, ibi de Domino & de Ultimo judicio. DIES VINDICTÆ JEHOVÆ, *annus retributionum pro lite Zionis*, Esaj. XXXIV: 8. *Ecce Deus vester in* VINDICTAM *veniet, in retributionem Dei veniet, & salvabit vos*, Esaj XXXV: 4. DIES VINDICTÆ *hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt*, Luc. XXI: 22, ibi de Consummatione sæculi, quando ultimum judicium. *Spiritus Domini Jehovih super Me ad proclamandum diem beneplaciti Jehovæ, &* DIEM VINDICTÆ *Deo nostro*,

nostro, ad consolandum omnes lugentes, Esaj. LXI: 2. *Num propter hoc non sumet* ULTIONEM *Anima mea*, Jerem. V: 9. 29. VINDICTAM *sumam de Babele, nec intercedere faciam hominem*, Esaj. XLVII: 3. *Contra Babelem cogitatio ad perdendum illam, quia* VINDICTA JEHOVÆ HÆC, VINDICTA TEMPLI IPSIUS, Jerem. LI: 11. 36. *Cantate gentes, populus ejus, quia* SANGUINEM SERVORUM SUORUM VINDICAVIT, *&* VINDICTAM *reddet hostibus suis, & expiabit terram suam, populum suum*, Deutr. XXXII: 43.

807. *Et secundo dixerunt, Alleluja, fumus ejus ascendit in sæcula sæculorum, significat ex gaudio gratiarum actionem & celebrationem Domini, quod prophanum illud Religiosum damnatum sit in æternum.* Quod secundo dixerint, est ex varia affectione gaudii, quod liberati sint ab infestatione ex illis qui in illo Religioso erant, tum ex timore ne resurgant & iterum infestent; quod per Alleluja significetur gratiarum actio & celebratio Domini, videatur supra n. 803; per fumum ejus, significatur Religiosum illud quoad diras ejus falsitates, quoniam falsa ex malo apparent sicut fumi ex igne, n. 422, ignis ibi est amor sui, n. 468. f. 494. 766; quod per fumum combustionis, ubi de Babylone, significetur prophanatio, n. 766. 767. 767; per ascendere in sæcula sæculorum, significatur damnatio ejus in æternum.

808. *Et prociderunt Seniores viginti quatvor & quatvor Animalia, & adoraverunt Deum Sedentem super throno, dicentes, Amen Alleluja, significat adorationem Domini ut Dei Cæli & Terræ, ac ut Judicis universi ab Angelis Superiorum Cælorum, & confirmationem gratiarum actionis, confessionis & celebrationis Ipsius ab Angelis Inferiorum Cælorum factarum.* Per procidere & adorare significatur humiliatio & ex humiliatione adoratio, ut supra n. 370; per viginti quatvor Seniores & quatvor Animalia significantur Cæli superiores, n. 369; per Sedentem super throno intelligitur Dominus ut Deus Cæli, ac ut Judex universi, quoniam per Thronum significatur Cælum & Regnum ibi, n. 14. 221. 222, & quoque judicium, hic judicium quia de judicio super Babele, de quo præcedit; quod Sedens super throno sit Dominus, videbitur infra; per Amen Alleluja, significatur confirmatio gratiarum actionis, confessionis & celebrationis ab Angelis Inferiorum Cælorum factarum, per Amen significatur confirmatio & consensus ex veritate, n. 23. 28. 31. 61. 371. 375, & per Alleluja significatur gratiarum actio, confessio & celebratio Domini, n. 803, quod sint quæ ab Angelis Inferiorum Cælorum factæ sunt, est quia illi primum loquuti sunt & celebrabant Dominum ut Deum cæli, Judicem & Vindicem, & dicebant Alleluja, ut patet a Vers. 1 & 2, & ab explicatione supra n. 803. 804, confirmatio illorum ab Angelis Superiorum Cælorum significatur per Amen Alleluja.

Quod Sedens super throno sit Dominus, patet ex Apocalypsi Cap. I: 4. Cap. II: 8. Cap. III: 21. Cap. IV: 2 ad 6. 9. Cap. V: 13. Cap. VI: 16. Cap. VII: 9. 10. 11. Cap. XXII: 1. 3; in quibus locis dicitur *Deus & Agnus super* THRONO, per Deum ibi intelligitur Ipsum Divinum Domini quod Pater vocatur, & per Agnum Divinum Humanum quod Filius vocatur, n. 269. 291, ita Solus Dominus; hoc etiam patet a Cap. VII, ubi dicitur, *Agnus qui in medio* THRONI *pascet illos*, Vers. 17: & apud Matthæum „ *Quando sedebit Filius hominis*

super THRONO GLORIÆ SUÆ, *judicaturus*, XIX: 28. *Quando venerit Filius hominis in gloria sua, & omnes Angeli cum Ipso, tunc sedebit super* THRONO GLORIÆ SUÆ, XXV: 31.

v. 5 809. *Et vox e Throno exivit, dicens, laudate Deum nostrum omnes servi Ipsius & timentes Ipsum, significat influxum a Domino in Cælum, & sic unanimitatem Angelorum, quod omnes qui in veris fidei & in bonis amoris sunt, colant Dominum ut Solum Deum Cæli.* Per vocem, quæ e throno exivit, significatur influxus a Domino in Cælum; quod sit a Domino, est quia Sedens super throno erat Dominus, ut mox supra n. 808 ostensum est; ideo per vocem exeuntem inde intelligitur influxus, nam Dominus, quia supra Cælos est & apparet coram Angelis ut Sol, non loquitur ad Angelos inde, sed influit, & quod influit, hoc recipitur in Cælo ac edicitur, quare vox illa tametsi e throno, usque audita est a Johanne e cælo, ita ab angelis ibi, & quicquid Angeli e Cælo loquntur, est a Domino; per laudate Deum nostrum, significatur ut colant Dominum ut Solum Deum Cæli; quod laudare Deum sit colere Ipsum, videbitur infra; per omnes servos Ejus, significantur omnes qui in veris fidei sunt, n. 3. 380; per omnes timentes Ipsum, significantur qui in bonis amoris sunt, n. 527. 628. Quod laudare Deum, significet colere Ipsum, & inde quod Laus Ipsius sit cultus Ipsius, constat ex multis locis in Verbo, quorum aliqua duntaxat adducentur ,, *Subito facta est cum Angelo multitudo* LAUDANTIUM DEUM, Luc. II: 13. 20. *Cœperunt omnis turba discipulorum*, LAUDARE *Deum voce magna*, Luc. XIX: 37. *Erant in Templo* LAUDANTES *& benedicentes Deum*, Luc. XXIV: 53. *Audiri facite*, LAUDATE, *& dicite, serva Jehovah populum tuum*, Jerem. XXXI: 7. LAUDATE JEHOVAM *in Cælis*, LAUDATE IPSUM *in excelsis*, LAUDATE IPSUM *Angeli Ipsius*, LAUDATE IPSUM *exercitus Ipsius*, LAUDATE IPSUM *Sol & Luna*, LAUDATE IPSUM *omnes stellæ lucis*, LAUDATE IPSUM *Cæli cælorum*; LAUDENT *Nomen Jehovæ*, LAUDATE JEHOVAM *e terris*, *exaltavit* LAUDEM *omnibus populis*, Psalm. CXLVIII: 1. 2. 3. 4. 5. 7. 13. 14. *Ex ore infantium & lactentium perfecisti* LAUDEM, Matth. XXI: 16. *Omnis populus dedit* LAUDEM *Deo*, Luc. XVIII: 43; præter alibi, ut Esaj. XLII: 8. Cap. LX: 18. Joel II: 26. Psalm. CXIII: 1. 3. Ps. CXVII: 1. Hæc quæ in hoc Versu dicuntur, non se referunt ad præcedentia de Babylone, sed ad sequentia de Nova Ecclesia a Domino instauranda, de qua in sequentibus hic agitur.

810. *Et parvi & magni, significat qui in minori & majori gradu colunt Dominum ex veris fidei & ex bonis amoris.* Per parvos & magnos in naturali sensu intelliguntur qui in minori & majori gradu dignitatis sunt, in spirituali autem sensu, qui in minori & majori gradu cultus Domini sunt, ita qui colunt Dominum minus & magis sancte & plene ex veris fidei & ex bonis amoris; hoc significatur, quia sequitur post laudate Deum omnes servi Ipsius & timentes Ipsum, per quæ talia significantur, n. 809; videatur etiam n. 527. 604.

v. 6 811. *Et audivi tanquam vocem turbæ multæ, & tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitruum vehementium, dicentium Alleluja, quia regnat Dominus Deus Omnipotens, significat gaudium Angelorum Infimi Cæli, Angelorum Medii Cæli, & Angelorum Supremi Cæli, quod Solus Dominus regnet in Ecclesia quæ* nunc

nunc ventura est. Per vocem significatur gaudium cultus, confessionis & celebrationis Domini, quia sequitur quod dixerint Alleluja, & dein gaudeamus & exultemus, & demus gloriam Ipsi; per vocem Turbæ multæ, significatur gaudium Angelorum infimi Cæli, ut supra n 803; per vocem aquarum multarum, significatur gaudium Angelorum medii Cæli, ut supra n. 614, quod horum gaudium ita audita sit, est quia aquæ multæ significant vera in copia n. 50. 614. 685, & Angeli medii Cæli in veris sunt quia in intelligentia; per vocem tonitruum vehementium significatur gaudium Angelorum supremi Cæli, quod vox seu sermo illorum audiatur sicut tonitru, videatur supra n. 615; per dicere Alleluja significatur gaudium cultus, confessionis & celebrationis Domini, ut supra n. 803; per quia regnat Dominus Deus Omnipotens, significatur quia Solus Dominus regnat, Dominus enim vocatur Omnipotens, Apoc. I: 8. Cap. IV: 8. Cap. XI: 17. Cap. XV: 3. Cap. XVI: 3. 4 Cap. XIX: 15; Cap. XXI: 22, ubi explicationes videantur. Quod hæc dicantur de nova Ecclesia a Domino instauranda, constat a tribus versibus sequentibus, in quibus dicitur, *Quia venerunt nuptiæ Agni, & Uxor Ipsius paravit se;* tum, *beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati sunt;* propter hoc est gaudium omnium Cælorum, quod in hoc & in sequente Versu describitur.

812. *Gaudeamus & exultemus & demus gloriam Ipsi, quia venerunt nuptiæ Agni, significat gaudium animæ & cordis, & inde glorificationem Domini, quod a nunc fiat plenum conjugium Ipsius cum Ecclesia.* Per gaudere & exultare, significatur gaudium animæ & cordis; gaudium animæ est gaudium intellectus seu ex veris fidei, & gaudium cordis est gaudium voluntatis seu ex bonis amoris; duo illa dicuntur propter conjugium veri & boni in singulis Verbi, de quo supra n. 106. 689; per dare gloriam Ipsi, significatur agnoscere & confiteri quod omne verum sit a Domino, n. 629; tum agnoscere, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, n. 693, hic itaque significatur glorificare, quia hoc involvit utrumque illud; per quia venerunt nuptiæ Agni, significatur quia a nunc fit plenum conjugium Domini & Ecclesiæ; ut hoc significetur, ideo dicitur Agnus, & per Agnum intelligitur Dominus quoad Divinum Humanum, n. 269. 291. Quod cum Humanum Domini agnoscitur Divinum, fiat plenum conjugium Domini & Ecclesiæ, constare potest pæne absque explicatione; nam notum est in Orbe Christiano Reformato, quod Ecclesia sit Ecclesia ex Conjugio Domini cum illa, Dominus enim vocatur Dominus Vineæ, & Ecclesia est Vinea; & quoque Dominus vocatur Sponsus & Maritus, & Ecclesia vocatur sponsa & uxor; quod Dominus dicatur Sponsus & Ecclesia sponsa, videatur supra n. 797: quod tunc plenum conjugium Domini & Ecclesiæ sit, quando Humanum Ipsius agnoscitur Divinum, patet; nam tunc Deus Pater & Ipse agnoscuntur unum ut anima & corpus; quod cum agnoscitur, non aditur Pater propter Filium, sed tunc aditur Ipse Dominus, & per Ipsum Deus Pater, quia Pater in Ipso est quemadmodum Anima in Corpore, ut dictum est: antequam Humanum Domini agnoscitur Divinum, est quidem conjugium Domini cum Ecclesia, sed solum apud illos qui adeunt Dominum, & cogitant de Divino Ipsius, & non aliquid num Humanum Ipsius sit Divinum vel non; ita faciunt sim-

ſimplices fide & corde, & raro docti & eruditi: & præterea non poſſunt dari *tres Mariti unius Uxoris, nec tres animæ unius corporis*, quare niſi agnoſcitur Deus Unus in Quo Trinitas, & quod Ille Deus ſit Dominus, non datur conjugium. Quod *a nunc* fiat illud Conjugium, eſt quia non prius fieri potuit plene, quam poſtquam in Mundo ſpirituali per ultimum Judicium ſeparati ſunt Babylonici, ut & Philiſthæi, qui ſunt qui ſolam fidem profitentur; & quia in præcedentibus actum eſt de ſeparatione illorum, dicitur *a nunc*. Quod Nuptiæ Eccleſiæ ſint cum Domino, conſtare poteſt ex his „ *Jeſus dixit, non poſſunt filii* NUPTIARUM *lugere, quamdiu cum illis eſt* SPONSUS, Matth. IX: 15. Marc. II: 19. *Simile eſt Regnum Cælorum Homini Regi, qui fecit* NUPTIAS FILIO SUO, *& emiſit ſervos & invitavit ad* NUPTIAS, Matth. XXII: 1 ad 14. *Simile eſt Regnum cælorum decem Virginibus, quæ exiverunt in occurſum* SPONSI, *ex quibus quinque paratæ ingreſſæ ſunt* CUM SPONSO IN NUPTIAS, Matth. XXV: 1 ad 12; quod Dominus ſe hic intellexerit, patet a Verſu ſubſequente 13, ubi dixit, *Vigilate, quia non noviſtis diem & horam, qua Filius hominis venturus eſt*: & alibi „ *Sunto lumbi veſtri cincti, & candelæ veſtræ lucentes, & ſimiles exſpectantibus Dominum ſuum, quando reverſurus eſt a* NUPTIIS, Luc. XII: 36.

813. *Et Uxor Ipſius paravit ſe, ſignificat quod illi qui ab Eccleſia hac, quæ eſt Nova Hieroſolyma, erunt, colligantur, inaugurentur & inſtruantur.* Per Uxorem ſignificatur Nova Eccleſia Domini, quæ eſt Nova Hieroſolyma, quod patet clare a Capite ſeq. XXI, ubi hæc ſunt „ *Vidi Urbem Sanctam Hieroſolymam novam deſcendentem a Deo e Cælo paratam ſicut* SPONSAM ORNATAM MARITO SUO, Verſ. 2. Et in eodem Capite, *Venit Angelus ad me, dicens, veni, oſtendam tibi* SPONSAM AGNI UXOREM, *& oſtendit mihi Urbem magnam ſanctam Hieroſolymam deſcendentem e Cælo a Deo*, Verſ. 9. 10. Per quod uxor paravit ſe, ſignificatur, quod qui e Nova illa Eccleſia Domini erunt, colligantur, inaugurentur & inſtruantur; & quia hæc per paravit ſe ſignificantur, ideo ſequitur „ Quod Uxor illa amiceretur byſſino mundo & ſplendido „ per quod ſignificatur inauguratio per inſtructionem; & ideo quoque ſequitur de Equo Albo, per quem ſignificatur intellectus Verbi a Domino pro illis.

814. *Et datum illi ut amiceretur byſſino mundo & ſplendido, ſignificat quod illi qui e Nova Eccleſia Domini erunt, inſtruentur in veris genuinis & puris per Verbum a Domino.* Per datum illi, intelligitur uxori, per quam ſignificatur Nova Eccleſia Domini, quæ eſt Nova Hieroſolyma, ut mox ſupra n. 812; per amiciri ſignificatur inſtrui in veris, quia per veſtes ſignificantur vera, n. 166; & per veſtes albas genuina vera, n. 212; per byſſinum mundum & ſplendidum ſignificatur nitens ex bono & purum ex veris; & quia non aliunde datur purum verum quam per Verbum ex Domino, ideo etiam hoc ſignificatur. Mundum & ſplendidum dicitur, quia mundum ſignificat id quod immune eſt a malo, ita quod nitet ex bono, & ſplendidum ſignificat id quod immune eſt a falſo, ita purum ex vero. Per byſſum ſeu byſſinum ſignificatur genuinum Verum, etiam in ſequentibus locis „ *Hieroſolyma, veſtivi te acupicto, accinxi te* BYSSO, *& obtexi te ſerico; ſic ornata auro & argento, & veſtis tua* BYSSUS *& ſericum*, Ezech. XVI: 10. 13. BYSSUS *in acupictura ex Ægypto, fuit expanſio tua*,

Ezech.

Ezech. XXVII: 7, hæc de Tyro, per quam significatur Ecclesia quoad cognitiones veri & boni. *Exercitus in Cælo sequebantur Ipsum super equis albis, induti* BYSSINO ALBO ET MUNDO, Apoc. XIX: 13. 14. *Quod Joseph vestitus sit vestibus* BYSSI *a Pharaone*, Gen. XLI: 42, simile significat. Verum ex Verbo apud illos, tametsi non in illis, significatur per BYSSINUM *apud Babylonem*, Apoc. XVIII: 12. 16. *& apud Divitem*, Luc. XVI: 19. Byssinum etiam vocatur Xylinum, quare per id etiam significatur genuinum Verum in his, apud Mosen, *Pro Aharone tessellabis tunicam* XYLINI; *& facies cidarim* XYLINI, Exod. XXVIII: 39. *Fecerunt tunicas* XYLINI *pro Aharone & Filiis ejus*, Exod. XXXIX: 27. *Habitaculum facies* XYLINUM *intertextum*, *& hyacinthinum*, *& purpuram*, *& coccineum dibaphum*, Exod. XXVI: 1. Cap. XXXVI: 8. *Facies tapetes pro atrio ex* XYLINO *intertexto*, Exod. XXVII: 9. 18. Cap. XXXVIII: 9; *etiam velum atrii cum* XYLINO *intertexto*, Exod. XXXVIII: 18.

815. *Nam byssinum justitiæ Sanctorum*, *significat quod per vera ex Verbo sint bona vitæ illis qui ab Ecclesia Domini sunt.* Per byssinum significantur genuina vera, quæ sunt vera per Verbum a Domino, ut mox supra n. 814; per justitias significantur bona vitæ apud illos qui in veris sunt, n. 668; per sanctos significantur, qui ab Ecclesia Domini sunt, n. 173. 586. Quod justitiæ sint bona vitæ apud illos qui in veris sunt, est quia nemo potest justus dici, nisi vivat secundum vera; justus enim in naturali sensu dicitur omnis qui bene vivit secundum leges civiles & morales; at justus in spirituali sensu dicitur, qui bene vivit secundum leges Divinas, & leges Divinæ sunt vera ex Verbo; qui credit se justum esse, proinde in bono vitæ, absque veris, secundum quæ vivat, multum fallitur; nam homo non potest reformari & regenerari, proinde fieri bonus, nisi per vera, & per vitam secundum illa: inde patet, quod per byssinum justitiæ sanctorum, significetur quod per vera ex Verbo sint bona vitæ illis qui ab Ecclesia Domini sunt. Hoc manifeste patet ab Angelis cæli, illi quo plus in veris sunt, & in vita secundum illa, eo vestibus candidioribus amicti apparent, causa est quia in candidiore luce sunt.

v. 9. 816. *Et dicit mihi*, *scribe*, *beati qui ad Cœnam nuptiarum Agni vocati sunt*, *significat unum Angelum e Cælo missum ad Johannem*, *& loquentem cum illo de Nova Ecclesia Domini*, *& dicentem*, *quod daretur scire in terris*, *quod vita æterna sit illis*, *qui recipiunt illa quæ istius Ecclesiæ sunt.* Quod fuerit unus Angelus missus e Cælo ad Johannem, qui hæc loquutus est ad illum, constare potest a sequente Versu, quod Johannes prociderit ad pedes ejus ad adorandum illum, & quod Angelus responderit, quod conservus ejus esset, ideo quod non ille, sed Deus adorandus esset: quod priora, quæ Johannes audivit, fuerint ex ipso cælo, & per multos angelos simul loquentes a Domino, patet manifeste a Vers. præc. 5. 6. 7, ubi dicitur, quod vox e throno exiverit, & quod audita sit vox tanquam turbæ multæ, & tanquam aquarum multarum, & tanquam tonitruum vehementium, ac dicentium gaudeamus & exultemus; hæc in plurali, nunc autem in singulari, ita ab uno Angelo misso ad illum: sed dicam quomodo fit, cum Angeli loquuntur cum homine; nusquam loquuntur cum illo e Cælo, sed vox quæ inde auditur, est a Domino per Cælum; at cum

datur Angelis loqui cum homine, mittunt e societate sua unum, qui prope hominem sit, & per illum loquuntur cum homine; ille qui mittitur, est subjectum plurium; & hic est qui cum Johanne nunc loquutus est; hoc factum est ut annuntiaretur in terris, quod universum Cælum agnoscat Solum Dominum pro Deo Cæli, & quod Ipse Solus adorandus sit, tum quod Nova Ecclesia in terris a Domino instauranda sit, sicut instaurata est in cælis; nam Ecclesia primum instauratur in cælis a Domino, & dein per cælos in terris: hoc arcanum est in his. Nunc ad explicationem; scribe significat ut mandet hoc posteritati in recordationem, n. 39 63. 639, hic ut det scire illa, hoc intelligitur per scribe; beati qui ad Cænam nuptiarum Agni vocati sunt, significat quod vita æterna sit illis, qui recipiunt illa quæ Novæ Ecclesiæ sunt; beati dicuntur illi quibus vita æterna est, n. 639; per nuptias Agni significatur Nova Ecclesia, quæ in conjunctione cum Domino est, ut supra n. 812; per vocatos intelliguntur omnes qui recipiunt, n. 744; sunt quidem omnes vocati, sed qui non recipiunt illi rejiciunt vocationem. Quod dicatur Cæna nuptiarum Agni, est quia hoc fit in statu ultimo Ecclesiæ, qui vocatur Vespera, & in vesperis fiunt cænæ; status autem primus Ecclesiæ Novæ vocatur Mane; in vespera vocatur homo ad Ecclesiam, & cum vocati adsunt, fit mane: quod status ultimus Ecclesiæ dicatur vespera & nox, & status primus ejus diluculum & mane, videatur supra n. 151: & quia ultimum tempus Ecclesiæ Judaicæ fuit, ita vespera, quando Dominus abivit Hierosolymam ut pateretur, ideo tunc Dominus Cænavit cum discipulis, & instituit Eucharistiam, unde est quod dicatur Sacra Cæna; per quam etiam fit conjunctio Domini cum homine Ecclesiæ, seu nuptiæ, si homo postquam pænitentiam egerat, Ipsum directe adit; sin aliter, fit præsentia & non conjunctio. Ex his constare potest, quid per Cænam & Cænare significatur alibi in Verbo.

817. *Et dixit, hæc verba vera sunt Dei, significat quod hoc credendum sit, quia a Domino*, nempe quod beati sint qui ad cænam nuptiarum Agni vocati sunt, hoc est, quod vita æterna sit illis in terris, qui recipiunt ea quæ Novæ Ecclesiæ Domini sunt.

V. 10. 818. *Et procidi ante pedes ejus adorare illum, & dixit mihi, vide, ne, conservus tuus sum, & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu, Deum adora, significat quod Angeli Cæli non adorandi & invocandi sint, quia nihil Divinum est illis, sed quod associati sint hominibus sicut fratres fratribus, illis qui colunt Dominum, & sic quod Solus Dominus in consociatione cum illis adorandus sit.* Per procidi ante pedes ejus adorare illum, & dixit mihi, vide ne, Deum adora, significat quod non aliquis Angelus Cæli adorandus & invocandus sit, sed Solus Dominus; per conservus tuus sum & fratrum tuorum, significat quod non Divinum sit Angelo, sed quod associatus homini ut frater fratri; per habere testimonium Jesu, significatur quod similiter in conjunctione cum Domino sit, per agnitionem Divini in Humano Ipsius, & per vitam secundum præcepta Ipsius; quod hæc per habere testimonium Jesu significetur, in sequente Articulo videbitur. Quod Angeli Cæli non sint superiores hominibus, sed quod sint pares illis, & quod ideo æque sint servi Domini, sicut sunt homines,

nes, est quia omnes Angeli fuerunt homines, nati in mundo, & non aliqui immediate creati, ut constare potest ex illis quæ in Opere de CÆLO ET INFERNO Londini 1758 edito, scripta & ostensa sunt; excellunt quidem sapientia præ hominibus, sed hoc ideo quia in statu spirituali sunt, & inde in luce cæli, & non in statu naturali, & sic in luce mundi, ut sunt homines telluris; sed quantum aliquis Angelus excellit sapientia, tantum agnoscit quod non supra homines sit, sed similis illi; quare nec aliqua conjunctio hominum cum angelis est, sed est consociatio cum illis; cum Solo Domino datur conjunctio. Quomodo autem fit conjunctio cum Domino, & consociatio cum Angelis per Verbum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 62 ad 69.

819. *Nam Testimonium Jesu est Spiritus prophetiæ, significat quod agnitio quod Dominus sit Deus Cæli & terræ, & simul Vita secundum præcepta Ipsius, sit in universali sensu omne Verbi & Doctrinæ inde.* Per testimonium Jesu significatur testatio Domini in cælo, quod sit Ipsius, & sic quod sit in cælo unus inter Angelos ibi; & quia testatio illa non dari potest aliis quam qui in conjunctione cum Domino sunt, & in conjunctione cum Domino sunt illi, qui agnoscunt Ipsum pro Deo Cæli & Terræ, ut Ipse docet Matth. XXVIII: 18, & simul vivunt secundum præcepta Ipsius, imprimis secundum præcepta Decalogi, ideo hæc duo per Testimonium Jesu significantur, videatur supra n. 6. 490; per quod illud testimonium sit spiritus prophetiæ, significatur quod id sit omne Verbi & doctrinæ inde; Verbum enim in universali sensu solum agit de Domino, & de Vita secundum præcepta Ipsius; inde est, quod Dominus sit Verbum, est enim Verbum, quia Verbum ex Ipso est, & de Ipso Solo agit, & unice docet, quomodo agnoscendus & colendus est, & hæc sunt præcepta Verbi, quæ vocantur Divina Vera, secundum quæ vivendum est, ut in conjunctionem cum Domino veniri possit. Quod Verbum de Solo Domino agat, & quod inde sit quod Dominus dicatur Verbum, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, n. 1 ad 7. n. 8 ad 11. n. 19 ad 28. n. 37 ad 44: & in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 80 ad 90. n. 98 ad 100. Hoc quoque est quod Dominus dicit, *Quod Spiritus Veritatis, qui est Spiritus Sanctus, testaturus sit de Domino, & quod non loquuturus sit ex seipso, sed quod ex illis quæ Domini sunt accepturus sit, & annuntiaturus*, Joh. XV: 26. Cap. XVI: 13. 15.

820. *Et vidi Cælum apertum, & ecce Equus albus, significat Sensum spiritualem Verbi a Domino revelatum, & per id intellectum Verbi interiorem detectum, quod est Adventus Domini.* Per visum Cælum apertum, significatur revelatio a Domino & tunc manifestatio, de qua sequitur; per equum significatur intellectus Verbi, & per equum album intellectus Verbi interior, n. 298; & quia hoc per equum album significatur, & sensus spiritualis est intellectus Verbi interior, ideo ille sensus per equum album hic significatur. Quod id sit Adventus Domini, est quia per illum sensum manifeste apparet, quod Dominus sit Verbum, & quod Verbum de Ipso Solo agat, & quod sit Deus Cæli & Terræ, & quod ab Ipso Solo Nova Ecclesia existat. Dominus dixit, *quod visuri sint Filium homi-*

hominis venientem in nubibus Cæli cum gloria & virtute, Matth. XVII: 5. Cap. XXIV: 30. Cap. XXVI: 64. Marc. XIV: 61. 62. Luc. IX: 34. 35. Cap. XXI: 27. Apoc. I: 7; Acta Apostol. I: 9. 11; & hoc etiam dixit Dominus, ubi loquutus est cum Discipulis de consummatione sæculi, quæ est ultimum tempus Ecclesiæ, quando judicium: omnis qui non ultra sensum literæ cogitat, credit quod cum ultimum judicium venturum est, Dominus appariturus sit in nubibus Cæli cum Angelis & sonis tubarum, at quod id non intelligatur, sed quod appariturus in Verbo, constare potest ab Explicatione supra n. 24. 692; & Dominus apparet manifeste in sensu Verbi spirituali, apparet non modo quod sit Verbum, hoc est, ipsum Divinum Verum, tum quod Ipse sit intimum Verbi & inde omne ejus, sed etiam quod Ipse sit Deus unus, in quo Trinitas, ita Deus Cæli & Terræ solus, & insuper quod in mundum venerit, ut Humanum suum glorificaret, hoc est, Divinum faceret; Humanum quod glorificavit, hoc est, Divinum fecit, erat Humanum Naturale, quod non glorificare seu Divinum facere potuit, quam per susceptionem Humani in Virgine in Mundo naturali, cui tunc univit Divinum suum, quod fuit Ipsi ab æterno; unitio illa facta est per tentationes in Humanum suum susceptum admissas, quarum ultima fuit Passio crucis, & simul per impletionem omnium Verbi, non solum per impletionem omnium Verbi in sensu naturali ejus, sed etiam per impletionem omnium Verbi in sensu spirituali & in sensu cælesti ejus, in quo, ut supra dictum est, de Ipso Solo agitur: sed de his videantur quæ in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE DOMINO, & in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, manifestata sunt. Nunc quia Dominus est Verbum, & Verbum Caro factum est, Joh. I: 1. 2. 14, & Verbum Caro factum est, ut impleret illud, patet quod Adventus Domini in Verbo intelligatur per apparitionem Ipsius in nubibus cæli; quod nubes cæli significent Verbum in sensu literæ, videatur supra n. 24. 692. Quod apparitio Domini in Verbo intelligatur, patet, quia per Equum album significatur intellectus Verbi interior, & dicitur quod nomen Sedentis super Equo sit VERBUM DEI, & quod Nomen Ipsius sit Rex regum & Dominus dominorum, Vers. 13. 16. Ex his nunc patet, quod per vidi Cælum apertum, & ecce Equus albus, significetur Sensus spiritualis Verbi a Domino revelatus, & per id intellectus ejus interior detectus, quod etiam est Adventus Domini. Quod Sensus spiritualis Verbi hodie revelatus sit, de quo nemo prius in Christiano Orbe aliquid novit, videri potest in ARCANIS CÆLESTIBUS, ubi duo Libri Mosis, Genesis & Exodus, secundum illum Sensum explicati sunt; tum in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 5 ad 26: in Opusculo DE EQUO ALBO, a principio ad finem, & ibi Collectis ex Arcanis Cælestibus de Scriptura Sacra: & præterea in EXPLICATIONIBUS HIS SUPER APOCALYPSIN, ubi ne quidem unus Versiculus absque Sensu spirituali potest intelligi.

821. *Et Sedens super illo vocatur fidelis & verus, & in justitia judicat & pugnat, significat Dominum quoad Verbum, quod sit ipsum Divinum Bonum & Divinum Verum, ex quo utroque facit judicium, & separat bonos a malis.* Per Sedentem super illo, hoc est, Equo albo, intelligitur Dominus quoad Verbum; quod sit

Do-

Dominus quoad Verbum, patet a Versu 13 seq: ubi dicitur, *Circum indutus vestimento tincto sanguine, & vocatur Nomen Ejus Verbum Dei*; per Fidelem & Verum significatur Divinum Bonum & Divinum Verum, per Fidelem Divinum Bonum quia hoc est fidele; quod Fidelis, ubi de hominibus, sit qui in intimo seu tertio Cælo est, ita qui in bono cælesti, videatur supra n. 644; quod per Verum, cum de Domino, significetur Divinum Verum, patet: quod per justitiam significetur utrumque, tam bonum & verum, & ubi de Domino, Divinum Bonum & Divinum Verum, videatur supra n. 805; inde sequitur, quod per ex justitia judicare, significetur ex Divino Bono & Divino Vero judicium facere: quod omne judicium fiat a Domino per Verbum, ita quod ipsum Verbum judicet unumquemvis, videatur supra n. 233; quod ex justitia pugnare, significet separare bonos a malis, est quia Dominus non pugnat contra aliquem, sed separat bonos a malis, & quando boni separati sunt a malis, tunc mali semetipsos conjiciunt in infernum.

822. *Et oculi Ipsius tamquam flamma ignis, quod significet Divinam Sapientiam Divini Amoris Domini*, videatur supra n. 48, ubi similia, & dicuntur de Filio hominis, per Quem intelligitur Dominus quoad Verbum, n. 44.

823. *Et super Capite Ipsius diademata multa, significat Divina vera Verbi ab Ipso.* Super Capite, significatur a Domino, per Caput enim significatur sapientia ex amore, & ex Capite regitur homo per sapientiam ex amore; visa sunt diademata super Capite, quia Divina Vera Verbi, quæ significantur per diademata, ab Ipso sunt; quod diademata significent Divina Vera Verbi, videatur n. 231. 540; quod Caput, ubi de Domino, significet Divinam Sapientiam Divini Amoris, n. 47; quid porro Caput, n. 538. 565. Divina Vera Verbi in Mundo spirituali correspondent diadematibus, & ex correspondentia apparent ibi, & in Cælo super Capite illorum, qui sanctum habent Verbum, inde est quod diademata significent Divina vera Verbi in sensu literæ ejus, causa est, quia sensus literæ translucet a sensu spirituali & cælesti ejus, sicut diadema a luce.

824. *Habens Nomen scriptum, quod nemo novit nisi Ipse, significat quod quale est Verbum in sensu spirituali & cælesti ejus, nemo videat quam Dominus, & cui Ipse revelat.* Per nomen significatur quale alicujus, n. 165, & alibi, hic quale Verbi, seu quale Verbum est intus, hoc est, in sensu spirituali & cælesti ejus; dicitur Nomen scriptum, quia Verbum est tam apud homines in terris, quam apud Angelos in Cælis, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 70 ad 75; per quod nemo novit nisi Ipse, significatur quod nemo videat quam Ipse Dominus, & cui Ipse revelat, hoc est, quale est Verbum in sensu spirituali. Quod nemo videat sensum spiritualem Verbi, quam Solus Dominus, & inde quod nemo videat illum sensum nisi a Domino, & quod nemo a Domino nisi in Divinis veris ab Ipso sit, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 26.

825. *Et circum indutus vestimento tincto sanguine, & vocatur Nomen Ipsius Verbum Dei, significat Divinum Verum in sensu ultimo, seu Verbum in litera, cui violentia illata est.* Per vestimentum significatur verum investiens bonum, n. 166.

212. 328; & cum de Verbo, significatur Verbum in sensu literæ, hic enim est sicut Vestis, qua sensus spiritualis & cælestis ejus est circumindutus; per sanguinem significatur violentia illata Divino Domini & Verbo, n. 327. 684; causa quod hoc significetur, est quia per sanguinem significatur Divinum Verum Domini in Verbo, n. 379. 654, quare per effundere sanguinem significatur violentiam inferre Divino Domini & Verbo; per Verbum Dei, significatur hic Verbum in sensu literæ, huic enim est violentia illata, non autem Verbo in sensu spirituali, quia hic sensus non fuit notus, & si fuisset notus, etiam illi fuisset violentia illata; quare non prius revelatus est ille sensus, quam postquam Ultimum judicium peractum est, & nova Ecclesia a Domino instituenda est; nec hodie revelatur alicui, nisi qui in Divinis Veris a Domino est, videatur DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 26. Quod Divino Domini & Verbo violentia illata sit, patet manifeste a Religioso Catholico Romano, & a Religioso Reformatorum de Sola fide; Religiosum Catholico Romanum tradit quod Humanum Domini non sit Divinum, quare in se transtulerunt omnia Domini; tum quod Verbum solummodo ab illis interpretandum sit, ac interpretatio ab illis est ubivis contra Divinum Verum Verbi, ut in Explicatione Capitis præcedentis XVIII, ostensum est; inde patet, quod ab illo Religioso violentia illata sit Verbo: similiter a Religioso apud Reformatos de Sola fide, hoc nec facit Humanum Domini Divinum, & condit Theologiam super unico dicto Pauli false intellecto, & ideo sicut nihili facit omnia quæ Dominus docuit, de amore & charitate & de bonis operibus, quæ tamen tam exstantia sunt, ut quisque, si modo ei oculi sunt, videre possit. Similiter factum est cum Verbo a Judæis, Religiosum illorum fuit, quod Verbum non pro aliis scriptum esset quam pro illis, & sic quod non alii ibi intelligantur, & quod Messias venturus eveheret illos supra omnes in toto terrarum Orbe, per quæ & plura alia falsificaverunt & adulteraverunt omnia Verbi; hoc intelligitur per hæc apud Esajam ,, *Quis hic qui venit ex Edom, conspersus vestes ex Bozra, quare rubicundus quoad vestem suam, & vestes tuæ sicut calcantis in torculari, unde sparsa est victoria eorum super vestes meas, & omne vestimentum meum pollui*, LXIII: 1. 2, per vestes etiam hic significantur Divina Vera Verbi, per Edom significatur rubicundum, hic rubicundum ex sanguine; inde patet, quod per circum indutus vestimento tincto sanguine, & vocatur Nomen Ipsius Verbum Dei, significetur Divinum Verum in sensu ultimo, seu Verbum in litera, cui violentia illata est.

826. *Et exercitus in Cælo sequebantur Ipsum super equis albis, induti byssino albo & mundo, significat Angelos in Cælo novo Christiano, qui conjuncti Domino in intellectu Verbi interiore, & sic in puris & genuinis veris erant.* Per Exercitus in Cælo intelliguntur Angeli qui in Divinis veris & bonis sunt, n. 447; per Cælum hic intelligitur Cælum novum Christianum, de quo supra n. 612. 613. 626. 659. 661; quod id Cælum intelligatur, est quia hoc est Novum Cælum, de quo in Apocalypsi agitur; per sequi Dominum, significatur Ipsi conjunctus esse, n. 621; per equos albos super quibus apparebant, significatur intellectus Verbi interior, ut supra n. 820; per byssinum album & mundum, significatur verum purum

rum & genuinum per Verbum a Domino, n. 813; Dicitur etiam de nova Ecclesia, quod amiceretur byssino mundo & splendido, Vers. 8 hujus Capitis, ita hic de Cælo novo Christiano, per quod a Domino illa Ecclesia erit.

v. 15 827. *Et ex ore Ipsius prodibat romphæa acuta*, *quod significet dispersionem falsorum per doctrinam inde a Domino*, patet ex supra explicatis n. 52, ubi similia de Domino, qui ibi vocatur Filius hominis, & per Filium hominis intelligitur Dominus quoad Verbum, n. 44, hic per Insidentem equo albo similiter; dispersio enim falsorum fit per Verbum a Domino.

828. *Ut per illam percutiat gentes*, *& Ipse pascet illas virga ferrea*, *significat quod omnes qui in fide mortua sunt*, *per vera sensus literæ Verbi*, *& per rationalia*, *convincet.* Quod hæc significentur constat ex similibus supra n. 544; quod per virgam ferream, qua gentes percutientur, significentur vera ex sensu literæ Verbi per rationalia ex naturali homine confirmata, videatur ibi, & quoque n. 148. 485. Quod sola fides absque operibus mortua sit, patet clare apud Jacobum Cap. II: 17. 20; qui etiam dicit „ *Estote factores Verbi*, *non tantum auditores*, *quomodo decipitis vos ipsos*, Epist. I: 22. seq. similiter dicit Paulus, *Non auditores legis justificabuntur a Deo*, *sed factores legis justificabuntur*, Rom. II: 13.

829. *Et Ipse calcat torcular vini furoris & iræ Dei Omnipotentis*, *significat quod Dominus solus sustinuerit omnia mala Ecclesiæ*, *& omnem violentiam illatam Verbo*, *ita Sibi.* Per vinum furoris & iræ Dei, significantur bona & vera Ecclesiæ, quæ ex Verbo sunt, prophanata & adulterata, ita mala & falsa Ecclesiæ, n. 316. 632. 635. 758; per calcare torcular illius vini, significatur sustinere illa, pugnare contra illa, & condemnare, & sic liberare angelos in Cælis & homines in terris ab infestatione ex illis; Dominus enim in mundum venit, ut subjugaret Inferna, quæ tunc succreverant ut inciperent infestare Angelos, & subjugavit illa per pugnas contra illa, ita per tentationes; nam tentationes spirituales non aliud sunt quam pugnæ contra inferna; & quia omnis homo in consortio est cum spiritibus quoad ejus affectiones & inde cogitationes, homo malus cum spiritibus ex inferno, & homo bonus cum angelis e Cælo, quare cum Dominus subjugavit Inferna, non solum liberavit angelos Cæli ab infestatione, sed etiam homines telluris: hoc itaque est, quod significatur per hæc apud Esajam „ *Morbos nostros Ille tulit*, *& dolores nostros Ille portavit*; *atque Ille confessus est propter prævaricationes nostras*, *contusus propter iniquitates nostras*; *& vulnere Ejus sanitas data est nobis*; *Jehovah incurrere fecit in Illum iniquitatem omnium nostrum*, *exactionem sustinuit*, *excisus est e terra viventium*, *ob prævaricationem populi mei*, *plagam illis*, *& posuit reatum animam suam*, LIII: 4 ad 9; hæc de Domino & de Ipsius tentationibus ab Infernis, & tandem a Judæis, a quibus crucifixus est. Pugnæ Domini etiam describuntur apud Esajam Cap. LXIII: 1 ad 10; inter quæ etiam hæc sunt „ *Vestes tuæ sicut calcantis in torculari*, *torcular calcavi solus*; per quæ significatur, quod Solus sustinuerit mala & falsa Ecclesiæ, & omnem violentiam illatam Verbo, ita Sibi. Dicitur violentia illata Verbo, ita Sibi, quia Dominus est Verbum, & Verbo & Ipsi Domino illata est violentia a Religioso Catholico Romano, tum a Religioso apud Re-

Reformatos de sola fide, hujus & istius mala & falsa sustinuit Dominus, cum Ultimum judicium fecit, per quod subjugavit iterum Inferna, quæ nisi iterum subjugata fuissent, non potuisset ulla caro salvari, ut Ipse apud Matthæum, Cap. XXIV: 21. 22, dicit.

830. *Et habet super vestimento & super femore suo Nomen scriptum Rex regum & Dominus dominorum, significat quod Dominus doceat in Verbo, qualis est, quod sit Divinum Verum Divinæ Sapientiæ & Divinum Bonum Divini Amoris, ita quod sit Deus Universi.* Per Vestimentum Domini significatur Verbum quoad Divinum Verum, ut supra n. 825; per Femur Domini significatur Verbum quoad Divinum Bonum; quod femora & lumbi significent Amorem conjugialem (& quia ille Amor est fundamentalis omnium amorum, ideo femora & lumbi significant bonum amoris), quod hoc sit ex correspondentia, videatur supra n. 213, ideo cum Femur dicitur de Domino, significatur Ipse quoad Bonum Amoris, hic etiam Verbum quoad illud; per Nomen scriptum, significatur quale Domini, ut supra n. 824; per Regem regum intelligitur Dominus quoad Divinum Verum Divinæ sapientiæ, & per Dominum dominorum intelligitur Dominus quoad Divinum Bonum Divini Amoris; simile significatur per Regnum & per Dominium Domini, ubi utrumque dicitur, videatur supra n. 664. Quia dicitur Rex regum & Dominus dominorum, & per illa intelligitur Dominus quoad Divinum Verum & quoad Divinum Bonum, ideo etiam dicitur Nomen scriptum super vestimento & super femore, & per Nomen scriptum super vestimento significatur Verbum quoad Divinum Verum, & per Nomen scriptum super femore significatur Verbum quoad Divinum Bonum, utrumque est in Verbo, Divinum Verum Verbi est in sensu spirituali ejus, qui est pro Angelis medii seu secundi Cæli, qui in intelligentia sunt ex Divinis Veris, & Divinum Bonum Verbi est in sensu Cælesti ejus, qui est pro Angelis supremi seu tertii Cæli, qui in sapientia sunt ex Divinis Bonis; sed hic sensus est occultissimus, solum perceptibilis illis qui in amore in Dominum a Domino sunt. Quod sit Dominus, aperte dicitur supra in Apocalypsi „ *Illi cum Agno pugnabunt, Agnus vincet illos, quia est Dominus dominorum & Rex regum*, XVII: 14. Quod Femur significet bonum amoris, & cum de Domino Divinum Bonum Divini Amoris, constat ex his in Verbo „ *Erit Justitia cingulum* LUMBORUM IPSIUS, *& Veritas cingulum* FEMINUM *Ipsius*, Esaj. XI: 5. *Super Capite Cheruborum erat aspectus Hominis super throno, ab aspectu* LUMBORUM *Ipsius & sursum, & ab aspectu* LUMBORUM *Ipsius & deorsum, erat aspectus ignis & splendoris circumcirca*, Ezech. I: 26. 27. 28; per Hominem super Throno intelligitur Dominus, per aspectum ignis a lumbis sursum & deorsum significatur Divinus Ipsius amor, & per splendorem circumcirca significatur Divina Sapientia inde. *Vir visus Danieli, cujus* LUMBI *cincti erant auro Uphasi*, Dan. X: 5, erat Angelus in quo Dominus, per aurum Uphasi significatur bonum amoris. Simile per Femur significatur Esaj. V: 27. Psalm. XLV: 4, & alibi. De correspondentia femorum seu lumborum cum amore conjugiali, qui fundamentalis est omnium amorum, videatur in ARCANIS CÆLESTIBUS, n. 5050 ad 5062.

831. *Et vidi unum Angelum stantem in Sole, & clamavit voce magna, dicens om-*

omnibus avibus volantibus in medio Cæli, venite & congregamini ad Cænam Magni Dei, ſignificat Dominum ex Divino Amore & inde ex Divino Zelo vocantem & convocantem omnes qui in affectione veri ſpirituali ſunt, & de Cælo cogitant, ad Novam Eccleſiam, & ad conjunctionem Secum, ita ad vitam æternam. Per Angelum ſtantem in Sole, intelligitur Dominus in Divino Amore, per Angelum intelligitur Dominus, & per Solem Divinus Ipſius Amor; per clamare voce magna, ſignificatur ex Divino Zelo, nam vox ſeu influxus a Domino ex Divino Amore eſt ex Divino Zelo, nam Zelus eſt Amoris; per aves volantes in medio Cæli, ſignificantur omnes qui in affectione veri ſpirituali ſunt, & inde cogitant de Cælo; per venire & congregari ad Cænam Magni Dei, ſignificatur vocatio & convocatio ad Novam Eccleſiam & ad conjunctionem cum Domino, & quia ex conjunctione cum Domino eſt vita æterna, ideo etiam id ſignificatur; per clamare venite, ſignificatur vocatio, & per congregamini ſignificatur convocatio. Quod per Angelum in Verbo intelligatur Dominus, videatur ſupra n. 5. 170. 258. 344. 465. 649. 657. 718, hic eo plus, quia viſus eſt ſtare in Sole, & nullus Angelus apparet in Sole, eſt enim Dominus Sol mundi ſpiritualis, quare Solus Dominus ibi eſt; quod per Solem, ubi de Domino, ſignificetur Divinus amor, videatur, n. 53. 414; quod per clamare voce magna, cum de Domino in Divino Amore, ſignificetur loqui ſeu influere ex Divino Zelo, patet, quia Divinus Zelus eſt Divini Amoris, hic pro ſalvatione hominum; quod per Aves ſignificentur talia quæ intellectus ſunt & inde cogitationis, ſupra n. 757, hic qui in affectione veri ſpirituali ſunt, & de Cælo cogitant, quoniam dicitur avibus volantibus in medio Cæli, & per volare in medio Cælo, ſignificatur perſpicere, attendere & cogitare, n. 245. 415; quod per Cænam Magni Dei ſignificetur Nova Eccleſia, & ſic conjunctio cum Domino, n. 816, ubi Cæna illorum vocatur Cæna nuptiarum Agni.

832. *Ut comedatis carnes regum, & carnes chiliarchorum, & carnes fortium, & carnes equorum & ſedentium ſuper illis, & carnes liberorum & ſervorum, & parvorum & magnorum, ſignificat appropriationem bonorum a Domino per vera Verbi & doctrinæ inde, in omni ſenſu, gradu & genere.* Nunc ſupra n. 831, actum eſt de conjunctione cum Domino per Verbum, hic de appropriatione bonorum ab Ipſo per vera Verbi: per comedere ſignificatur appropriatio, n. 89; per carnes quas commederent, ſignificantur bona Verbi & inde Eccleſiæ; ac per reges, chiliarchos, fortes, equos, ſedentes ſuper illis, liberos & ſervos, minores & majores, ſignificantur vera in omni ſenſu, gradu & genere; per reges ſignificantur qui in veris Eccleſiæ ex Verbo ſunt, & abſtracte vera Eccleſiæ ex Verbo, n. 20. 483; per chiliarchos ſignificantur qui in cognitionibus boni & veri ſunt, & abſtracte cognitiones illæ, n. 337; per fortes ſignificantur qui in eruditione ex doctrina e Verbo ſunt, & abſtracte eruditio inde, n. 337; per equos ſignificatur intellectus Verbi, & per inſidentes ſuper equis ſignificantur qui in ſapientia ex intellectu Verbi ſunt, & abſtracte ſapientia inde, n. 298. 820; per liberos & ſervos ſignificantur qui ex ſe ſciunt & qui ex aliis, n. 337. 604; per parvos & magnos, ſignificantur qui in minori & majori gradu, n. 527. 810: ex his patet, quod per comederent carnes illorum, ſignificetur appropriatio bonorum a Domino per vera Verbi & doctrinæ inde in om-

Xxx ni

ni ſenſu, gradu & genere. Sciendum eſt, quod non aliquod bonum ſpirituale ſit ulli homini a Domino, quam per vera ex Verbo; vera enim Verbi ſunt in luce Cœli, & bona ſunt in calore illius lucis, quare niſi intellectus ſit in luce Cœli per Verbum, non poteſt voluntas venire in calorem Cœli; Amor & Charitas non poteſt formari quam per vera ex Verbo, non poteſt homo reformari quam per vera inde, ipſa Eccleſia apud hominem formatur per illa, ſed non per vera illa in ſolo intellectu, ſed per vitam ſecundum illa, ita intrant vera in voluntatem, & fiunt bona; vertitur ſic facies veri in faciem boni; quod enim eſt voluntatis & ſic amoris, hoc vocatur bonum, & omne quod voluntatis ſeu amoris eſt, id etiam vitæ hominis eſt. Ex his videri poteſt, quod appropriatio boni per vera in omni ſenſu, gradu & genere per Verbum a Domino, hic per comedere carnes illorum, qui nominantur, intelligatur. Quis non poteſt videre, quod non carnes per carnes hic intelligantur; quis poteſt tam inſanus eſſe, ut credat quod Dominus vocet & convocet omnes ad magnam Cœnam, ut det illis comedere carnes regum, chiliarchorum, fortium, equorum, inſidentium illis, liberorum & ſervorum, parvorum & magnorum; quis non videre poteſt, quod in his ſenſus ſpiritualis ſit, & quod abſque illo ſenſu nemo ſciat quid hæc ſignificant; quis ſuſtinet negare quin Verbum in ſinu ſpirituale ſit, annon id plus quam materiale foret, ſi illa ſecundum ſenſum literæ, & non ſecundum ſenſum ſpiritualem, intelligerentur. Similia illis ſunt hæc apud Ezechielem. „ *Sic dixit Dominus Jehovih, dic avi omnis alæ, & omni beſtiæ agri, congregamini & venite; congregate vos a circuitu ſuper Sacrificium meum magnum ſuper montibus Iſraelis, ut comedatis carnem & bibatis ſanguinem, carnem fortium comedetis, & ſanguinem principum terræ bibetis, comedetis adipem ad ſatietatem, & bibetis ſanguinem uſque ad ebrietatem de Sacrificio meo quod ſacrifico vobis; ſatiabimini ſuper menſa mea Equo & Curru & omni Viro belli: ſic dabo gloriam meam inter gentes* „ XXXIX: 17 ad 21; per carnem hic ſimiliter ſignificatur bonum Eccleſiæ a Domino per Verbum, & per ſanguinem verum Eccleſiæ: quis non videt quod non ſanguis daretur ad bibendum uſque ad ebrietatem, & quod ſatiarentur ſuper menſa Domini Jehovih equo, curru, forti & omni viro belli. Cum itaque per carnem ſignificatur bonum Eccleſiæ, & per ſanguinem verum Ecceſiæ, patet manifeſte quod per Carnem & Sanguinem Domini in Sacra Cœna, ſignificetur Divinum Bonum & Divinum Verum a Domino, ſimile quod per Panem & Vinum, de quibus Joh. VI: 51 ad 58. Caro ſignificat bonum etiam multis aliis in locis in Verbo, ut in his „ *Removebo Cor lapidis a Carne eorum, & dabo illis* COR CARNIS, Ezech. XI: 19. Cap. XXXVI: 26. *Deſiderat te* CARO MEA *in terra ſiccitatis*, Pſalm. LXIII: 2. *Cor meum &* CARO MEA *jubilant erga Deum vivum*, Pſalm. LXXXIII: 3. CARO MEA *habitabit confidenter*, Pſalm. XVI: 9. *Cum videris nudum & obtexeris eum, & a* CARNE TUA *non abſconderis te* „ Eſaj. LVIII: 7.

833. *Et vidi beſtiam & reges terræ & exercitus eorum congregatos facere bellum cum Sedente ſuper equo, & cum exercitu Ipſius, ſignificat quod omnes interius mali, qui profeſſi ſunt ſolam fidem, cum anteſignanis & eorum clientibus, impugnaturi ſint Divina Vera Domini in Verbo Ipſius, & infeſtaturi illos qui e nova Eccleſia Domini* *erunt.*

erunt. Quod per Beſtiam ſignificentur qui in Religioſo de ſola fide ſunt, videatur ſupra n. 567. 576. 577. 594. 598. 601; quod ſint modo illi qui interius mali ſunt, & id Religioſum profeſſi, videbitur infra; per reges terræ ſignificantur qui præ reliquis in falſis iſtius Religioſi ſunt, ita anteſignani; per reges terræ enim ſignificantur qui in veris Eccleſiæ ex Verbo ſunt, & in oppoſito ſenſu qui in falſis, n. 20. 483. 704. 737. 720. 740, hic qui in falſis; per Exercitus illorum ſignificantur omnes inter illos, qui ſimiliter in falſis ſunt, n. 447; per facere bellum ſignificatur impugnare, quoniam per bellum in Verbo ſignificatur bellum ſpirituale, quod eſt falſi contra verum, ac veri contra falſum, n. 500. 586. 707; per Sedentem ſuper equo, intelligitur Dominus quoad Verbum, n. 820. 821; & quia non pugnare poſſunt contra Ipſum Dominum, ſed contra Divina vera Ipſius quæ in Verbo ſunt, & ſic quoque pugnant contra Dominum, quia Dominus eſt Verbum, ideo id per bellum facere cum Sedente ſuper equo, intelligitur; quod per Exercitum ſignificentur qui in Divinis veris ſunt, ita abſtracte Divina Vera, proinde illi qui e novo Cælo & e nova Eccleſia Domini ſunt, quia apud illos ſunt Divina vera, videatur ſupra n. 826.

834. *Et comprehenſa eſt beſtia & cum illa pſeudopropheta qui fecit ſigna coram illa, quibus ſeduxit accipientes characterem beſtiæ & adorantes imaginem ejus, ſignificat omnes illos, qui profeſſi ſunt ſolam fidem, ac interius mali erant, tam laici & vulgus quam clerici & docti, qui per ratiocinationes & conteſtationes quod ſola fides ſit unicum medium ſalutis, adduxerunt alios ad recipiendum illam fidem, & ad vivendum ſecundum illam.* Per Beſtiam hic intelligitur beſtia e mari, de qua Apoc. XIII: 1 ad 10; & per Pſeudoprophetam intelligitur beſtia e terra, de qua in eodem Capite, a Verſ. 11 ad 12; quod per beſtiam e mari intelligantur laici & vulgus, qui in Religioſo de ſola fide ſunt, & quod per beſtiam e terra intelligantur clerici & docti qui in illo Religioſo ſunt, videri poteſt ab Explicationibus illius Capitis: quod Pſeudopropheta hic ſit beſtia e terra, de qua in eo Capite a Verſ. 11 ad 18, agitur, patet manifeſte, quia dicitur hic de Pſeudopropheta, quod ſit qui fecit ſigna coram altera beſtia, quibus ſeduxit accipientes characterem beſtiæ & adorantes imaginem ejus; nam ſimilia dicuntur de beſtia e terra, Cap. XIII: nempe, quod *fecerit ſigna magna coram beſtia e mari, & ſeduxerit habitantes ſuper terra, ut adorarent imaginem ejus, & acciperent characterum ejus ſuper manu dextra & ſuper fronte*, Verſ. 12. 13. 14. 15. 16. 17; ex quibus patet, quod per Pſeudoprophetam hic ſignificentur Clerici & Docti, qui ſe confirmaverunt in Religioſo de ſola fide, & ſeduxerunt Laicos & Vulgus; vocantur Pſeudopropheta, quia per Prophetam ſignificantur qui docent & prædicant falſa, pervertendo vera Verbi, n. 8. 701; quod per ſigna ejus beſtiæ ſignificentur ratiocinationes & conteſtationes quod ſola fides ſit unicum medium ſalutis, videatur ſupra n. 598. 599. 704; per accipere characterem beſtiæ & adorare imaginem ejus, ſignificatur agnoſcere & recipere illam fidem, n. 634. 637. 679.

835. *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardens ſulphure, ſignificat quod omnes illi ſicut fuerunt, conjecti ſint in infernum, ubi amores falſi ſunt & ſimul cupiditates mali.* Per vivos ſignificatur ſicut fuerunt; per hos duos, nempe beſtiam

& pseudoprophetam, significantur omnes illi qui professi sunt solam fidem, ac interius mali sunt, tam laici quam clerici, ut mox supra n. 834; per stagnum ignis ardens sulphure significatur infernum, ubi sunt qui in amoribus istius falsi sunt, & simul in cupiditatibus mali; per stagnum significantur falsa in copia, de quo sequitur; per ignem significatur amor, hic amor falsi eorum, quod ignis significet amorem in utroque sensu, bono & malo, videatur n. 468. 494. 599, hic amor falsi, quia dicitur stagnum ignis; per sulphur significatur cupiditas mali & inde falsi, n. 452. Simile dicitur de dracone & de illis duobus in Capite sequente, his Verbis „ *Diabolus*, hoc est, Draco, *qui seduxit illos, conjectus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia & pseudopropheta, & cruciabuntur dies & noctes in sæcula sæculorum* „ XX: 10. Sciendum est, quod Infernum, ubi tales sunt, appareat e longinquo sicut Stagnum igneum cum viridi flamma sicut sulphuris; sed illi, qui inibi sunt, hoc non vident, sunt ibi inclusi suis ergastulis, ubi inter se vehementer altercantur, quandoque in manibus illorum apparent cultri, quibus minantur, ne cedant; est amor falsi eorum una cum cupiditatibus mali, qui facit apparentiam talis stagni; apparentia illa est ex correspondentia. Quod per stagnum significetur ubi verum in copia, & inde in opposito sensu ubi falsum in copia, constare potest ex Verbo; ubi verum in copia ex his „ *Erumpent e deserto aquæ, & fluvii in planitie deserti, & erit aridus locus in* STAGNUM, Esaj. XXXV: 6. 7. *Ponam desertum in* STAGNUM *aquarum, & terram siccam in scaturigines aquarum*, Esaj. XLI: 18. Psalm. CVII: 33. 35. *Ponam fluvios in insulas, &* STAGNA *exsiccabo*, Esaj. XLII: 15. *Deus Jacobi qui convertit petram in* STAGNUM AQUARUM, *& silicem in fontem aquarum*, Psalm. CXIV: 7. 8. *Omnes facientes mercedem ex* STAGNIS *animæ*, Esaj XIX: 10. In opposito sensu ex his „ *Exscindam Babeli nomen & residuum, & ponam eam in hæreditatem anatariæ, & in* STAGNA AQUARUM „ Esaj. XIV: 22. 23. *Mors & infernus ejecti sunt in* STAGNUM IGNIS, Apoc. XX: 14. *Si quis non inventus est in Libro vitæ scriptus, ejectus est in* STAGNUM IGNIS, Apoc. XX: 15. *Pars eorum in* STAGNO IGNIS *ardente sulphure, quæ est altera mors*, Apoc. XXI: 8.

V. 21. 836. *Et reliqui occisi sunt ex romphæa Sedentis super equo, procedente ex ore Ipsius*, *significat quod omnes ex varia hæresi inter Reformatos, qui non vixerunt secundum præcepta Domini in Verbo, quæ noverant, ex Verbo judicati pereant.* Per reliquos intelliguntur omnes ex varia hæresi inter Reformatos, qui non vixerunt secundum præcepta Domini in Verbo, quæ noverant, quæ sunt præcepta Decalogi, ita qui non fugiunt mala ut peccata; nam qui hæc non ita fugiunt, in omnis generis malis sunt, insident enim illis a nativitate & inde ab infantia usque ad finem vitæ, & quotidie increscunt, si non per pænitentiam actualem removentur; de his dicitur quod occisi sint romphæa Sedentis super equo; per occidi significatur hic ut sæpe prius, spiritualiter occidi, quod est perire quoad animam; per romphæam Sedentis super equo procedentem ex ore Ipsius, significantur vera Verbi pugnantia contra falsa mali; per Gladium enim, Machæram & Romphæam, significatur verum pugnans contra falsum & falsum pugnans contra verum, n. 52, sed gladius est super femore, inde est pugna ex amore, Ma-

machæra est in manu, inde est pugna ex potentia, ac romphæa est oris inde est pugna ex doctrina, quare romphæa procedens ex Ore Domini est pugna contra falsa ex Verbo, n 108. 117. 827, Verbum enim ex Ore Domini processit. Quod agatur hic de pugna cum Reformatis, & non cum Babyloniis, est quia Reformati legunt Verbum, & vera ibi agnoscunt pro Divinis veris, aliter Babylonii, hi quidem agnoscunt Verbum, sed usque non id legunt, & quisque spectat dictamina Papæ priori loco, & procul pro æquali, quare cum illis non dari potest aliqua pugna ex Verbo; ponunt etiam se supra id, & non sub illo; at usque hi judicantur ex Verbo, & ex dictatis Papæ quantum hæc concordant cum Verbo.

837. *Et omnes aves satiatæ sunt ex carnibus eorum*, *significat quod genii Infernales ex concupiscentiis mali eorum, quæ sunt propria eorum, quasi alantur.* Per aves significantur falsa quæ ex Inferno sunt, & quia in illis falsis sunt genii Infernales, qui una cum hominibus sunt in ejus falsis quæ ejus amoris sunt, ideo hi per aves hic significantur; homo etiam qui in illis falsis est, post mortem fit talis genius; quod per aves inutiles & damnosas imprimis immundas & rapaces, quæ se ex cadaveribus nutriunt, significentur falsitates quæ amoris sunt, videatur supra n. 757; per carnes hic significantur mala concupiscentiarum, quæ hominis propria sunt, n. 748; per satiari illis, significatur quasi ali ab illis, & cum delectatione attrahere illas, nam genii Infernales, quæ in similibus concupiscentiis mali sunt, avide attrahunt & implent nares, & inde vitam ex concupiscentiis exhalatis ex cogitationibus & respirationibus illorum, quare etiam simul degunt & cohabitant.

838. Caveat itaque sibi quisque ab Hæretico illo, quod HOMO JUSTIFICETUR FIDE SINE OPERIBUS LEGIS, nam qui est in illo, & non plene recedit ab illo antequam finis vitæ instat, post mortem consociatur geniis infernalibus; sunt enim Hirci, de quibus Dominus dicit, „ *Discedite a Me maledicti in ignem æternum paratum diabolo & angelis ejus*, Matth. XXV: 41; de Hircis enim Dominus non dicit, quod mala fecerint, sed quod non bona fecerint; quod non bona fecerint, est quia illi secum dicunt, non possum bonum facere a meipso, lex me non damnat, sanguis Christi mundat me, & liberat me, passio crucis sustulit reatum peccati, meritum Christi imputatur mihi per fidem, sum reconciliatus Patri, in gratia, aspicior sicut filius, ac peccata nostra reputat sicut infirmitates, quas illico propter Filium suum remittit, sic justificat per solam fidem, quæ nisi foret unicum medium salutis, nemo mortalium salvari posset, propter quem finem alium Filius Dei pateretur crucem, & impleret legem, quam ut tolleret damnationem transgressionum nostrarum; hæc & plura similia secum dicunt illi, & sic bona quæ bona sunt non faciunt, nam ex sola illorum fide, quæ non est nisi quam fides cognitionum, in se fides historica, ita solum scientia, non procedunt aliqua bona, est enim fides mortua, in quam non vita seu anima venit, nisi homo immediate adit Dominum, ac fugit mala ut peccata sicut a se, tunc bona quæ homo facit sicut a se, sunt a Domino, ita in se bona; de qua re ita apud Esajam „ *Væ Genti peccatrici, gravi iniquitate, semini malorum, filiis corruptis; quando expanditis manus vestras,*

occulto oculos meos a vobis, etiam si multiplicaveritis orationem, non Ego audio: lavate vos, purificate vos, removete malitiam operum vestrorum a coram oculis meis, cessate malum facere, discite bonum facere; tunc si fuerint peccata vestra sicut coccinea, sicut nix albescent, si rubra fuerint sicut purpura, sicut lana erunt ,, I: 4. 15. 16. 17. 18. Et apud Jeremiam ,, *Sta in porta Domus Jehovæ, & proclama ibi verbum hoc, ne confidite super verbis mendacii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ illi* (Ecclesia Dei, Ecclesia Dei, Ecclesia Dei ubi fides nostra); *num furando, occidendo, adulterando & jurando per mendacium, deinde venietis & stabitis coram Me in Domo hac, super qua nominatur Nomen meum, & dicetis erepti sumus, dum facitis abominationes illas; num spelunca latronum facta est Domus hæc: etiam Ego ecce vidi, dictum Jehovæ*, VII: 2. 3. 4. 9. 10. 11.



839. Prospexi in Mundum Spirituum, & vidi Exercitum super Equis rufis & nigris; sedentes super illis apparebant sicut Simiæ, versæ quoad faciem & pectus ad lumbos & caudas equorum, & quoad occipitium & tergum ad cervices & capita illorum, & capistra pendebant circum colla Equitantium; & clamabant, pugnemus contra Equitantes super equis albis; & movebant utrisque manibus suis capistra, sic retrahebant equos a pugna; & hoc continue. Tunc e Cælo demiserunt se duo Angeli, & appropinquabant ad me, & dicebant, quid vides; & narrabam quod videam tam ludicrum Equitatum, & quæsivi quid hoc, & quinam illi; & responderunt Angeli, sunt e loco qui vocatur Armageddon (Apoc. Cap. XVI: 16), in quem congregati fuerunt ad aliquot millia, ad pugnandum contra illos, qui e Nova Domini Ecclesia, quæ vocatur Nova Hierosolyma, sunt; loquebantur in loco illo de Ecclesia & Religione, & tamen apud illos non erat aliquid Ecclesiæ, quia non aliquod spirituale verum, nec aliquid Religionis quia non aliquod spirituale bonum; loquebantur ibi ore & labiis de hac & de illa, sed ex causa, ut per illas dominarentur: didicerunt in juventute confirmare Solam Fidem, Trinitatem Dei, & Dualitatem Christi; sed cum ad eminentiora officia in Ecclesia provecti sunt, aliquamdiu retinuerunt illa; at quia tunc cæperunt non magis cogitare de Deo & de Cælo, sed de Se & de Mundo, ita non de beatitudine & felicitate æterna, sed de eminentia & opulentia temporali, rejecerunt doctrinalia in juventute attracta e Mentis rationalis interioribus quæ communicant cum Cælo, & inde in luce Cæli sunt, in mentis rationalis exteriora quæ communicant cum Mundo, & inde solum in luce mundi sunt, & tandem detruserunt illa in Naturale sensuale; unde Doctrinalia Ecclesiæ apud illos facta sunt solius oris, & non amplius cogitationis ex ratione, & adhuc minus affectionis ex amore: & quia se tales fecerunt, non admittunt ullum genuinum verum quod Ecclesiæ est, nec ullum genuinum bonum quod religionis: comparative facta sunt Interiora mentis eorum sicut Utres repleti ramentis ferri cum pulvere sulphureo commixtis, in quæ si immittitur aqua, fit primum incalescentia, & postea flamma,

ma, ex qua utres illi rumpuntur: similiter illi, cum audiunt aliquid de aqua viva, quæ est genuinum verum Verbi, & hoc intrat per aures, vehementer excandescunt & inflammantur, & id rejiciunt sicut tale quod rumperet Capita illorum. Hi sunt, qui tibi apparuerunt sicut Simiæ equitantes inverso corpore super Equis rufis & nigris cum capistris circum colla, quoniam illi qui non amant verum & bonum Ecclesiæ ex Verbo, non volunt spectare anteriora alicujus Equi, sed posteriora ejus; Equus enim significat intellectum Verbi, Equus rufus intellectum Verbi deperditum quoad bonum, & Equus niger intellectum Verbi deperditum quoad verum: quod clamaverint ad pugnam contra Equitantes super Equis albis, est quia Equus albus significat intellectum Verbi quoad verum & bonum; quod visi collo retrahere Equos, erat quia timebant pugnas, ne verum Verbi ad multos veniret & sic in lucem: hæc est interpretatio.

Angeli porro dixerunt, nos sumus e Societate Cæli, quæ vocatur Michael, & a Domino mandati sumus descendere in locum dictum Armageddon, unde Equitatus tibi visus erupit. Per Armageddon apud nos in Cælo significatur status & animus pugnandi ex falsificatis veris, oriundus ex amore imperii & supereminentiæ; & quia percipimus apud te desiderium sciendi de Pugna ibi, aliquid narrabimus: post descensum e cælo accessimus ad locum illum dictum Armageddon, & vidimus ibi congregatos ad aliquot millia; verum non intravimus in Cætum illum, sed erant binæ Domus ad latus meridionale istius loci, ubi erant Pueri cum Magistris; illuc intravimus, qui nos exceperunt benigne; delectabamur a consortio illorum; erant omnes quoad faciem speciosi ex vita in oculis, & ex zelo in sermone, vita in oculis erat illis ex perceptione veri, & zelus in sermone ex affectione veri; quare etiam e Cælo dati fuerant illis pilei, quorum limbos ornabant fasciæ ex filis aureis intertextæ margaritis, & quoque datæ vestes ex colore albo & hyacinthino variegatæ: quæsivimus illos, num in locum propinquum, qui vocatur Armageddon, spectaverint; dixerunt quod per fenestram quæ sub tecto domus; & quod congregationem ibi viderint, sed sub variis figuris, nunc ut homines proceres, & nunc non ut homines, sed ut statuas & idola sculpta, & circum illa cætum flectentem genua; hi etiam sub variis formis nobis apparuerunt, nunc sicut homines, nunc sicut pardi, & nunc sicut hirci, hi cum cornibus deorsum protensis, quibus effodiebant humum: nos interpretati sumus metamorphoses illas, quos repræsentabant & quid significabant. Sed ad rem; Congregati illi, cum audiverunt quod intraverimus in Domos illas, dixerunt inter se, quid illi apud pueros illos, mittamus ex nostro Cætu aliquos, qui ejiciant illos; etiam miserunt, & cum venerunt, dixerunt ad nos, cur intravistis in Domos illas, unde estis, nos ex imperio mandamus ut abeatis; sed respondimus, non potestis id ex imperio mandare, estis quidem vos in oculis vestris sicut Enachim, & illi qui hic sunt sicut homunciones, sed usque nihil potestatis & juris habetis hic, nisi forte per astutias e tribus vestris diversoriis hic, quæ tamen non valebunt; quare renuntiate vestris, quod nos e Cælo huc missi simus, ad visitandum, num apud vos sit Religio vel non, & si non, e loco isto ejiciemini; quare proponite illis

25 bonis. Cf. V.C.R. 113.

illis hoc, in quo est ipsum Essentiale Ecclesiæ & inde Religionis; quomodo intelligunt hæc verba in Oratione Dominica „ PATER NOSTER QUI ES IN CÆLIS, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, ADVENIAT REGNUM TUUM, FIAT VOLUNTAS TUA SICUT IN CÆLO ETIAM IN TERRA; his auditis dixerunt primum, quid hoc; & deinde quod proponerent; & abiverunt, & dixerunt illa ad suos, qui responderunt, quæ & qualis hæc propositio; at intellexeruut arcanum, quod vellent scire, num illa confirmant viam fidei nostræ ad Deum Patrem; quare dixeruut, sunt clara verba quod orandum sit ad Deum Patrem, & quia Christus noster Salvator est, quod orandum sit ad Deum Patrem propter Filium; & mox in indignatione concluserunt, quod adirent nos, & dictarent id oretenus, dicendo etiam, quod vellicarent aures nostras; etiam e loco illo exiverunt, & intraverunt in Lucum binis illis Domibus, in quibus erant pueri cum magistris, propinquum, ubi erat planum, sicut palæstra, elevatum; ac tenebant se manibus, & intraverunt in palæstram illam, ubi eramus, & exspectavimus; erant ibi cespites ex humo sicut colliculi, super illis se reponebant, nam dixerunt inter se, coram illis non stemus, sed sedeamus; & tunc unus ex illis, qui potuit se facere apparere sicut angelus lucis, cui a reliquis injunctum fuit cum nobis loqui, dixit; proposuistis nobis ut aperiamus mentem de primis verbis in Oratione Dominica, quomodo illa intelligimus; dico itaque vobis, quod intelligamus illa ita, quod orandum sit ad Deum Patrem, & quia Christus est Salvator noster, & per Ipsius meritum salvamur, quod orandum ad Deum Patrem ex fide in Ipsius meritum: sed tunc diximus illis, sumus ex Societate Cæli quæ vocatur Michael, & missi sumus ad visitandum & inquirendum, num vobis in locum illum congregatis sit aliqua Religio vel non, & hoc non possumus aliter cognoscere, quam per interrogationem de Deo; idea enim Dei intrat in omne religionis, & per illam fit conjunctio, & per conjunctionem salvatio; nos in Cælo legimus quotidie illam Orationem, sicut homines in terra, & tunc non cogitamus de Deo Patre, quia invisibilis, sed de Ipso in Divino Humano suo, quia in Hoc est visibilis; & Ipse in Hoc a vobis vocatur Christus, sed a nobis Dominus, & sic Dominus nobis est Pater in Cælo: docuit etiam Dominus, quod Ipse & Pater unum sint; Quod Pater in Ipso & Ipse in Patre; & Quod qui videt Ipsum, videat Patrem; tum Quod nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum; & quoque Quod voluntas Patris sit, ut credant in Filium, & quod qui non credit in Filium, non videat vitam, imo quod ira Dei maneat super illum; ex quibus patet, quod adeatur Pater per Ipsum & in Ipso: & quia ita est, etiam docuit, quod Ipsi data sit omnis potestas in Cælo & in Terra: dicitur in Oratione illa, SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, ET VENIAT REGNUM TUUM, & demonstravimus ex Verbo, quod Divinum Humanum Ipsius sit Nomen Patris, & quod Regnum Patris tunc sit, quando Dominus immediate aditur, & prorsus non cum Deus Pater immediate; quare etiam Dominus dixit Discipulis, ut prædicarent Regnum Dei, & Hoc est Regnum Dei. Insuper instruximus illos ex Verbo, quod Dominus in Mundum venerit, ut glorificaret Humanum suum, propter finem ut Angeli Cæli & Homines Ecclesiæ unirentur Deo Patri per Ipsum & in Ipso,

Ipso, nam docuit quod qui credunt in Ipsum, sint in Ipso & Ipse in illis; quod est sicut docet Ecclesia, quod sint in Corpore Christi. Ultimo informavimus illos, quod hodie Nova Ecclesia a Domino instauretur, quæ intelligitur per NOVAM HIEROSOLYMAM in Apocalypsi, in qua Cultus Solius Domini erit, sicut est in Cælo; & quod sic OMNE COMPLEBITUR QUOD IN ORATIONE DOMINICA A PRINCIPIO AD FINEM CONTINENTUR. Confirmavimus omnia, quæ supra diximus, ex Verbo apud Evangelistas, & ex Verbo apud Prophetas, in tanta copia, ut defatigarentur audire.

Imum Confirmavimus, quod PATER NOSTER IN CÆLIS sit Dominus Jesus Christus, ex his locis ,, *Puer natus est nobis, Filius datus est nobis, & vocabitur Nomen Ipsius, Mirabilis, Consiliarius,* DEUS, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis*, Esaj. IX: 5. *Tu Jehovah* PATER NOSTER, REDEMPTOR *a sæculo Nomen tuum*, Esaj. LXIII: 16. *Jesus dixit, qui Me videt, videt Ipsum qui misit Me*, Joh. XII: 45. *Si cognovistis Me, etiam Patrem cognovistis, & abhinc cognovistis Illum, & vidistis Illum*, Joh. XIV. 7. *Philippus dixit, Domine, monstra nobis Patrem, dixit illi Jesus, qui vidit Me, vidit Patrem, quomodo ergo tu dicis, monstra nobis Patrem*, Joh. XIV: 8. 9. *Jesus dixit, Pater & Ego unum sumus*, Joh. X: 30. *Omnia quæcunque Pater habet Mea sunt*, Joh. XVI: 15. Cap. XVII: 10. *Pater in Me est, & Ego in Patre*, Joh. X: 38. Cap. XIV: 10. 11. 20. *Quod nemo viderit Patrem, nisi Solus Filius qui in sinu Patris est*, Joh. I: 18. Cap. V: 37. Cap. VI: 45. Quare etiam dicit, *Quod nemo veniat ad Patrem nisi per Ipsum*, Joh. XIV: 6; & quod venire ad Patrem sit per Ipsum, ex Ipso, & in Ipso, Joh. VI: 56. Cap. XIV: 20. Cap. XV: 4. 5. 6. Cap. XVII: 19. 23.

Sed de Unitate Dei Patris, Filii & Spiritus Sancti, videantur plura, in MEMORABILI, n. 962.

IIdum. Quod SANCTIFICETUR NOMEN TUUM, sit adire Dominum & colere Ipsum, confirmavimus per hæc ,, *Quis non glorificet* NOMEN TUUM, *quia Solus es Sanctus*, Apoc. XV: 4, hæc de Domino. *Jesus dixit, Pater glorifica* NOMEN TUUM, *& exiit vox e Cælo, & glorificavi & glorificabo*, Joh. XII: 28. Nomen Patris quod glorificatum est, est Divinum Humanum. *Jesus dixit, Ego venio in* NOMINE PATRIS *mei*, Joh. V: 43. *Jesus dixit, qui suscipit hunc puerum in* NOMINE MEO, *Me suscipit, &* QUI ME SUSCIPIT, SUSCIPIT IPSUM QUI MISIT ME, Luc. IX: 48. *Hæc scripta sunt, ut credatis, quod Jesus sit Christus Filius Dei, & ut* CREDENTES *vitam habeatis in* NOMINE IPSIUS, Joh. XX: 31. *Quotquot Ipsum receperunt, dedit illis potestatem ut Filii Dei essent*, CREDENTIBUS IN NOMEN IPSIUS, Joh. I: 12. *Quæcunque petieritis in* NOMINE MEO, HOC FACIAM, *ut glorificetur Pater in Filio*, Joh. XIV: 13. 14. *Qui non credit, jam judicatus est, quia non* CREDIDIT IN NOMEN UNIGENITI FILII DEI, Joh. III: 15. 16. 18. *Ubi sunt duo aut tres congregati in* NOMINE MEO, *ibi sum in medio eorum*, Matth. XVIII: 19. 20. *Jesus dixit Discipulis ut prædicarent in Nomine Ipsius*, Luc. XXIV: 47; præter alibi, ubi dicitur NOMEN DOMINI, per quod intelligitur Ipse quoad Humanum suum, ut Matth. VII: 22. Cap. X: 22. Cap. XVIII: 5. Cap. XIX: 29. Cap. XXIV: 9. 10. Marc. XI: 10. Cap. XIII: 13.

13. Cap. XVI: 17. Luc. X: 17. Cap. XIX: 38. Cap. XXI: 12. 17. Joh. II: 23; ex quibus patet, quod Pater ſanctificetur in Filio, & ab angelis & hominibus per Filium, & quod hoc ſit Sanctificetur Nomen tuum, ut amplius conſtat apud Johannem Cap. XVII: 19. 21. 22. 23. 26.

IIItium. Quod Veniat Regnum tuum, ſit quod Regnet Dominus, confirmavimus per hæc „ *Lex & Prophetæ uſque ad Johannem, abhinc* Regnum Dei evangelizatur, Luc. XVI: 16. *Johannes prædicans* Evangelium Regni, *dixit, completum eſt tempus, appropinquavit* Regnum Dei, Marc. I: 14. 15. Matth. III: 2. *Ipſe Jeſus prædicavit* Evangelium Regni, *& quod appropinquaverit* Regnum Dei, Matth. IV: 17. 23. Cap. IX: 35. *Jeſus mandavit Diſcipulis, ut prædicarent & evangelizarent* Regnum Dei, Marc. XVI: 15. Luc. VIII: 1. Cap. IX: 60. Similiter *ad Septuaginta quos emiſit*, Luc. X: 9. 11, præter alibi, ut Matth. XI: 5. Cap. XVI: 27. 28. Marc. VIII: 35. Cap. IX: 1. 27. Cap. X: 29. 30. Cap. XI: 10. Luc. I: 19. Cap. II: 10. 11. Cap. IV: 43. Cap. VII: 22. Cap. XVII: 20. 21. Cap. XXI: 30. 31. Cap. XXII: 18. Regnum Dei quod Evangelizabatur, erat Regnum Domini, & ſic Regnum Patris: quod ita ſit, patet ex his „ *Pater dedit omnia in manum Filii*, Joh. III: 35. *Pater dedit Filio poteſtatem omnis carnis*, Joh. XVII: 2. *Omnia Mihi tradita ſunt a Patre;* Matth. XI: 27. *Data eſt Mihi omnis poteſtas in Cælo & in Terra*, Matth. XXVIII: 18. Et porro ex his „ *Jehovah Zebaoth Nomen Ipſius, & Redemptor Sanctus Iſraelis, Deus totius Terræ vocabitur*, Eſaj. LIV: 5. *Vidi, & ecce ſicut* Filius hominis, *Cui datum eſt Dominium & Gloria & Regnum, & omnes populi & gentes Ipſum colent, Dominium Ipſius dominium ſæculi, quod non tranſibit, & Regnum Ipſius quod non peribit*, Dan. VII: 13. 14. *Cum Septimus Angelus clanxit, factæ ſunt voces magnæ in Cælo, dicentes, facta ſunt Regna mundi Domini noſtri & Chriſti Ipſius, & regnabit in ſæcula ſæculorum*, Apoc. XI: 15. Cap. XII: 10; de quo Regno Domini agitur in Apocalypſi a principio ad finem, in quod venturi ſunt omnes qui e Nova Domini Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma, erunt.

Jesu. in Mark.

IVtum. Fiat Voluntas tua sicut in Cælo etiam in Terra, confirmavimus per hæc „ *Jeſus dixit, hæc eſt* Voluntas Patris, *ut omnis qui videt Filium, & credit in Ipſum, habeat vitam æternam*, Joh. VI: 40. *Adeo amavit* Deus *Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum dederit, ut omnis qui credit in Ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam*, Joh. III: 15. 16. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed* Ira Dei *manet ſuper illo*, Joh. III: 36, præter alibi; credere in Ipſum, eſt adire Ipſum, ac fiduciam habere quod Ipſe ſalvet, quia eſt Salvator mundi. Præterea notum eſt in Eccleſia, quod Dominus Jeſus Chriſtus regnet in Cælo, dicit etiam Ipſe quod Regnum Ipſius ibi ſit, quum itaque Dominus ſimiliter regnat in Eccleſia, tunc ſit Voluntas Patris ſicut in Cælo etiam in Terra.

His demum addidimus hæc; dicitur in toto Chriſtiano Orbe, quod illi qui ab Eccleſia ſunt, faciant Chriſti Corpus, & ſint in Ipſius Corpore; quomodo tunc poteſt homo Eccleſiæ adire Deum Patrem, niſi per Ipſum, in Cujus Corpore eſt, ſi aliter, omnino exibit e Corpore & adibit.

His

His & pluribus adhuc ex Verbo auditis, voluerunt Armageddoni paſſim interpolare ſermonem noſtrum, & adducere talia quæ Dominus loquutus eſt cum Patre ſuo in ſtatu exinanitionis, ſed tunc linguæ adhæſerunt palatis eorum, quoniam non licuit illis contradicere Verbo. Sed tandem laxatis frænis linguarum illorum exclamaverunt, loquuti eſtis contra doctrinam Eccleſiæ noſtræ, quæ eſt quod Deus Pater immediate adeundus ſit, & credendum ſit in Illum, ſic reos vos feciſtis violationis fidei noſtræ, quare exite ab hinc, & ſi non, ejiciemini; & animi illorum accenſi a minis in conatum venerunt; ſed tunc ex potentia nobis data percuſſimus illos cæcitate, ex qua non videntes nos eruperunt in planitiem, quæ erat deſertum; & ex illis, qui a pueris e feneſtra viſi ſunt ſicut Statuæ & Idola, coram quibus reliqui inflexerunt genua, ſunt, qui tibi apparuerunt tanquam Simiæ ſuper equis.



1. ET vidi Angelum descendentem de Cælo habentem clavem abyssi, & catenam magnam super manu sua.

2. Et comprehendit Draconem Serpentem Antiquum, qui est Diabolus & Satanas, & ligavit eum mille annos.

3. Et conjecit eum in abyssum, & conclusit eum, & obsignavit super eo, ut non seduceret gentes amplius, donec consummarentur mille anni, & posthæc oportet eum solvi exiguum tempus.

4. Et vidi thronos, & consederunt super iis, & judicium datum est illis; & animas securi percussorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem super fronte sua & super manu sua, & vixerunt & regnaverunt cum Christo mille annis.

5. Et reliqui mortuorum non revixerunt, donec consummarentur mille anni: hæc illa est Resurrectio prima.

6. Beatus & Sanctus habens partem in resurrectione prima; super hos mors altera non habet potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum Ipso mille annos.

7. Et quando consummati sunt mille anni, solvetur Satanas e carcere suo.

8. Et exibit seducere gentes quæ in quatuor angulis terræ, Gogum & Magogum, congregare illos in bellum, quorum numerus sicut arena maris.

9. Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circumdederunt castra Sanctorum, & urbem dilectam; & descendit ignis a Deo de Cælo & consumsit eos.

10. Et Diabolus seducens eos, conjectus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia & pseudopropheta, & cruciabuntur dies & noctes in sæcula sæculorum.

11. Et vidi Thronum album magnum, & Sedentem super eo, a cujus facie fugit Terra & Cælum; & locus non inventus est illis.

12. Et vidi mortuos, parvos & magnos, stantes coram Deo, & libri aperti sunt, & liber alius apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex scriptis in libris secundum opera illorum.

13. Et dedit Mare eos, qui in illo mortuos, & Mors & Infernus dederunt eos in illis mortuos, & judicati sunt quisque secundum opera illorum.

14. Et Mors & Infernus conjecti ſunt in ſtagnum ignis: hæc eſt altera mors.

15. Et ſi quis non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, conjectus eſt in ſtagnum ignis.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. De remotione illorum qui per Draconem intelliguntur, Verſ. 1. 2. 3. & tunc de aſcenſu illorum ex inferiore terra, qui Dominum coluerunt, ac mala ut peccata fugerunt, Verſ. 4. 5. 6. Judicium ſuper illos, quibus nihil religionis in cultu erat, Verſ. 7. 8. 9. Damnatio draconis, Verſ. 10: Univerſale Judicium ſuper reliquos, Verſ. 11 ad 15.

Contenta Singulorum Versuum. Et vidi Angelum deſcendentem de Cælo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam ſuper manu ſua, *ſignificat* Divinam operationem Domini in inferiora, ex Divina Poteſtate claudendi & aperiendi, tum ligandi & ſolvendi: & comprehendit Draconem ſerpentem antiquum, qui eſt Diabolus & Satanas, *ſign:* quod detenti ſint qui per Draconem intelliguntur, qui quia ſenſualiter & non ſpiritualiter de rebus fidei cogitant, dicuntur Serpens Antiquus, & quia in malis quoad vitam ſunt, dicuntur Diabolus, & quia in falſis quoad doctrinam ſunt, dicuntur Satanas: & ligavit eum mille annos, *ſign:* quod illi qui hic per draconem intelliguntur, retracti & avulſi ſint a reliquis in Mundo ſpirituum, ne communicatio eſſet cum illis aliquamdiu ſeu aliquanto tempore: & conjecit eum in abyſſum, & concluſit eum, & obſignavit ſuper eo, ut non ſeduceret gentes amplius, *ſign:* quod Dominus prorſus removerit illos qui in ſola fide erant, ac ademerit omnem communicationem eorum cum reliquis, ne ex hæreſi ſua inſpirarent aliquid illis qui in cælum elevarentur: donec conſummarentur mille anni, & poſt hæc oportet eum ſolvi exiguum tempus, *ſign:* quod hæc aliquamdiu ſeu aliquanto tempore, uſque dum a Domino ſublati ſunt in Cælum qui in veris ex bono erant, poſt quod illi qui per draconem intelliguntur, brevi tempore ſolvendi ſint, & illis aperienda communicatio cum reliquis: & vidi thronos, & conſederunt ſuper iis, & judicium datum eſt illis, *ſign:* quod vera Verbi, ſecundum quæ omnes judicantur, aperta ſint, & quod tunc ſublati ſint ex inferiore terra, qui a Domino reconditi fuerunt, ne a dracone & ejus beſtiis ſeducerentur: & animas ſecuri percuſſorum propter Teſtimonium Jeſu, & propter Verbum Dei, *ſign:* rejectos ab illis qui in falſis ex propria intelligentia ſunt, quia coluerunt Dominum, & vixerunt ſecundum vera Verbi Ipſius: & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ſuper fronte ſua & ſuper manu ſua, *ſign:* qui non agnoverunt & receperunt doctrinam de ſola fide: & vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annos, *ſign:* qui jamdum in conjuctione

cum Domino, & in Regno Ipſius fuerunt aliquamdiu: & reliqui mortuorum non revixerunt, donec conſummarentur mille anni, *ſign:* quod præter illos, de quibus dictum eſt, non aliqui ſublati ſint in cælum, quam poſtquam Draco ſolutus eſt, & illi tunc probati & explorati quales eſſent: hæc illa eſt reſurrectio prima, *ſign:* quod ſalvatio & vita æterna primario ſit colere Dominum & vivere ſecundum præcepta Ipſius in Verbo, quia per illa ſit conjunctio cum Domino & conſociatio cum Angelis Cæli: beatus & ſanctus habens partem in reſurrectione prima, *ſign:* quod felicitas vitæ æternæ, ac illuſtratio per conjunctionem cum Domino, ſint illis qui in Cælum veniunt: ſuper hos mors altera non habet poteſtatem, *ſign:* quod illis non damnatio: ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, *ſign:* quia a Domino tenentur in bono amoris & inde in veris ſapientiæ: & regnabunt cum Ipſo mille annos, *ſign:* quod illi jamdum in Cælo eſſent, cum reliqui, qui nondum revixerunt, hoc eſt, vitam cæleſtem acceperunt, in Mundo ſpirituum eſſent: & quando conſummati ſunt mille anni, ſolvetur Satanas e carcere ſuo, *ſign:* quod poſtquam a Domino in Cælum ſublati ſunt, qui in Inferiore terra hactenus reconditi & cuſtoditi fuerunt, & per illos Novum Cælum Chriſtianum adauctum eſt, omnes illi qui falſa fidei apud ſe confirmaverunt, emitterentur: & exibit ſeducere gentes, quæ in quatvor angulis terræ, Gogum & Magogum, congregare illos in bellum, *ſign:* quod illi qui per draconem hic intelliguntur, onmes qui e terris in univerſo Mundo ſpirituum erant, & ibi in ſolo cultu externo naturali & in nullo cultu interno ſpirituali vixerunt, in ſuas partes traherent, & excitarent contra illos qui coluerunt Dominum, & vixerunt ſecundum præcepta Ipſius in Verbo: quorum numerus ſicut arena maris, *ſign:* multitudinem talium: & aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumdederunt caſtra ſanctorum, & Urbem dilectam, *ſign:* quod excitati a draconicis ſpernerent omne verum Eccleſiæ, & conarentur deſtruere omnia Eccleſiæ Novæ, & ipſam ejus doctrinam de Domino & de Vita: & deſcendit ignis a Deo e Cælo, & conſumſit eos, *ſign:* quod perierint a concupiſcentiis amoris infernalis: & Diabolus ſedudens illos conjectus eſt in ſtagnum ignis & ſulphuris, ubi beſtia & pſeudopropheta, & cruciabuntur dies & noctes in ſæcula ſæculorum, *ſign:* illos, qui in malis quoad vitam & in falſis quoad doctrinam erant, conjectos in Infernum: & vidi Thronum album magnum, & Sedentem ſuper eo, a cujus facie fugit Cælum & Terra, *ſign:* Judicium univerſale a Domino factum ſuper omnes priores Cælos, ſuper quibus fuerunt qui in bono civili & morali & nullo ſpirituali erant, ita qui in externis ſimulabant Chriſtianos, ſed in internis erant diaboli, qui Cæli cum Terra eorum prorſus diſſipati ſunt, adeo ut nihil eorum amplius appareret: & vidi mortuos parvos & magnos ſtantes coram Deo, *ſign:* omnes qui e terris mortui ſunt, & nunc inter illos qui in Mundo ſpirituum, ex quacunque conditione & qualitate, a Domino congregatos ad judicium: & Libri aperti ſunt, & Liber alius apertus eſt qui eſt vitæ, *ſign:* quod interiora mentis omnium illorum recluſa ſint, & per influxum lucis & caloris e Cælo viſi & percepti quales eſſent quoad affectiones quæ amoris ſeu voluntatis, & inde quoad cogitationes quæ fidei ſeu intellectus, tam mali quam boni: & judicati ſunt mort-

mortui ex scriptis in libris secundum opera illorum, *sign*: quod omnes judicati sint secundum vitam suam internam in externis: & dedit mare eos qui in illo mortuos, *sign*: homines Ecclesiæ externos & naturales convocatos ad judicium: & mors & infernus dederunt eos qui in illis mortuos, *sign*: homines Ecclesiæ impios corde, qui in se diaboli & satanæ erant, convocatos ad judicium: & judicati sunt quisque secundum opera illorum, *sign*: hic ut prius: & mors & infernus conjecti sunt in stagnum ignis, *sign*: quod impii corde, qui in se diaboli & satanæ erant, & tamen in externis sicut homines Ecclesiæ, dejecti sint in infernum inter illos qui in amore mali & inde amore falsi concordantis cum malo erant: hæc est altera mors, *sign*: quod his sit ipsa damnatio: & si quis non inventus est in Libro vitæ scriptus, conjectus est in stagnum ignis, *sign*: quod qui non vixerunt secundum præcepta Domini in Verbo, & non crediderunt in Dominum, condemnati sint.

EXPLICATIO.

840. *Et vidi Angelum descendentem de Cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam super manu sua, significat operationem Domini in inferiora ex Divina potestate claudendi & aperiendi, tum ligandi & solvendi.* Per Angelum descendentem de Cælo, intelligitur Dominus, videatur, n. 5. 170. 344. 465. 657. 718; tum operatio Domini, n. 415. 631. 633. 649, hic in inferiora, quia dicitur descendens; per habere clavem abyssi, significatur Divina potestas aperiendi & claudendi infernum, videatur n. 62. 174; & per habere catenam magnam super manu, significatur conatus & inde actus ligandi & solvendi: inde sequitur, quod non aliqua clavis nec catena in manu Domini fuerit, sed quod ita visum sit Johanni, esset repræsentativum Divinæ Potestatis Domini; agitur etiam in hoc Capite bis & ter de aperitione inferni & de occlusione ejus.

841. *Et comprehendit Draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & satanas, significat quod detenti sint qui per draconem intelliguntur, qui quia sensualiter & non spiritualiter de rebus fidei cogitant, dicuntur Serpens antiquus, & quia in malis quoad vitam sunt, dicuntur Diabolus, & quia in falsis quoad doctrinam sunt, dicuntur Satanas.* Quinam sunt qui per draconem intelliguntur, videatur supra n. 537; quod hic & ibi appelletur serpens antiquus, diabolus & satanas, est quia serpens significat illos qui sensualiter & non spiritualiter cogitant, n. 455. 550; diabolus illos qui in malis quoad vitam sunt, ac satanas illos qui in falsis quoad doctrinam sunt, n. 97. 550. Omnes enim illi qui non immediate adeunt Dominum, de rebus Ecclesiæ cogitant sensualiter, & non possunt spiritualiter, est enim Dominus ipsa Lux, n. 796. 799, quare qui Dominum non immediate adeunt, non possunt ex luce spirituali, quæ est lux cæli, cogitare, sed ex luce naturali separata a luce spirituali, quod est cogitare sensualiter; inde est quod illi dicantur Serpens antiquus; illi qui non adeunt immediate Dominum, nec fugiunt mala

ut

ut peccata, manent in peccatis, inde eſt quod draco dicatur diabolus; & quia iidem in falſis quoad doctrinam ſunt, inde eſt quod draco dicatur ſatanas.

842. *Et ligavit eum mille annos, ſignificat quod illi qui hic per Draconem intelliguntur, retracti & avulſi ſint a reliquis in Mundo ſpirituum, ne communicatio eſſet cum illis aliquamdiu ſeu aliquanto tempore.* Quod per ligare hic ſignificetur retrahere & avellere a reliquis in Mundo ſpirituum, ne communicatio eſſet cum illis, videbitur in mox ſequente Articulo. Quod per Mille annos non intelligantur mille anni, ſed aliquamdiu aut aliquanto tempore, eſt quia mille abſque aliis numeris adjectis in Mundo Spirituali id ſignificant: qui credit quod Mille anni ſignificent mille annos, non ſcit quod omnes Numeri in Verbo ſignificent res, & ſic hallucinari poteſt, imprimis in Apocalypſi, de ſenſu rerum, ubi leguntur numeri, ut ubi 5. 7. 10. 12. 144. 666. 1200. 1600. 12000. 144000, & plures alii; in quibus poſterioribus numeris Mille non ſignificant quam aliquod adjectivum, & cum Mille adhibentur ad deſignanda tempora, ſignificant aliquantum plus; at cum ſolitarie dicuntur, ut hic, ſignificant aliquamdiu ſeu aliquanto tempore: quod ita ſit mihi dictum eſt e Cælo, ubi in Verbo, quod ibi eſt, non aliquis numerus legitur, ſed res pro numero, & pro Mille aliquandiu; mirantur ibi, quod cum homines Eccleſiæ viderunt in Apocalypſi tot numeros, qui non poſſunt non ſignificare res, uſque adhæſerint Chiliaſtarum ſeu Millenariorum conjecturis, & per id ſibi impreſſerint vana de Eccleſiæ ſtatu ultimo.

V. 3. 843. *Et conjecit eum in abyſſum, & concluſit eum, & obſignavit ſuper eo, ut non ſeduceret gentes amplius, ſignificat quod Dominus prorſus removerit illos qui in ſola fide erant, ac ademerit omnem communicationem eorum cum reliquis, ne ex hæreſi ſua inſpirarent aliquid illis quo in Cælum elevarentur.* Per draconem hic intelliguntur qui in falſis fidei ſunt, ut mox ſupra n. 842: dicitur de dracone quod comprehenſus ſit, ligatus, conjectus in abyſſum, concluſus, & obſignatum ſuper eo, & per illud ſignificatur; quod prorſus remotus ſit, & quod adempta ſit omnis communicatio ejus cum reliquis; per quod comprehenſus ſit, ſignificatur quod collecti ſint & retenti qui per illum intelliguntur; per quod ligatus ſit, ſignificatur quod retracti & avulſi ſint; per quod conjectus in abyſſum ſignificatur quod demiſſi verſus infernum; per quod concluſus ſit ſignificatur quod prorſus remoti ſint; per quod obſignatum ſit ſuper eo, ſignificatur quod communicatio cum reliquis prorſus adempta ſit. Cauſa quod Draco prorſus remotus ſit ad tempus, eſt ut ab inferiore terra elevarentur illi qui a Domino reconditi fuerunt, de quibus Verſ. 4. 5. 6, agitur, ne a draconicis, cum elevantur, ſeducerentur; quare etiam dicitur, ne ſeduceret gentes amplius, per quæ ſignificatur ne inſpiraret illis ex hæreſi ſua aliquid. Quod hoc factum ſit in Mundo ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum, eſt quia ibi communicant mali cum bonis, & præparantur in illo Mundo boni ad Cælum & mali ad Infernum, & probantur ibi boni per conſortium aliquod cum malis, & explorantur quales ſunt & quam conſtantes. Per gentes, quas ne ſeduceret, intelliguntur boni; quod per gentes intelligantur qui boni ſunt quoad

quoad vitam, & in oppoſito ſenſu mali, videatur ſupra n. 483. Ex his conſtare poteſt, quod per conjecit eum in abyſſum, & concluſit eum & obſignavit ſuper eo, ſignificetur quod Dominus prorſus removerit illos qui in falſis fidei erant, ac ademerit omnem communicationem eorum cum reliquis, ne ex hæreſi ſua inſpirarent aliquid illis qui in Cælum elevarentur.

844. *Donec conſummarentur mille anni, & poſt hæc oportet eum ſolvi exiguum tempus, ſignificat quod hæc aliquamdiu ſeu aliquanto tempore, uſque dum a Domino ſublati ſunt in Cælum qui in veris ex bono erant, poſt quod illi qui per draconem intelliguntur, brevi tempore ſolvendi ſint, & illis aperienda communicatio cum reliquis.* Quod per donec conſummarentur mille anni, ſignificetur aliquamdiu ſeu aliquanto tempore, eſt quia per mille annos non ſignificantur mille anni, ſed aliquandiu & aliquanto tempore, ut ſupra n. 842; per oportet eum ſolvi exiguum tempus, ſignificatur quod poſt id illi qui per draconem hic intelliguntur, de quibus ſupra, e cuſtodia ſua ſolvendi ſint, & tunc illis aperienda communicatio cum reliquis; quod hæc ſignificentur, patet a ſupradictis, ita a ſerie rerum, & a connexione cum ſequentibus in ſenſu ſpirituali: agitur in nunc ſequentibus a Verſ. 4 ad 6 de illis qui a Domino ſublati ſunt in Cælum, propter quos draco remotus & concluſus eſt.

845. *Et vidi thronos, & conſederunt ſuper iis, & judicium datum eſt illis, ſignificat quod vera Verbi, ſecundum quæ omnes judicantur, aperta ſint, & quod tunc ſublati ſint ex inferiore terra, qui a Domino reconditi fuerunt, ne a dracone & ejus beſtiis ſeducerentur.* Quod hæc ſignificentur per hæc verba, eſt quia per thronos ſuper quibus conſederunt, non ſignificantur throni, ſed judicium ſecundum vera Verbi; quod per thronos viſos in Cælo repræſentetur judicium, videatur ſupra n. 229; quod non aliud per thronos, ſuper quibus conſederunt viginti quatuor ſeniores, & ſuper quibus ſeſſuri ſunt duodecim Apoſtoli, & quod omnes judicentur ſecundum vera Verbi, videatur etiam ſupra n. 233; inde patet, quod per judicium datum eſt illis, ſignificetur quod judicium datum ſit veris Verbi. Quod ſint qui ex inferiore terra a Domino ſublati ſunt in Cælum, qui interea ibi reconditi ſunt, ne a dracone & ejus beſtiis ſeducerentur, eſt quia dicitur de animabus ſecuri percuſſorum & de mortuis, ut ſequitur, non quod mortui eſſent ſibi, ſed aliis. Locus ubi reconditi ſunt, vocatur Terra inferior, quæ proxime ſupra inferna eſt, ſub mundo ſpirituum, & ibi per communicationem cum Cælo & per conjunctionem cum Domino ſunt in tuto; talia loca ſunt plura, & ibi inter ſe vivunt hilariter, & colunt Dominum, nec ſciunt aliquid de Inferno; illi qui ibi ſunt, poſt ultimum judicium per vices elevantur in Cælum a Domino, & quando elevantur, removentur illi qui per draconem intelliguntur: datum eſt ſæpius videre quod ſublati ſint, & conſociati Angelis in Cælo; hoc intelligitur in Verbo per quod ſepulchra aperta ſint, & quod mortui reſurrexerint.

846. *Et animas ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Jeſu & propter Verbum Dei, ſignificat rejectos ab illis qui in falſis ex propria intelligentia ſunt, quia coluerunt Dominum & vixerunt ſecundum vera Verbi Ipſius.* Per animas ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Jeſu & propter verbum Dei, intelliguntur homines

Zzz poſt

post mortem, qui tunc vocantur spiritus, seu homines spirituali corpore induti, qui a Domino in inferiori terra, occultati sunt, usque dum per ultimum judicium remoti sunt mali; dicuntur securi percussi, quia rejecti ab illis qui in falsis ex propria intelligentia sunt, qui sunt omnes qui in malis & inde falsis, aut in falsis & per illa in malis, & tamen in externis in cultu Divino: quod per securim id falsum significetur, videbitur in sequenti Articulo; per testimonium Jesu & Verbum Dei significatur agnitio Divini Domini in Humano Ipsius, simile quod per hæc supra „ *Johannes testificatus est Verbum Dei & Testimonium Jesu Christi*, Apoc. I: 2. *Michael & angeli vicerunt Draconem per sanguinem Agni & Verbum Testimonii sui*, Cap. XII: 11. *Draco abivit ut faceret bellum cum reliquis seminis ejus, qui tenebant mandata Dei, & habent Testimonium Jesu Christi*, Cap. XII: 17. *Conservus fratrum tuorum sum habentium Testimonium Jesu Christi*„ Cap. XII: 17. *Conservus fratrum tuorum sum habentium Testimonium Jesu Christi: Testimonium Jesu est spiritus prophetiæ*, Cap. XIX: 10; quod per illa significetur Agnitio Divini Domini in Humano Ipsius, atque vita secundum vera Verbi Ipsius, in specie secundum præcepta decalogi, videatur in explicationibus super illis locis: sunt hæ animæ eædem, de quibus supra dicuntur hæc „ *Vidi subter altari animas occisorum propter Verbum Dei & propter Testimonium quod habebant: & clamabant voce magna, dicentes, usque quo Domine, qui Sanctus & Verus, non judicas & vindicas sanguinem nostrum de habitantibus super terra: & datæ singulis stolæ albæ, & dictum eis, ut requiescerent adhuc tempus parvum, usque dum complentur & conservi eorum & fratres eorum, qui futuri occidi sicut & illi*, Cap. VI: 9. 10. 11; quæ explicata videantur, n. 325 ad 329.

847. In Verbo passim dicitur, quod occisi sint, quod transfixi, imo mortui, & tamen non intelligitur quod occisi, transfixi & mortui, sed quod rejecti ab illis, qui in malis & falsis sunt, videatur n. 59. 325. 589; simile per mortuos significatur in sequenti Versu, ubi dicitur, *quod reliqui mortuorum non revixerint, donec consummarentur mille anni:* ex quibus patet, quod per hos qui dicuntur securi percussi, significetur quod rejecti ab illis, qui in falsis ex propria intelligentia sunt. Quod per securim significetur falsum ex propria intelligentia, patet ex his „ *Statuta gentium vanitas, siquidem lignum de sylva excidit, opus manuum fabri per* SECURIM, Jerem. X: 3. *Vox Ægypti sicut serpentis ibit, cum* SECURIBUS *venerunt, sicut excisores lignorum*, Jerem. XLVI: 22. *Cognoscitur sicut tollens sursum in implexum ligni* SECURES, *& jamjam sculpturas ejus* SUECURI *& malleis contundunt; in terram prophanarunt habitaculum Nominis tui*, Psalm. LXXIV: 5. 6. 7. *Cum obsideris urbem, non perdes arborem ejus impellendo in illam* SECURIM, Deutr. XX: 19; per securim in illis locis significatur falsum ex propria intelligentia; causa est, quia per ferrum significatur verum in ultimis, quod vocatur verum sensuale, quod cum separatur a vero rationali & spirituali vertitur in falsum; quod sit falsum ex propria intelligentia, est quia sensuale est in proprio, videatur n. 424. Propter illam significationem ferri & securis, mandatum est, quod si *ædificaretur Altare lapideum, ædificaretur ex lapidibus integris, & quod* FERRUM *non moveretur super lapides, ne prophanaretur*, Exod. XX: 22. Deutr. XXVII: 5: quare de Templo Hierosolymitano

B. a. 25

no hæc dicuntur „ *Ipſa Domus ædificabatur lapide integro, ac* Mallei *&* Securis, *& ulla* Instrumenta Ferri, *non audita ſunt in Domo cum ædificabatur*, I Reg. VI: 6. ac viciſſim, ubi agitur de ſculptili, per quod ſignificatur falſum ex propria intelligentia, dicitur, *quod operetur id* Ferro, Forcipe *ſeu* Securi *&* Malleis, Eſaj. XLIV: 12, quod falſum ex propria intelligentia ſignificetur per ſculptile & idolum, videatur ſupra n. 459.

848. *Et qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ſuper fronte ſua & ſuper manu ſua, quod ſignificet qui non agnoverunt & receperunt doctrinam de ſola fide*, patet ab explicatis ſupra n. 634, ubi ſimilia verba.

849. *Et vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annos, ſignificat qui jamdum in conjunctione cum Domino & in Regno Ipſius fuerunt aliquamdiu.* Qui vixerunt cum Chriſto, ſignificat qui in conjunctione cum Domino fuerunt, quia illi vivunt; qui regnaverunt cum Chriſto, ſignificat qui in Regno Ipſius fuerunt, de quo ſequitur; quod per mille annos, ſignificetur aliquamdiu, videatur ſupra n. 842: hæc dicta ſunt de illis qui in vita ſua in Mundo coluerunt Dominum, & ſecundum præcepta Ipſius in Verbo vixerunt, & poſt mortem cuſtoditi ſunt, ne a draconicis ſeducerentur, ita qui jamdum aliquamdiu conjuncti fuerunt Domino, & conſociati angelis cæli quoad interiora. Quod regnare cum Domino, non ſit regnare cum Ipſo, ſed eſſe in Regno Ipſius per conjunctionem cum Ipſo, videatur ſupra n. 284; Solus enim Dominus regnat, & quiſque in Cælo, qui in functione eſt, in ſua Societate obit officium, ſicut in Mundo; at ſub auſpicio Domini; agunt quidem ſicut a ſe, ſed quia uſus ſpectant primario, agunt a Domino, a Quo eſt omnis uſus.

850. *Et reliqui mortuorum non revixerunt, donec conſummarentur mille anni, ſignificat quod præter illos, de quibus dictum eſt, non aliqui ſublati ſint in Cælum quam poſtquam Draco ſolutus eſt, & illi tunc probati & explorati quales eſſent.* Per reliquos mortuorum ſignificantur qui etiam rejecti ab illis qui in ſola fide ſunt, quia coluerunt Dominum, & vixerunt ſecundum præcepta Ipſius, ſed nondum probati & explorati ſunt quales erant; quod per mortuos hic illi ſignificentur, videatur ſupra n. 847: omnes enim poſt exceſſum e Mundo, primum veniunt in Mundum ſpirituum, qui eſt medius inter Cælum & Infernum, & ibi probantur & explorantur, & ſic præparantur, mali ad infernum & boni ad cælum; de his dicitur, quod nondum revixerint, hoc eſt, nondum ita conjuncti Domino, & conſociati angelis cæli eſſent, ſicut priores. Quod poſtea etiam multi ſalvati ſint, patet a Verſ. 12 & 15 hujus Capitis, ubi dicitur quod etiam apertus ſit Liber vitæ, & ſi quis non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, conjectus ſit in ſtagnum ignis.

851. *Hæc illa eſt Reſurrectio prima, ſignificat quod ſalvatio & vita æterna primario ſit colere Dominum, & vivere ſecundum præcepta Ipſius in Verbo, quia per illa ſit conjunctio cum Domino & conſociatio cum Angelis Cæli.* Quod hæc omnia ſignificentur per *Hæc illa eſt Reſurrectio prima*, eſt quia ſequitur ut concluſum ex antecedentibus, & inde involvit illa; antecedentia quæ hæc verba involvunt, continentur in Verſu 4, & aliquid etiam in Verſu 5; in Verſu 4 ſunt

Zzz 2 hæc,

hæc, *Vidit animas ſecuri percuſſorum propter Teſtimonium Jeſu & propter Verbum Dei, & qui non adoraverunt beſtiam, neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ſuper fronte ſua & ſuper manu ſua, & vixerunt & regnaverunt cum Chriſto*; quod per Animas ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Jeſu & propter Verbum Dei, ſignificentur qui rejecti ab illis qui in falſis ex propria intelligentia ſunt quia coluerunt Dominum & vixerunt ſecundum præcepta Ipſius in Verbo, videatur ſupra n. 846. 847; quod per non adoraverunt beſtiam neque imaginem ejus, neque acceperunt characterem ſuper fronte ſua & ſuper manu ſua, ſignificetur quod hæreticum de ſola fide rejecerint, videatur ſupra n. 848; & quod per vixerunt & regnaverunt cum Chriſto mille annis, ſignificetur quod illis ſit conjunctio cum Domino & conſociatio cum angelis cæli, videatur ſupra n. 849; hæc itaque ſunt, quæ *hæc illa eſt reſurrectio prima* involvant; per Reſurrectionem ſignificatur ſalvatio & vita æterna, & per primam non intelligitur prima reſurrectio, ſed ipſum & primarium Reſurrectionis, ita ſalvatio & vita æterna; non enim eſt niſi quam una reſurrectio ad vitam, ſecunda non datur; quare nec Reſurrectio ſecunda ullibi nominatur; qui enim ſemel conjuncti ſunt Domino, in æternum Ipſi conjuncti ſunt, & in Cælo, nam dicit Dominus „ *Ego ſum Reſurrectio & Vita, qui credit in Me, etſi moriatur vivet, omnis qui vivit & credit in Me, non morietur in æternum*, Joh. XI: 25. 26. Quod illa per Reſurrectionem primam intelligantur, conſtat etiam a Verſu nunc ſequente.

852. *Beatus & ſanctus habens partem in Reſurrectione prima, ſignificat quod felicitas vitæ æternæ ac illuſtratio per conjunctionem cum Domino ſint illis, qui in Cælum veniunt.* Beatus dicitur cui felicitas vitæ æternæ eſt, n. 639; & ſanctus dicitur cui illuſtratio in Divinis veris per conjunctionem cum Domino eſt, Solus enim Dominus eſt Sanctus; & Divinum procedens ab Ipſo, a quo illuſtratio, eſt quod vocatur Spiritus Sanctus, n. 173. 586. 666; per Reſurrectionem primam, ſignificatur elevatio in Cælum a Domino, & ſic ſalvatio, ut mox ſupra n. 851: inde patet, quod per beatus & ſanctus habens partem in reſurrectione prima, ſignificetur quod felicitas vitæ æternæ, ac illuſtratio per conjunctionem cum Domino, ſint illis qui in Cælum veniunt.

853. *Super hos mors altera non habet poteſtatem, ſignificat quod illis non damnatio.* Per Mortem alteram non aliud ſignificatur quam mors ſpiritualis, quæ eſt damnatio; mors enim prima eſt mors naturalis, quæ eſt mors corporis, mors autem altera eſt mors ſpiritualis, quæ eſt mors animæ, quæ quod ſit damnatio, notum eſt; & quia mors altera eſt damnatio, & mors prima eſt obitus, & hæc mors non eſt ſpiritualis, ideo nullibi in Apocalypſi nominatur mors prima, ſed mors altera in hoc Capite etiam Verſ. 14, tum in ſequente XXI: 8, & quoque prius Cap. II: 11. Qui hoc non obſervat, poteſt facile credere quod binæ Mortes ſpirituales ſint, quia dicitur mors altera, cum tamen non eſt niſi quam una mors ſpiritualis, quæ hic intelligitur per mortem alteram; ſimiliter quod dentur binæ Reſurrectiones, quia dicitur reſurrectio prima, cum tamen non detur niſi quam una reſurrectio, quare nec ullibi dicitur reſurrectio ſecunda, videatur ſupra n. 851. Ex his patet, quod per ſuper hos mors altera non habet poteſtatem, ſignificetur quod illis non damnatio.

854.

854. *Sed erunt sacerdotes Dei & Christi, significat quia a Domino tenentur in bono amoris & inde in veris sapientiæ.* Per sacerdotes in Verbo intelliguntur qui in bono amoris sunt, & per reges qui in veris sapientiæ; quare dicitur supra „ *Jesus Christus fecit nos reges & sacerdotes*, Apoc. I: 6. & quoque „ *Agnus fecit nos reges & sacerdotes, ut regnemus super terra*, V: 10; & manifeste videri potest, quod Dominus non facturus sit homines reges & sacerdotes, sed quod facturus sit Angelos, illos qui in veris sapientiæ & in bono amoris ab Ipso erunt: quod per Reges intelligantur qui in veris sapientiæ a Domino sunt. & quod Dominus dicatur Rex ex Divino Vero, videatur supra n. 20. 483. 664. 830; quod autem per Sacerdotes intelligantur qui in bono amoris a Domino sunt, est quia Dominus est Divinus Amor & Divina sapientia, seu quod idem, Divinum Bonum & Divinum Verum, & Dominus ex Divino Amore seu Divino Bono vocatur Sacerdos, & ex Divina sapientia seu Divino Vero vocatur Rex: inde est quod sint bina Regna, in quæ Cæli distincti sunt, Cæleste & Spirituale; & Regnum Cæleste vocatur Regnum Sacerdotale Domini, sunt enim Angeli ibi recipientes Divini Amoris seu Divini Boni a Domino, & Regnum Spirituale vocatur Regnum Regium Domini, sunt enim Angeli ibi recipientes Divinæ sapientiæ seu Divini Veri a Domino, sed plura de binis his Regnis videantur supra n. 647. 725. Dicitur quod sint recipientes Divini Boni & Divini Veri a Domino, at sciendum est, quod sint perpetuo recipientes, nam Divinum Bonum & Divinum Verum, non possunt appropriari alicui angelo & homini, ut sint ejus, solum ut appareant sicut ejus, quia sunt Divina; quare non potest aliquis angelus aut homo a se producere aliquod bonum aut verum, quod in se est bonum & verum; ex quo patet, quod teneantur in bono & vero a Domino, & quod continue teneantur; quare si quis in Cælum venit, & cogitat quod bonum & verum sint ei appropriata ut sua, illico demittitur e Cælo & instruitur. Ex his nunc constare potest, quod per erunt sacerdotes Dei & Christi, significetur quia a Domino tenentur in bono amoris & inde in veris sapientiæ. Quod per Sacerdotes in Verbo intelligantur qui in bono amoris a Domino sunt, constare potest a multis locis ibi, quæ quia allata sunt in ARCANIS CÆLESTIBUS Londini editis, volo solum exinde afferre hæc sequentia; „ Quod Sacerdotes repræsentaverint Dominum quoad Divinum „ Bonum, n. 2015. 6148. Quod Sacerdotium esset repræsentativum Domini quoad „ opus salvationis, quia hoc erat ex Divino Bono Divini Amoris Ipsius, n. „ 9809. Quod Sacerdotium Aharonis, Filiorum ejus, & Levitarum fuerit „ repræsentativum operis salvationis Domini in ordine successivo, n. 10017. „ Quod inde per Sacerdotes & per Sacerdotium significetur bonum amoris a „ Domino, n. 9806. 9809. Quod per duo Nomina, Jesus & Christus, significetur tam Sacerdotale quam Regium Domini, n 3004. 3005. 3009. Quod „ Sacerdotes ministrabunt Ecclesiastica, & Reges Civilia, n. 10793. Quod „ Sacerdotes docebunt vera, & per illa ducent ad bonum, & sic ad Dominum, n. 10794. Quod non vindicabunt sibi jus super animas hominum, „ n. 10795. Quod sacerdotibus erit dignitas propter sancta, sed quod digni-

„ tatem non ſibi tribuent, ſed Domino a Quo Solo ſunt ſancta, quia Sacer-
„ dotium non eſt in perſona, ſed adjunctum perſonæ, n. 10906. 10907.
„ Quod ſacerdotes qui non agnoſcunt Dominum, in Verbo ſignificent con-
„ traria, n. 3670.

855. *Et regnabunt cum Ipſo mille annos, ſignificat quod illi jamdum in Cælo eſſent, cum reliqui qui nondum revixerunt, hoc eſt, vitam cæleſtem acceperunt, in Mundo ſpirituum eſſent.* Per regnare cum Chriſto, non ſignificatur regnare cum Ipſo, ſed in Regno Ipſius ſeu in Cælo eſſe, videatur ſupra n. 284. 849; per mille annos non intelliguntur mille anni, ſed ſignificatur aliquamdiu, ut ſupra n. 842: quod Mille anni non aliud ſignificent quam illud ſpatium temporis quod erat inter incluſionem draconis in abyſſo, & ejus ſolutionem, patet, quia dicitur *quod conjectus ſit in abyſſum, concluſus, & quod obſignatum ſit ſuper eo mille annos, & dein quod ſolvetur.* Verſ. 3 & 7; hoc idem ſpatium temporis ſignificatur etiam hic; quare per regnabunt cum Chriſto mille annos, ſignificatur quod illi jamdum in Cælo eſſent, dum reliqui mortuorum qui nondum revixerunt, de quibus Verſ. 5, in Mundo ſpirituum eſſent. Sed hæc non capiunt illi, qui non ſciunt quod per numeros in Apocalypſi non intelligantur numeri, ſed res; aſſeverare poſſum, quod Angeli non aliquem numerum naturaliter intelligant, ſicut homines, ſed quod ſpiritualiter; imo quod non ſciant quid mille anni, ſolum quod ſit aliquod interſtitium temporis, parvum aut magnum, quod non aliter exprimi poteſt quam per aliquamdiu.

856. *Et quando conſummati ſunt mille anni, ſolvetur Satanas e carcere ſuo, ſignificat quod poſtquam a Domino in Cælum ſublati ſunt, qui in inferiore terra hactenus reconditi & cuſtoditi fuerunt, & per illos Novum Cælum Chriſtianum adauctum eſt, omnes illi qui falſa fidei apud ſe confirmaverunt, emitterentur.* Quando conſummati ſunt mille anni, ſignificat poſtquam a Domino in Cælum ſublati ſunt qui hactenus in inferiore terra reconditi & cuſtoditi fuerunt; quod hoc per quando conſummati ſunt mille anni, ſignificetur, eſt quia de ſalvatione illorum qui coluerunt Dominum & qui vixerunt ſecundum præcepta Ipſius, in Verſibus 4. 5. 6, qui præcedunt, ſolum agitur, & hoc ſpatium temporis intelligitur per mille annos. Quod ſint qui ſublati ſunt ex inferiore terra, quidem non dicitur, ſed uſque patet ex Capite VI: 9. 10. 11, ubi viſi ſunt ſub Altari, & ſub Altari eſt in inferiore terra; quare etiam hic vocantur ſacerdotes Dei & Chriſti, Verſ. 6, videatur ſupra n. 846. Quod per illos Novum Cælum Chriſtianum adauctum ſit, hic nec dicitur, uſque tamen hoc patet ex Cap. XIV, ubi de Novo Cælo Chriſtiano agitur, ut videri poteſt ab explicatis ibi, imprimis n. 612. 613. 626. 631. 647. 659. 661. Quod per ſolvetur Satanas e carcere ſuo, ſignificetur quod qui in ſola fide quoad doctrinam ſe confirmaverunt, emitterentur, eſt quia draco hic vocatur ſatanas, & non ſimul diabolus, ut ſupra Verſ. 2, & per Draconem ut diabolum intelliguntur qui in malis vitæ fuerunt, & per Draconem ut ſatanam intelliguntur qui in falſis fidei, videatur ſupra n. 841; at qualis unus & qualis alter in ſequenti Articulo videbitur.

858. *Et exibit ſeducere gentes, quæ in quatuor angulis terræ, Gogum & Magogum, congregare illos in bellum, ſignificat quod illi qui per Draconem hic intelligun-*

guntur, omnes qui e terris in universo Mundo spirituum erant, & ibi in solo cultu externo naturali & in nullo cultu interno spirituali vixerunt, in suas partes traherent, & excitarent contra illos qui coluerunt Dominum & vixerunt secundum præcepta Ipsius in Verbo. Per exibit seducere gentes quæ in quatvor angulis terræ, significatur quod illi qui per Draconem intelliguntur, de quibus mox supra n. 856. 857, omnes qui in universo Mundo spirituum erant, in suas partes traherent; per seducere hic significatur in suas partes trahere; per gentes significantur tam boni quam mali, n. 483; per quatuor angulos terræ significatur universus Mundus spiritualis, n. 342, hic qui in universo Mundo spirituum, qui est medius inter Cælum & Infernum, & quo omnes post excessum e terris primum conveniunt, de quo n. 784. 791; nam qui in Inferno erant, non in conspectum draconis venire potuerunt, nec qui in Cælis: per Gogum & Magogum significantur qui in Cultu externo naturali separato a cultu interno spirituali sunt, de quibus in Articulo sequente; per congregare illos in bellum, significatur excitare illos qui per gentes intelliguntur, contra illos qui colunt Dominum & vivunt secundum præcepta Ipsius in Verbo, quoniam omnes qui non colunt Dominum & non vivunt secundum præcepta Ipsius, mali sunt, & mali unum agunt cum Dracone seu Draconicis; quod per bellum intelligatur bellum spirituale, quod est falsi contra verum, ac veri contra falsum, videatur supra n. 500. 586.

859. Quod per Gogum & Magogum significentur qui in cultu externo sunt & non in aliquo cultu interno, constare potest apud Ezechielem ex Capite XXXVIII, ubi de Gogo agitur a principio ad finem; & ex Capite XXXIX, ibi Vers. 1 ad 16; sed quod illi per Gogum & Magogum significentur, non ibi patet clare, quam per sensum spiritualem; qui quia mihi detectus est, aperietur; primum quid significant illa quæ in binis illis Capitibus continentur: in Capite XXXVIII apud Ezechielem, sunt hæc „ Agitur de illis qui in solo sensu
„ literæ Verbi sunt, & inde in cultu, qui est externus absque interno, qui
„ Gogus, Vers. 1. 2: quod omnia & singula illius cultus peritura sint, Vers.
„ 3 ad 7: quod ille cultus occupabit Ecclesiam, vastabit eam, & sic in exter-
„ nis absque internis erit, Vers. 8 ad 16: quod Ecclesiæ status inde mutetur,
„ Vers. 17 ad 19. quod inde vera & bona religionis peritura sint, & falsa
„ successura, Vers. 20 ad 23. In Capite XXXIX apud Eundem, sunt hæc „ De
„ illis qui in solo sensu literæ Verbi, & in cultu externo; quod venturi sint in Ec-
„ clesiam, qui Gogus, sed quod perituri, Vers. 1 ad 6: quod hoc fiet cum
„ Dominus venit & instaurat Ecclesiam, Vers. 7. 8. quod Ecclesia hæc tunc
„ omnia mala & falsa eorum disperget, Vers. 9. 10. quod prorsus destruet,
„ Vers. 11 ad 16: quod Nova Ecclesia a Domino instauranda in omnis gene-
„ ris veris & bonis informabitur, & omnis generis bonis imbuetur, Vers. 17
„ ad 21: & quod prior Ecclesia propter mala & falsa destruetur, Vers. 23.
„ 24: quod tunc a Domino colligetur Ecclesia ab omnibus gentibus, Vers.
„ 25 ad 29. „ Sed dicetur aliquid de illis qui in Cultu externo absque cultu interno spirituali sunt; sunt illi qui frequentant Templa sabbathis & diebus festis, tunc psallunt & orant, auscultant prædicationes, & tunc attendunt ad elo-

eloquium, & parum si quicquam ad rem, & aliquantum moventur a precibus enuntiatis affectione, ut, quod peccatores sint, & nihil reflectunt super se & sua vita, ut & quotannis obeunt Sacramentum Cænæ; mane & vesperi fundunt preces, & quoque ad prandia & cænas orant, tum etiam sermocinantur quandoque de Deo, de Cælo & de Vita æterna, & tunc quoque aliqua loca e Verbo sciunt depromere, & simulare Christianos, tametsi non sunt; nam postquam hæc & illa fecerunt, nihili faciunt adulteria & obscænitates, vindictas & odia, furta clandestina & deprædationes, mendacia & blasphemationes, & concupiscentias ac intentiones malorum omnis generis: illi qui tales sunt, non credunt in aliquem Deum, minus in Dominum; si interrogantur quid bonum & verum religionis, nihil sciunt, & cogitant quod nec tanti sit ut sciant; verbo, vivunt sibi & mundo, ita genio & corpori, & non Deo & proximo, ita non spiritui & animæ; ex quibus patet, quod cultus eorum sit externus absque cultu interno; hi etiam prone recipiunt hæreticum de sola fide, imprimis cum audiunt quod homo non possit facere bonum a se, & quod non sint sub jugo legis; inde est, quod dicatur, quod draco exibit seducere gentes, Gogum & Magogum. Per Gogum & Magogum etiam in Lingua Hebræa significatur tectum & tabulatum, quod est externum.

860. *Quorum numerus sicut arena maris, significat multitudinem talium.* Comparatur multitudo illorum arenæ maris, quia per mare significatur externum Ecclesiæ, n. 403. 404. 420. 470, & per arenam id quod non inservit alicui usui in mari quam ut faciat fundum. Quia tam ingens illorum numerus est, ideo vocatur *vallis sepulturæ illorum*, *Multitudo Gogi*, *& Nomen urbis ubi sunt*, *Multitudo*, Ezech. XXXIX: 15. /16

V. 9. 861. *Et ascenderunt super latitudinem terræ, & circumdederunt castra sanctorum, & urbem dilectam, significat quod excitati a draconicis spernerent omne verum Ecclesiæ, & conarentur destruere omnia Ecclesiæ Novæ, & ipsam ejus doctrinam de Domino & de Vita.* Per ascendere super latitudinem terræ, significatur spernere omne verum Ecclesiæ, nam per ascendere super significatur superscandere & præterire, ita spernere; & per latitudinem terræ significatur verum Ecclesiæ, de quo sequitur; per circumdare castra sanctorum, significatur obsidere & velle destruere omnia Ecclesiæ Novæ, de quibus in sequenti Articulo; & per Urbem dilectam significatur doctrina Novæ Ecclesiæ; quod per Urbem significetur Doctrina Ecclesiæ, videatur supra n. 194. 501. 502. 712, quæ dilecta vocatur, quia agit de Domino & de Vita, est enim doctrina Novæ Hierosolymæ, quæ hic intelligitur. Quod hæc per illa verba significentur, nemo potest videre nisi per sensum spiritualem Verbi, non enim potest in alicujus cogitationem venire, quod per latitudinem terræ significetur verum Ecclesiæ, quodque per castra sanctorum significentur omnia Ecclesiæ Novæ, tam vera quam bona ejus, & quod per urbem significetur doctrina ejus; quare ne mens in dubio hæreat, necessum est ut demonstretur quid Latitudo & quid Castra sanctorum in spirituali sensu significant, ex quibus postea videri potest, quod talis sit illorum verborum sensus. Quod Latitudo terræ significet verum Ecclesiæ, est quia in Mundo Spirituali sunt quatuor Plagæ, Oriens, Occidens, Meri-

Meridies & Septentrio, & Oriens & Occidens faciunt Longitudinem ejus, ac Meridies & Septentrio Latitudinem ejus; & quia in Oriente & Occidente habitant qui in bono amoris sunt, & ideo per Orientem & Occidentem significatur bonum, inde similiter per Longitudinem; & quia in Meridie & Septentrione habitant qui in veris sapientiæ sunt, & ideo per Meridiem & Septentrionem significatur verum, inde similiter per Latitudinem: sed de his videantur plura in Opere de CÆLO ET INFERNO Londini 1758 edito, n. 141 ad 153. Quod per Latitudinem significetur Verum, constare potest ex his locis in Verbo „ *Jehovah non conclusisti me in manum inimici, stare fecisti in* LATITUDINE *pedes meos*, Psalm XXXI: 9. *Ex angustia invocavi Jah, respondit mihi in* LATITUDINE, Psalm. CXVIII: 5. *Jehovah eduxit me in* LATITUDINEM, *eripuit me*, Psalm. XVIII: 20. *Ego exsuscitans Chaldæos, gentem amaram & celerem, ambulantem in* LATITUDINES TERRÆ, Habak. I: 6. *Aschur ibit per Jehudam, inundabit & transibit, & erunt extensiones alarum ejus plenitudo* LATITUDINIS, Esaj. VIII: 8. *Jehovah pascet eos sicut ovem in* LATITUDINE, Hosch. IV: 16, præter alibi, ut Psalm. IV: 2. Ps. LXVI: 12. Deutr XXXIII: 20. Nec aliud intelligitur per LATITUDINEM *Urbis novæ Hierosolymæ*, Apoc. XXI: 16; cum enim per Novam Hierosolymam intelligitur Nova Ecclesia, non potest per Latitudinem & Longitudinem ejus significari latitudo & longitudo, sed verum & bonum ejus; hæc enim sunt Ecclesiæ: ut quoque apud Sachariam „ *Dixi Angelo, quo tu pergis, dixit ad metiendum Hierosolymam, ut videam quanta* LATITUDO EJUS, *& quanta* LONGITUDO EJUS, II: 6: Similiter per latitudines & longitudines novi Templi & novæ Terræ, apud Ezechielem Cap. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. Tum etiam per longitudines & latitudines Altaris holocausti, Tabernaculi, Mensæ super quæ panes, Altaris suffitus, & Arcæ inibi; & quoque per longitudines & latitudines Templi Hierosolymitani, & per plurium aliorum, quæ per mensuras designata sunt.

862. Dictum est, quod per circumdederunt castra sanctorum, & urbem dilectam, significetur quod conarentur destruere omnia Ecclesiæ novæ, tam vera quam bona ejus & ipsam doctrinam ejus de Domino & de Vita, ut in antecedente Articulo dictum est: quod illa significentur, est quia per Castra sanctorum significantur omnia vera & bona Ecclesiæ, quæ est nova Hierosolyma. Quod Castra in spirituali sensu significent omnia Ecclesiæ, quæ se referunt ad vera & bona ejus, constare potest ex his locis „ *Sol & Luna atrati sunt, & stellæ contraxerunt splendorem, Jehovah dedit vocem coram Exercitu suo, quia multa valde* CASTRA IPSIUS, *quia innumerus faciens Verbum Ipsius*, Joel. II: 10. 11. CASTRAMETABOR *ad Domum meam de Exercitu*, Sach. IX: 8. *Deus dispersit ossa* CASTRAMETANTIUM *contra me, quia Deus rejecit illos*, Psalm. LIII: 6. CASTRAMETATUR *Angelus Jehovæ circa timentes Ipsum, & liberat eos*, Psalm. XXXIV: 8. *Occurrebant Jacobo Angeli Dei, & dixit Jacob*, CASTRA DEI HÆC, *ideo vocavit Nomen loci istius* MACHANAIM (Castra bina), Genes. XXXII: 2. 3: præter alibi, ut Esaj. XXIX: 3 Ezech. I: 24. Psalm. XXVII: 3: quod per Exercitus in Verbo significentur vera & bona Ecclesiæ, tum falsa & mala ejus, videatur n. 447. 826. 833, inde etiam per Castra. Quoniam per Filio Israelis

ac 12 Tribus eorum significatur Ecclesia quoad omnia vera & bona ejus, n. 349. 350, quare illi vocabantur Exercitus Jehovæ, Exod. VII: 4. Cap. XII: 41. 51, & ubi congregati consedebant vocabantur Castra, ut Levit. IV: 12. Cap. VIII: 17. Cap. XIII: 46. Cap. XIV: 8. Cap. XVI: 26. 28. Cap. XXIV: 14. 23. Num. I: Cap. II: Cap. III: Cap. IV: 4 seq: Cap. V: 2 ad 26. Cap. IX: 17 ad fin: Cap. X: 1 ad 11. 29. Cap. XI. 31. 32. Cap. XII: 14. 15. Cap. XIX: 19 ad 25. Cap. XXXIII: 2 ad 58. Deutr. XXIII: 10 ad 15. Amos. IV: 10. Ex his nunc patet, quod per circumdederunt castra sanctorum, & urbem dilectam, significetur quod conarentur destruere omnia vera & bona Ecclesiæ novæ, quæ est nova Hierosolyma, & quoque doctrinam ejus de Domino & de Vita. Simile significatur per hæc apud Lucam, „ *Quando videritis circumdatam ab Exercitibus Hierosolymam, tunc scite, quod prope sit devastatio: tandem erit Hierosolyma conculcata a gentibus, usque dum implebuntur tempora gentium*, XXI: 20. 24; hæc de consummatione sæculi, quæ est ultimum tempus Ecclesiæ; per Hierosolymam etiam hic significatur Ecclesia. Quod Gog & Magog; hoc est, illi qui in Cultu externo separato a cultu interno sunt, tunc invasuri sint Ecclesiam, & conaturi destruere illam, dicitur etiam apud Ezechielem Cap. XXXVIII: 8. 9. 11. 12. 15. 16. Cap. XXXIX: 2, & quod tunc Nova Ecclesia a Domino, Vers. 16 ad fin.

863. *Et descendit ignis a Deo de Cælo, & consumsit eos, significat quod perierint a concupiscentiis amoris infernalis.* Per ignem descendentem e Cælo qui consumsit eos, significantur concupiscentiæ malorum, seu amoris infernalis, ut supra n. 494. 748, quoniam illi qui in cultu externo separato a cultu interno sunt, in omnis generis malis & in concupiscentiis sunt, quia mala apud illos non per aliquam pænitentiam actualem remota sunt, n. 859. Dicitur quod ignis a Deo e Cælo descenderit, ita factum est antiquis temporibus, quando omnia Ecclesiæ coram oculis illorum repræsentabantur, proinde quando Ecclesiæ erant repræsentativæ; at vero hodie, cum repræsentativa cessarunt, similiter dicitur, & per id significatur idem, quod olim, cum repræsentabatur: quod ignis e Cælo descenderit super illos qui prophanaverunt sancta, videatur supra n. 494. 748. Simile dicitur de Gogo & Magogo apud Ezechielem, „ *Ignem & sulphur pluere faciam super Gogum, & super alas ejus, & super populos multos qui cum illo*, XXXVIII: 21. *Mittam ignem in Magogum*, XXXIX: 6.

864. *Et diabolus seducens eos conjectus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia & pseudopropheta, & cruciabuntur dies & noctes in sæcula sæculorum, significat illos, qui in malis quoad vitam & in falsis quoad doctrinam erant, conjectos in Infernum, ubi ab amore falsi sui & a cupiditatibus mali sui interius infestabuntur jugiter in æternum.* Per diabolum seducentem illos, intelligitur draco, ut patet a præcedentibus, & per draconem intelliguntur in genere qui in malis quoad vitam sunt, & in falsis quoad doctrinam, n. 841; dicitur diabolus seducens illos, ut sciretur quod esset draco, quia ille seduxit, ut patet a Vers. 2. 3. 7. 8, hujus Capitis; per stagnum ignis, in quod conjectus est, significatur infernum ubi amores falsi sunt & cupiditates mali, n. 835; per bestiam & pseuprophetam significantur

ficantur qui in sola fide & vita & doctrina sunt; tam indocti quam docti; per bestiam indocti & per pseudoprophetam docti, n. 834; per cruciari dies & noctes significatur, interius infestari jugiter, & per in sæcula sæculorum in æternum; & quia dicitur quod conjecti sint in stagnum ignis & sulphuris, & per id significatur ubi amores falsi & cupiditates mali, sunt, n. 835, sunt hæc quibus interius infestabuntur; unusquisque enim in Inferno cruciatur ex suo amore & ejus concupiscentiis, hæc enim faciunt vitam cujusvis ibi, & vita cruciatur, quare sunt ibi gradus cruciatus secundum gradus amoris mali & inde falsi.

V. 11. 865. *Et vidi Thronum album & magnum, & Sedentem super eo, a cujus facie fugit Cælum & Terra, significat Judicium universale a Domino factum super omnes priores Cælos, super quibus fuerunt qui in bono civili & morali & nullo spirituali erant, ita qui in externis simulabant Christianos, sed in internis erant diaboli; qui Cæli cum terra eorum prorsus dissipati sunt, adeo ut nihil eorum amplius appareret.* [et locus non inventus est] Antequam illa in ordine secundum literam explicantur, præmittendum est aliquid de Judicio universali, de quo hic agitur: a tempore quo Dominus in Mundo fuit, quando Ipse in Persona ultimum Judicium fecit, permissum est ut illi qui in bono civili & morali erant, tametsi in nullo bono spirituali, unde in externis apparebant sicut Christiani, sed in internis erant diaboli, diutius reliquis morarentur in Mundo spirituum, qui est medius inter Cælum & infernum; & tandem concessum fuit illis, habitationes constantes ibi sibi facere, & quoque per abusum correspondentiarum & per phantasias sibi formare sicut cælos, quos etiam ad multam copiam formaverunt; sed cum ad illam copiam multiplicati sunt, ut interciperent spiritualem lucem & spiritualem calorem inter Cælos superiores & inter homines in terris, tunc Dominus fecit ultimum Judicium, & imaginarios illos Cælos dissipavit; quod factum est eo modo, quod externa per quæ simulabant Christianos, auferrentur, & quod interna, in quibus erant diaboli, aperirentur, & tunc visi sunt quales erant in se, & qui visi sunt diaboli, conjecti sunt in Infernum, quisque secundum mala suæ vitæ: hoc factum est Anno 1757: sed plura de hoc Judicio universali videatur in Opusculo de ULTIMO JUDICIO Londini 1758 edito, & in CONTINUATIONE DE ILLO, Amstelodami 1763 edita. Nunc ad Explicationem; per Thronum album & magnum, & Sedentem super illo, significatur Judicium universale a Domino factum, per Thronum significatur Cælum & quoque Judicium, n. 229; per Sedentem super Throno intelligitur Dominus, n. 808 fin: quod Thronus apparuerit albus, est quia judicium factum est ex Divinis veris, album enim prædicatur de veris, n. 167. 379; quod Thronus apparuerit magnus, est quia judicium etiam factum est ex Divino Bono, magnum enim prædicatur de bono, n. 656. 663; a cujus facie fugit Terra & Cælum, significat quod cæli illi, quos sibi fecerant, de quibus mox supra, cum terris eorum, dissipati sint: sunt enim in Mundo spirituali æque Terræ, quemadmodum in Mundo naturali, videatur n. 260. 336; sed sicut omnia ibi, etiam Terræ, sunt ex origine spirituali; & locus non inventus est illis, significat quod cæli cum terris eorum ita prorsus dissipati sint, ut nihil eorum amplius appareret. Ex his constare potest, quod per vidi Thronum album

bum & magnum, & Sedentem ſuper eo, a cujus facie fugit Terra & Cælum, & locus non inventus eſt illis, ſignificetur Judicium univerſale a Domino factum ſuper omnes novos Cælos, ſuper quibus fuerunt qui in bono civili & morali & in nullo ſpirituali erant, ita qui in externis ſimulabant Chriſtianos, ſed in internis erant diaboli; qui Cæli cum terra eorum prorſus diſſipati ſunt, adeo ut nihil eorum amplius appareret.

866. *Et vidi mortuos parvos & magnos ſtantes coram Deo, ſignificat omnes qui e terris mortui ſunt, & nunc inter illos qui in Mundo ſpirituum, ex quacunque conditione & qualitate, a Domino congregatos ad judicium.* Per mortuos ſignificantur omnes qui e terris exceſſerunt, ſeu qui quoad corpus mortui ſunt, de quibus plura infra; per parvos & magnos ſignificantur ex quacunque conditione & qualitate, ut n. 604; per ſtare coram Deo, hoc eſt, coram Sedente ſuper Throno, ſignificatur ſiſti & congregari ad judicium. Per mortuos in Verbo ſignificatur idem quod per mortes, & per mortes ſignificantur varia; per Mortem enim non modo ſignificatur exſtinctio vitæ naturalis, quæ eſt obitus, ſed etiam exſtinctio vitæ ſpiritualis quæ eſt damnatio; per Mortem etiam ſignificatur exſtinctio amorum corporis ſeu concupiſcentiarum carnis, poſt quam innovatio vitæ; pariter, per Mortem ſignificatur reſurrectio, quia homo poſt mortem ſtatim reſurgit; tum per Mortem ſignificatur neglectus, non agnitio, & rejectio a Mundo: in communiſſimo autem ſenſu per Mortem ſignificatur idem quod per Diabolum, quare etiam Diabolus vocatur Mors, & per Diabolum intelligitur Infernum ubi ſunt qui vocantur diaboli, inde etiam per Mortem intelligitur malum voluntatis, quod facit ut homo ſit diabolus; in hoc ultimo ſenſu intelligitur Mors in ſequente Verſu, ubi dicitur quod Mors & Infernus dederint ſuos mortuos, & quod conjecti ſint in ſtagnum ignis: ex his conſtare poteſt, quinam per Mortuos in vario ſenſu ſignificantur; hic ſignificantur omnes illi qui e Mundo exceſſerunt, ſeu e terris mortui erant, & tunc in Mundo ſpirituum. Dicitur in Mundo ſpirituum, quia in illum omnes poſt obitum primum veniunt, & ibi præparantur boni ad Cælum & mali ad Infernum, & morantur ibi quidam modo per menſem, aut per annum, & quidam per decem annos uſque ad triginta; & illi, quibus conceſſum fuit ſibi ſicut cælos facere, ad aliquot ſæcula, hodie vero non ultra viginti annos: eſt ingens ibi multitudo, & ibi ſunt Societates ſicut in Cælis & in Infernis, de hoc Mundo videatur ſupra n. 784. 791. Super his qui in illo Mundo erant, factum eſt Ultimum Judicium, & non factum eſt ſuper illis qui in Cælo erant, nec ſuper illis qui in Inferno, qui enim in Cælo erant, prius ſalvati ſunt, & qui in Inferno, prius damnati ſunt. Ex his videri poteſt, quantum hallucinantur, qui credunt quod Ultimum Judicium exſtiturum ſit in Terris, & quod tunc homines quoad ſua corpora reſurrecturi ſint; ſunt enim omnes, qui a prima Creatione Mundi vixerunt, in Mundo ſpirituali ſimul, & omnes induti corpore ſpirituali, qui coram oculis illorum, qui ſpirituales ſunt, apparent in ſimili forma homines, ſicut qui in Mundo naturali ſunt coram oculis eorum qui naturales ſunt.

867. *Et libri aperti ſunt, & Liber alius apertus eſt qui eſt vitæ, ſignificat quod interiora mentis omnium illorum recluſa ſint, & per influxum lucis & caloris e Cælo viſi*

&

& percepti quales essent quoad affectiones quæ amoris seu voluntatis, & inde quoad cogitationes quæ fidei seu intellectus, tam mali quam boni. Per libros non intelliguntur libri, sed interiora mentis illorum qui judicantur, per libros interiora mentis illorum qui mali sunt, & judicantur ad mortem, & per librum vitæ qui boni sunt & judicantur ad vitam: dicuntur libri, quia interioribus mentis cujusvis inscripta sunt omnia quæ quisque ex voluntate seu amore, & inde ex intellectu seu fide, in Mundo cogitavit, intendit, loquutus est & fecit; hæc omnia sunt vitæ cujusvis inscripta, ita ad amussim ut prorsus nihil desit: hæc ad vivum apparent, qualia sunt, quando Lux spiritualis, quæ est sapientia a Domino, & Calor spiritualis qui est amor a Domino, per cælum influunt, lux spiritualis detegit cogitationes quæ sunt intellectus & fidei, & calor spiritualis detegit affectiones quæ sunt voluntatis & amoris; ac lux spiritualis & simul calor spiritualis detegunt intentiones & conatus: quod ita sit, non dico quod rationalis homo possit ex luce intellectus sui videre, nam potest si vult, modo velit intelligere, quod detur lux spiritualis quæ illuminat intellectum, & calor spiritualis qui accendit voluntatem.

868. *Et judicati sunt mortui ex scriptis in libris secundum opera illorum, significat quod omnes judicati sint secundum vitam suam internam in externis.* Per mortuos significantur omnes qui e terris mortui sunt, & tunc in Mundo spirituum, ut supra n. 866; ex scriptis in libris, significat ex interioribus mentis cujusvis tunc reclusis, ut mox supra n. 867; secundum opera illorum significat secundum vitam cujusvis internam in externis, quod id per opera in Verbo significetur, videatur supra n. 73. 76. 94. 141. 641; quibus adjiciam hæc, quod dentur opera mentis & opera corporis, utraque interna & simul externa; opera mentis sunt intentiones & conatus, & opera corporis sunt loquelæ & actus, hæc & illa procedunt ex hominis vita interna, quæ est voluntatis seu amoris ejus; quicquid non desinit in opera, sive interna quæ mentis, sive externa quæ corporis, non sunt in vita hominis, influunt enim e Mundo spirituum, sed non recipiuntur, quare sunt sicut imagines quæ stringunt oculos, & sicut odores qui feriunt nares, a quibus homo avertit faciem: sed plura de his videantur in locis supra citatis, ubi etiam aliqua loca ex Verbo adducta sunt confirmantia, quod homo secundum opera judicetur; præter illa sint etiam hæc ex Paulo ,, *In die iræ & revelationis justi judicii Dei, Qui reddet unicuique secundum Opera ejus*, Rom. II: 5. 6. *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut reportet quilibet ea quæ per corpus, prout ea fecit, sive bonum sive malum*, II Corinth. V: 10.

869. *Et dedit mare eos qui in illo mortuos, significat homines Ecclesiæ externos & naturales convocatos ad judicium.* Per Mare significatur Externum Ecclesiæ, quod est naturale, inde per illos quos mare dedit, significantur homines Ecclesiæ Externi & Naturales; quod Mare significet Externum Ecclesiæ, quod est naturale, videatur supra n. 238. 239 fin. 403. 404. 420. 470. 566. 659. 661; per mortuos intelliguntur qui e terris mortui erant, ut supra n. 866. 868. Quod per mortuos, quos dedit mare, intelligantur homines Ecclesiæ Externi, est quia non alii judicati sunt, quam qui in aliquo cultu fuerunt, omnes enim illi qui spreverunt Sancta Ecclesiæ, & negaverunt Deum, Verbum & Vitam

post mortem, judicati sunt statim post mortem, & conjuncti illis qui in inferno erant, quo dein dejecti sunt; at illi qui externi & naturales homines fuerunt, & ore tulerunt, quod Deus sit, quod cælum & infernum sint, & quodammodo agnoverunt Verbum, illi sunt qui convocati erant ad judicium. Ex his qui ex mari erant, plures salvati sunt, nam non legitur quod omnes illi conjecti sint in stagnum ignis, sicut Mors & Infernus, sed quod si quis ex illis non inventus est in Libro vitæ scriptus, conjectus sit, Vers. 16: illi qui ex his salvati sunt, etiam intelliguntur per reliquos mortuorum qui non revixerunt donec consummarentur mille anni, Vers. 5. Ex his nunc constare potest, quod per dedit mare eos qui in illo mortuos, significentur homines Ecclesiæ externi & naturales convocati ad judicium.

870. *Et mors & infernus dederunt eos qui in illis mortuos, significat homines Ecclesiæ impios corde, qui in se diaboli & satanæ erant, convocatos ad judicium.* Per mortem & infernum non alii intelliguntur, quam qui interius in se diaboli & satanæ erant, per mortem qui interius in se diaboli, & per infernum qui interius in se satanæ, proinde omnes impii corde, & tamen in externis sicut homines Ecclesiæ apparebant; non enim alii ad Judicium hoc universale convocati sunt; nam qui in externis sunt sicut homines Ecclesiæ, sive sint ex laicis sive ex clericis, ac in internis diaboli & satanæ, judicantur, quia apud illos separanda sunt externa ab internis, & quoque judicari possunt, quia sciverunt & professi sunt illa quæ Ecclesiæ sunt. Quod per Mortem intelligantur impii corde qui in se diaboli erant, & per Infernum qui in se satanæ, patet ex eo quod dicatur quod Mors & Infernus conjecti sint in stagnum ignis Vers. seq. 14, & non potest Mors, nec Infernus conjici in infernum, sed illi possunt, qui quoad interiora sua sunt mors & infernus, hoc est, in se diaboli & satanæ. Quinam per diabolum & satanam intelliguntur, videatur supra n. 97. 851. 857; & quod illi sint mors qui in se diaboli sunt, mox supra n. 866. Etiam alibi dicitur Mors & Infernus, ut, *Dixit Filius hominis, habeo claves Mortis & Inferni*, Apoc. I: 18. *Sedens super equo pallido nomen illi Mors, & Infernus sequebatur illum*, Apoc. VI: 8; pariter Hosch. XIII: 14. Psalm. XVIII: 5. 6. Ps. XLIX: 15. 16. Ps. CXVI: 3.

871. *Et judicati sunt quisque secundum opera illorum, quod significet quod omnes judicati sint secundum vitam suam internam in externis*, patet ab explicatis supra n. 868, ubi similia verba; quibus hæc adjiciam, quod quisque judicetur secundum quale suæ animæ, & anima hominis est vita ejus, est enim amor voluntatis ejus, & amor voluntatis cujusvis est prorsus secundum receptionem Divini Veri procedentis a Domino, & hanc receptionem docet doctrina Ecclesiæ quæ ex Verbo est.

872. *Et mors & infernus conjecti sunt in stagnum ignis, significat quod impii corde qui in se diaboli & satanæ erant, & tamen in externis sicut homines Ecclesiæ, dejecti sint in infernum inter illos qui in amore mali & inde in amore falsi concordantis cum malo erant.* Per mortem & infernum significantur impii corde, qui interius in se diaboli & satanæ erant, & tamen in externis sicut homines Ecclesiæ, ut supra n. 870; per stagnum ignis significatur infernum, ubi sunt illi qui in amore

amore mali & inde in amore falſi concordantis cum malo, ita qui amant malum, & confirmant illud per ratiocinia ex naturali homine, & plus qui confirmant illud per ſenſum literæ Verbi; hi non poſſunt aliter quam interius in ſe negare Deum, nam hoc in malo vitæ per falſa confirmato latet reconditum; ſtagnum ſignificat ubi falſum in copia, & ignis ſignificat amorem mali, ut ſupra n. 841. 864. Quod dicatur quod mors & infernus conjecti ſint in ſtagnum ignis, eſt ſecundum loquelam Angelicam, in qua non nominatur perſona, ſed id quod eſt in perſona & facit illam, hic in perſona quod facit mortem & infernum ejus; quod ita ſit, videri poteſt ex eo quod infernus non poſſit conjici in infernum.

873. *Hæc eſt altera mors, ſignificat quod his ſit ipſa damnatio.* Quod per alteram mortem ſignificetur mors ſpiritualis, quæ eſt damnatio, videatur ſupra n. 853: hoc dicitur, quia illi qui impii corde ſunt, & in ſe diaboli & ſatanæ, & tamen ſicut homines Eccleſiæ, præ reliquis damnati ſunt.

874. *Et ſi quis non inventus eſt in Libro vitæ ſcriptus, conjectus eſt in ſtagnum ignis, ſignificat quod qui non vixerunt ſecundum præcepta Domini in Verbo, & non crediderunt in Dominum, condemnati ſint.* Quod per Librum vitæ ſignificetur Verbum, & per judicari ex illo libro ſignificetur ſecundum vera Verbi, videatur ſupra n. 256. 259. 295. 302. 309. 317. 324. 330; & non alius invenitur ſcriptus in libro vitæ, quam qui vixit ſecundum præcepta Domini in Verbo, & credidit in Dominum, ideo hoc intelligitur: quod qui non vivit ſecundum præcepta Domini in Verbo, condemnetur, docet Dominus apud Johannem „ *Si quis mea audiverit verba, non tamen crediderit, Ego non judico illum, habet quod judicet eum, Verbum, quod loquutus ſum, illud judicabit eum extremo die* „ XII: 47. 48. Et quod qui non credit in Dominum, condemnetur, etiam apud Johannem „ *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui vero non credit Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eo* „ III: 36.



875. His adjiciam hæc MEMORABILIA: Quodam mane experrectus a ſomno vidi duos Angelos deſcendentes e Cælo, unum e Meridie Cæli, & alterum ex Oriente Cæli, utrumque in Curribus quibus alligati erant Equi albi; Currus, in quo vectus eſt Angelus e Meridie Cæli, ſplendebat ſicut ex argento, & Currus, in quo vectus eſt Angelus ex Oriente Cæli, ſplendebat ſicut ex auro; & habenæ, quas tenebant manibus, fulgebant ſicut ex luce flammea auroræ; ita mihi viſi ſunt bini illi Angeli e longinquo, ſed cum propius veniebant, non apparebant in curru, ſed in ſua forma angelica, quæ eſt humana; ille qui ab Oriente Cæli venit, in Veſte ſplendente purpurea, & ille qui a Meridie Cæli, in Veſte ſplendida hyacinthina; hi cum ſub Cælis in inferioribus erant, accurrebat unus ad alterum, ſicut æmularentur quis prior, & ſe mutuo amplexi & oſculati ſunt; audivi, quod bini illi Angeli, dum in Mundo vixerunt, fuerint amicitia interiore conjuncti, ſed nunc unus in Cælo orientali, alter in Cælo meridionali; in Cælo Orientali ſunt qui a Domino in

Amore

Amore ſunt, in Cælo autem Meridionali qui a Domino in Sapientia ſunt. Illi poſtquam aliquandiu loquuti ſunt de magnificis in Cælis ſuis, venit in ſermonem illorum hoc, num Cælum in ſua eſſentia ſit Amor, vel num Sapientia; conveniebant illico, quod unum ſit alterius, ſed cujus ab origine, ventilabant: ille Angelus, qui e Cælo Sapientiæ erat, quæſivit alterum quid Amor, & reſpondit quod Amor oriundus a Domino ut Sole, ſit Calor vitæ angelorum & hominum, ita vita eorum, & quod derivationes amoris dicantur affectiones, & quod per has producantur perceptiones & ſic cogitationes, ex quo fluit, quod Sapientia ex origine ſua ſit Amor; conſequenter quod Cogitatio in origine ſua ſit Affectio illius Amoris; & quod videri poſſit ex derivationibus in ſuo ordine luſtratis, quod Cogitatio non aliud ſit quam Forma affectionis, & quod hoc neſciatur, quia cogitationes in luce ſunt, ſed affectiones in calore, & quod ideo ſuper cogitationes reflectatur, non autem ſuper affectiones; ſimiliter ut ſit cum Sono & cum Loquela: quod Cogitatio non ſit aliud quam forma affectionis, etiam illuſtrari poteſt per Loquelam, quod hæc non aliud ſit quam forma Soni; ſimile etiam eſt, quia Sonus correſpondet affectioni, & Loquela cogitationi, quare Affectio ſonat, & Cogitatio loquitur; hoc etiam poteſt perſpicuum fieri, cum dicitur, aufer ſonum a loquela num detur aliquid loquelæ, ſimiliter aufer affectionem a cogitatione, num detur aliquid cogitationis: inde nunc patet, quod Amor ſit omne Sapientiæ, conſequenter quod Eſſentia Cælorum ſit Amor, & quod Exiſtentia illorum ſit Sapientia, ſeu idem, quod Cæli ſint ex Divino Amore, & quod exiſtant ex Divino Amore per Divinam Sapientiam, quare, ut prius dictum eſt, unum eſt alterius. Tunc apud me erat Novitius ſpiritus, qui audiens hæc interrogabat, num ſimile eſt cum Charitate & Fide, quia charitas eſt affectionis & fides cogitationis; & reſpondit Angelus, eſt prorſus ſimile, fides non eſt aliud quam forma charitatis, plane ſicut ſonus eſt forma loquelæ; formatur etiam fides a charitate, ſicut formatur loquela a ſono; formationis modum etiam novimus in cælo, ſed non vacat illam hic exponere: adjecit, per fidem intelligo fidem ſpiritualem, in qua ſpiritus & vita unice eſt ex charitate, nam hæc ſpiritualis eſt, & per illam fides; quare fides abſque charitate eſt fides mere naturalis, & hæc fides eſt fides mortua, conjungit etiam ſe cum affectione mere naturali, quæ non aliud eſt quam concupiſcentia. Angeli de his loquebantur ſpiritualiter, ac ſpiritualis loquela complectitur millia, quæ loquela naturalis non poteſt exprimere, & quod mirum, quæ ne quidem poſſunt in ideas cogitationis naturalis cadere. Retinete hæc, quæſo, & quando e luce naturali in lucem ſpiritualem venitis, quod ſit poſt mortem, inquirite tunc quid Fides & quid Charitas, & videbitis clare quod Fides ſit Charitas in forma, & inde quod Charitas ſit omne Fidei, conſequenter quod ſit anima, vita & eſſentia fidei, prorſus ſicut affectio eſt cogitationis, & ſicut ſonus eſt loquelæ; & ſi deſideraveritis, viſuri eſtis formationem fidei a charitate ſimilem formationi loquelæ ex ſono, quia correſpondent. Poſtquam Angeli hæc & illa loquuti ſunt, abiverunt, & cum receſſerunt, quiſque ad ſuum Cælum, apparebant ſtellæ circum capita illorum; & cum ad diſtantiam a me elongati ſunt, viſi ſunt iterum in Curribus, ut prius.

[Handwritten marginal note:] loquela / soni / See marginal correction in Swedenborg's own copy of T.C.R. n. 386, videatur Index, s.v. Charitas.

Poſt-

Postquam bini illi Angeli extra meum conspectum fuerunt, vidi quendam Hortum a latere dextro, ubi erant oleæ, vites, ficus, laurus, & palmæ, in ordine secundum correspondentiam positæ; illuc prospexi, & inter arbores vidi Angelos & Spiritus vadentes & colloquentes; & tunc ad me respexit unus Spiritus angelicus; Spiritus Angelici vocantur, qui in Mundo Spirituum præparantur ad Cælum, & postea fiunt Angeli; ille Spiritus ab Horto illo ad me venit, & dixit, vis mecum ire in nostrum Paradisum, & auditurus ac visurus es mirabilia; & abivi cum illo, & tunc dixit mihi; hi quos vides, erant enim plures, sunt omnes in affectione veri, & inde in luce sapientiæ; est quoque hic Ædificium, quod vocamus Templum Sapientiæ; sed illud non aliquis videt, qui credit se multum sapere, minus qui credit se satis sapere, & adhuc minus qui credit se sapere ex se, causa est, quia illi non in receptione lucis Cæli ex affectione genuinæ sapientiæ sunt; genuina sapientia est, quod homo e luce cæli videat, quod quæ scit, intelligit, & sapit, tam parum sint respective ad id quod non scit, intelligit & sapit, sicut est gutta ad oceanum, consequenter vix aliquid; omnis qui in hoc Horto paradisiaco est, & ex perceptione & visu in se agnoscit, quod tam parum sapiat respective, is videt Templum illud sapientiæ, nam lux interior dat illud videre, non autem lux exterior absque illa: & quia ego hoc sæpius cogitavi, & ex scientia, & dein ex perceptione, & demum ex visu e luce interiore, agnovi quod homo tam parum sapiat, ecce datum est mihi videre illud Templum: erat quoad formam mirabile, erat elevatum supra humum, quadrangulare, parietes ex chrystallo, tectum ex jaspide pellucido eleganter arcuatum, substructio ex vario Lapide pretioso; erant gradus, per quos in illud ascendebatur, ex alabastro polito; ad latera graduum apparebant sicut Leones cum catulis; & tunc quæsivi, num liceat intrare, & dictum est, quod liceat; quare ascendi, & cum intravi, vidi sicut Cherubos volantes sub tecto, sed mox evanescentes; solum, super quo ambulatur, ex cedris, & totum Templum ex pellucentia Tecti & Parietum ad formam lucis. Intrabat mecum Spiritus angelicus, cui retuli quid audivi ex binis Angelis de Amore & Sapientia, ut & de Charitate & Fide; & tunc dixit, annon etiam loquuti sunt de Tertio; quid tertium dixi, respondit, est Usus; amor & sapientia absque Usu non sunt aliquid, sunt modo entia idealia, nec fiunt realia priusquam sunt in usu; sunt enim amor, sapientia & usus, tria, quæ non separari possunt, si separantur, neutrum est aliquid, non est amor aliquid absque sapientia, sed in sapientia formatur ad aliquid, hoc aliquid ad quod formatur est usus, quare cum amor per sapientiam in usu est, tunc est aliquid, imo tunc primum existit; sunt prorsus sicut finis, causa & effectus, finis non est aliquid, nisi per causam sit in effectu, si solvitur unum ex illis tribus, solvitur omne, & fit sicut nihil. Simile est cum Charitate, Fide, & Operibus; Charitas absque Fide non est aliquid, nec Fides absque Charitate, nec Charitas & Fides absque Operibus, at in Operibus fiunt aliquid, & tale aliquid quale est Operum Usus. Simile est cum Affectione, Cogitatione & Operatione; & simile est cum Voluntate, Intellectu & Actione: quod ita sit, videri potest

teſt clare in hoc Templo, quia Lux, in qua hic ſumus, eſt Lux illuſtrans mentis interiora. Quod non detur completum & perfectum, niſi ſit Trinum, etiam docet Geometria, non enim eſt Linea aliquid, niſi fiat Area, nec eſt Area aliquid niſi fiat Corpus, quare ducetur unum in alterum, ut exiſtant, & coexiſtunt in Tertio. Sicut eſt in hoc, etiam eſt in omnibus & ſingulis creatis, quæ finita ſunt in ſuo Tertio. Inde nunc eſt, quod TRIA in Verbo ſpiritualiter intellecta ſignificent completum & prorſus. Quoniam ita eſt, non potui non mirari, quod quidam profiteantur ſolam Fidem, quidam ſolam Charitatem, quidam ſola Opera, cum tamen unum abſque altero, ac unum & ſimul alterum abſque tertio, non eſt aliquid. Sed tunc quæſivi, poteſtne homo charitatem & fidem habere, & uſque non opera, poteſtne homo eſſe in affectione & cogitatione de aliqua re, & tamen non in operatione ejus; dixit mihi Spiritus Angelicus, non poteſt niſi modo idealiter at non realiter, erit uſque in conatu aut voluntate ad operandum, ac voluntas ſeu conatus eſt actus in ſe, quia eſt continuus niſus ad agendum, qui fit actus exterior accedente determinatione; quare conatus & voluntas, ſicut actus interior, acceptatur ab omni ſapiente, quia a Deo, prorſus ſicut actus exterior, modo non deficiat quando datur copia.

Poſthæc deſcendi per gradus e Templo Sapientiæ, & ambulavi in Horto, & vidi aliquos ſedentes ſub quadam Lauru comedentes ficus, ad illos ſeceſſi, & petivi ab illis ficus; ac dederunt; & ecce Ficus in manu mea factæ ſunt Uvæ; quod cum miratus ſum, dixit mihi Spiritus angelicus, qui adhuc mecum erat, ficus in manu tua factæ ſunt uvæ, quia ficus ex correſpondentia ſignificant bona charitatis & inde fidei in naturali ſeu externo homine, at uvæ bona charitatis & fidei in ſpirituali ſeu interno homine; & quia amas ſpiritualia, ideo ita factum eſt tibi; in noſtro enim Mundo omnia fiunt & exiſtunt, & quoque mutantur, ſecundum correſpondentias: & tunc me ſupervenit deſiderium ſciendi, quomodo homo poteſt facere bonum a Deo, & tamen ſicut a ſe; quare interrogavi comedentes ficus, quomodo illi id comprehendunt; dixerunt, quod non poſſint id aliter comprehendere, quam quod Deus operetur id intus in homine, ac per hominem quando ille id neſcit; quoniam ſi homo id conſciret & ſic faceret ſicut a ſe, quod etiam eſt facere a ſe, non faceret bonum ſed malum; omne enim quod ab homine, ut ab ipſo, procedit, procedit a proprio ejus, ac proprium hominis a nativitate malum eſt; quomodo tunc poteſt bonum a Deo & malum ab homine conjungi, & ſic conjunctim procedere in actum; & proprium hominis in rebus ſalutis continue ſpirat meritum, & quantum hoc facit, tantum derogat Domino Ipſius meritum, quod eſt ſumma injuſtitia & impietas: verbo, ſi bonum, quod Deus per Spiritum Sanctum in homine operatur, in hominis velle & inde facere influeret, id bonum omnino conſpurcaretur & quoque prophanaretur, quod tamen Deus nuſquam permittit: poteſt quidem homo bonum quod facit, cogitare quod ſit a Deo, & id vocare bonum Dei per ſe, ac ſicut a ſe, ſed uſque hoc non comprehendimus. Sed tunc aperui mentem, & dixi, non comprehenditis, quia cogitatis ex appa-
ren-

rentia, & cogitatio ex apparentia confirmata eſt fallacia; apparentia & inde fallacia vobis eſt, quia creditis quod omnia quæ homo vult & cogitat, & inde facit & loquitur, ſint in illo, & conſequenter ex ipſo, cum tamen nihil eorum eſt in illo præter ſtatum recipiendi quod influit; homo non eſt vita in ſe, ſed eſt organum recipiens vitæ; Dominus Solus eſt Vita in ſe, ut quoque Ipſe dicit apud Johannem „ *Quemadmodum Pater habet* VITAM IN SEIPSO, *ita dedit etiam Filio* VITAM HABERE IN SEIPSO; V: 26; præter alibi, ut Joh. XI: 25: Cap. XIV: 6. 19. Sunt duo quæ faciunt Vitam, Amor & Sapientia, ſeu quod idem, Bonum amoris & Verum ſapientiæ; hæc influunt a Deo, & recipiuntur ab homine, & ſentiuntur in homine ſicut in illo, & quia ſentiuntur ab illo ſicut in illo, procedunt etiam ſicut ab illo: quod ita ſentiantur ab homine, datum eſt a Domino, ut id quod influit, afficiat illum, & ſic recipiatur & remaneat. Sed quia omne malum etiam influit, non a Deo ſed ab Inferno, & hoc recipitur cum jucunditate, quia homo tale Organum eſt natus, quare non plus boni recipitur a Deo, quam quantum mali removetur ab homine ſicut ab illo, quod fit per Pænitentiam & ſimul per Fidem in Dominum. Quod Amor & Sapientia, Charitas & Fides, ſeu communius loquendo, Bonum amoris & charitatis ac Verum ſapientiæ & fidei, influant, & quod quæ influunt appareant in homine ſicut in illo, & inde ſicut ab illo, manifeſte videri poteſt ex Viſu, Auditu, Odoratu, Guſtu & Tactu, omnia quæ in illorum Senſuum Organis ſentiuntur, influunt ab extra, & ſentiuntur in illis; ſimiliter in Senſuum internorum Organis, cum ſola differentia, quod in hæc influant Spiritualia quæ non apparent, in illa autem Naturalia quæ apparent. Verbo, Homo eſt Organum recipiens vitæ a Deo, conſequenter eſt recipiens boni, quantum deſiſtit a malo; poſſe deſiſtere a malo, dat Dominus cuivis homini, quia dat velle & intelligere ſicut a ſe, & quicquid homo ex voluntate ut ſua ſecundum intellectum ut ſuum, ſeu quod idem, quicquid ex libero quod voluntatis ſecundum rationem quæ intellectus, agit, hoc permanet; per id Dominus inducit homini ſtatum conjunctionis Secum, & in hoc illum reformat, regenerat, & ſalvat. Vita, quæ influit, eſt vita procedens a Domino, quæ etiam vocatur Spiritus Dei, in Verbo Spiritus Sanctus, de quo etiam dicitur quod illuſtret & vivificet, imo quod operetur in homine; ſed vita hæc variatur & modificatur ſecundum organizationem inductam homini per ejus amorem & aſpectum. Poteſtis etiam ſcire, quod omne Bonum amoris & charitatis, & omne Verum ſapientiæ & fidei influant, & non ſint in homine, ex eo, quod, qui cogitat quod tale homini inſit a creatione, non poſſit aliter cogitare, quam quod Deus infuderit ſe homini, & ſic quod homines quoad partem forent Dii, & tamen qui hoc ex fide cogitant, fiunt diaboli & putent ſicut cadavera. Præterea quid Actio hominis niſi Mens agens, quod enim Mens vult & cogitat, hoc agit per Corpus ſuum organum, quare cum Mens ducitur a Domino, ducitur etiam Actio, ac Mens & inde Actio ducitur a Domino, cum creditur in Ipſum. Niſi ita foret, dicite ſi poteſtis, cur Dominus in Verbo mille & mille in locis mandavit, ut homo amaturus ſit proximum, operaturus ſit bona charitatis, ac fructus ſicut arbor, ac facturus ſit præcepta, & hoc & illud

illud, ut salvetur, tum cur dixit, quod homo secundum facta seu opera judicaretur, qui bona fecit ad Cælum & Vitam, & qui mala fecit ad Infernum & Mortem; quomodo potuerat Dominus talia loqui, si omne quod procedit ab homine foret meritorium & inde malum. Sciatis itaque, quod si Mens est Charitas, etiam Actio sit Charitas, si autem Mens est Sola fides, quæ etiam est Fides separata a Charitate spirituali, etiam Actio sit illa Fides, & hæc fides est meritoria, quia ejus charitas est naturalis & non spiritualis; aliter fides charitatis, quia charitas non vult mereri, & inde nec ejus fides. His auditis dixerunt sedentes sub Lauru, comprehendimus quod juste loquutus sis, sed usque non comprehendimus; quibus respondi, comprehenditis quod juste loquutus sim ex communi perceptione, quæ est homini ex influxu lucis e Cælo cum aliquod verum audit, at non comprehenditis ex propria perceptione, quæ est homini ex influxu lucis e Mundo; binæ illæ perceptiones, nempe interna & externa, seu spiritualis & naturalis, unam faciunt apud sapientes; vos quoque potestis illas unam facere, si spectatis ad Dominum & removetis mala: hæc quia etiam intellexerunt, desumsi termites ex Lauru, sub qua sedimus, & porrexi, & dixi, num creditis quod hoc a me sit, vel a Domino, & dixerunt quod credant per me sicut a me, & ecce termites illi in manibus illorum efflorescebant. At cum recessi, vidi Mensam cedrinam, super qua erat Liber, sub olea virente, cujus truncum circumligabat vitis, aspexi, & ecce erat Liber per me scriptus, vocatus SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA; & quoque de DIVINA PROVIDENTIA; & dixi, quod in illo Libro plene ostensum sit, quod Homo sit Organum recipiens vitæ, & non vita.

Posthæc ex Horto illo exhilaratus abivi domum, & mecum Spiritus angelicus, qui mihi in via dixit, vis videre clare quid Fides & Charitas, ita quid Fides separata a Charitate, & Fides conjuncta Charitati, & monstrabo ad oculum; respondi, monstra; & dixit, cogita pro Fide & Charitate Lucem & Calorem, & clare videbis; Fides enim in sua essentia est Veritas quæ sapientiæ, ac Charitas in sua essentia est Affectio quæ amoris, ac Veritas sapientiæ in Cælo est Lux, & Affectio amoris in Cælo est Calor; Lux & Calor, in quibus sunt Angeli, non aliud sunt; exinde videre potes clare, quid Fides separata a charitate, & quid Fides conjuncta charitati: Fides separata a charitate est sicut Lux hyemalis, ac Fides conjuncta charitati est sicut Lux vernalis; Lux hyemalis, quæ est Lux separata a calore, ~~quæ~~ quia est conjuncta frigori, prorsus denudat arbores etiam a foliis, indurat terram, & enecat gramen, & quoque congelat aquas; Lux autem vernalis, quæ est Lux conjuncta calori, vegetat arbores primum in folia, tum in flores, & denique in fructus, aperit & emollit terram, ut producat gramina, herbas, flores & frutices, & quoque solvit glaciem ut fluant e fontibus aquæ: prorsus simile est cum Fide & Charitate, Fides separata a charitate mortificat omnia, & Fides conjuncta charitati vivificat omnia; vivificatio hæc & mortificatio illa ad vivum possunt videri in Mundo nostro spirituali, quia hic est Fides Lux, & Charitas Calor; ubi enim fides conjuncta charitati est, ibi sunt horti paradisiaci, floreta, & vireta in sua amænitate

nitate secundum conjunctionem; at ubi fides separata a charitate est, ibi ne quidem gramen est, & ubi viride, est id ex vepribus, sentibus & urticis; hoc efficiunt Calor & Lux procedentes a Domino ut Sole, in Angelis & Spiritibus, & inde extra illos. Erant tunc non procul a nobis aliqui ex Clero, quos Spiritus angelicus vocabat Justificatores & Sanctificatores hominum per solam fidem, & quoque Arcanistas; eadem hæc diximus illis, & demonstravimus usque ut viderent quod ita sit; & cum quæsivimus, annon ita, averterunt se & dixerunt, non audivimus: at clamavimus ad illos, dicentes, audite itaque adhuc, tunc ponebant ambas manus ante aures suas, ac vociferati, non volumus audire.



1. ET vidi Cælum novum & Terram novam, quia prius Cælum & prior Terra tranſiit; & Mare non erat amplius.

2. Et Ego Johannes vidi Urbem ſanctam Hieroſolymam novam, deſcendentem a Deo e Cælo, paratam ſicut Sponſam ornatam Marito ſuo.

3. Et audivi vocem magnam e Cælo dicentem, ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum illis, & illi populi Ipſius erunt, & Ipſe erit cum illis Deus illorum.

4. Et abſterget Deus omnem lachrymam ex oculis eorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque labor (ærumna), non erit amplius; quia priora tranſiverunt.

5. Et dixit Sedens ſuper Throno, ecce nova omnia facio; & dixit mihi, ſcribe, quia hæc verba vera & fida ſunt.

6. Et dixit mihi, factum eſt; Ego ſum Alpha & Omega, Principium & Finis; Ego ſitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis.

7. Vincens hæreditario poſſidebit omnia, & ero illi Deus, & ille erit Mihi filius.

8. Timidis autem, & infidis, & abominabilibus, & homicidis, & ſcortatoribus, & incantatoribus, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum in ſtagno ardente igne & ſulphure; quæ eſt altera mors.

9. Et venit ad me unus ſeptem Angelorum habentium ſeptem phialas plenas ſeptem plagis ultimis, & loquutus eſt mecum, dicens, veni oſtendam tibi Sponſam Agni uxorem.

10. Et abſtulit me in ſpiritu ſuper montem magnum & altum, & oſtendit mihi Urbem magnam ſanctam Hieroſolymam, deſcendentem e Cælo a Deo:

11. Habentem gloriam Dei; & lumen ejus ſimile lapidi pretioſiſſimo tanquam lapidi Jaſpidi inſtar Chryſtalli ſplendenti:

12. Habentem murum magnum & altum, habentem portas duodecim, & ſuper portis Angelos duodecim, & nomina ſuperſcripta, quæ ſunt duodecim Tribuum filiorum Iſraelis:

13. Ab Oriente portæ tres, a Septentrione portæ tres, a Meridie portæ tres, ab Occaſibus portæ tres.

14. Et murus Urbis habens fundamenta duodecim, & in illis nomina duodecim Apoſtolorum Agni.

15. Et loquens cum me habebat calamum aureum, ut metiretur urbem, & portas ejus, & murum ejus.

16.

16. Et Urbs quadrangularis sita est, & longitudo ejus tanta est quanta & latitudo; & mensus est urbem calamo ad stadia duodecies mille; longitudo & latitudo & altitudo ejus æqualia erant.

17. Et mensus est murum ejus centum quadraginta quatvor cubitorum, mensura Hominis quæ est Angeli.

18. Et erat structura muri ejus jaspis, at urbs aurum purum simile vitro puro. et

19. Et fundamenta muri urbis omni lapide pretioso exornata: fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus,

20. Quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus, octavum beryllus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus.

21. Et duodecim portæ duodecim margaritæ; unaquævis portarum erat ex una margarita, & platea urbis aurum purum tanquam vitrum pellucidum.

22. Et Templum non vidi in ea, quia Dominus Deus Omnipotens Templum ejus est & Agnus.

23. Et Urbs non opus habet sole, neque luna, ut luceant in ea, quia gloria Dei illustravit eam, & lucerna ejus Agnus.

24. Et gentes, quæ salvantur, in luce ejus ambulabunt, & reges terræ afferent gloriam & honorem suum in illam.

25. Et portæ ejus non claudentur interdiu, nox enim non erit ibi; & afferent gloriam & honorem gentium in illam.

26. Et non intrabit in illam ullum immundum, & faciens abominationem & mendacium, nisi qui scripti in Libro vitæ Agni.

SENSUS SPIRITUALIS.

CONTENTUM TOTIUS CAPITIS. Agitur in hoc Capite de statu Cæli & Ecclesiæ post ultimum Judicium; quod post hoc, per Novum Cælum Nova Ecclesia in terris, quæ Solum Dominum colet, exstitura sit, Vers. 1 ad 8, Conjunctio ejus cum Domino, n. 9. 10. Descriptio ejus quoad intelligentiam ex Verbo, Vers. 11: quoad Doctrinam inde, Vers. 12 ad 21: & quoad omne quale ejus, Vers. 22 ad 26. Vers.

CON-

CONTENTA SINGULORUM VERSUUM. Et vidi Cælum Novum & Terram Novam, *ſignificat* quod a Domino Novum Cælum ex Chriſtianis formatum ſit, quod hodie vocatur Cælum Chriſtianum, ubi ſunt qui Dominum coluerant, & ſecundum præcepta Ipſius in Verbo vixerant, quibus inde eſt Charitas & Fides; in quo etiam ſunt omnes Infantes Chriſtianorum: quia prius Cælum & prior Terra tranſiit, *ſign:* Cælos non a Domino, ſed ab ipſis qui ex Chriſtiano Orbe in ſpiritualem mundum venerunt, factos, qui omnes die Ultimi Judicii diſſipati ſunt: & mare non erat amplius, *ſign:* Externum Cæli a prima Eccleſiæ inſtauratione collecti ex Chriſtianis, poſtquam inde exempti ſunt & ſalvati, qui in Libro vitæ Domini ſcripti ſunt, ſimiliter diſſipatum eſſe: & ego Johannes vidi Urbem Sanctam Hieroſolymam Novam deſcendentem a Deo e Cælo, *ſign:* Novam Eccleſiam in fine prioris a Domino inſtaurandam, quæ conſociata Novo Cælo in Divinis veris quoad doctrinam & quoad vitam erit: paratam ſicut Sponſam Marito ſuo, *ſign:* Eccleſiam illam per Verbum conjunctam Domino: & audivi vocem magnam e Cælo dicentem, ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, *ſign:* Dominum ex amore loquentem & evangelizantem, quod Ipſe nunc in Divino Humano ſuo apud homines præſens futurus ſit: & habitabit cum illis, & illi populi Ipſius erunt, & Ipſe erit cum illis Deus eorum, *ſign:* conjunctionem Domini, quæ talis eſt, ut illi ſint in Ipſo & Ipſe in illis: & abſterget Deus omnem lachrymam ex oculis illorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque labor, non erit amplius, quia priora tranſiverunt, *ſign:* quod Dominus auferet illis omnem dolorem animi, timorem pro damnatione, pro malis & falſis ex inferno, proque tentationibus ex illis, & non recordabuntur illorum, quia draco, qui intulerat, ejectus eſt: & dixit Sedens ſuper Throno, ecce nova omnia facio, & dixit mihi, ſcribe, quia hæc verba vera & fida ſunt, *ſign:* Dominum confirmantem omnes de Novo Cælo & de Nova Eccleſia poſt peractum ultimum Judicium: & dixit mihi, factum eſt, *ſign:* quod ſit Divina Veritas: Ego ſum Alpha & Omega, Principium & Finis, *ſign:* quod Dominus ſit Deus Cæli & Terræ, & quod ab Ipſo omnia in Cælis & in Terris facta ſint, ac per Divinam Ipſius Providentiam regantur, & ſecundum illam fiant: Ego ſitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis, *ſign:* quod Dominus illis qui deſiderant vera ex aliquo uſu ſpirituali, daturus ſit ex Se per Verbum omnia quæ uſui illi conducunt: vincens hæreditario poſſidebit omnia, & ero illi Deus & ille erit Mihi filius, *ſign:* quod qui vincunt mala apud ſe, hoc eſt, diabolum, & non ſuccumbunt cum tentantur a Babyloniis & Draconicis, in Cælum venturi ſint, & ibi victuri in Domino & Dominus in illis: timidis autem & infidis & abominabilibus, *ſign:* illos qui in nulla fide ſunt, & in nulla charitate, & inde in omnis generis malis: & homicidis, & ſcortatoribus, & incantatoribus, & idololatris, & mendacibus, *ſign:* omnes illos qui nihili faciunt præcepta decalogi, & non fugiunt aliqua mala ibi nominata ut peccata, & ideo vivunt in illis: pars illorum in ſtagno ardente igne & ſulphure, *ſign:* illis infernum ubi amores falſi & cupiditates mali ſunt: quæ eſt altera mors, *ſign:* damnationem: & venit ad me

unus

unus ſeptem angelorum habentium ſeptem phialas plenas ſeptem plagis ultimis, & loquutus eſt mecum dicens, veni oſtendam tibi ſponſam Agni uxorem, *ſign:* influxum & manifeſtationem a Domino ex intimo Cæli de Nova Eccleſia, quæ per Verbum erit conjuncta Domino: & abſtulit me in ſpiritu ſuper montem magnum & altum, & oſtendit mihi Urbem magnam, ſanctam Hieroſolymam, deſcendentem e Cælo a Deo, *ſign:* Johannem tranſlatum in Tertium Cælum, & viſum ejus ibi apertum, coram quo manifeſtata eſt Nova Domini Eccleſia quoad doctrinam in forma urbis: habentem gloriam Dei, & lumen ejus ſimile lapidi pretioſiſſimo tanquam lapidi jaſpidi inſtar chryſtalli ſplendenti, *ſign:* quod in illa Eccleſia erit Verbum intellectum, quia tranſlucens ex ſenſu ſpirituali ejus: habentem murum magnum & altum, *ſign:* Verbum in ſenſu literæ ex quo doctrina Novæ Eccleſiæ: habentem portas duodecim, *ſign:* ibi omnes cognitiones veri & boni, per quas homo introducitur in Eccleſiam; & ſuper portis Angelos duodecim, & nomina ſuperſcripta quæ ſunt duodecim Tribuum filiorum Iſraelis, *ſign:* Divina vera & bona Cæli, quæ etiam ſunt Divina vera & bona Eccleſiæ, in cognitionibus illis, & cuſtodias ne quis intret niſi in illis ſit ex Domino: ab oriente portæ tres, a ſeptentrione portæ tres, a meridie portæ tres, & ab occaſibus portæ tres, *ſign:* quod cognitiones veri & boni, in quibus ſpiritualis vita eſt e Cælo a Domino, per quas ſit introductio in Novam Eccleſiam, ſint pro illis qui in amore ſeu affectione boni ſunt plus & minus, & pro illis qui in ſapientia ſeu affectione veri ſunt plus & minus: & murus urbis habens fundamenta duodecim, *ſign:* quod Verbum in ſenſu literæ contineat omnia doctrinæ Novæ Eccleſiæ: & in illis nomina duodecim Apoſtolorum Agni, *ſign:* omnia doctrinæ ex Verbo de Domino & de vita ſecundum præcepta Ipſius: & loquens cum me habebat calamum aureum, ut metiretur urbem & portas ejus & murum ejus, *ſign:* quod detur a Domino illis, qui in bono amoris ſunt, facultas intelligendi & ſciendi qualis eſt Nova Domini Eccleſia quoad doctrinam & ejus vera introducentia, & quoad Verbum ex quo: & urbs quadrangularis ſita eſt, *ſign:* juſtitiam in illa: longitudo ejus tanta eſt quanta & latitudo, *ſign:* quod bonum & verum in illa Eccleſia unum faciant, ſicut eſſentia & forma: & menſus eſt urbem calamo ad ſtadia duodecies mille, longitudo & latitudo & altitudo ejus æqualia erant, *ſign:* oſtenſum quale illius Eccleſiæ ex doctrina, quod omnia ejus eſſent ex bono amoris: & menſus eſt murum ejus, centum quadraginta quatvor cubitorum, *ſign:* quod oſtenſum ſit, quale eſt Verbum in illa Eccleſia, quod ex illo ſint omnia vera & bona ejus: menſura hominis quæ eſt Angeli, *ſign:* quale Eccleſiæ iſtius quod unum faciat cum Cælo: & erat ſtructura muri ejus jaſpis, *ſign:* quod omne Divinum Verum in ſenſu literæ apud homines iſtius Eccleſiæ tranſluceat ex Divino Vero in ſenſu ſpirituali: & urbs aurum purum ſimile vitro puro, *ſign:* quod inde omne Eccleſiæ illius ſit bonum amoris influens una cum luce e Cælo a Domino: & fundamenta muri urbis omni lapide pretioſo exornata, *ſign:* quod omnia doctrinæ Novæ Hieroſolymæ ex ſenſu literæ Verbi deſumpta apud illos qui ibi ſunt, apparitura ſint in luce ſecundum receptionem: fundamentum primum jaſpis, ſecundum ſapphirus, tertium chalcedonius, quartum ſmaragdus, quin-

tum ſardonyx, ſextum ſardius, ſeptimum chryſolithus, octavum beryllus, nonum topazius, decimum chryſopraſus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethyſtus, *ſign:* omnia doctrinæ illius ex Verbi ſenſu literæ in ſuo ordine apud illos, qui immediate adeunt Dominum, & vivunt ſecundum præcepta Decalogi fugiendo mala ut peccata, hi enim & non alii in doctrina amoris in Deum & amoris erga proximum ſunt, quæ duo ſunt fundamenta religionis: & duodecim portæ duodecim margaritæ, & unaquævis portarum erat ex una margarita, *ſign:* quod agnitio & cognitio Domini omnes cognitiones veri & boni, quæ ex Verbo ſunt, conjungat in unum, & introducat in Eccleſiam: & platea urbis aurum purum tanquam vitrum pellucidum, *ſign:* quod omne verum Eccleſiæ illius & doctrinæ ejus ſit in forma bonum amoris influens una cum luce e Cælo a Domino: & Templum non vidi in ea, quia Dominus Deus Omnipotens Templum ejus eſt & Agnus, *ſign:* quod in hac Eccleſia non aliquod Externum ſeparatum ab Interno erit, quia Ipſe Dominus in Divino Humano ſuo, a Quo eſt omne Eccleſiæ, Solus aditur, colitur & adoratur: & urbs non opus habet ſole & luna ut luceant in ea, quia Gloria Dei illuſtravit eam, & Lucerna ejus Agnus, *ſign:* quod homines illius Eccleſiæ non erunt in amore ſui & in propria intelligentia, & inde in lumine ſolo naturali, ſed ex Divino vero Verbi a Solo Domino in luce ſpirituali: & gentes quæ ſalvantur in luce ejus ambulabunt, *ſign:* quod omnes qui in bono vitæ ſunt, & credunt in Dominum, ibi vivent ſecundum Divina vera, & videbunt illa intus in ſe, ſicut oculus objecta: & reges terræ afferent gloriam & honorem ſuum in illam, *ſign:* quod omnes qui in veris ſapientiæ ſunt ex bono ſpirituali, ibi confitebuntur Dominum, & Ipſi addicabunt omne verum & omne bonum, quæ apud ſe ſunt: & portæ ejus non claudentur interdiu, nox enim non erit ibi, *ſign:* quod in novam Hieroſolymam jugiter recipiantur, qui in veris ex bono amoris a Domino ſunt, quia non ibi eſt aliquod falſum fidei: & afferent gloriam & honorem gentium in illam, *ſign:* quod qui intrant ſecum ferent confeſſionem, agnitionem & fidem, quod Dominus ſit Deus cæli & terræ, & quod omne verum Eccleſiæ & omne bonum Religionis ſit ab Ipſo: & non intrabit in illam ullum immundum, & faciens abominationem & mendacium, *ſign:* quod nemo in novam Domini Eccleſiam recipiatur, qui adulterat bona & falſificat vera Verbi, & qui facit mala ex confirmatione & ſic quoque falſa: niſi qui ſcripti in Libro vitæ Agni, *ſignificat* quod non alii in Novam Eccleſiam, quæ eſt Nova Hieroſolyma, recipiantur, quam qui credunt in Dominum, & vivunt ſecundum præcepta Ipſius in Verbo.

EXPLICATIO.

876. *Et vidi Cælum novum & Terram novam, ſignificat quod a Domino novum Cælum ex Chriſtianis formatum ſit, quod hodie vocatur Cælum Chriſtianum, ubi ſunt qui Dominum coluerant, & ſecundum præcepta Ipſius in Verbo vixerant, quibus inde eſt charitas & fides; in quo Cælo etiam ſunt omnes Infantes Chriſtianorum.* Per Cælum novum &

& per Terram novam, non intelligitur Cælum naturale coram oculis aspectabile, nec Terra naturalis ab hominibus habitata, sed intelligitur Cælum spirituale & Terra illius cæli, ubi sunt Angeli; quod hoc Cælum & hujus Cæli Terra intelligatur, quisque videt & agnoscit, si modo aliquantum abduci potest ab idea pure naturali & materiali, cum legit Verbum. Quod Cælum Angelicum intelligatur, patet, quia in Versu mox sequente dicitur, quod viderit urbem sanctam Hierosolymam descendentem a Deo e Cælo, paratam sicut sponsam ornatam marito suo, per quam non intelligitur aliqua Hierosolyma descendens, sed Ecclesia, & Ecclesia in terris descendit a Domino e Cælo Angelico, quia Angeli cæli & homines telluris in omnibus Ecclesiæ unum faciunt, n. 626. Ex his videri potest, quam naturaliter & materialiter cogitaverunt & cogitant, qui ex his verbis & ex sequentibus in hoc Versu, sibi finxerunt dogmaticum de interitu mundi, & de nova creatione omnium. De hoc Cælo novo actum est supra aliquoties in Apocalypsi, imprimis in Cap. XIV & XV: vocatur Cælum Christianum, quia distinctum est a Cælis antiquis, qui ab hominibus Ecclesiæ ante adventum Domini exstiterunt; hi antiqui Cæli sunt supra Cælum Christianum; Cæli enim sunt sicut Expansa, unum supra alterum; similiter unumquodvis Cælum; unumquodvis enim Cælum per se distinguitur in tres Cælos, Intimum seu Tertium, Medium seu Secundum, ac Infimum seu Primum, similiter hoc Novum Cælum; vidi illos & loquutus sum cum illis. In novo hoc Cælo Christiano sunt omnes qui ab Ecclesiæ Christianæ prima instauratione coluerunt Dominum, & vixerunt secundum præcepta Ipsius in Verbo, & inde qui a Domino per Verbum in charitate & simul fide fuerunt, ita qui non in fide mortua sed in fide viva. De hoc Cælo videantur varia supra, n. 612. 613. 631. 626. 659. 661. 845. 846. 856: pariter in illo Cælo sunt omnes Infantes Christianorum, quia ab angelis educati in duo illa Essentialia Ecclesiæ, quæ sunt Agnitio Domini pro Deo Cæli & Terræ, ac Vita secundum præcepta Decalogi.

877. *Quia prius Cælum & prior Terra transiit, significat Cælos non a Domino, sed ab ipsis qui e Christiano Orbe in Spiritualem Mundum venerunt, factos, qui omnes die ultimi Judicii dissipati sunt.* Quod hi Cæli & non alii per prius Cælum & priorem Terram, quæ transiverunt, intelligantur, videatur supra n. 865, ubi explicata sunt hæc, *Vidi Thronum album & magnum, & Sedentem super eo, a cujus facie fugit Cælum & Terra*, Cap. præc. XX, Vers. 11, ubi ostensum est, quod per illa verba significetur Judicium universale a Domino factum super omnes priores Cælos, in quibus fuerunt, qui in bono civili & morali, & nullo spirituali erant, ita qui in externis simulabant Christianos, sed in internis erant diaboli; qui cæli cum terra eorum prorsus dissipati sunt. Reliqua de his videantur in Opusculo de ULTIMO JUDICIO Londini 1758 edito, & in CONTINUATIONE DE ILLO, Amstelodami edita; quibus plura hic adjicere supervacaneum est.

878. *Et Mare non erat amplius, significat Externum Cæli a prima Ecclesiæ instauratione collecti ex Christianis, postquam inde exemti sunt & salvati, qui in Libro vitæ Domini scripti sunt, similiter dissipatum esse.* Per Mare significatur Externum

Cæli & Ecclesiæ, in quo sunt simplices, qui de rebus Ecclesiæ naturaliter & perparum spiritualiter cogitaverunt; Cælum in quo hi sunt vocatur Externum, videatur n. 238. 239 f 403. 404. 426. 470. 466. 659. 661; hic per Mare intelligitur Externum Cæli a prima Ecclesiæ instauratione collecti ex Christianis; Internum autem Cæli ex Christianis non prius a Domino plene formatum est, quam aliquo tempore ante Ultimum Judicium, & quoque post illud, ut constare potest ex Cap. XIV & XV, ubi de illo agitur, & ex Cap. XX: Vers. 4. 5; videantur Explicationes; causa quod non prius, erat, quia draco & binæ ejus bestiæ dominabantur in Mundo spirituum, & flagrabant cupiditate seducendi quoscunque possent, quare periculum fuit prius colligere illos in aliquod Cælum; de separatione bonorum a draconicis, & horum damnatione, & tandem dejectione in Infernum, agitur multis in locis, ac ultimo in Cap. XIX: Vers. 20, & in Cap. XX: Vers. 10; & post hoc dicitur, quod *Mare dederit eos in illo mortuos*, Vers. 13, per quod intelliguntur homines Ecclesiæ externi & naturales convocati ad judicium, videatur supra n. 869, & tunc exempti & salvati, qui in Libro vitæ Domini scripti sunt, de qua re etiam ibi hoc Mare est quod hic intelligitur. Etiam alibi dicitur, ubi de Novo Cælo Christiano, quod id se extenderit ad Mare vitreum mixtum igne, Cap. XV: 2, per quod Mare etiam significatur Externum Cæli ex Christianis, videatur Explicatio n. 659. 660. 661. Ex his constare potest, quod per Mare non erat amplius, significetur quod Externum Cæli a prima Ecclesiæ instauratione collecti ex Christianis, postquam inde exempti sunt & salvati, qui in Libro vitæ Domini scripti sunt, similiter dissipatum sit. De Externo Cæli ex Christianis a prima instauratione Ecclesiæ collecto, multa scire datum est, sed illa hic afferre non vacat; solum quod priores Cæli, qui die ultimi judicii transiverunt, permissi fuerint propter illos qui in Externo illo Cælo seu Mari erant, quia per Externa conjuncti erant, non autem per Interna, de qua re videantur aliqua supra, n. 398. Quod Cælum, ubi externi Ecclesiæ homines sunt, dicatur Mare, est quia habitatio eorum in Mundo spirituali e longinquo apparet sicut in Mari; Angeli enim cælestes, qui sunt Angeli supremi cæli, habitant sicut in athmosphæraætherea; Angeli spirituales, qui sunt Angeli medii cæli, habitant sicut in athmosphæra aerea, & Angeli spirituales naturales, qui sunt Angeli ultimi Cæli, habitant sicut in athmosphæra aquea, quæ e longinquo apparet sicut Mare, ut dictum est: inde est, quod Externum cæli intelligatur per mare etiam multis aliis in locis in Verbo.

V. 2. 879. *Et ego Johannes vidi Urbem sanctam Hierosolymam novam descendentem a Deo e Cælo, significat Novam Ecclesiam in fine prioris a Domino instaurandam, quæ consociata Novo Cælo in Divinis veris quoad doctrinam & quoad vitam erit.* Quod Johannes se hic nominet, dicens, ego Johannes, est quia per illum ut Apostolum significatur Bonum amoris in Dominum, & inde Bonum vitæ, quare ille præ reliquis Apostolis amatus fuit, & ad Cænam cubuit ad pectus Domini, Joh. XIII: 23; Cap. XXI: 20; & hæc Ecclesia, de qua nunc agitur, similiter. Quod per Hierosolymam significetur Ecclesia, videbitur in sequente Articulo; quæ vocatur Urbs & describitur ut Urbs ex doctrina & ex vita secundum illam, Urbs enim in spirituali sensu significat

nificat Doctrinam, n. 194. 712; vocatur Sancta ex Domino, qui Solus est Sanctus, & ex Divinis veris quæ ex Verbo sunt a Domino in illa, quæ vocantur sancta, n. 173. 586. 666. 852; & vocatur Nova, quia Sedens super Throno dixit, *Ecce nova omnia facio*, Vers. 5; ac dicitur descendens a Deo e Cælo, quia a Domino per Novum Cælum Christianum, de quo in Versu 1 hujus Capitis, n. 876, nam Ecclesia in terris formatur per Cælum a Domino, ut unum agant & consocientur.

880. Quod per Hierosolymam in Verbo intelligatur Ecclesia, est quia ibi in Terra Canaane, & non alibi Templum erat, Altare erat, Sacrificia fiebant, ita ipse Cultus Divinus; quare etiam tria Festa quotannis ibi celebrabantur, & ad illa omnis masculus totius terræ mandatus est venire; ex eo est, quod per Hierosolymam significetur Ecclesia quoad Cultum, & inde quoque Ecclesia quoad Doctrinam, nam cultus præscribitur in doctrina, & fit secundum illam: tum quia Dominus in Hierosolyma fuit, & docuit in suo Templo, & postea ibi glorificavit Humanum suum. Quod per Hierosolymam intelligatur Ecclesia quoad doctrinam & inde cultum, ex pluribus locis in Verbo patet; ut ex his; apud Esajam ,, *Propter Zionem non tacebo, & propter Hierosolymam non quiescam, usque dum exeat sicut splendor Justitia ejus, & Salus ejus sicut lampas ardeat: tunc videbunt Gentes Justitiam tuam, & omnes Reges gloriam tuam: & vocabitur tibi Nomen novum, quod os Jehovæ enuntiabit; & eris corona decoris in manu Dei tui: beneplacebit Jehovah in te, & terra tua maritabitur. Ecce Salus tua veniet, ecce merces Ipsius cum Ipso: & vocabunt illos, Populus sanctitatis, Redempti Jehovæ: & tu vocaberis quæsita urbs, non deserta*, LXII: 1. 2. 3. 4. 11. 12. Agitur in toto illo Capite de Adventu Domini, & de Nova ab Ipso instauranda Ecclesia; Nova hæc Ecclesia est, quæ intelligitur per Hierosolymam, cui vocabitur nomen novum quod os Jehovæ enuntiabit, quæque erit corona decoris in manu Jehovæ, & cidaris Regni in manu Dei, in qua Jehovah beneplacebit, & quæ vocabitur Urbs quæsita & non deserta: per hæc non potest intelligi Hierosolyma, in qua, cum Dominus in mundum venit, fuerunt Judæi, nam illa erat in omni contrario; quæ potius vocanda erat Sodoma, ut quoque vocatur Apoc. XI: 8. Esaj. III: 9. Jerem. XXIII: 14. Ezech. XVI: 46. 48. Alibi apud Esajam ,, *Ecce Ego creans Cælum Novum & Terram novam, non commemorabuntur priora: lætamini & exultate in æternitates, quæ Ego creans. Ecce Ego creaturus Hierosolymam exultationem, & populum ejus lætitiam, ut exultem super Hierosolyma, & læter super populo meo. Tunc lupus & agnus pascent simul: non malum facient in toto monte sanctitatis meæ*, LXV: 17. 18. 19. 25; etiam in hoc Capite agitur de Adventu Domini, & de Ecclesia ab Ipso instauranda, quæ non instaurata est apud illos qui in Hierosolyma, sed apud illos qui extra illam erant, quare hæc Ecclesia intelligitur per Hierosolymam, quæ erit Domino exultatio, & cujus populus erit Ipsi lætitia; tum ubi lupus & agnus pascent simul, & ubi non malum facient: hic quoque dicitur quemadmodum in Apocalypsi, quod Dominus creaturus Cælum novum & Terram novam, & quoque quod creaturus sit Hierosolymam, per quæ similia significantur. Alibi apud Esajam ,, *Excitare, excitare, indue robur tuum Zion, indue vestes decoris tui*

Hierosolyma, Urbs sanctitatis; quia non addet ut in te veniat amplius præputiatus & immundus: excute te e pulvere, surge, sede Hierosolyma. Cognoscet populus Nomen meum in die illo, nam Ego Ille, Qui loquor, ecce Me: consolatus est Jehovah populum suum, redemit Hierosolymam ,, LII: 1. 2. 6. 9; etiam in eo Capite agitur de Adventu Domini, & de Ecclesia ab Ipso instauranda, quare per Hierosolymam, in quam non amplius veniet præputiatus & immundus, & quam Dominus redimet, intelligitur Ecclesia, & per Hierosolymam Urbem sanctitatis Ecclesia quoad doctrinam a Domino & de Domino. Apud Zephaniam ,, *Jubila filia Zionis, lætare ex omni corde filia Hierosolymæ; Rex Israelis in medio tui, ne time malum amplius; lætabitur super te cum gaudio, acquiescet in amore tuo, exultabit super te cum jubilo; dabo vos in nomen & laudem omnibus populis terræ* ,, III: 14. 15. 16. 17. 20; similiter hic de Domino & de Ecclesia ab Ipso, super qua Rex Israelis, qui est Dominus, lætabitur cum gaudio, exultabit cum jubilo, & in cujus amore requiescet, & qui dabit illos in nomen & laudem omnibus populis terræ. Apud Esajam ,, *Sic dixit Jehovah Redemptor tuus & Formator tuus, dicens Hierosolymæ, habitaberis, & urbibus Jehudæ, ædificabimini*, XLIV: 24. 26: & apud Danielem ,, *Scito & percipito ab exitu Verbi usque ad restituendum & ad ædificandum Hierosolymam, usque ad Messiam Principem, Septimanæ Septem*, X: 25, quod per Hierosolymam etiam hic intelligatur Ecclesia, patet, quoniam hæc a Domino restituebatur & ædificabatur, non autem Hierosolyma sedes Judæorum. Per Hierosolymam intelligitur Ecclesia a Domino etiam in sequentibus locis; apud Sachariam ,, *Sic dixit Jehovah, revertar ad Zionem, & habitabo in medio Hierosolymæ; unde vocabitur Hierosolyma, Urbs veritatis, & Mons Jehovæ Zebaoth Mons sanctitatis*, VIII: 3. 20 ad 23. Apud Joelem ,, *Tunc cognoscetis quod Ego Jehovah Deus vester, habitans in Zione, Monte sanctitatis, & erit Hierosolyma sanctitas; & fiet in die illo, stillabunt montes mustum, & colles fluent lacte, & Hierosolyma sedebit in generationem & generationem*, IV: 17 ad 21. Apud Esajam ,, *In die illo erit germen Jehovæ in decus & in gloriam; & fiet, relictus in Zione, & residuus in Hierosolyma, sanctus dicetur: omnis scriptus ad vitam in Hierosolyma*, IV: 2. 3. Apud Micham ,, *In extremitate dierum erit Mons domus Jehovæ constitutus in caput montium; nam e Zione exibit doctrina, & Verbum Jehovæ ex Hierosolyma; ad te veniet Regnum prius, Regnum filiæ Hierosolymæ*, IV: 1. 2. 8. Apud Jeremiam ,, *In tempore illo vocabunt Hierosolymam Thronum Jehovæ, & congregabuntur omnes gentes ob Nomen Jehovæ Hierosolymam, neque ibunt amplius post confirmationem cordis sui mali*, III: 17. Apud Esajam ,, *Specta Zionem Urbem festi stati nostri; oculi tui videant Hierosolymam, Habitaculum tranquillum, Tabernaculum quod non dissipabitur; non removebuntur clavi ejus in perpetuum, & omnes funes ejus non avellentur* ,, XXXIII: 20; præter etiam alibi, ut Esaj. XXIV: 23. Cap. XXXVII: 32. Cap. LXVI: 10 ad 14. Sach. XII: 3. 6. 8. 9. 10. Cap. XIV: 8. 11. 12. 21. Malach. III: 2. 4. Psalm. CXXII: 1 ad 7. Ps. CXXXVII: 4. 5. 6. Quod per Hierosolymam in illis locis intelligatur Ecclesia, quæ a Domino instauranda erat, & non Hierosolyma in Terra Canaane a Judæis habitata, constare etiam potest a locis in Verbo, ubi de hac dicitur, quod prorsus de-

per-

perdita ſit, & quod deſtruenda, ut Jerem. V: 1. Cap. VI: 6. 7. Cap VII: 17. 18 ſeq: Cap. VIII: 6. 7. 8 ſeq. Cap. IX: 10. 11. 13 ſeq. Cap. XIII: 9. 10. 14. Cap. XIV: 16. Thren: I: 8. 9. 17. Ezech. IV: 1 ad fin. Cap. V: 9 ad fin. Cap. XII: 18. 19. Cap. XV: 6. 7. 8. Cap. XVI: 1 ad 63. Cap. XXIII: 1 ad 49. Matth. XXIII: 37. 38. Luc. XIX: 41 ad 44. Cap. XXI: 20. 21. 22. Cap. XXIII: 28. 29. 30, & multis aliis in locis.

881. *Paratam ſicut Sponſam Marito ſuo, ſignificat Eccleſiam illam per Verbum conjunctam Domino.* Dicitur quod Johannes viderit Urbem ſanctam Hieroſolymam Novam deſcendentem a Deo e Cælo, hic quod viderit illam Urbem paratam ſicut Sponſam Marito ſuo, unde etiam patet, quod per Hieroſolymam intelligatur Eccleſia, & quod viderit illam primum ut Urbem, & poſtea ut Virginem Sponſam, illam ut Urbem repræſentative, & illam ut Virginem Sponſam ſpiritualiter, ita in duplici idea, una intra ſeu ſupra alteram, prorſus ſicut Angeli, qui cum vident aut audiunt aut legunt in Verbo urbem, in idea inferioris cogitationis percipiunt urbem, ſed in idea ſuperioris cogitationis percipiunt Eccleſiam quoad doctrinam, & hanc, ſi deſiderant & orant ad Dominum, vident ut Virginem in pulchritudine & amictu ſecundum quale Eccleſiæ: ita quoque mihi datum eſt Eccleſiam videre. Per paratam ſignificatur amicta ad deſponſationem, & Eccleſia non aliter accingitur ad deſponſationem, & poſtea ad conjunctionem ſeu conjugium, quam per Verbum, hoc enim eſt unicum medium conjunctionis ſeu conjugii, quia Verbum eſt a Domino & de Domino, & ſic Dominus, quare etiam vocatur fædus, & fædus ſignificat conjunctionem ſpiritualem; Verbum etiam datum eſt propter illum finem. Quod per Maritum intelligatur Dominus, patet a Verſ. 10 & 11 hujus Capitis, ubi Hieroſolyma vocatur ſponſa Uxor Agni. Quod Dominus dicatur Sponſus & Maritus, & Eccleſia Sponſa & Uxor, & quod conjugium illud ſit ſicut conjugium boni & veri, & fiat per Verbum, videatur ſupra n. 797. Ex his conſtare poteſt, quod per Hieroſolyma parata ſicut ſponſa Marito, ſignificetur Eccleſia illa per Verbum conjuncta Domino. 9 et 10.

V. 3 882. *Et audivi vocem magnam e Cælo dicentem, ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, ſignificat Dominum ex amore loquentem & evangelizantem, quod Ipſe nunc in Divino Humano ſuo apud homines præſens futurus ſit.* Hic eſt ſenſus illorum verborum cæleſtis; Angeli cæleſtes, qui ſunt Angeli tertii Cæli, non aliter intelligunt illa, nam per audire vocem magnam e Cælo dicentem, ab illis intelligitur Dominus ex amore loquens & evangelizans, quia e Cælo non alius loquitur quam Dominus; quoniam Cælum non eſt Cælum ex propriis Angelorum, ſed a Divino Domini, cujus recipientes ſunt; per vocem magnam intelligitur loquela ex amore, magnum enim prædicatur de amore, n. 656. 663; per ecce tabernaculum Dei cum hominibus, intelligitur nunc Dominus in Divino Humano ſuo præſens; per Tabernaculum Dei intelligitur Eccleſia cæleſtis, & in univerſali ſenſu Regnum cæleſte Domini, & in ſupremo ſenſu Divinum Humanum Ipſius, videatur ſupra n. 585. Quod per Tabernaculum in ſupremo ſenſu intelligatur Divinum Humanum Domini, eſt quia per Templum illud ſignificatur, ut conſtare poteſt ex Joh. II: 18. 21. Malach. III: 1 Apoc. XXI:

XXI: 22, & alibi, ſimiliter per Tabernaculum, cum differentia quod per Templum intelligatur Divinum Humanum Domini quoad Divinum Verum, ſeu Divinam ſapientiam, & per Tabernaculum intelligatur Divinum Humanum Domini quoad Divinum Bonum ſeu Divinum Amorem; inde ſequitur, quod per ecce Tabernaculum Dei cum hominibus, intelligatur quod Dominus nunc in Divino Humano ſuo apud homines præſens futurus ſit.

883. *Et habitabit cum illis, & illi populi Ipſius erunt, & Ipſe erit cum illis Deus eorum, ſignificat conjunctionem Domini, quæ talis eſt, ut illi ſint in Ipſo & Ipſe in illis.* Per habitabit cum illis, ſignificatur conjunctio Domini cum illis, de qua ſequitur; per quod illi populi Ipſius erunt, & Ipſe erit cum illis Deus eorum, ſignificatur quod illi ſint Domini, & Dominus illorum; & quia per habitare cum illis ſignificatur conjunctio, ſignificatur quod illi in Domino erunt & Dominus in illis, aliter non ſit conjunctio; quæ quod talis ſit, patet clare a Domini verbis apud Johannem „ *Manete in Me & Ego in vobis: Ego ſum vitis, vos palmites, qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam*, Joh. XV: 4. 5. Et alibi „ *In die illo cognoſcetis, quod Ego in Patre meo, & vos in Me & Ego in vobis*, XIV: 20. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in Me manet & Ego in illo*, Joh. VI: 56. Quod aſſumtio Humani, & unitio Ejus cum Divino, quod in Ipſo a nativitate erat, & Pater vocatur, pro fine habuerit conjunctionem cum hominibus, patet etiam apud Johannem. „ *Pro illis Ego ſanctifico Meipſum, ut etiam illi ſint ſanctificati in veritate, ut ſint unum ſicut nos unum ſumus, Ego in illis, Tu in Me* „ XVII: 19. 21. 22. 26; ex quibus conſtat, quod conjunctio ſit cum Divino Humano Domini, & quod ſit reciproca, & quod ſic & non aliter ſit conjunctio cum Divino quod Pater vocatur. Docet etiam Dominus quod conjunctio fiat per vera Verbi, & per vitam ſecundum illa, Joh. XIV: 20 ad 24. Cap. XV: 7: hoc itaque eſt quod intelligitur per habitabit cum illis, & illi populus Ipſius erunt, & Ipſe erit cum illis Deus illorum; ſimiliter alibi, ubi eadem verba, Jerem. VII: 23. Cap. XI: 4. Cap. XIV: 11. Cap. XXIV: 7. Cap. XXX: 22. Ezech. XI: 20. Cap. XXXVI: 28. Cap. XXXVII: 23. 27. Sach. VIII: 8. Exod. XXIX: 45. Quod per habitare cum illis ſignificetur conjunctio cum illis, eſt quia habitare ſignificat conjunctionem ex amore, ut conſtare poteſt ex multis locis in Verbo; etiam ex habitationibus Angelorum in Cælo; Cælum eſt diſtinctum in innumeras Societates, omnes inter ſe ſecundum differentias affectionum quæ ſunt amoris in genere & in ſpecie, unaquævis Societas eſt una ſpecies affectionis, & ibi habitant diſtincte ſecundum propinquitates & affinitates illius ſpeciei affectionis, & in una domo qui propinquiſſimi ſunt; inde cohabitatio, cum de conjugibus, in ſpirituali ſenſu ſignificat conjunctionem per amorem. Sciendum eſt, quod aliud ſit conjunctio cum Domino, & aliud præſentia Ipſius; conjunctio cum Domino non datur aliis, quam qui Ipſum immediate adeunt, præſentia reliquis.

884. *Et abſterget Deus omnem lachrymam ex oculis illorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque labor, non erit amplius, quia priora tranſiverunt, ſignificat quod Dominus auferet illis omnem dolorem animi, timorem pro damnatione, pro malis & falſis ex inferno, proque tentationibus ex illis, & non re-*

cor-

cordabuntur illorum, quia draco, qui intulerat, ejectus est. Per absterget Deus omnem lachrymam ex oculis illorum, significatur quod Dominus illis auferet omnem dolorem animi, lachrymatio enim ex dolore animi est; per mortem quæ non erit amplius, significatur damnatio, ut n. 325. 765. 853. 873, hic timor pro illa; per luctum, qui nec erit amplius, significatur timor pro malis ab inferno, luctus enim significat varia, ubivis propter aliquam rem, de qua agitur, hic timorem pro malis ex inferno, quia præcedit pro damnatione, & sequitur pro falsis ab inferno, & de tentationibus ex illis; per clamorem significatur timor pro falsis ex inferno, de quo in Articulo sequente; per laborem, qui nec erit, significantur tentationes, n. 640; per non erit amplius, quia priora transiverunt, significatur quod non recordabuntur illorum, quia Draco, qui intulerat, ejectus est, hæc enim sunt priora quæ transiverunt. Sed hæc illustranda sunt; omnis homo post mortem primum venit in Mundum spirituum, qui est medius inter Cælum & Infernum, & ibi præparatur, bonus ad Cælum & malus ad Infernum, de quo Mundo videatur supra n. 784. 791. 843. 850. 866. 869; & quia consortia ibi sunt sicut in Mundo naturali, non potuit aliter ante Ultimum Judicium, quam ut illi qui in externis erant civiles & morales, at in internis mali, simul essent & colloquerentur cum illis qui similiter in externis erant civiles & morales sed in internis boni; & quia malis inest continua cupiditas seducendi, ideo boni, qui cum illis in consortio erant, variis modis infestati sunt; verum illi qui per infestationes ex illis doluerunt, & venerunt in timores pro damnatione, proque malis & falsis ex inferno, proque gravi tentatione, a Domino exempti consortio illorum sunt, & missi in terram quandam infra illam, ubi etiam societates sunt, & ibi custoditi, & hoc usque dum omnes mali separati sunt a bonis; quod per Ultimum Judicium factum est; & tunc illi qui in Terra inferiore custoditi fuerunt, a Domino elevati sunt in Cælum. Infestationes illæ imprimis factæ sunt ab illis, qui per draconem & ejus bestias intelliguntur, quare cum draco & binæ ejus bestiæ conjecti sunt in stagnum ignis & sulphuris, tunc quia omnis infestatio, ac inde dolor ac timor pro damnatione & pro inferno cessaverunt, dicitur ad illos qui infestati fuerant, quod Deus absterget omnem lachrymam ab oculis illorum, & mors non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque labor non erit amplius, quia priora transiverunt, per quæ significatur quod Dominus auferet illis omnem dolorem animi, timorem pro damnatione, proque malis & falsis ex inferno, proque gravi tentatione ex illis, & non recordabuntur illorum, quia Draco, qui intulerat, ejectus est. Quod Draco cum binis bestiis ejectus sit, & conjectus in stagnum ignis & sulphuris videatur supra Cap. XIX: 20. Cap. XX: 10: & quod Draco infestaverit, ex multis locis patet; pugnavit enim cum Michaele, & voluit devorare fætum quem mulier peperit, & persequutus mulierem, abivit ut faceret bellum cum reliquis seminis ejus, Cap. XII: 4. 5. 7. 8. 9. 13 ad 18, tum Cap XVI: 13 ad 16, & alibi. Quod plures qui interius boni fuerunt, custoditi sint a Domino ne infestarentur a Dracone & ejus bestiis, patet a Cap. VI: 9. 10. 11, & quod infestati fuerint, Cap. VII: 13 ad 17, & quod postea evecti sint in Cælum Cap. XX: 4. 5, & alibi. Iidem etiam intelli-

B. a. 4, 5, 7, 8, 9, 13, chap. xiii, 1.

telliguntur per captivos & vinctos in fovea, & a Domino liberatos, Esaj. XXIV: 22. Cap. LXI: 1. Luc. IV: 18. 19. Sach. IX: 11. Psalm. LXXIX: 11. Hoc quoque significatur in Verbo, ubi dicitur quod Sepulchra aperta sint; tum ubi dicitur quod animæ exspectent Ultimum judicium, & tunc resurrectionem.

885. Quod Clamor in Verbo dicatur de dolore & timore pro falsis ex Inferno, & inde pro devastatione per illa, patet ex his „ *Oblivioni tradentur angustiæ priores, & occultabuntur ab oculis meis, tunc non audietur in illa vox fletus aut* Vox Clamoris „ Esaj. LXV: 16. 19, hæc quoque de Hierosolyma, ut hic in Apocalypsi. *Atrati sunt in terram, &* Clamor *Hierosolymæ ascendit*, Jerem. XIV: 2 seq. ubi agitur de luctu super falsis, quæ devastant Ecclesiam. *Exspectavit Jehovah judicium, sed ecce scabies, justitiam, sed ecce* Clamor, Esaj. V: 7. Vox Clamoris *pastorum, quia vastans Jehovah pascuum eorum*, Jerem. XXV: 36. Vox Clamoris *a porta piscium, quia opes eorum in deprædationem, ac domus eorum in desolationem*, Zeph. I: 10. 13: præter alibi, ut Esaj. XIV: 31. Cap.
12, 14 XV: 4. 5. 6. 8. Cap. XXIV: 11. Cap. XXX: 19. Jerem. XLVI: 2. 4. At sciendum est, quod Clamor in Verbo dicatur de omni affectione cordis erumpente, quare est vox lamentationis, implorationis, supplicationis ex indolentia, contestationis, indignationis, confessionis, imo exultationis.

v. 5 886. *Et dixit Sedens super Throno, ecce Nova omnia facio, & dixit mihi, scribe, quia hæc verba vera & fida sunt, significat Dominum de Ultimo Judicio loquentem ad illos, qui venturi sunt in Mundum spirituum, seu qui obituri a tempore quo Ipse in Mundo fuit huc usque, hæc, quod prius Cælum cum priore Terra, & prior Ecclesia, cum omnibus & singulis in illis, peritura sint, & quod novum Cælum cum nova Terra, ac novam Ecclesiam, quæ vocanda est Nova Hierosolyma, creaturus sit, & quod hæc pro certo sciant, & illorum recordentur, quia Ipse Dominus id testatus dixit.* Hæc quæ in hoc Versu, & in sequentibus usque ad 8^{vum} inclusive, dicta sunt ad illos, qui in Christiano Orbe in Mundum spirituum venturi sunt, quod fit illico post obitum, propter finem ne paterentur se seduci a Babyloniis & Draconicis, nam, ut supra dictum est, omnes post mortem congregantur in Mundo spirituum, & inter se consortia fovent sicut in Mundo naturali, ubi sunt simul cum Babyloniis & Draconicis, qui continue flagrant cupiditate seducendi, & quibus etiam concessum fuit sibi tanquam cælos per artes imaginarias & illusorias condere, per quas etiam potuissent seducere; ne hoc fieret, hæc a Domino dicta sunt, ut pro certo scirent, quod illi Cæli cum terris eorum perituri sint, & quod Dominus novum Cælum & novam Terram creaturus sit, quando salvandi sunt, qui non passi sunt se seduci: at sciendum est, quod hæc dicta sint ad illos, qui a tempore Domini usque ad ultimum Judicium, quod factum est Anno 1757, vixerunt, quia illi seduci potuerunt, non autem posthac possunt ibi, quia Babylonii & Draconici separati sunt, & ejecti. Nunc sed ad explicationem; per Sedentem super throno intelligitur Dominus, n. 808 fin: quod Dominus hic dixerit super Throno, est quia dixit, ecce nova omnia facio, per quæ significatur quod facturus sit ultimum judicium, & tunc creaturus sit novum Cælum & novam Terram, atque novam Ecclesiam cum omnibus

bus & singulis quæ in illis; quod Thronus sit judicium in forma repræsentativa, videatur n. 229. 845. 865; quod prius Cælum & prior Ecclesia die ultimi judicii perierint, n. 865. 877; per dixit mihi scribe, quia hæc verba vera & fida sunt, significatur quod hæc pro certo sciant, & illorum recordentur, quia Ipse Dominus id testatus dixit; per quod Dominus secundo usus sit verbo dixit, significatur quod id pro certo sciant; per scribe, significatur in recordationem, seu ut illorum recordentur, n. 639; & per hæc verba vera & fida sunt, significatur quod credenda sint, quia Ipse Dominus id testatus dixit.

v.6 887. *Et dixit mihi, factum est, significat quod sit Divina Veritas.* Quod per dixit mihi, significetur quod sit Divina veritas, est quia Dominus tertio dixit, *dixit* mihi, tum quia dixit factum est in præsenti; & quod Dominus tertio dicit, est quod credendum sit quia est Divina veritas, tum quod dicit in præsenti; ter enim significat completum ad finem, n. 505, similiter cum facturus dicitur factum est.

888. *Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, significat ut sciant, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & quod ab Ipso omnia in Cælis & in Terris facta sint, ac per Divinam Ipsius Providentiam regantur, & secundum illam fiant.* Quod Dominus sit Alpha & Omega, Principium & Finis, & quod per id intelligatur, quod ab Ipso omnia facta sint, regantur & fiant, & plura, videatur supra n. 13. 29. 30. 31. 38. 57. 92. Quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, constat ex Ipsius verbis apud Johannem „ *Data est Mihi potestas omnis carnis*, XVII: 2: & apud Matthæum, *Data est Mihi omnis potestas in Cælo & in Terra*, XXVIII: 18: & *quod ab Ipso omnia facta sint quæ facta*, Joh. I: 3. 14. Quod omnia quæ ab Ipso facta seu creata sunt, per Divinam Ipsius Providentiam regantur, patet.

889. *Ego sitienti dabo ex fonte aquæ vitæ gratis, significat quod Dominus illis qui desiderant vera ex aliquo usu spirituali, daturus sit ex Se per Verbum omnia quæ usui illi conducunt.* Per sitientem significatur qui desiderat verum ex aliquo usu spirituali, de quo sequitur; per fontem aquæ vitæ, significatur Dominus & Verbum, n. 384; per dare gratis, significatur ex Domino, & non ex aliqua propria intelligentia hominis. Quod per sitire significetur desiderare ex aliquo usu spirituali, est quia datur sitis seu desiderium cognitionum veri ex Verbo ex usu naturali, & quoque ex usu spirituali, ex usu naturali illis qui pro fine habent eruditionem, & per eruditionem famam, honorem & lucrum, ita se & mundum, at ex usu spirituali illis qui pro fine habent servire proximo ex amore ejus, consulere animabus illorum, etiam suæ, ita propter Dominum, proximum & salutem, his ex fonte aquæ vitæ, hoc est, ex Domino per Verbum, datur verum, quantum usui isti conducit; reliquis non datur inde verum, legunt Verbum, & omne verum doctrinale ibi vel non vident, vel si vident vertunt in falsum, non ita in loquela dum enuntiatur ex Verbo, sed in idea cogitationis de illo. Quod esurire significet desiderare bonum, ac sitire desiderare verum, videatur n. 323. 381.

v.7 890. *Vincens hæreditario possidebit omnia, & ero illi Deus, & ille erit Mihi filius,*

lius, ſignificat quod qui vincunt mala apud ſe, hoc eſt, Diabolum, & non ſuccumbunt cum tentantur a Babyloniis & Draconicis, in Cælum venturi ſint, & ibi victuri in Domino & Dominus in illis. Per vincere hic intelligitur vincere mala apud ſe, ita Diabolum, & non ſuccumbere cum tentantur a Babyloniis & Draconicis; quod vincere mala apud ſe ſit etiam vincere Diabolum, eſt quia per Diabolum intelligitur omne malum; per hæreditario poſſidere omnia, ſignificatur venire in Cælum, & tunc in poſſeſſionem bonorum quæ ibi ſunt a Domino, ita in bona quæ a Domino ac Domini ſunt ut filius hæres, vocatur inde Cælum hæreditas, Matth. XIX: 29. Cap. XXV: 34: per ero illi Deus, & ille erit Mihi filius, ſignificatur quod in Cælo erunt in Domino & Dominus erit in illis, ut ſupra n. 882, ubi ſimilia, modo quod ibi dicatur quod illi populi Ipſius erunt, & Ipſe erit cum illis Deus illorum. Quod illi qui Dominum immediate adeunt, ſint Ipſius filii, eſt quia illi e novo nati ſunt ab Ipſo, hoc eſt, regenerati, quare diſcipulos ſuos vocabat Filios, Joh. XII: 36. Cap. XIII: 33. Cap. XXI: 5.

891. *Timidis autem & infidis & abominabilibus, ſignificat illos qui in nulla fide ſunt, & in nulla charitate, & inde in omnis generis malis.* Per timidos ſignificantur qui in nulla fide ſunt, de quo ſequitur; per infidos ſignificantur qui in nulla charitate erga proximum ſunt, ſunt enim illi inſinceri & fraudulenti, ita infidi; per abominabiles ſignificantur qui in omnis generis malis ſunt, abominationes enim in Verbo ſignificant in genere mala quæ in ſex præceptis ultimis Decalogi nominantur, ut conſtare poteſt apud Eſajam ,, *Ne confidite vobis ſuper verbis mendacii, dicendo Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ illi, num furando, occidendo, & adulterando & jurando per mendacium, deinde venietis & ſtabitis coram Me in Domo hac, dum facitis* ABOMINATIONES HAS ,, Jerem: VIII: 2. 3. 4. 9. 10. 11, ita ubivis alibi. Quod per timidos ſignificentur qui in nulla fide ſunt, conſtat ex his ,, *Jeſus dixit Diſcipulis, quare* TIMIDI ESTIS EXIGUÆ FIDEI HOMINES, Matth. XI: 26. Marc. IV: 39. 40. Luc. VIII: 25. *Jeſus dixit ad Archiſynagogum, ne* TIMETO, CREDE MODO, *tunc filia ſervabitur*, Luc. VIII: 49. 50. Marc. V: 36 NE TIME *parve grex, quia complacuit Patri veſtro vobis dare regnum*, Luc. XII: 32: Similiter per NE TIMETE VOBIS, Matth. XVII: 6. 7. Cap. XXVIII: 3. 4. 5. 10. Luc. I: 12. 13. 30. Cap. II: 9. 10. Cap. V: 8. 9. 10, & alibi. Ex his & illis conſtare poteſt, quod per timidis autem & infidis & abominabilibus, ſignificentur illi qui in nulla fide ſunt, & in nulla charitate, & inde in omnis generis malis.

892. *Et homicidis & ſcortatoribus & incantatoribus & idololatris & mendacibus, ſignificat omnes illos qui nihili faciunt præcepta Decalogi, & non fugiunt aliqua mala ibi nominata ut peccata, & ideo vivunt in illis.* Quid per quatvor præcepta Decalogi, quæ ſunt non occides, non adulteraberis, non furaberis, & non falſe teſtaberis, in triplici ſenſu, naturali, ſpirituali, & cæleſti, ſignificatur, videatur in DOCTRINA VITÆ PRO NOVA HIEROSOLYMA, n. 62 ad 91, quare non opus eſt illa hic iterum explicare; ſed pro Septimo præcepto, quod eſt non furaberis, nominantur hic incantatores & idololatræ, & per incantatores ſignificantur qui inquirunt vera, quæ falſificant, ut per illa confirment falſa & ma-

la,

la, ſicut faciunt illi qui aſſumunt hoc verum, Quod nemo poſſit facere bonum a ſe, & per id confirmant ſolam fidem, hoc enim eſt ſpecies furti ſpiritualis; quid porro incantatio, videatur ſupra n. 462; per Idololatras ſignificantur qui non ex Verbo, ita non ex Domino, ſed ex propria intelligentia inſtituunt cultum, aut in cultu ſunt, n. 459, ut quoque fecerunt, qui ex unico dicto Pauli falſe intellecto, & non ex ullo Verbo Domini, doctrinam univerſalem Eccleſiæ fabricaverunt, quod etiam eſt ſpecies furti ſpiritualis; per mendaces ſignificantur qui in falſis ſunt ex malo, n. 924.

893. *Pars illorum in ſtagno ardente igne & ſulphure, quod ſignificet illis infernum ubi amores falſi & cupiditates mali ſunt*, patet a ſupra explicatis n. 835. 873, 872
ubi ſimilia verba.

894. *Quæ eſt altera mors, quod ſignificet damnationem*, patet etiam ab explicatis ſupra n. 853. 873.

V. 9 895. *Et venit ad me unus ſeptem Angelorum habentium ſeptem phialas plenas ſeptem plagis ultimis, & loquutus eſt mecum, dicens, veni oſtendam tibi ſponſam Agni uxorem, ſignificat influxum & manifeſtationem a Domino ex intimo Cæli de Nova Eccleſia, quæ per Verbum erit conjuncta Domino.* Per unum ſeptem Angelorum habentium ſeptem phialas plenas ſeptem plagis ultimis, & loquutus mecum, intelligitur Dominus ex intimo Cæli influens, & per intimum Cælum loquens, hic manifeſtans illa quæ ſequuntur; quod per hunc Angelum intelligatur Dominus, patet ab explicatione Capitis XV, Verſ. 5 & 6, ubi hæc ſunt „ *Poſthæc vidi, cum ecce apertum eſt Templum Tabernaculi in Cælo, & exiverunt ſeptem Angeli habentes ſeptem plagas* „ quod per illa ſignificetur quod viſum ſit intimum Cæli, ubi Dominus in ſua ſanctitate, & in Lege quæ Decalogus eſt, videatur ſupra n. 669. 670: tum etiam ab Explicatione Capitis XVII, Verſ. 1, ubi hæc ſunt „ *Et venit unus ex Angelis habentibus ſeptem phialas, & loquutus eſt mecum dicens, veni oſtendam tibi judicium Meretricis magnæ* „; quod per illa ſignificetur influxus & revelatio a Domino ex intimo Cæli de Religioſo Catholico Romano, videatur ſupra n. 718. 719; inde patet, quod per venit ad me unus ſeptem Angelorum habentium ſeptem phialas plenas ſeptem plagis ultimis, & loquutus mecum dicens, intelligatur Dominus ex intimo Cæli influens, & quod per veni oſtendam tibi, ſignificetur manifeſtatio; & quod per ſponſam Agni uxorem, ſignificetur Nova Eccleſia, quæ per Verbum conjuncta erit Domino, ut n. 881: Eccleſia illa vocatur ſponſa quando inſtauratur, & uxor quando inſtaurata eſt, hic ſponſa uxor quia pro certo inſtauranda.

V. 10 896. *Et abſtulit me in ſpiritu ſuper montem magnum & altum, & oſtendit mihi urbem magnam ſanctam Hieroſolymam deſcendentem e cælo a Deo, ſignificat Johannem tranſlatum in Tertium Cælum, & viſum ejus ibi apertum, coram quo manifeſtata eſt Nova Domini Eccleſia quoad doctrinam in forma urbis.* Per abſtulit me in ſpiritu ſuper Montem magnum & altum, ſignificatur quod Johannes tranſlatus ſit in tertium Cælum, ubi illi qui in amore a Domino ſunt, & in doctrina genuini veri ab Ipſo; magnum etiam prædicatur de bono amoris, & altum de veris; quod per ablatum in montem ſignificetur in Tertium Cælum, eſt quia dicitur in ſpiritu, & qui in ſpiritu eſt, quoad mentem & ejus viſum eſt in Mundo

spirituali, & ibi Angeli Tertii Cæli habitant super montibus, Angeli Secundi Cæli super collibus, & Angeli ultimi Cæli in vallibus inter colles & montes; quare cum quis in spiritu aufertur in Montem, significatur in Tertium Cælum; hæc ablatio fit momento, quia fit per mutationem status mentis; per ostendit mihi, significatur visus tunc apertus, & manifestatio; per Urbem magnam sanctam Hierosolymam descendentem e Cælo a Deo, significatur Nova Domini Ecclesia, ut supra n. 878. 879, ubi etiam explicatum est, unde est quod dicatur Sancta, & quod dicatur descendens e Cælo a Deo; quod visa sit in forma Urbis, est quia urbs significat doctrinam, n. 194. 712, & Ecclesia est Ecclesia ex doctrina & ex vita secundum illam; visa etiam est ut urbs, ut describatur quoad omne quale ejus, & hoc describitur per ejus murum, portas, fundamenta, & per varias mensuras. Similiter describitur Ecclesia apud Ezechielem, ubi etiam dicitur, quod Propheta *in visionibus Dei deductus sit super montem altum valde, viderit Urbem a meridie, quam angelus etiam quoad murum & portas, & quoad latitudines & altitudines, mensus est*, Cap. XL: 2 seq: Simile intelligitur per hæc apud Sachariam „ *Dixi Angelo quo tu pergis, dixit ad metiendum Hierosolymam, ut videam quanta latitudo ejus, & quanta longitudo ejus* „ II: 6.

897. *Habentem gloriam Dei, & lumen ejus simile lapidi pretiosissimo, tanquam lapidi jaspidi instar chrystalli splendenti, significat quod in illa Ecclesia erit Verbum intellectum, quia translucens ex Sensu spirituali ejus.* Per gloriam Dei significatur Verbum in sua Divina luce, de qua sequitur; per lumen ejus significatur Divinum Verum ibi, hoc enim intelligitur per lucem in Verbo, n. 796. 799; per simile lapidi pretiosissimo, tanquam lapidi jaspidi instar chrystalli splendenti, significatur id lucens & translucens ex sensu spirituali ejus, de quo etiam sequitur. Per illa verba describitur intellectus Verbi apud illos, qui in doctrina Novæ Hierosolymæ, & in vita secundum illam sunt; apud hos Verbum quasi lucet cum legitur, lucet a Domino medio sensu spirituali, quia Dominus est Verbum, & sensus spiritualis est in luce Cæli quæ procedit a Domino ut Sole, & Lux quæ procedit a Domino ut Sole, est in sua essentia Divinum Verum Divinæ sapientiæ Ipsius. Quod in singulis Verbi sit Sensus spiritualis, in quo sunt Angeli, & a quo est sapientia illorum, & quod Verbum transluceat ex luce illius sensus apud illos qui a Domino in genuinis veris sunt, in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, ostensum est. Quod per Gloriam Dei intelligatur Verbum in sua Divina luce, constare potest ex his locis „ VERBUM CARO FACTUM *est, & vidimus* GLORIAM IPSIUS *sicut* GLORIAM *Unigeniti a Patre*, Joh. I: 14; quod per Gloriam intelligatur gloria Verbi seu Divinum Verum in Ipso, patet, quoniam dicitur Verbum Caro factum est: simile per gloriam intelligitur in sequentibus, ubi dicitur, GLORIA DEI *illustravit illam, & Lucerna ejus Agnus*, Vers. 23. Simile intelligitur per GLORIAM, *in qua visuri sunt Filium hominis quando venturus est in nubibus Cæli*, Matth. XXIV: 30. Marc. XIII: 25, videatur supra n. 24. 642. 820: nec aliud per *Thronum* GLORIÆ *super quo sedebit Dominus cum venturus est ad ultimum judicium*, Matth. XXV: 31, quia judicaturus est unumquemvis secundum vera Verbi,

quare

quare etiam dicitur, quod venturus sit in gloria sua. Quando Dominus transformatus est, etiam dicitur quod *Moses & Elias visi sint in* GLORIA, Luc. IX: 30. 31, per Mosen & Eliam significatur ibi Verbum; Ipse etiam Dominus tunc dedit se videndum coram discipulis ut Verbum in gloria sua: quod Gloria significet Divinum Verum, videantur plura ex Verbo supra n. 629. Quod Verbum comparetur lapidi pretiosissimo tanquam Lapidi jaspidi instar Chrystalli splendenti, est quia lapis pretiosus significat Divinum verum Verbi, n. 231. 540. 726. 823, & lapis jaspis significat Divinum Verum Verbi in sensu literæ translucens ex Divino Vero in sensu spirituali, hoc significatur per lapidem Jaspidem Exod. XXVIII: 20. Ezech. XXVIII: 13, & in sequentibus in hoc Capite, ubi dicitur, *Quod structura muri sanctæ Hierosolymæ esset* JASPIS, Vers. 18; & quia Verbum in sensu literæ translucet ex sensu spirituali ejus, dicitur jaspis instar Chrystalli splendens; omnis illustratio, quæ est illis qui in Divinis Veris a Domino sunt, est inde.

V, 12 898. *Habentem murum magnum & altum*, *significat Verbum in sensu literæ ex quo doctrina Novæ Ecclesiæ.* Cum per Urbem Sanctam Hierosolymam intelligitur Nova Domini Ecclesia quoad doctrinam, per Murum ejus non aliud intelligitur quam Verbum in sensu literæ, ex quo doctrina, ille enim sensus tutatur sensum spiritualem, qui intus latet, sicut murus urbem & habitatores ejus: quod sensus literæ sit basis, continens & firmamentum sensus spiritualis ejus, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 27 ad 36; quodque ille sensus sit custodia, ne Divina Vera interiora, quæ sunt sensus spiritualis ejus, lædantur, n. 97 ibi: tum quod Doctrina Ecclesiæ ex sensu literæ Verbi haurienda sit, & per illum confirmanda, n. 50 ad 61, ibi. Dicitur murus magnus & altus, quia intelligitur Verbum quoad Divinum Bonum & Divinum Verum, magnum enim prædicatur de bono, & altum de vero, ut supra n. 896. Per Murum significatur id quod tutatur, & ubi de Ecclesia, significatur Verbum in sensu literæ etiam in sequentibus locis „ *Super* MUROS TUOS HIEROSOLYMA *constitui custodes, die & nocte non tacebunt, commemorantes Jehovam*, Esaj. LXII: 6. *Vocabunt te Urbem Jehovæ, Zionem Sancti Israelis, &* VOCABIS SALUTEM MUROS TUOS, *& portas tuas laudem*, Esaj. LX: 14. 18. *Jehovah erit in* MURUM IGNIS *circum, & in gloriam in medio ejus*, Sach. II: 9. *Filii Arvadi super* MURIS *tuis, & Gammadæi suspenderunt scuta sua super* MURIS *circumcirca, & perfecerunt pulchritudinem tuam*, Ezech. XXVII: 11; hæc de Tyro, per quam significatur Ecclesia quoad cognitiones veri ex Verbo. *Discurrite per plateas Hierosolymæ, & videte si sit quærens veritatem; ascendite in* MUROS EJUS, *& dejicite*, Jerem. V: 1. 10. *Cogitavit Jehovah perdere* MURUM FILIÆ ZIONIS, *lugere fecit* ANTEMURALE *&* MURUM, *simul languent, non lex & prophetæ*, Thren. II: 8. 9. *In* URBE *discurrent, in* MURO CURRENT, *in domos ascendent, per fenestras ingredientur*, Joel II: 9, hæc de falsificationibus veri. *Interdiu & noctu circumeunt impii in* URBE, *super* MURIS EJUS, *perditiones in medio eorum*, Psalm. LV: 11. 12, præter alibi, ut Esaj. XXII: 5. Cap. LVI: 5. Jerem. I: 15. Ezech. XXVII: 11. Thren. II: 7. Quod Verbum in sensu literæ per Murum significetur, patet clare ex sequentibus hujus Capi-

B. a. 5

B. a. 10, 11

Capitis, quod de Muro, ejus portis, fundamentis & mensuris multum agatur; causa est, quia Doctrina Novæ Ecclesiæ, quæ per Urbem significatur, unice est ex sensu literæ Verbi.

899. *Habentem portas duodecim, significat ibi omnes cognitiones veri & boni, per quas homo introducitur in Ecclesiam.* Per portas significantur cognitiones veri & boni ex Verbo, quia per illas homo introducitur in Ecclesiam, murus enim, in quo portæ erant, significat Verbum, de quo mox supra n. 898, & in sequentibus dicitur, *quod duodecim portæ duodecim margaritæ essent, unaquævis portarum una margarita*, Vers. 21, & per margaritas significantur cognitiones veri & boni, n. 727; quod homo per illas introducatur in Ecclesiam, sicut per portas in urbem, patet: quod duodecim significent omnes, videatur supra n. 348. Per Portas significantur cognitiones veri & boni, etiam in his locis ,, FUNDAMENTA *tua ponam in sapphiris, & ponam pyropum soles tuos, &* PORTAS *tuas in lapides carbunculi*, Esaj. LIV: 11. 12. *Amans Jehovah* PORTAS ZIONIS *præ omnibus habitaculis Jacobi, gloriosa prædicanda est in te* URBS DEI, Psalm. LXXXVII: 2. 3. *Intrate per* PORTAS IPSIUS *in confessione, confitemini Ipsi, benedicite Nomini Ipsius*, Psalm. C: 4. *Stantes fuerunt pedes nostri in* PORTIS TUIS, HIEROSOLYMA, *Hierosolyma ædificata sicut Urbs quæ cohæret una*, Psalm. CXXII: 2. 3. *Lauda Hierosolyma Jehovam, nam firmat vectes* PORTARUM *tuarum, benedicit filiis tuis in medio tui*, Psalm. CXLVII: 12. 13. *Ut enumerem omnes laudes tuas in* PORTIS FILIÆ ZIONIS, Psalm. IX: 15. *Aperite* PORTAS, *ut ingrediatur Gens justa custodiens fidelitates*, Esaj. XXVI: 3. *Extollite vocem ut veniant* PORTÆ PRINCIPUM, Esaj. XIII: 2. *Beati qui faciunt mandata Ipsius, & per* PORTAS *ingrediuntur in Urbem*,,, Apoc. XXII: 14. *Attollite* PORTÆ *Capita vestra, ut ingrediatur Rex gloriæ*, Psalm. XXIV: 7. 9. *Viæ Zionis lugentes, omnes* PORTÆ EJUS *devastatæ sunt, sacerdotes ejus gemunt*, Thren. I: 4. *Luxit Jehudah, &* PORTÆ EJUS *languescentes factæ sunt*, Jerem. XIV: 2. *Cogitavit Jehovah perdere* MURUM FILIÆ ZIONIS, *subsederunt in terram* PORTÆ EJUS, Thren. II: 8. 9. *Qui peccare faciunt hominem in Verbo, & corripientem in* PORTA *illaqueant*, Esaj. XXIX: 21. *Elegit deos novos, tunc oppugnare cæpit* PORTAS, Judic. V: 8. Præter alibi, ut Esaj. III: 25. 26. Cap. XIV: 31. Cap. XXII: 7. Cap. XXIV: 12. Cap. XXVIII: 6. Cap. LXII: 10. Jer. I: 15. Cap. XV: 7. Cap. XXXI: 38. 40. Mich. II: 13. Nah. III: 13. Jud. V: 11. Quoniam Portæ significabant vera introducentia, quæ sunt cognitiones ex Verbo, ideo Seniores Urbis sedebant in Portis, & judicabant, ut patet ex Deutr. XXI: 18 ad 22. Cap. XXII: 15. Thren. V: 14. Amos V: 12. 15. Sach. VIII: 16.

900. *Et super portis Angelos duodecim, & nomina superscripta quæ sunt duodecim Tribuum filiorum Israelis, significat Divina vera & bona Cæli, quæ etiam sunt Divina vera & bona Ecclesiæ, in cognitionibus illis, & quoque custodias, ne quis intret nisi in illis sit ex Domino.* Per Angelos duodecim significantur hic omnia vera & bona Cæli, quoniam per Angelos in supremo sensu significatur Dominus, in communi sensu Cælum ex Angelis, & in particulari sensu vera & bona Cæli a Domino, videatur n. 5. 170. 258. 344. 415. 465. 647. 648. 657. 718; hic vera bona Cæli, quia sequitur, & nomina superscripta, quæ sunt duodecim Tri-

Tribuum filiorum Iſraelis, per quæ ſignificantur omnia vera & bona Eccleſiæ, n. 349. Per ſuper portis, ſignificatur in cognitionibus illis, quia *ſuper* in Verbo ſignificat *intra*, cauſa eſt quia id quod ſupremum eſt in Ordine ſucceſſivo fit intimum in Ordine ſimultaneo, quare Cælum tertium vocatur tam ſupremum quam intimum Cælum; inde eſt quod ſupra portis ſignificet in cognitionibus veri; per nomina ſuperſcripta, ſignificatur omne quale eorum, ita quoque in illis, nam omne quale eſt ex internis in externis. Quod per eadem verba ſignificentur cuſtodiæ ne quis intret in Eccleſiam, niſi in cognitionibus illis ſit ex Domino, patet, quia angeli viſi ſunt ſtantes ſuper portis, & quoque nomina tribuum Iſraelis erant ſcripta ſuper illis. Dicitur quod vera & bona Cæli & Eccleſiæ ſint in cognitionibus quæ ſunt ex Verbo, per quas fit introductio in Eccleſiam, quia cognitiones veri & boni ex Verbo, quando in illis eſt ſpirituale e Cælo a Domino, non vocantur cognitiones, ſed vera, at ſi non in illis eſt ſpirituale e Cælo a Domino, non ſunt niſi quam ſcientifica.

901. *Ab Oriente portæ tres, a Septentrione portæ tres, a Meridie portæ tres, & ab Occaſibus portæ tres, ſignificat quod cognitiones veri & boni, in quibus ſpiritualis vita eſt e Cælo a Domino, per quas fit introductio in Novam Eccleſiam, ſint pro illis qui in amore ſeu affectione boni ſunt plus & minus, & pro illis qui in ſapientia ſeu affectione veri ſunt plus & minus.* Per portas nunc ſignificantur cognitiones veri & boni, in quibus ſpiritualis vita eſt e Cælo a Domino, quia ſuper portis erant duodecim Angeli, & nomina duodecim tribuum filiorum Iſraelis ſcripta, per quæ illa vita in cognitionibus illis ſignificatur, ut patet ab explicatis mox ſupra n. 900; quod portæ ſignificent cognitiones veri & boni, per quas fit introductio in Novam Eccleſiam, videatur ſupra n. 899: quod tres portæ ab Oriente, tres a Septentrione, tres a Meridie, & tres ab Occaſibus eſſent, eſt quia per Orientem ſignificatur amor & affectio boni in gradu ſuperiori, ita plus, & per Occaſus ſignificatur amor & affectio boni in gradu inferiori, ita minus, per Meridiem ſignificatur ſapientia & affectio veri in gradu ſuperiori, ita plus, & per Septentrionem ſignificatur ſapientia & affectio veri in gradu inferiori, ita minus; quod illa per Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem ſignificentur, eſt quia Dominus eſt Sol Mundi ſpiritualis, & a facie Ipſius ſunt Oriens & Occidens, & a lateribus ſunt Meridies & Septentrio, a latere dextro Meridies, & a ſiniſtro Septentrio; quare illi qui in amore in Dominum & inde in affectione ſunt plus, habitant in Oriente, qui minus in Occidente, & qui in ſapientia ex affectione veri ſunt plus, habitant in Meridie, & qui minus in Septentrione. Quod in tali ordine ſint habitationes Angelorum Cæli, videatur in Opere DE CÆLO ET INFERNO, Londini 1758 edito, n. 141 ad 153. Quod portæ eſſent tres ab unaquavis plaga, eſt quia tres ſignificant omnes, n. 400. 505.

902. *Et murus Urbis habens fundamenta duodecim, ſignificat quod Verbum in ſenſu literæ contineat omnia doctrinæ Novæ Eccleſiæ.* Per Murum Urbis ſignificatur Verbum in ſenſu literæ, n. 898; & per fundamenta duodecim ſignificantur omnia doctrinæ Eccleſiæ, per fundamenta ſignificantur doctrinalia, & per duodecim omnia; etiam Eccleſia fundatur ſuper doctrina, docet enim quomo-

do credendum est & quomodo vivendum, & doctrina non aliunde quam ex Verbo haurienda est; quod ex sensu literæ Verbi, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 50 ad 61. Quoniam omnia doctrinæ per duodecim fundamenta Muri Urbis Novæ Hierosolymæ significantur, & Ecclesia est Ecclesia ex doctrina, ideo de fundamentis ejus in specie agitur infra Vers. 19. 20. In Verbo aliquoties nominantur fundamenta terræ, & per illa non intelliguntur fundamenta terræ, sed fundamenta Ecclesiæ, Terra enim significat Ecclesiam, n. 285; & fundamenta Ecclesiæ non alia sunt, quam quæ ex Verbo sunt, & vocantur doctrinalia; ipsum enim Verbum est quod fundat Ecclesiam. Doctrinalia ex Verbo etiam significantur per fundamenta in his locis ,, *Annon intelligitis* FUNDAMENTA TERRÆ, Esaj. XL: 21. *Ponam verba mea in os tuum ad plantandum Cælos & ad* FUNDANDUM TERRAM, Esaj. LI: 16. *Non agnoscunt, non intelligunt, in tenebris ambulant, vacillant omnia* FUNDAMENTA TERRÆ, Psalm. LXXXII: 5. *Verbum Jehovæ extendentis Cælos &* FUNDANTIS TERRAM, *& formantis spiritum hominis in medio ejus*, Sach. XII: 1. *Jehovah accendit ignem in Zione, qui comedit* FUNDAMENTA EJUS, Thren. IV: 11. *Impii jaculantur in tenebris rectos corde, quia* FUNDAMENTA *subruuntur*, Psalm. XI: 2. 3. *Audite montes litem Jehovæ, robora*, FUNDAMENTA TERRÆ, *quia lis Jehovæ cum populo suo*, Mich. VI: 2. *Cataractæ ab alto apertæ sunt, & commota sunt* FUNDAMENTA TERRÆ, *confracta est terra, disrupta est terra, commota est terra*, Esaj. XXIV: 18. 19. 20; præter alibi, ut Esaj. XIV: 32. Cap. XLVIII: 13. Cap. LI: 13. Psalm. XXIV: 2. Ps. CII: 26. Ps. CIV: 5. 6. II Sam. XXII: 8. 16. Qui non cogitat quod Terra significet Ecclesiam, non potest nisi quam mere naturaliter imo materialiter cogitare hic, ubi legit fundamenta terræ; similiter ut foret, si non cogitaret quod Urbs Hierosolyma hic significet Ecclesiam, dum legit murum, portas, fundamenta, plateas, mensuras ejus, & plura quæ in hoc Capite describuntur ut urbis, cum tamen sunt Ecclesiæ, ita non materialiter sed spiritualiter intelligenda.

903. *Et in illis nomina duodecim Apostolorum Agni, significat omnia doctrinæ ex Verbo de Domino & de Vita secundum præcepta Ipsius.* Quod in fundamentis scripta sint nomina duodecim Apostolorum Agni, est quia per duodecim Apostolos significatur Ecclesia Domini quoad omnia ejus, n. 79. 233. 790, hic quoad omnia doctrinæ ejus, quia nomina illorum scripta sunt super duodecim fundamentis, per quæ significantur omnia doctrinæ Novæ Hierosolymæ, n. 902; per duodecim nomina significatur omne quale ejus, & omne quale ejus se refert ad duo in Doctrina & inde in Ecclesia illa, de Domino & de Vita secundum præcepta Ipsius, ideo hæc significantur. Quod omnia Doctrinæ Novæ Hierosolymæ se referant ad illa duo, est quia sunt universalia ejus, ex quibus omnia singularia pendent, & sunt essentialia ex quibus omnia formalia procedunt, sunt inde sicut anima & vita omnium doctrinæ ejus: sunt quidem duo, sed non potest unum separari ab altero, nam separare illa foret sicut separare Dominum ab homine, & hominem a Domino, & tunc non est Ecclesia: hæc duo conjuncta sunt sicut duæ Tabulæ legis, quarum una continet illa quæ Domini sunt, & altera quæ hominis, quare vocantur fœdus, & fœdus significat con-

conjunctionem; cogita quid foret cum illis Tabulis legis, si prima solum exstaret & altera avelleretur, vel si altera exstaret & prima avelleretur, annon foret sicut Deus non videret hominem, aut sicut homo non videret Deum, & sicut recederet unus ab altero. Hæc dicta sunt, ut sciatur, quod omnia Doctrinæ Novæ Hierosolymæ se referant ad amorem in Dominum & ad amorem erga proximum; amor in Dominum est fidem in Dominum habere & facere præcepta Ipsius, & facere præcepta Ipsius est amor erga proximum, quoniam facere præcepta Ipsius, est usus facere proximo; quod illi ament Dominum qui faciunt præcepta Ipsius, Ipse Dominus docet apud Johannem Cap. XIV: 21 ad 24; & quod amor in Deum & amor erga proximum, sint duo præcepta ex quibus pendent Lex & Prophetæ, Matth. XXII: 35 ad 38; per Legem & Prophetas intelligitur Verbum in toto complexu.

904. *Et loquens cum me habebat calamum aureum, ut metiretur urbem & portas ejus & murum ejus, significat quod detur a Domino illis qui in bono amoris sunt facultas intelligendi & sciendi qualis est Nova Domini Ecclesia quoad doctrinam & ejus vera introducentia, & quoad Verbum ex quo.* Et loquens cum me, significat Dominum e Cælo, quia erat Angelus unus ex septem Angelis habentibus septem phialas, de quo supra Vers. 9, per quem intelligitur Dominus e Cælo loquens n. 895; per calamum significatur potentia seu facultas ex bono amoris, per calamum potentia seu facultas, n. 485, & per aurum, bonum amoris, n. 211. 726; per metiri significatur cognoscere quale rei, ita intelligere & scire, n. 486; per Urbem quæ erat Sancta Hierosolyma, significatur Ecclesia quoad Doctrinam, n. 878. 879; per portas significantur cognitiones veri & boni ex sensu literæ Verbi, quæ ex spirituali vita in illis sunt vera & bona, n. n. 899; & per murum significatur Verbum in sensu literæ, ex quo, n. 898: ex his patet, quod per loquens cum me habebat calamum aureum, ut metiretur urbem & portas ejus & murum ejus, significetur quod detur a Domino illis qui in bono amoris sunt facultas intelligendi & sciendi qualis est Nova Domini Ecclesia quoad doctrinam & ejus vera introducentia, & quoad Verbum ex quo. Quod hæc significentur, prorsus non videri potest in sensu literæ, in eo enim solum videtur, quod unus Angelus cum Johanne loquens habuerit calamum aureum, ut metiretur urbem, portas & murum, sed tamen quod alius sensus, qui est spiritualis, illis insit, patet manifeste ex eo, quod per Urbem Hierosolymam non intelligatur aliqua Urbs, sed Ecclesia, quare omnia quæ dicuntur de Hierosolyma ut Urbe, significant talia quæ Ecclesiæ sunt, & omnia Ecclesiæ in se spiritualia sunt. Talis sensus spiritualis etiam inest illis quæ dicuntur supra Cap. XI, ubi hæc „ *Datus est mihi calamus similis baculo, & Angelus adstitit dicens, surge & metire Templum Dei & Altare & adorantes in eo*, Vers. 1. Similis etiam sensus spiritualis inest omnibus illis, *quæ Angelus calamo mensus est*, apud Ezechielem, Cap. XL ad XLVIII. Etiam his apud Sachariam „ *Sustuli oculos meos & vidi, cum ecce vir, cujus in manu funiculus mensuræ, & dixi, quo pergis, qui dixit ad me, ad metiendum Hierosolymam, ut videam quanta latitudo ejus & quanta longitudo ejus*, Cap. II: 5. 6. Imo talis sensus spiritualis inest omnibus Tabernaculi & omnibus Templi in Hiero-

solyma, quæ mensurata leguntur, & quoque ipsis mensuris illorum; & tamen nihil eorum videri potest in sensu literæ.

905. *Et Urbs quadrangularis sita est, significat justitiam in illa.* Quod Urbs visa sit quadrangularis, est quia quadrangulare seu quadratum significat justum, nam triangulare significat rectum, omnia illa in ultimo gradu, qui est naturalis: quadrangulare seu quadratum significat justum, quia sunt ei quatuor latera, & quatuor latera spectant quatuor plagas, & æqualiter spectare quatuor plagas, est ex justo omnia, quare tres portæ ab unaquavis plaga patebant in urbem, & dicitur apud Esajam, *Aperite portas, ut ingrediatur* GENS JUSTA *custodiens fidelitates*, XXVI: 2. Urbs quadrangularis sita est, ut longitudo & latitudo ejus essent æquales, & per longitudinem significatur bonum illius Ecclesiæ, & per latitudinem verum ejus, & quando bonum & verum æqualia sunt, tunc est justum. Ex hac significatione quadrati est quod in communi sermone dicatur vir quadratus, qui est vir qui non ad hanc vel ad illam partem declinat ex injusto. Quia Quadratum significat justum, ideo *Altare holocausti*, per quod significabatur cultus ex bono & inde vero cælesti, *erat quadratum*, Exod. XXVIII: 1; tum *Altare suffitus*, per quod significabatur cultus ex bono & inde vero spirituali, etiam *erat quadratum*, Exod. XXX: 1. 2. ~~Cap. XXXIX: 9~~: & quoque *Pectorale judicii*, in quo erat Urim & Thumim, erat quadratum duplicatum, Exod. XXVIII: 15, præter alia.

906. *Longitudo ejus tanta est quanta & latitudo, significat quod bonum & verum in illa Ecclesia unum faciant sicut essentia & forma.* Per longitudinem Urbis Hierosolymæ significatur bonum Ecclesiæ, & per latitudinem ejus significatur verum Ecclesiæ; quod per latitudinem significetur verum, supra n. 861, ex Verbo ostensum est. Quod per Longitudinem significetur bonum, hic bonum Ecclesiæ, est ex eadem causa, ex qua Latitudo significat verum; causa est, quia extensio Cæli ab Oriente in Occidentem intelligitur per Longitudinem, & extensio Cæli a meridie in septentrionem intelligitur per Latitudinem, & Angeli qui in Oriente & Occidente cæli habitant, in bono amoris sunt, & Angeli qui in Meridie & Septentrione Cæli, in veris sapientiæ sunt, videatur supra n. 901: simile est cum Ecclesia in terris, nam omnis homo qui in bonis & veris Ecclesiæ ex Verbo est, consociatus est Angelis Cæli, & cum illis quoad interiora mentis cohabitat, illi qui in bono amoris sunt, in Oriente & Occidente Cæli, & illi qui in veris sapientiæ sunt, in Meridie & Septentrione Cæli: hoc quidem nescit homo, sed tamen unusquisque post mortem in suum locum venit; inde nunc est, quod per Longitudinem, cum de Ecclesia, significetur bonum ejus, & per Latitudinem verum ejus: quod de Ecclesia non possit prædicari longum & latum, sed quod de Urbe, per quam significatur Ecclesia, possit, patet. Quod significetur, quod bonum & verum in illa Ecclesia unum faciant sicut essentia & forma, est quia dicitur, quod longitudo ejus tanta sit, quanta & latitudo, & per longitudinem significatur bonum Ecclesiæ, & per latitudinem verum ejus, ut dictum est: quod unum faciant sicut essentia & forma, est quia verum est forma boni, & bonum est essentia veri, ac essentia & forma unum faciunt.

907. *Et mensus est urbem calamo ad stadia duodecies mille, longitudo & latitudo & altitudo ejus æqualia erant, significat ostensum quale illius Ecclesiæ ex doctrina, quod omnia ejus essent ex bono amoris.* Per metiri calamo significatur cognoscere quale rei, n. 904; & quia Angelus coram Johanne mensus est, significatur id ostendere ut cognosceret; per Urbem hic Hierosolymam, significatur Nova Domini Ecclesia quoad doctrinam, n. 878. 879; per stadia duodecies mille, significantur omnia bona & vera istius Ecclesiæ; quod duodecim millia significent similia cum duodecim, & quod duodecim significent omnia bona & vera, & dicantur de Ecclesia, videatur supra n. 348. per stadia significantur similia quæ per mensuras, & per mensuras significatur quale, n. 313. 486. Quod longitudo, latitudo & altitudo dicantur æqualia, est ut significetur quod omnia istius Ecclesiæ essent ex bono amoris; per longitudinem enim significatur bonum amoris, & per latitudinem verum ex illo bono, n. 906, & per altitudinem significatur bonum & verum simul in omni gradu, nam altitudo est a supremo ad imum, & supremum ad imum descendit per gradus, qui vocantur gradus altitudinis, in quibus sunt Cæli a Supremo seu Tertio ad Ultimum seu Primum; de his gradibus actum videatur in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA in Parte Tertia. Quod longitudo & latitudo & altitudo sunt æqualia significet quod omnia sint ex bono amoris, est quia longitudo, quæ significat bonum amoris, præcedit, & latitudo est ei æqualis, ita sicut longitudo, tum etiam altitudo; alioquin quid foret quod altitudo urbis foret 12000 stadiorum, sic immensum ascenderet supra nubes, imo supra athmosphæram aeream, cujus altitudo non excedit 30 stadia, imo ascenderet immensum in æthere versus Zenith. Quod per illa tria æqualia, significetur quod omnia illius Ecclesiæ sint ex bono amoris, patet etiam a sequentibus, nam dicitur quod *Urbs esset aurum purum simile vitro puro*, Vers. 18; & quoque quod *platea urbis esset aurum purum tanquam vitrum pellucidum* Vers. 21, & per aurum significatur bonum amoris. Quod omnia Cæli & Ecclesiæ sint ex bono amoris, & bonum amoris ex Domino, videbitur in sequente Articulo.

908. Quod omnia Cæli & Ecclesiæ sint ex bono amoris, & bonum amoris ex Domino, non videri potest, & inde nec sciri, nisi demonstretur; quod non sciatur quia non videtur, est quia bonum non intrat cogitationem hominis sicut verum, verum enim in cogitatione videtur, quia est ex luce Cæli, at bonum modo sentitur quia est ex calore Cæli, & raro aliquis, dum reflectit super illa quæ cogitat, attendit ad illa quæ sentit, sed quæ videt: hæc causa est, quod eruditi attribuerint cogitationi omnia, & non affectioni; & quod Ecclesia attribuerit fidei omnia, & non amori, cum tamen verum quod hodie in Ecclesia vocatur fidei vel fides, est modo forma boni quod est amoris, videatur supra n. 875: nunc quia homo non videt bonum in cogitatione sua, bonum enim, ut dictum est, modo sentitur, & sentitur sub varia specie jucundi, & quia homo non attendit ad ea quæ in cogitatione sentit, sed quæ ibi videt, ideo omne id vocat bonum quod ex jucundo sentit, & ex jucundo sentit malum, quia hoc ingeneratum est ex nativitate, & procedit ex amore sui & mundi; hæc causa est, quod nesciatur quod bonum amoris sit omne Cæli &

Eccleſiæ, & quod hoc in homine non ſit niſi a Domino, & quod non influat a Domino apud alium, quam qui fugit mala cum jucundis eorum ut peccata. Hæc ſunt quæ intelliguntur per Domini verba, quod Lex & Prophetæ pendeant a duobus mandatis his, AMABIS DEUM SUPER OMNIA, ET PROXIMUM SICUT TE IPSUM, Matth. XXII: 35 ad 38: & aſſeverare poſſum, quod non detur granum veri, quod in ſe verum eſt, apud hominem, niſi quantum id eſt ex bono amoris a Domino, & inde nec granum fidei quæ in ſe eſt fides, hoc eſt, viva, ſalutifera & ſpiritualis, niſi quantum id eſt ex charitate quæ a Domino. Quoniam bonum amoris eſt omne Cæli & Eccleſiæ, ideo univerſum Cælum & univerſa Eccleſia a Domino ordinata ſunt ſecundum affectiones amoris, & non ſecundum aliquid cogitationis ſeparatæ ab illis; cogitatio enim eſt affectio in forma, ſicut loquela eſt ſonus in forma.

v. 17 909. *Et menſus eſt murum ejus, centum quadraginta quatvor cubitorum, ſignificat quod oſtenſum ſit quale eſt Verbum in illa Eccleſia, quod ex illo ſint omnia vera & bona ejus.* Per menſus eſt, ſignificatur oſtenſum quale, ut ſupra n. 908; 907 per murum ſignificatur Verbum in ſenſu literæ, n. 898; per centum quadraginta quatvor ſignificantur omnia vera & bona Eccleſiæ ex Verbo, n. 348; per cubitos ſignificatur quale, ſimile quod per menſuram: per 144 enim ſignificatur ſimile quod per 12, quia ex 12 multiplicatis ſeu ductis in 12 exſurgit numerus 144, & multiplicatio non aufert ſignificationem.

910. *Menſura hominis quæ eſt Angeli, ſignificat quale Eccleſiæ iſtius quod unum faciat cum Cælo.* Per menſuram ſignificatur quale rei, n. 313. 486; per Hominem hic ſignificatur Eccleſia ex hominibus, & per Angelum ſignificatur Cælum ex Angelis; inde per menſuram Hominis quæ eſt Angeli, ſignificatur quale Eccleſiæ quod unum faciat cum Cælo. Per hominem in Verbo ſignificatur intelligentia & ſapientia ex Verbo, n. 243, ac intelligentia & ſapientia ex Verbo apud hominem, eſt Eccleſia apud illum, inde per hominem in concreto ſeu in communi, hoc eſt, cum ſocietas ſeu cætus vocatur Homo, in ſpirituali ſenſu intelligitur Eccleſia; inde eſt quod prophetæ dicti fuerint filii hominis, & quod Ipſe Dominus ſe vocaverit Filium hominis, & Filius hominis eſt Verum Eccleſiæ ex Verbo, & cum de Domino eſt Ipſum Verbum ex quo Eccleſia. Per Angelum ſignificantur tria, in ſupremo ſenſu Dominus, in communi ſenſu Cælum aut ſocietas cæleſtis, & in particulari Divinum Verum, quod hæc tria per Angelum ſignificentur, videatur n. 5. 66. 170. 258. 342. 344. 415. 465. 644. 647. 648. 657. 718, hic Cælum cum quo Nova Domini Eccleſia unum faciet. Quod Eccleſia quæ ex Verbo ita a Domino eſt Eccleſia, in conſociatione ſit cum Cælo, & in conjunctione cum Domino, videatur ſupra n. 818; aliter Eccleſia quæ non ex Verbo Domini eſt.

v. 18 911. *Et erat ſtructura muri ejus jaſpis, ſignificat quod omne Divinum Verum Verbi in ſenſu literæ apud homines iſtius Eccleſiæ transluceat ex Divino Vero in ſenſu ſpirituali.* Per murum ſignificatur Verbum in ſenſu literæ, n. 898; per ſtructuram ejus, ſignificatur omne ejus, quia omne ejus eſt in ſtructura; per jaſpidem ſignificatur ſimile quod per lapidem pretioſum in ſumma, & per lapidem pretioſum, cum de Verbo, ſignificatur Divinum Verum Verbi in ſenſu lite-

literæ translucens ex Divino Vero in sensu spirituali, n. 231. 540. 726. 823; quod simile per jaspidem, videatur supra n. 897. Quod transluceat, est quia Divinum Verum in sensu literæ est in luce naturali, & Divinum verum in sensu spirituali est in luce spirituali, quare cum lux spiritualis influit in lucem naturalem apud hominem, qui legit Verbum, illustratur ille, & videt vera ibi, nam objecta lucis spiritualis sunt vera; Verbum etiam in sensu literæ tale est, ut quo plus homo illustratur per influxum lucis Cæli, eo plus videat vera ex nexu & inde forma illorum, & quo plus ita videt illa, eo interius aperitur rationale ejus, nam rationale est ipsum receptaculum lucis Cæli.

912. *Et Urbs aurum purum simile vitro puro, significat quod inde omne Ecclesiæ illius sit bonum amoris influens una cum luce e Cælo a Domino.* Per Urbem, seu Hierosolymam, intelligitur nova Domini Ecclesia quoad omne ejus interius seu intra murum spectata; per aurum significatur bonum amoris a Domino, de quo sequitur; & per simile vitro puro, significatur pellucens ex Divina sapientia, & quia hæc apparet in Cælo ut lux, & influit a Domino ut Sole, per simile vitro pro, significatur influens una cum luce e Cælo a Domino. Supra n. 908 ostensum est, quod omnia Cæli & Ecclesiæ sint ex bono amoris, & bonum amoris ex Domino; hic nunc dicitur, quod Urbs visa sit ut aurum purum, per quod significatur, quod omne Ecclesiæ novæ, quæ est Nova Hierosolyma, sit bonum amoris a Domino; sed quia bonum amoris solitarium seu abstractum a veris sapientiæ non datur, sed ut sit bonum amoris erit formatum, & formatur per vera sapientiæ, ideo hic dicitur aurum purum simile vitro puro; bonum enim amoris absque veris sapientiæ non habet aliquod quale, quia non aliquam formam, & forma ejus est secundum vera ejus in suo ordine & nexu influentia una cum bono amoris a Domino, ita in homine secundum receptionem; dicitur in homine, sed intelligitur non ut hominis, sed ut Domini in illo. Ex his nunc patet, quod per Urbs aurum purum simile vitro puro, significetur quod inde omne Ecclesiæ illius sit bonum amoris influens cum luce e Cælo a Domino.

913. Quod aurum significet bonum amoris, est quia Metalla æque ac omnia & singula quæ apparent in Mundo naturali, correspondent, aurum bono amoris, argentum veris sapientiæ, cuprum seu æs bono charitatis, ac ferrum veris fidei; inde est, quod hæc Metalla etiam sint in Mundo spirituali, quoniam omnia quæ ibi apparent, sunt correspondentiæ, correspondent enim affectionibus & inde cogitationibus angelorum, quæ in se spiritualia sunt. Quod Aurum ex correspondentia significet bonum amoris, constare potest ex his locis „ *Suadeo tibi emere a Me* AURUM EXPLORATUM IGNE, *ut ditatus sis*, Apoc. III: 18. *Quomodo obscuratum est* AURUM, *mutatum est* OBRYZUM OPTIMUM, *effusi sunt Lapides sanctitatis in capite omnium platearum: filii Zionis æstimati pares* AURO PURO, Thren. IV: 1. 2. *Animas pauperum servabit, & dabit illis ex* AURO SCHEBÆ, Psalm. LXXII: ℣. 15. *Pro ære adducam* AURUM, *& pro ferro argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum, & ponam censum tuum pacem, & exactores tuos justitiam*, Esaj. LX: 17. *Ecce sapiens tu, ullum occultum non latuit te, in sapientia tua & in intelligentia tua fecisti tibi* AURUM *& argentum in the-*

thesauris tuis; in Eden horto fuisti, omnis lapis pretiosus tegumentum tuum & Aurum, Ezech. XXVIII: 3. 4. 13. *Turma Camelorum obtegent te, omnes e Scheba venient, Aurum & thus portabunt, & laudes Jehovæ annuntiabunt*, Esaj. LX: 6. 9. Matth. II. *Implebo Domum hanc gloria, Mihi Argentum & Mihi Aurum, magna erit gloria Domus hujus posterioris præ prioris*, Hagg. II: 7. 8. 9. *Filiæ Regum inter pretiosas tuas, constitit Regina ad dextram tuam in Auro optimo Ophiris, de implexis Auri vestis ejus*, Psalm. XLV: 10. 14. Ezech. XVI: 13. *Accepisti vasa ornatus tui ex Auro meo, & ex Argento meo, quæ dederam tibi, & fecisti tibi imagines masculi*, Ezech. XVI: 17. *Argentum meum & Aurum meum sumsistis, & desiderabilia mea bona intulistis in Templa vestra*, Joel. IV: 5. Quoniam aurum significabat Bonum amoris, ideo cum *Belthshazar cum magnatibus biberet vinum e vasis Auri eductis e Templo Hierosolymæ, & simul laudaret deos auri, argenti, æris & ferri, scriptum est in pariete, & ille ea nocte occisus est*, Dan. V: 2. seq: præter multis aliis in locis. Quoniam Aurum significabat Bonum amoris, ideo *Arca, in qua erat Lex, obducta erat Auro intra & extra*, Exod. XXV: 11. *Et ideo Propitiatorium & Cherubi super Arca erant ex Puro Auro*, Exod. XXV: 18. *Altare suffitus erat ex Puro Auro*, Exod. XXX: 3. *Pariter Candelabrum cum lucernis*, Exod. XXV. 31. 38; & *Mensa super qua panes facierum obducta fuit Auro*, Exod. XXV: 23. 24. Quoniam aurum significabat bonum amoris, argentum verum sapientiæ, æs bonum amoris naturalis qui amor vocatur charitas, & ferrum verum fidei, ideo Antiqui vocabant successiones temporum ab antiquissimis usque ad ultima, Sæcula aurea, argentea, ærea & ferrea; similia significantur per statuam Nebuchadnezari in somnio visam, *cujus caput erat Aurum bonum, pectus & brachia argentum, venter & femora æs, crura ferrum, pedes ex parte ferrum ex parte argilla*, Dan. II: 32. 33, per hæc significantur successivi status Ecclesiæ in hoc Mundo ab Antiquissimis temporibus usque ad hodiernum; status Ecclesiæ hodiernus ita describitur, *quod vidisti ferrum mixtum cum argilla luti, commiscebunt se per semen hominis, sed non cohærebunt unum cum altero, quemadmodum ferrum non commiscetur cum argilla*, Vers. 43; per ferrum significatur verum fidei, ut dictum est, sed cum non verum fidei est, sed fides absque vero, tunc est ferrum mixtum cum argilla luti, quæ non cohærent; per semen hominis, cum quo se illa commiscebunt, significatur Verum Verbi; hic status est Ecclesiæ hodie; quid postea futurum sit, describitur ibi paucis Vers. 45, sed pluribus Cap. VII: 13 ad 18. 27.

914. *Et fundamenta muri Urbis omni lapide pretioso exornata, significat quod omnia doctrinæ Novæ Hierosolymæ ex sensu literæ Verbi desumpta, apud illos, qui ibi sunt, apparitura sint in luce secundum receptionem.* Per duodecim fundamenta significantur omnia doctrinæ, n. 902; per murum significatur Verbum in sensu literæ, n. 898; per Urbem sanctam Hierosolymam, significatur Nova Domini Ecclesia, n. 879. 880; per lapidem pretiosum significatur Verbum in sensu literæ pellucens ex sensu spirituali ejus, n. 231. 540 726. 911; & quia hoc fit secundum receptionem, ideo significatur quod omnia doctrinæ ex Verbo apud illos apparitura sint in luce secundum receptionem. Omnis qui non sane cogitat, non potest credere, quod omnia Ecclesiæ novæ possint apparere in luce,

at

at sciant quod possint, nam cuivis homini est cogitatio exterior & interior, cogitatio interior est in luce Cæli, & vocatur perceptio, & cogitatio exterior est in luce mundi; ac intellectus apud unumquemvis hominem talis est, ut possit elevari usque in lucem Cæli, & quoque elevatur si ex aliquo jucundo vult videre verum; quod ita sit, per multam experientiam scire datum est, de qua videantur mirabilia in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA; & adhuc plura in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA: nam jucundum amoris & sapientiæ elevat cogitationem, ut videat sicut in luce quod ita sit, tametsi non prius audiverat illa; hæc lux, quæ mentem illustrat, non aliunde influit quam e Cælo a Domino; & quia illi qui e nova Hierosolyma erunt, directe adituri sunt Dominum, lux illa influit via ordinis, quæ est per amorem voluntatis in perceptionem intellectus. Ast qui confirmaverunt apud se illud dogma, quod intellectus in Theologicis nihil visurus sit, sed quod cæce credendum sit quod Ecclesia docet, illi non possunt aliquod verum in luce videre, obstruxerunt enim viam lucis apud se: hoc dogma retinuit Ecclesia Reformatorum ex Religioso Romano Catholico, quod tradit, quod nullus præter Ipsam Ecclesiam, per quam intelligunt Pontificem & Papale Consistorium, interpretaturus sit Verbum, & quod qui non fide amplectitur omnia doctrinæ ab Ecclesia traditæ, pro Hæretico habendus sit, & quod anathema sit; quod ita sit, constat ex clausula Concilii Tridentini, in quo omnia dogmata istius Religiosi constabilita sunt, ubi hæc ad finem dicuntur „ *Dixit tunc Præses Moronus, ite in pace, sequutæ acclamationes, inter alias hæc Cardinalis e Lotharingia & Patres, omnes ita credimus, omnes id ipsum sentimus, omnes consentientes & amplectentes subscribimus; hæc est fides B. Petri & Apostolorum, hæc est fides Patrum, hæc est fides Orthodoxorum, fiat, Amen, Amen, Anathema cunctis hæreticis, Anathema, Anathema* „; Decreta illius Concilii sunt quæ supra in principio hujus Operis in summa adducta sunt, in quibus tamen vix unum Verum est. Hæc allata sunt, ut sciatur, quod Reformati cæcam fidem, hoc est, fidem separatam ab intellectu, retinuerint ex Religioso illo, & qui posthac retinent illam, non possint illustrari in Divinis Veris a Domino: quamdiu intellectus captivatur sub obedientia fidei, seu intellectus removetur a videndis veris Ecclesiæ, fit Theologia non nisi quam res memoriæ, & res solius memoriæ dissipatur sicut omnis res dissoluta a suo judicio, & perit ex suo obscuro; inde est, quod *sint duces cæci cæcorum, & quando cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt*, Matth. XV: 14; & sunt cæci, quia non ingrediuntur per januam, sed aliunde; Jesus enim dicit „ *Ego sum janua, per Me si quis introiverit, salvabitur, & ingredietur & egredietur, & pascuum inveniet*,„ Joh. X: 9; pascuum invenire est doceri, illustrari & nutriri in Divinis veris: omnes qui non intrant per januam, hoc est, per Dominum, vocantur *fures & latrones*; at qui intrant per januam, hoc est, per Dominum, vocantur *pastores ovium*, in eodem Cap. X: Vers. 1. 2; ergo adi, amice, Dominum, & fuge mala ut peccata, & rejice solam fidem, & tunc aperietur intellectus tuus, & videbis mirabilia, & afficieris illis.

915. *Fundamentum primum jaspis, secundum sapphirus, tertium chalcedonius, quartum smaragdus, quintum sardonyx, sextum sardius, septimum chrysolithus,* octa-

v. 20

octavum beryllus, nonum topazius, decimum chrysoprasus, undecimum hyacinthus, duodecimum amethystus, significat omnia doctrinæ illius ex Verbi sensu literæ in suo ordine apud illos qui immediate adeunt Dominum, & vivunt secundum præcepta Decalogi fugiendo mala ut peccata; hi enim & non alii in doctrina amoris in Deum, & amoris erga proximum sunt, quæ duo sunt fundamenta religionis. Quod per duodecim fundamenta muri, significentur omnia doctrinæ novæ Hierosolymæ ex sensu literæ Verbi, videatur supra n. 902. 914; quod per lapides pretiosos in genere significentur omnia vera doctrinæ, ex Verbo translucentia per sensum spiritualem, supra n. 231. 540. 726. 811. 814; hic per quemlibet lapidem significatur aliquod verum in specie ita translucens; quod Verbum in sensu literæ quoad doctrinalia ejus correspondeat lapidibus pretiosis omnis generis, videatur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE SCRIPTURA SACRA, n. 43. 44. 45. 46. Sunt duo Colores in genere, qui in lapidibus pretiosis pellucent, Color Ruber & Color Candidus, reliqui colores, ut viridis, flavus, cæruleus, & plures alii, sunt compositi ex illis mediante nigro, & per Colorem rubrum significatur bonum amoris, & per Colorem candidum significatur verum sapientiæ; quod Color ruber significet bonum amoris, est quia trahit originem ex igne solis, & ignis solis Mundi spiritualis est in sua essentia Divinus Amor Domini, ita bonum amoris, & quod Color candidus significet verum sapientiæ; est quia trahit originem ex luce quæ procedit ex igne illius solis, & lux illa procedens est in sua essentia Divina sapientia, ita verum sapientiæ; & nigrum trahit originem ex umbra illorum, quæ est ignorantia. Sed singulariter explicare quid boni & quid veri significatur per quemlibet lapidem, nimis prolixum foret; at usque ut sciatur quid boni & veri unusquisque lapis in hoc ordine significat, videantur quæ supra Cap. VII a Versu 5 ad 8 n. 349 ad 361, explicata sunt, ubi de duodecim Tribubus Israelis agitur; simile enim hic significatur per quemlibet lapidem, quod per quamlibet Tribum ibi nominatam, quoniam per duodecim Tribus ibi descriptas similiter significantur omnia boni & vera Ecclesiæ & Doctrinæ ejus in suo ordine; quare etiam dicitur in hoc Capite Vers. 14, *Quod in fundamentis his duodecim scripta essent nomina duodecim Apostolorum Agni*, & per duodecim Apostolos significantur omnia doctrinæ de Domino, & de vita secundum præcepta Ipsius, n. 903. Similia etiam significantur per duodecim hos lapides, quæ per duodecim lapides pretiosos, in Pectorali Aharonis, quod Urim & Thumim vocabatur, de quibus Exod. XXVIII: 15 ad 21, quæ in ARCANIS CÆLESTIBUS, a n. 9856 ad 9882, singillatim explicata sunt, cum differentia quod in his essent nomina duodecim Tribuum Israelis, in illis autem nomina duodecim Apostolorum Agni. Quod Fundamenta sint ex lapidibus pretiosis, etiam dicitur apud Esajam „ *O afflicta, ecce Ego disponam cum stibio* LAPIDES TUOS, FUDAMENTA TUA PONAM IN SAPPHIRIS, *& portas tuas in* LAPIDES CARBUNCULI; *omnes filii tui docti a Jehovah* „ LIV: 11. 12, 13 per afflictam intelligitur Ecclesia a Domino apud gentes instauranda: apud Eundem, „ *Sic dixit Dominus Jehovih, Ego fundabo in Zione* LAPIDEM, LAPIDEM PROBATIONIS, *Angulum pretii Fundationis fundatæ; ponam judicium in regulam, & justitiam in perpendiculum*, XXVIII: 16. 17. Quoniam omne Verum doctrinæ ex Ver-

Verbo fundabitur super agnitione Domini, ideo Dominus vocatur LAPIS ISRAELIS, Genes. XLIX: 24; *tum* LAPIS ANGULI *quem reprobaverunt architecti*, Matth. XXI: 42. Marc. XII: 10. 11. Luc. XX: 17. 18; quod Lapis Anguli sit lapis fundamentorum, constat ex Jerem. LI: 26. Dominus etiam in Verbo multis in locis vocatur Petra, quare Ipse se intelligit per Petram, cum dixit „ *Super hac* PETRA *ædificabo Ecclesiam meam* „ Matth XVI: 18. 19: & quoque cum dixit, *Qui audit verba mea & facit ea, comparatur viro prudenti, qui ædificat domum & ponit* FUNDAMENTUM SUPER PETRA, Luc. VI: 47. 48. Matth. VII: 24. 25; per Petram significatur Dominus quoad Divinum Verum Verbi. Quod omnia Ecclesiæ & Doctrinæ ejus se referant ad hæc duo, quod immediate adeundus sit Dominus, & quod vivendum sit secundum præcepta Decalogi fugiendo mala ut peccata, & quod sic omnia doctrinæ se referant ad amorem in Deum & ad amorem erga proximum, videbitur in DOCTRINA NOVÆ HIEROSOLYMÆ DE CHARITATE, ubi hæc in suo ordine exponentur.

V: 21 916. *Et duodecim portæ duodecim margaritæ, & unaquævis portarum erat ex una margarita, significat quod agnitio & cognitio Domini omnes cognitiones veri & boni, quæ ex Verbo sunt, conjungat in unum, & introducat in Ecclesiam.* Per duodecim portas significantur cognitiones veri & boni in summa, per quas homo introducitur in Ecclesiam, n. 899. 900; per duodecim margaritas etiam significantur cognitiones veri & boni in summa, n. 727, inde erat, quod portæ fuerint margaritæ; quod unaquævis portarum esset ex una margarita, est quia omnes cognitiones veri & boni, quæ per portas & per margaritas significantur, se referunt ad unam Cognitionem, quæ est continens illarum, quæ una Cognitio est cognitio Domini; dicitur una cognitio, tametsi plures sunt quæ unam illam cognitionem faciunt; cognitio enim Domini est universalis omnium doctrinæ & inde omnium Ecclesiæ, ex illa trahunt omnia cultus suam vitam & animam, nam Dominus est omne in omnibus Cæli & Ecclesiæ, & inde in omnibus cultus. Quod agnitio & cognitio Domini omnes cognitiones veri & boni ex Verbo conjungat in unum, est quia nexus est omnium veritatum spiritualium, & si velitis credere, est nexus illarum sicut nexus omnium membrorum, viscerum & Organorum corporis, quare sicut anima continet omnia illa in ordine & nexu, ita ut non aliter sentiantur quam unum, similiter Dominus continet apud hominem omnes veritates spirituales. Quod Dominus sit ipsa Porta, per quam ingrediendum est in Ecclesiam & inde Cælum, docet Ipse apud Johannem „ *Ego sum* JANUA, *per Me si quis introiverit, salvabitur* „ X: 9: & quod agnitio & cognitio Ipsius sit ipsa margarita, intelligitur per hæc Domini verba apud Matthæum „ *Simile est Regnum Cælorum homini negotiatori quærenti pulchras* MARGARITAS, *qui cum invenisset* UNAM PRETIOSAM MARGARITAM, *abiit & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam* „ XIII: 45. 46, una pretiosa margarita est agnitio & cognitio Domini.

917. *Et platea urbis aurum purum tanquam vitrum pellucidum, significat quod omne verum Ecclesiæ illius & doctrinæ ejus sit in forma bonum amoris influens una cum luce e Cælo a Domino.* Hæc similia sunt cum illis quæ supra Vers. 18, de ipsa Urbe dicuntur, quod illa esset aurum purum simile vitro puro, per quæ quod significetur, quod omnia Ecclesiæ illius sit bonnm amoris influens una cum

2

luce e Cælo a Domino, videatur, n. 912. 913, cum differentia quod hic dicatur, quod platea urbis talis sit, & per plateam urbis significatur verum doctrinæ Ecclesiæ, n. 501: quod omne verum doctrinæ Ecclesiæ ex Verbo sit in forma bonum amoris, videatur supra n. 906. 908.

918. *Et templum non vidi in ea, quia Dominus Deus Omnipotens Templum ejus est & Agnus, significat quod in hac Ecclesia non aliquod externum separatum ab interno erit, quia Ipse Dominus in Divino Humano suo, a Quo est omne Ecclesiæ, Solus aditur, colitur & adoratur.* Per templum non vidi in ea, non intelligitur quod in Nova Ecclesia, quæ est nova Hierosolyma, non erunt Templa, sed quod in illa non erit externum separatum ab interno; causa est, quia per Templum significatur Ecclesia quoad cultum, & in superno sensu Ipse Dominus quoad Divinum Humanum, qui colendus est, videatur supra n. 191. 529. 585; & quia omne Ecclesiæ est a Domino, ideo dicitur, quia Dominus Deus Omnipotens Templum ejus est & Agnus, per quæ significatur Dominus in Divino Humano suo; per Dominum Deum Omnipotentem intelligitur Dominus ab æterno, Qui est Ipse Jehovah, & per Agnum significatur Divinum Humanum Ipsius, ut sæpius supra.

919. *Et Urbs non opus habet sole & luna ut luceant in ea, quia Gloria Dei illustravit eam, & Lucerna ejus Agnus, significat quod homines illius Ecclesiæ non erunt in amore sui & in propria intelligentia, & inde in lumine solo naturali, sed ex Divino Vero Verbi a Solo Domino in luce spirituali.* Per solem hic significatur amor naturalis separatus ab amore spirituali, qui est amor sui; & per lunam significatur intelligentia tum fides naturalis, separata ab intelligentia & fide spirituali, quæ est propria intelligentia & fides a se; hic amor & hæc intelligentia & fides significantur hic per solem & lunam, quibus non opus habebunt ut luceant coram illis qui in Nova Domini Ecclesia erunt: per Gloriam Dei, quæ illustrat illam, significatur Divinum Verum Verbi, n. 629; & quia a Domino est illustratio illa, dicitur & Lucerna ejus Agnus. Similia quæ hic, significantur per hæc apud Esajam „ *Vocabis salutem muros tuos, & portas tuas laudem, non erit tibi amplius sol in lucem interdiu, & in splendorem luna non lucebit tibi, sed erit tibi Jehovah in lucem æternitatis, & Deus tuus in decus tuum: non occidet amplius Sol tuus, & Luna tua non colligetur, quia Jehovah erit tibi in lucem æternitatis; populus tuus omnes justi* „ LX: 18. 19. 20. 21; per solem & lunam quæ non amplius lucebunt, intelliguntur amor sui & propria intelligentia; & per Solem & Lunam quæ non amplius occident, intelliguntur amor a Domino in Dominum, ac intelligentia tum fides ab Ipso; & per quod Jehovah erit in lucem æternitatis, significatur simile quod hic, quod Gloria Dei illustrabit, & Lucerna ejus Agnus. Quod Sol significet amorem in Dominum, & in opposito sensu amorem sui, videatur supra n. 53. 414; & quod Luna significet intelligentiam a Domino & fidem ab Ipso, n. 332. 413. 414, inde Luna in opposito sensu significat propriam intelligentiam & fidem a se. Quoniam per solem in opposito sensu significatur amor sui, & per Lunam propria intelligentia & fides a se, ideo abominatio fuit adorare ad Solem, Lunam & stellas, ut constare potest apud Jeremiam Cap. VIII: 1. 2: apud Ezechielem Cap.

Cap. VIII: 15. 16; apud Zephaniam Cap. I: 5, & quod illi lapidarentur, Deutr. XVII: 2. 3.

920. *Et gentes quæ ſalvantur in luce ejus ambulabunt, ſignificat quod omnes qui in bono vitæ ſunt & credunt in Dominum, ibi vivent ſecundum Divina vera, & videbunt illa intus in ſe, ſicut oculus objecta.* Per gentes ſignificantur qui in bono vitæ ſunt, & quoque qui in malo vitæ, n. 483, hic qui in bono vitæ ſunt, & credunt in Dominum, quia dicitur, Gentes quæ ſalvantur; in luce ambulare, ſignificat vivere ſecundum Divina vera, & videre illa intus in ſe, ſicut oculus objecta, objecta enim viſus ſpiritualis, qui eſt interioris intellectus, ſunt vera ſpiritualia, quæ ſimiliter ab illis, qui in illo intellectu ſunt, videntur, ſicut objecta naturalia coram oculis; per lucem hic ſignificatur perceptio Divini Veri ex interiore illuſtratione a Domino apud illos, n. 796, & per ambulare ſignificatur vivere, n. 167; inde patet quod per in luce Novæ Hieroſolymæ ambulare, ſignificetur ex interiore illuſtratione percipere & videre Divina vera, & vivere ſecundum illa. ſed hoc illuſtrandum eſt, quia neſcitur quinam per Gentes hic intelliguntur, & quinam per reges, de quibus in hoc Verſu ſequitur; per gentes ſignificantur qui in bono amoris a Domino ſunt, quod bonum vocatur bonum cæleſte, & per reges ſignificantur qui in veris ſapientiæ ex bono ſpirituali a Domino ſunt, de quibus in ſequente Articulo; illi qui in bono cæleſti a Domino ſunt, omnes habent Divina vera vitæ ſuæ inſcripta, quare ambulant, hoc eſt, vivunt juſte ſecundum illa, & quoque vident illa intus in ſe, ſicut oculus objecta, de quibus videantur, quæ ſupra n. 120. 121. 122. 123, memorata ſunt: omnes Cæli diſtincti ſunt in duo Regna, Cæleſte & Spirituale, bonum Regni cæleſtis vocatur bonum cæleſte, quod eſt bonum amoris in Dominum, & bonum Regni ſpiritualis vocatur bonum ſpirituale, & eſt bonum ſapientiæ, quod in ſua eſſentia eſt verum, de binis his Regnis videatur ſupra n. 647. 725. 854; ſimile eſt cum Eccleſia, & ibi homines cæleſtes ſunt, qui vivunt ſecundum præcepta juſte quia Leges Divinæ ſunt, ſicut homo civilis vivit ſecundum præcepta juſti quia leges civiles ſunt, ſed differentia illorum eſt, quod prior ex vita ſua ſecundum præcepta ſeu leges ſit civis cæli, quantum apud ſe facit leges civiles quæ juſtitiæ ſunt, etiam leges Divinas. Illi qui per Gentes hic ſignificantur, quibus, ut dictum eſt, Divina vera ſunt inſcripta, ſunt qui intelliguntur apud Jeremiam „ *Dabo Legem meam in medio eorum, & ſuper cor illorum ſcribam illam, neque docebunt quis amplius ſocium ſuum aut quis fratrem ſuum, dicendo, cognoſcite Jehovam, omnes enim cognoſcent Me a minimo eorum uſque ad maximum eorum* „ XXXI: 33. 34.

921. *Et reges terræ afferent gloriam & honorem ſuum in illam, ſignificat quod omnes qui in veris ſapientiæ ſunt ex bono ſpirituali, ibi confitebuntur Dominum, & Ipſi addicabunt omne verum & omne bonum, quæ apud ſe ſunt.* Per reges terræ ſignificantur qui in veris ex bono a Domino ſunt, n. 20. 854, hic itaque qui in veris ſapientiæ ex bono amoris ſpiritualis, quia prius nominantur Gentes, per quas ſignificantur qui in bono amoris cæleſtis ſunt, de quibus in præcedente Articulo; per afferre gloriam & honorem in illam, ſeu Novam Hieroſolymam, ſignificatur confiteri Dominum, & addicare Ipſi omne verum & bonum,

quæ apud se sunt; quod hæc significentur per afferre & dare gloriam & honorem, videatur n. 249. 629. 693, gloria enim prædicatur de Divino Vero, & honor de Divino Bono Domini, n. 249. Per Gentes & Reges similia significantur quæ per gentes & populos, de quibus supra n. 483, per gentes illi qui in bono amoris sunt, & per populos qui in veris sapientiæ sunt, etiam in opposito sensu, quare in Verbo passim dicuntur gentes & reges, sicut dicuntur gentes & populi, ut in his „ *Incurvabunt se Illi* OMNES REGES, *&* OMNES GENTES *servient Illi*, Psalm. LXXII: 11. *Suges lac* GENTIUM, *& ubera* REGUM *suges*, Esaj. LX: 16. *Servire facient eos* GENTES MULTÆ, *&* REGES MAGNI, Jerem. XXV: 14. *Dominus ad dextram tuam percussit in die iræ* REGES, *judicavit inter* GENTES, Psalm. CX: 5. 6, præter alibi.

922. *Et portæ ejus non claudentur interdiu, nox enim non erit ibi, significat quod in Novam Hierosolymam jugiter recipiantur, qui in veris ex bono amoris a Domino sunt, quia non ibi est falsum fidei.* Per quod portæ non claudentur interdiu, significatur quod jugiter admittantur qui volunt introire, per interdiu significatur jugiter, quia semper ibi lux, ut supra Vers. 11 & 23, & non aliqua nox, ut sequitur: quod jugiter recipiantur qui in veris ex bono amoris a Domino sunt, est quia lux Novæ Hierosolymæ est verum ex bono amoris, & bonum amoris a Domino, ut sæpius supra ostensum est, & in illam lucem non intrare possunt alii, quam qui in veris ex bono a Domino sunt; si intrant alieni, non recipiuntur, quia non concordant, & tunc vel sua sponte exeunt, quia non sustinent illam lucem, vel emittuntur; per quod nox non erit ibi, significatur quod non falsum fidei; per noctem enim significatur oppositum luci, & per lucem significatur verum ex bono amoris a Domino, ut dictum est, inde per noctem significatur id quod non ex bono amoris a Domino est, & hoc est falsum fidei; falsum fidei etiam intelligitur per noctem apud Johannem „ *Jesus dixit, Me oportet operari opera Dei, quousque dies est, venit* Nox *quando nemo poterit operari*, IX: 4: & apud Lucam „ *In illa* NOCTE *erunt duo super Lecto uno, unus acceptabitur, alter deseretur*, XVII: 34, agitur ibi de ultimo tempore Ecclesiæ, quando non erit nisi falsum fidei; per lectum significatur doctrina, n. 137.

923. *Et afferent gloriam & honorem gentium in illam, significat quod qui intrant secum ferent confessionem, agnitionem & fidem; quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & quod omne verum Ecclesiæ & omne bonum Religionis sit ab Ipso.* Quod per afferre gloriam & honorem in illam, significetur confiteri Dominum, & addicare Ipsi omne bonum, quæ apud se sunt, videatur supra n. 921; hic similia significantur, cum differentia, quod illi qui per reges terræ ibi intelliguntur, id ferent secum, hic quod qui per gentes intelliguntur, nam dicitur, afferent gloriam & honorem gentium in illam, & per Gentes significantur qui in bono vitæ sunt, & credunt in Dominum, n. 920; & quoque agitur de receptione illorum qui in veris ex bono amoris a Domino sunt, mox supra n. 922; inde sequitur, quod per afferent gloriam & honorem gentium in illam, significetur quod qui intrant secum ferent confessionem, agnitionem & fidem, quod Dominus sit Deus Cæli & Terræ, & quod omne verum Ecclesiæ & omne bonum Reli-

ligionis sit ab Ipso; similia pæne significantur per hæc apud Esajam „ *Ego expandam super Hierosolymam pacem, sicut torrentem* GLORIAM GENTIUM „ LXVI: 12. Dicitur verum Ecclesiæ & Bonum Religionis, quia aliud est Ecclesia & aliud Religio; Ecclesia dicitur Ecclesia ex Doctrina, & Religio dicitur religio ex Vita secundum doctrinam; omne doctrinæ vocatur Verum, & quoque bonum ejus est verum, quia modo docet illud; at omne vitæ secundum illa quæ docet doctrina, vocatur bonum, etiam facere vera doctrinæ est bonum; ita distinguitur Ecclesia & Religio; sed usque ubi doctrina est & non vita, ibi non dici potest Ecclesia nec Religio, quia doctrina spectat vitam ut unum secum, prorsus sicut verum & bonum, sicut fides & charitas, sapientia & amor, & sicut intellectus & voluntas, quare ubi doctrina est & non vita, non est Ecclesia.

924. *Et non intrabit in illam ullum immundum, & faciens abominationem & mendacium, significat quod nemo in Novam Domini Ecclesiam, quæ est Nova Hierosolyma, recipiatur, qui adulterat bona & falsificat vera Verbi, & qui facit mala ex confirmatione & sic quoque falsa.* Per non intrare significatur non recipi, ut supra; per immundum significatur scortatio spiritualis, quæ est adulteratio boni & falsificatio veri Verbi, n. 702, & 798, hoc enim est ipsum immundum & impurum, quia Verbum est ipsum mundum & purum, & hoc conspurcatur a malis & falsis cum pervertitur; quod adulterium & scortatio correspondeat adulterationi boni & falsificationi veri Verbi, videatur n. 134. 632; per facere abominationem & mendacium, significatur facere mala & sic quoque falsa; per abominationes significantur omnis generis mala, imprimis quæ nominantur in Decalogo, n. 891; & per mendacium significantur omnis generis falsa, hic, falsa mali, quæ in se sunt mala, ita falsa confirmantia malum, quæ eadem sunt cum malis confirmatis. Quod Mendacium significet falsum doctrinæ, est quia mendacium spirituale non aliud est; inde per facere mendacium significatur vivere secundum falsa doctrinæ. Quod Mendacium in Verbo significet falsum Doctrinæ, constare potest ex sequentibus locis, *Excidimus fædus cum morte, & cum inferno fecimus visionem, posuimus* MENDACIUM *fiduciam, & in* FALSITATE *latuimus*, Esaj. XXVIII: 15. *Vir socio suo illudunt, & veritatem non loquuntur, & docuerunt linguam suam loqui* MENDACIUM, Jerem. IX: 4. *Populus rebellionis illi, filii* MENDACES, *non volunt audire legem Jehovæ*, Esaj. XXX: 9. *Ecce Ego contra prophetantes somnia* MENDACII, *narrant ea ut seducant populum meum per* MENDACIA SUA, Jerem. XXIII. 32. *Divinatores vident* MENDACIUM, *& somnia vanitatis loquuntur*, Sach. X: 2. *Viderunt vanitatem & divinationem* MENDACII; *propterea quod loquimini vanitatem & videtis* MENDACIUM, *ideo Ecce Ego contra vos, ut sit manus mea contra prophetas loquentes* MENDACIUM, Ezech. XIII: 16. 17. 18. 19. Cap. XXI: 24. *Væ urbi sanguinum, tota* MENDACIO *& rapina plena*, Nah. III: 1. *In Prophetis Hierosolymæ vidi obfirmationem horrendam, adulterando & eundo in* MENDACIO, Jer. XXIII: 14. *Propheta usque ad sacerdotem, quivis facit* MENDACIUM, Jerem. VIII: 10. *In Israele fecerunt* MENDACIUM „ Hosch. VII: 1. *Vos ex patre diabolo estis, ille homicida fuit ab initio, quia* NON VERITAS IN ILLO, *quando loquitur* MENDACIUM *ex propriis lo-*

loquitur, quia MENDACIUM *loquens est, & pater ejus*, Joh. VIII: 44; hic etiam per mendacium intelligitur falsum.

925. *Nisi qui scripti in libro vitæ Agni, significat quod non alii in Novam Ecclesiam, quæ est Nova Hierosolyma, recipiantur, quam qui credunt in Dominum, & vivunt secundum præcepta Ipsius in Verbo.* Quod hæc significentur per esse scriptum in libro vitæ, videatur supra n. 874, quibus hic plura adjicere non opus est.



926. His adjiciam hoc MEMORABILE. Quando in Explicatione Capitis XXmi eram, & meditabar de Dracone, Bestia, & Pseudopropheta, apparuit mihi quidam, & quæsivit, quid meditaris, dixi, quod de Pseudopropheta; tunc ille dixit, deducam te ad locum, ubi illi sunt, qui per Pseudoprophetam intelliguntur; dixit, quod iidem sint, qui Cap. XIII: intelliguntur per Bestiam ex Terra, quæ habebat duo cornua similia Agno, & loquuta est sicut Draco; sequutus sum illum, & ecce vidi turbam, in cujus medio erant Antistites, qui docuerunt quod nihil aliud salvet hominem, quam Fides, & quod Opera sint bona, sed non ad salutem, & quod usque docenda sint ex Verbo, ut Laici, imprimis simplices strictius in vinculis obedientiæ erga Magistratus teneantur, ac sicut ex religione, ita interius, adigantur ad charitatem moralem exercendam; & tunc unus ex illis me videns dixit, vis videre nostrum Fanum, in quo est Imago repræsentativa nostræ Fidei; accessi & vidi, & ecce erat magnificum, & in medio ejus imago Mulieris, indutæ veste coccinea, ac tenentis in dextra nummum aureum, & in sinistra catenam ex unionibus; sed erant & Fanum & Imago, inducta per phantasias; possunt enim spiritus infernales per phantasias repræsentare magnifica, occludendo interiora mentis, & aperiendo solum exteriora ejus; sed cum animadverti quod tales præstigiæ essent, oravi ad Dominum, & subito aperta sunt interiora mentis meæ, & tunc vidi loco magnifici Fani domum rimosam a tecto usque ad imum, in qua nihil cohæsit, & vidi loco mulieris in domo illa pendens simulachrum, cujus caput erat simile draconi, corpus sicut pardi, & pedes sicut ursi, ita sicut describitur Bestia e mari, Apoc. Cap. XIII; & loco soli erat palus in qua multitudo ranarum; & dictum est mihi, quod sub palude esset Lapis magnus cæsus, sub quo jaceret Verbum bene reconditum; his visis, dixi ad Præstigiatorem, est hoc vestrum Fanum, & dixit, quod sit; at subito tunc etiam aperiebatur illi visus interior, & vidit similia quæ ego; quibus visis clamavit clamore magno, quid hoc, & unde hoc, & dixi, quod sit e luce e cælo, quæ detegit quale cujusvis formæ, & hic quale vestræ fidei separatæ a charitate spirituali; & illico venit ventus orientalis, ac sustulit omne quod ibi erat, & quoque exsiccabat paludem, & sic nudabat Lapidem, sub quo jacuit Verbum; & posthæc spiravit calor sicut vernalis e Cælo, & ecce tunc in eodem loco visum est Tabernaculum quoad formam externam simplex; & dicebant Angeli qui apud me erant, ecce Tabernaculum Abrahami, quale id fuit, quando tres Angeli ad illum venerunt, & annuntiarunt de Isaco nascituro, hoc apparet coram oculis simplex, sed usque

sit

sit secundum influxum lucis e cælo magnificum plus & plus; & datum est illis aperire Cælum in quo Angeli spirituales, qui in sapientia sunt, erant, & tunc ex Luce inde influente, apparebat Tabernaculum illud, sicut Templum simile Hierosolymitano; quod cum introspexi, vidi lapidem fundi, sub quo Verbum fuerat repositum, circumobsitum lapidibus pretiosis, e quibus sicut fulgur emicuit in parietes, super quibus erant formæ Cheruborum, & pulchre variegavit illos coloribus. Hæc admiratus sum, dixerunt Angeli, videbis adhuc mirabilius, & datum est illis aperire Cælum Tertium, in quo Angeli cælestes, qui in amore sunt, erant, & tunc ex Luce inde influente, totum illud Templum evanuit, & loco ejus visus est Dominus Solus, stans super Lapide fundi, qui erat Verbum, in simili effigie, in qua visus est Johanni Cap. I: Apoc. at quia sanctitas tunc implevit interiora mentis Angelorum, ex qua illis fuit nisus procidendi super facies, subito claudebatur a Domino via lucis e Cælo Tertio, & aperiebatur via lucis e Cælo Secundo, ex quo rediit aspectus prior Templi, & quoque Tabernaculi, sed in Templo. Ex his illustratum est, quid intelligitur per hæc in hoc Capite ,, *Ecce* TABERNACULUM DEI *cum hominibus*, & *habitabit cum illis*, Vers. 3, n. 882: & per hæc ,, TEMPLUM *non vidi in Nova Hierosolyma, quia* DOMINUS DEUS OMNIPOTENS TEMPLUM EJUS ET AGNUS, Vers. 22, n. 918.



CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

1. ET ostendit mihi purum fluvium aquæ vitæ, splendidum tanquam chrystallum, exeuntem e throno Dei & Agni.

2. In medio plateæ ejus, & fluvii hinc & hinc Arbor vitæ faciens fructus duodecim, juxta mensem quemvis reddens fructum suum, & folia arboris in medicinam gentium.

3. Et ullum devotum non erit ibi; & thronus Dei & Agni in illa erit, & servi Ipsius ministrabunt Ipsi.

4. Et videbunt Faciem Ipsius, & Nomen Ipsius in frontibus illorum.

5. Et nox non erit ibi, & non opus habent lucerna & luce solis, quia Dominus Deus illustrat illos; & regnabunt in sæcula sæculorum:

6. Et dixit mihi, hæc verba fida & vera. Et Dominus Deus sanctorum Prophetarum misit angelum suum ad monstrandum servis suis quæ oportet fieri cito.

7. Et venio cito, beatus servans verba prophetiæ Libri hujus.

8. Et ego Johannes videns hæc & audiens, & cum audivi & vidi, procidi adorare ante pedes angeli, qui monstrabat mihi hæc.

9. Et dicit mihi, vide ne, conservus tuus enim sum, & fratrum tuorum Prophetarum, & servantium verba Libri hujus; Deum adora.

10. Et dicit mihi, ne obsignes verba prophetiæ Libri hujus, quia tempus prope est.

11. Injustus injustus fiat adhuc, & sordidus sordescat adhuc, & justus justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc:

12. Et ecce venio cito, & merces mea cum Me, reddens unicuique sicut opus ejus erit.

13. Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus.

14. Beati facientes mandata Ipsius, ut sit potestas illorum in Arbore vitæ, & portis ingrediantur in Urbem.

15. Foris vero canes & incantatores, & scortatores & homicidæ & idololatræ, & omnis amans & faciens mendacium.

16. Ego Jesus misi Angelum meum testari vobis hæc in Ecclesiis; Ego sum Radix, & Genus Davidis, Stella splendida & matutina.

17.

17. Et ſpiritus & ſponſa dicunt, veni, & audiens dicat veni, & ſitiens veniat, & volens accipiat aquam vitæ gratis.

18. Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ Libri hujus, ſi quis addiderit ad hæc, addet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in Libro hoc.

19. Et ſi quis abſtulerit e verbis Libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus e Libro vitæ, & ex Urbe ſancta, & ſcriptis in Libro hoc.

20. Dicit teſtans hæc, etiam venio cito, amen, etiam veni Domine Jeſu.

21. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis, amen.

SENSUS SPIRITUALIS.

Contentum totius Capitis. Deſcribitur adhuc illa Eccleſia quoad intelligentiam ex Divinis Veris a Domino, Verſ. 1 ad 5. Quod Apocalypſis manifeſtata ſit a Domino, & quod ſuo tempore revelanda, n. 6 ad 10: de Adventu Domini & conjunctione Ipſius cum illis, qui credunt in Ipſum, & vivunt ſecundum præcepta Ipſius, Verſ. 11 ad 17. Quod quæ revelata ſunt, omnino cuſtodienda ſint, Verſ. 18. 19. Deſponſatio, Verſ. 17. 20. 21.

Contenta Singulorum Versuum. Et oſtendit mihi purum flavium aquæ vitæ ſplendidum tanquam chryſtallum exeuntem e Throno Dei & Agni, *ſignificat* Apocalypſin nunc quoad ſenſum ſpiritualem apertum & explicatum, ubi Divina Vera in copia a Domino revelata ſunt, pro illis qui in Nova Ipſius Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma, erunt: in medio plateæ & fluvii hinc & hinc arbor vitæ faciens fructus duodecim, *ſign*: quod in intimis veritatum doctrinæ & inde vitæ in Nova Eccleſia ſit Dominus in Divino ſuo amore, a Quo omnia bona, quæ homo ibi facit apparenter ſicut ex ſe, profluunt: juxta menſem quemvis reddens fructum ſuum, *ſign*: quod Dominus producat bona apud hominem ſecundum omnem ſtatum veri apud illum: & folia arboris in medicinam gentium, *ſign:* vera rationalia inde, per quæ illi qui in malis & inde falſis ſunt, perducuntur ad cogitandum ſane & ad vivendum decenter: & ullum devotum non erit ibi, & thronus Dei & Agni in illa erit, & ſervi Ipſius miniſtrabunt Ipſi, *ſign*: quod in Eccleſia, quæ Nova Hieroſolyma, non aliqui ſeparati a Domino erunt, quia Ipſe Dominus ibi regnabit, & illi qui in veris per Verbum ab Ipſo ſunt, & faciunt mandata Ipſius, cum Ipſo erunt, quia conjuncti: & videbunt Faciem Ipſius, & Nomen Ipſius in frontibus illorum, *ſign:* quod convertent ſe ad Dominum & Dominus ſe ad illos, quia conjuncti

per amorem: & nox non erit ibi, & non opus habent lucerna & luce solis, quia Dominus illustrat illos, *sign*: quod in Nova Hierosolyma non erit aliquod falsum fidei, & quod homines in cognitionibus de Deo ibi non erunt ex lumine naturali, quod est ex propria intelligentia, & ex gloria oriunda ex fastu, sed erunt in luce spirituali ex Verbo a Solo Domino: & regnabunt in sæcula sæculorum, *sign*: quod erunt in Regno Domini & in conjunctione cum Ipso in æternum: & dixit mihi, hæc verba fida & vera, *sign*: quod hæc pro certo sciant, quia Ipse Dominus id testatus dixit: & Dominus Deus sanctorum prophetarum misit angelum suum ad monstrandum servis suis quæ oportet fieri cito, *sign*: quod Dominus, ex Quo est Verbum utriusque Fæderis, per Cælum revelaverit illis, qui in veris ex Ipso sunt, illa quæ certe futura sunt: ecce venio cito, beatus servans verba prophetiæ hujus, *sign*: quod Dominus certe venturus sit, & daturus vitam æternam illis, qui custodiunt & faciunt vera seu præcepta doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti: & ego Johannes videns hæc & audiens, & cum audivi & vidi, procidi adorare ante pedes angeli, qui monstrabat mihi hæc, *sign*: quod Johannes opinatus sit, quod angelus, qui a Domino missus est ad illum, ut in statu spiritus teneretur, esset Deus qui revelavit illa, cum tamen non ita erat, angelus enim solum monstrabat quod Dominus manifestavit: & dicit mihi, vide ne, conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum prophetarum, & servantium verba libri hujus, Deum adora, *sign*: quod Angeli Cæli non adorandi & invocandi sint, quia nihil Divinum est illis, sed quod associati sint hominibus, sicut fratres fratribus, illis qui in doctrina Novæ Hierosolymæ sunt, & faciunt præcepta ejus, & quod Solus Dominus in consociatione cum illis adorandus sit: & dixit mihi, ne obsignes verba prophetiæ hujus, quia tempus prope est, *sign*: quod Apocalypsis non occlusa erit, sed aperienda, & quod hoc necessum sit in fine Ecclesiæ ut aliqui salventur: injustus injustus fiat adhuc, & sordidus sordescat adhuc, & justus justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc, *sign*: statum omnium in particulari post mortem, & ante ejus judicium, & in communi ante Ultimum Judicium, quod illis qui in malis sunt auferentur bona, & qui in falsis auferentur vera, ac vicissim quod illis qui in bonis sunt auferentur mala, & qui in veris auferentur falsa: & ecce venio cito, & merces mea cum Me, reddens unicuique sicut opus ejus erit, *sign*: quod Dominus certe venturus sit, & quod Ipse sit Cælum & felicitas vitæ æternæ, cuique secundum fidem in Ipsum, & vitam secundum præcepta Ipsius: Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus, *sign*: quia Dominus est Deus Cæli & Terræ, & ab Ipso omnia in Cælis & in Terris facta sunt, & per Divinam Ipsius Providentiam reguntur, & secundum illam fiunt: beati facientes mandata Ipsius, ut sit potestas illorum in Arbore vitæ, & portis ingrediantur in urbem, *sign*: quod felicitas æterna sit illis, qui vivunt secundum præcepta Domini, propter finem ut sint in Domino & Dominus in illis per amorem, & in Nova Ipsius Ecclesia per cognitiones de Ipso: foris vero canes, & incantatores & scortatores, & homicidæ & idololatræ, & omnis amans & faciens mendacium, *sign*: quod non aliquis in Novam Hierosolymam recipiatur, qui nihili facit præcepta Decalogi, & non fugit aliqua

mala

mala ibi nominata ut peccata, & ideo vivit in illis: Ego Jeſus miſi angelum meum teſtari vobis hæc in Eccleſiis, *ſign*: teſtificationem a Domino coram toto Chriſtiano Orbe, quod verum ſit quod Solus Dominus manifeſtaverit illa quæ in hoc Libro deſcripta ſunt, ut & quæ nunc aperta ſunt: Ego ſum Radix & Genus Davidis, Stella ſplendida & matutina, *ſign*: quod ſit Ipſe Dominus, Qui natus eſt in Mundo, & tunc fuit Lux, & qui venturus cum nova Luce, quæ coram Nova Ipſius Eccleſia, quæ eſt Sancta Hieroſolyma, oritura eſt: & ſpiritus & ſponſa dicunt, veni, *ſign*: quod Cælum & Eccleſia adventum Domini deſiderent: & audiens dicat veni, & ſitiens veniat, ac volens accipiat aquam vitæ gratis, *ſign*: quod qui ſcit aliquid de adventu Domini, & de Novo Cælo & de Nova Eccleſia, ita de Regno Domini, oret ut veniat, & quod qui deſiderat vera, oret ut Dominus cum luce veniat, & qui amat vera, tunc accepturus ſit illa a Domino abſque ſua opera: conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ Libri hujus, ſi quis addiderit ad hæc, addet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in Libro hoc, *ſign*: quod qui legunt & ſciunt vera doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti, & uſque agnoſcunt alium Deum quam Dominum, & aliam fidem quam in Ipſum, addendo aliquid per quod duo illa deſtruant, non poſſint aliter quam perire ex falſis & malis, quæ per plagas in hoc Libro deſcriptas ſignificantur: & ſi quis abſtulerit e verbis Libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus e Libro Vitæ, & ex Urbe ſancta, & ſcriptis in Libro hoc, *ſign*: quod qui legunt & ſciunt vera doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti, & uſque agnoſcunt alium Deum quam Dominum, & aliam fidem quam in Ipſum, auferendo aliquid per quod illa duo deſtruant, non poſſint aliquid ſapere & appropriare ſibi ex Verbo, nec recipi in Novam Hieroſolymam, neque habere ſortem cum illis qui Regno Domini ſunt: dixit Teſtans hæc, etiam venio cito, etiam veni Domine Jeſu, *ſign*: Dominum, Qui revelavit Apocalypſin, & nunc aperuit illam, teſtificantem hoc Evangelium, quod in Divino Humano ſuo, Quod ſuſcepit in Mundo & glorificavit, veniat ut Sponſus & Maritus, & quod Eccleſia Ipſum deſideret ut Sponſa & Uxor.

EXPLICATIO.

932. *Et oſtendit mihi purum fluvium aquæ vitæ ſplendidum tanquam chryſtallum, exeuntem e throno Dei & Agni, ſignificat Apocalypſin nunc quoad ſenſum ſpiritualem apertam & explicatam, ubi Divina Vera in copia a Domino revelata ſunt pro illis, qui in Nova Ipſius Eccleſia, quæ eſt Nova Hieroſolyma, erunt.* Per purum fluvium aquæ vitæ ſplendidum tanquam chryſtallum, ſignificatur Divinum Verum Verbi in copia tranſlucens ex ſenſu ſpirituali ejus, qui eſt in luce cæli; quod per fluvium ſignificetur Divinum Verum in copia, n. 409, cauſa eſt, quia per aquas, ex quibus fluvius, ſignificantur vera, n. 50. 685. 719, & per aquas vitæ vera illa ex Domino per Verbum, ut ſequitur; ac per ſplendidum ſicut chryſtallum, ſignificantur vera hæc tranſlucentia ex ſenſu ſpirituali, qui eſt

est in luce Cæli, 879; per quod visus sit fluvius ille exire ex throno Dei & Agni, significatur quod e Cælo a Domino, per thronum enim significatur Dominus quoad judicium & quoad regimen & quoad cælum, quoad judicium, n. 229. 845. 865, quoad regimen n. 694. 808 fin: & quoad cælum, n. 14. 221. 222; hic itaque e Cælo a Domino; per Deum & Agnum significatur hic, ut sæpius supra, Dominus quoad Ipsum Divinum a Quo & quoad Divinum Humanum. Quod per fluvium aquæ vitæ hunc in specie intelligantur Divina Vera in copia hic nunc in Apocalypsi a Domino revelata, patet a Versibus 6. 7. 9. 10. 14. 16. 17. 18. 19, hujus Capitis, ubi de Libro hujus prophetiæ agitur, & quod servanda sint quæ ibi scripta sunt, quæ non servari potuerunt, antequam per sensum spiritualem revelata sunt quæ inibi continentur, quia prius non intellecta fuerunt; & quoque Apocalysis est Verbum, simile Verbo prophetico Veteris Testamenti, & in Apocalypsi nunc detecta sunt mala & falsa Ecclesiæ quæ fugienda & aversanda sunt, ac bona & vera Ecclesiæ quæ facienda, imprimis de Domino & de vita æterna ab Ipso; quæ quidem docentur apud Prophetas, sed non ita manifeste ut apud Evangelistas & in Apocalypsi; ac Divina Vera de Domino, quod sit Deus Cæli & Terræ, quæ tunc procedunt ab Ipso, & recipiuntur ab illis qui in Nova Hierosolyma erunt, de quibus agitur in Apocalypsi, sunt quæ in specie intelliguntur per purum fluvium aquæ vitæ splendidum tanquam chrystallum, exeuntem e throno Dei & Agni, ut quoque constare potest ex his ,, *Jesus dixit, quisquis credit in Me, sicut dixit Scriptura,* FLUMINA *e Ventre ejus fluent* AQUÆ VIVENTIS, Joh. VII: 38. *Jesus dixit, qui biberit ex aqua, quam Ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam dabo ei, fiet in illo* FONS AQUÆ SALIENTIS IN VITAM ÆTERNAM,, Joh. IV: 14. *Ego sitienti dabo ex* AQUA VITÆ *gratis*, Apoc. XXI: 6. Cap. XXII: 17. *Et Agnus qui in medio Throni pascet eos, & deducet ad* VIVOS FONTES AQUARUM, Apoc. VII: 17. IN DIE ILLO EXIBUNT AQUÆ VIVÆ EX HIEROSOLYMA; JEHOVAH ERIT IN REGEM UNUM SUPER TOTAM TERRAM; IN DIE ILLO ERIT JEHOVAH UNUS, ET NOMEN IPSIUS UNUM ,, Sach. XIV: 8. 9; per aquas vivas seu vitæ significantur ibi Divina Vera a Domino.

933. *In medio plateæ & fluvii hinc & hinc arbor vitæ faciens fructus duodecim, significat quod in intimis veritatum doctrinæ & inde vitæ in Ecclesia sit Dominus in Divino suo amore, a Quo omnia bona quæ homo facit apparenter sicut ex se, profluunt.* Per in medio significatur in intimo, & inde in omnibus circum, n. 44. 383; per plateam significatur verum doctrinæ Ecclesiæ, n. 501. 917; per fluvium significatur Divinum Verum in copia, n. 409. 932; hinc & hinc significat ad dextrum & ad sinistrum, & verum ad dextrum est quod in claro est, & ad sinistrum quod in obscuro, meridies enim in Cælo, per quam significatur verum in claro, est ad dextrum, & septentrio per quam significatur verum in obscuro, est ad sinistrum, n. 901; per Arborem vitæ significatur Dominus quoad Divinum Amorem, n. 89; per fructus significantur bona amoris & charitatis, quæ vocantur bona opera, de quibus in sequente Articulo; per duodecim significantur omnia, & dicuntur de bonis & veris Ecclesiæ, n. 348; ex his in unum sensum collatis, sequitur, quod per in medio plateæ & fluvii hinc & hinc arbor vitæ faciens fructus duodecim, significetur quod in intimis veri-

veritatum doctrinæ & vitæ in nova Ecclesia sit Dominus in Divino suo Amore, a Quo omnia bona, quæ homo facit apparenter sicut a se, profluunt. Hoc fit apud illos qui Dominum immediate adeunt, ac fugiunt mala quia sunt peccata, ita qui in Nova Domini Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, erunt; nam qui non immediate adeunt Dominum, non possunt Ipsi conjungi, ita nec Patri, & inde non possunt in amore qui a Divino est, esse; aspectus enim conjungit, non aspectus intellectualis solus; sed aspectus intellectualis ex affectione voluntatis, & affectio voluntatis non datur, nisi homo faciat præcepta Ipsius; quare Dominus dicit, *qui facit præcepta mea, ille amat Me, & ad illum veniam, & mansionem apud illum faciam*, Joh. XIV: 21 ad 24. Dicitur in intimis veritatum doctrinæ & inde vitæ in Nova Ecclesia, quia in spiritualibus ab intimo sunt omnia & procedunt omnia, sicut ab igne & luce in centro in peripherias, aut sicut a Sole, qui etiam est in centro, calor & lux in universum, ita fit in minimis ut in maximis; quia intimum omnis veri significatur, ideo dicitur in medio plateæ & fluvii, & non ab utraque parte fluvii, tametsi hoc intelligitur. Quod a Domino, dum est in intimo, sint & procedant omnia bona amoris & charitatis, patet ab Ipsius Domini verbis apud Johannem ,, *Jesus dixit, quemadmodum palmes non potest fructum ferre a seipso, nisi manserit in vite, ita neque vos nisi in Me manseritis: Ego sum Vitis vos palmites, qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia sine Me non potestis facere quicquam* ,, XV: 4. 5. 6.

934. Quod fructus significent bona, quæ homo ex amore seu charitate facit, quidem scitur absque confirmatione ex Verbo, nam legens per fructus in Verbo non aliud intelligit: causa quod per fructus intelligantur bona amoris seu charitatis, est quia homo comparatur Arbori, & quoque vocatur Arbor, n. 89. 400. Quod fructus significent bona amoris seu charitatis, quæ communi voce vocantur bona opera, constare potest ex his locis ,, *Securis ad radicem arboris jacet, omnis* ARBOR *non faciens* FRUCTUM BONUM *exscindetur, & in ignem conjicietur*, Matth. III: 10. Cap. VII: 16 ad 20. *Aut facite* ARBOREM *bonam &* FRUCTUM *bonum, aut facite* ARBOREM *putrem &* FRUCTUM *putrem, ex* FRUCTU *cognoscitur* ARBOR, Matth. XII: 33. Luc. VI: 43. 44. *Omnis palmes non ferens* FRUCTUM *auferetur, omnis autem* FRUCTUM *ferens putabitur ut plus* FRUCTUS *ferat; qui manet in Me & Ego in illo, hic fert* FRUCTUM MULTUM, Joh. XV: 2 ad 8. *Facite* FRUCTUS *dignos pœnitentia*, Matth. III: 8. *Qui in terram bonam seminatus est, hic est qui Verbum audit & attendit &* FRUCTUM *fert*, Matth. XIII: 23. *Jesus dixit discipulis, Ego elegi vos ut* FRUCTUM *feratis, &* FRUCTUS *vester maneat*, Joh. XV: 16. *Ficum habebat aliquis in Vinea sua plantatam, venit* FRUCTUM *quærens in ea, sed non invenit, dicit ad vinitorem, exscinde eam, quid terram infrugiferam reddet*, Luc. XIII: 6 ad 20. *Homo paterfamilias locavit Vineam suam agricolis, ut acciperet* FRUCTUS *ejus, sed occiderunt servos ad illos missos, & tandem Filium, quare Vineam locabit aliis, qui reddent Illi* FRUCTUS *in temporibus suis: ita auferetur vobis Regnum Dei, & dabitur Genti facienti* FRUCTUS EJUS, Matth. XXI: 34. 40. 41. 43: præter multis aliis in locis.

935. *Juxta mensem quemvis reddens fructum, significat quod Dominus producat* bona

[suum]

33, 34, 35, 38, 39, 41, 43.

bona apud hominem secundum omnem statum veri apud illum. Per mensem significatur status vitæ hominis quoad verum, de quo sequitur; per reddere fructum significatur producere bona, quod fructus sint bona amoris & charitatis, mox supra n. 934, ostensum est; & quia Dominus producit illa apud hominem essentialiter, tametsi homo facit illa sicut a se, ita apparenter, ut supra n. 934, dictum est, constat quod significetur quod Dominus ex intimo, dum ibi est, producat illa. Sed dicetur quomodo intelligendum est, quod Dominus producat bona charitatis apud hominem secundum statum veri apud illum; qui credit quod homo bonum faciat acceptum Domino, quod vocatur bonum spirituale, nisi apud illum sint vera ex Verbo, multum fallitur; bona absque veris non sunt bona, & vera absque bonis non sunt vera apud hominem, tametsi in se sint vera; bonum enim absque vero est sicut voluntarium hominis absque intellectu, quod voluntarium non est humanum, sed est sicut bestiæ, vel sicut sculptilis quod artifex facit operari; at voluntarium una cum intellectuali fit humanum secundum statum intellectus per quem existit: nam status vitæ cujusvis hominis talis est, quod voluntas ejus non possit aliquid facere nisi per intellectum, nec intellectus aliquid cogitare nisi ex voluntate; simile est cum bono & vero, quoniam bonum est voluntatis & verum est intellectus. Ex his patet, quod bonum, quod Dominus producit apud hominem sit secundum statum veri, ex quo est intellectus, apud illum. Quod hoc significetur per quod Arbor vitæ juxta mensem quemvis reddat fructum suum, est quia per mensem significatur status veri apud hominem: quod per omnia tempora, quæ sunt Horæ, Dies, Septimanæ, Menses, Anni, Sæcula, significentur status vitæ, videatur n. 476. 562; quod per Menses significentur status vitæ quoad vera, est quia per menses intelliguntur tempora designata per Lunam, & per Lunam significatur verum intellectus & fidei, n. 332. 413. 414. 919: similia intelliguntur per menses in his, „ *Benedicta a Jehovah terra Josephi de pretiosis proventuum solis, & de pretiosis producti* MENSIUM, Deutr. XXXIII: 14. *Fiet de* MENSE IN MENSEM, *& de Sabbatho in Sabbathum, veniet omnis caro ad incurvandum se coram Jehovah*, Esaj. LXVI: 24. Propter significationem mensis, quæ est lunæ, fiebant *Sacrificia in principiis cujusvis* MENSIS *seu* NOVILUNII, Num. XXIX: 6. Esaj. I: 14. Et quoque tunc *canebant buccinis*, Num. X: 10. Psalm. LXXXI: 4; & mandatum est ut *observarent* MENSEM *Abib, quo celebrabant Pascha*, Exod. XII: 2. Deutr. XVI: 1. Per menses significantur status veri, & in opposito sensu status falsi apud hominem, etiam supra in Apocalypsi Cap. IX: 5. 10. 15. Cap. XI: 2. Cap. XIII: 5; simile quod hic, per mensem significatur apud Ezech. XLVII: 12.

936. *Et folia arboris in medicinam gentium, significat vera rationalia inde, per quæ illi qui in malis & inde falsis sunt, perducuntur ad cogitandum sane & ad vivendum decenter.* Per folia arboris significantur vera rationalia, de quibus infra; per gentes significantur qui in bonis & inde veris sunt, & in opposito sensu qui in malis & inde falsis, n. 483; hic qui in malis & inde falsis, quia dicitur in medicinam illorum, & illi qui in malis & inde falsis sunt, non possunt sanari per Verbum, quia hoc non legunt, sed si judicio pollent, sanari possunt per vera ra-

rationalia. Similia quæ in hoc Versu significantur per hæc apud Ezechielem ,, *Ecce aquæ exeuntes desub limine Domus ex quibus fluvius, super cujus ripa Arbor cibi multa valde hinc & hinc, cujus non decidit* Folium, *neque consumitur, in menses renascitur, unde fructus ejus est in cibum, &* Folium ejus in Medicinam, XLVII: 1. 7. 12, ibi etiam de Nova Ecclesia. Quod per folia significentur vera rationalia, est quia per Arborem significatur homo, n. 89. 400, & tunc per omnia Arboris significantur concordantia apud hominem, ut per ramos, folia, flores, fructus, & semina; per ramos significantur vera sensualia & naturalia hominis, per folia vera rationalia ejus, per flores vera primitiva spiritualia in rationali, per fructus bona amoris & charitatis, & per semina significantur ultima & prima hominis. Quod per folia significentur vera rationalia, patet clare a visis in Mundo spirituali; apparent enim ibi etiam Arbores cum foliis & fructibus, sunt ibi Horti & Paradisi ex illis; apud eos qui in bonis amoris & simul in veris sapientiæ sunt, apparent Arbores fructiferæ luxuriantes foliis pulchris; at apud illos qui in veris alicujus sapientiæ sunt, & ex ratione loquuntur, & non in bonis amoris, apparent Arbores plenæ foliis sed absque fructibus; at apud quos non sunt bona nec vera sapientiæ, non apparent arbores, nisi denudatæ foliis quales tempore hyemis in Mundo; homo non rationalis nec aliud est quam talis arbor. Vera rationalia sunt quæ proxime recipiunt vera spiritualia, est enim Rationale hominis primum receptaculum veritatum spiritualium, nam in rationali hominis est perceptio veri in aliqua forma, quam ipse homo non videt cogitatione, sicut illa quæ sub rationali sunt in cogitatione inferiore, quæ se conjungit cum visu externo. Per folia etiam significantur vera rationalia Gen. III: 7. Cap. VIII: 11. Esaj. XXXIV. 4. Jerem. VIII: 13. Cap. XVII: 8. Ezech. XLVII: 12. Dan. IV: 9 11. Psalm. I: 3. Levit. XXVI: 36. Matth. XXI: 28. Cap. XXIV: 32. Marc. XIII: 28, sed significant secundum species Arborum; folia oleæ & vitis significant vera rationalia ex luce cœlesti & spirituali, folia ficus vera rationalia ex luce naturali, & folia abietis, populi, quercus, pini, rationalia ex luce sensuali, horum folia dant terrorem in Mundo spirituali, dum forti vento agitantur, hæc sunt quæ intelliguntur Levit. XVI: 36. Hiob XIII: 25. Illorum autem folia non ita.

937. *Et ullum devotum non erit ibi, & Thronus Dei & Agni in illa erit, & servi Ipsius ministrabunt Ipsi, significat quod in Ecclesia, quæ Nova Hierosolyma, non aliqui separati a Domino erunt, quia Ipse Dominus ibi regnabit, & illi qui in veris per Verbum ab Ipso sunt, & faciunt mandata Ipsius, cum Ipso erunt, quia conjuncti.* Per ullum devotum non erit ibi, significatur quod non aliquod malum aut falsum ex malo, quod separat Dominum, in Nova Hierosolyma erit; & quia malum & falsum non datur nisi in recipiente qui est homo, significatur quod non aliqui separati a Domino ibi erunt; per devotum in Verbo intelligitur omne id malum & falsum quod separat & avertit hominem a Domino, tunc enim ille homo fit diabolus & satanas; per quod thronus Dei & Agni in illa erit, significatur quod Ipse Dominus in illa Ecclesia regnaturus sit, per Thronum enim hic significatur Regnum, & Regnum Domini est ubi Ipse Solus co-

litur; per quod servi Ipsius ministrabunt Ipsi, significatur quod qui in veris per Verbum a Domino sunt, erunt cum Ipso & facient mandata Ipsius, quia conjuncti; quod per servos Domini significentur qui in veris ab Ipso sunt, videatur supra n. 3. 380, & per ministros qui in bono ab Ipso sunt n. 128, inde per servos qui ministrabunt Ipsi, significantur qui in veris ex bono per Verbum a Domino sunt, & faciunt mandata Ipsius. Quia Ecclesia hodie non scit, quod conjunctio cum Domino faciat Cælum, & quod conjunctio fiat per agnitionem quod Ipse sit Deus Cæli & Terræ, & simul per vitam secundum præcepta Ipsius, ideo de his aliquid dicetur: qui de his non aliquid scit, potest dicere, quid conjunctio, quomodo agnitio & vita potest facere conjunctionem, quid his opus est, potestne salvari unusquisque ex sola misericordia, quid opus alio salvationis medio quam sola fide, estne Deus misericors & omnipotens; at sciat quod in Mundo spirituali, cognitio & agnitio faciant omnem præsentiam, & quod affectio quæ est amoris faciat omnem conjunctionem; spatia enim ibi non aliud sunt, quam apparentiæ secundum similitudinem animorum, hoc est, affectionum & inde cogitationum; quare cum aliquis cognoscit alterum vel ex fama, vel ex commercio cum illo, vel ex conversatione, vel ex affinitate, dum ex idea cognitionis istius de illo cogitat, sistitur ille præsens, tametsi procul foret ad mille stadia ad apparentiam; & si aliquis alterum quem cognoscit etiam amat, habitat cum illo in una societate, & si intime amat in una domo: hic status est omnium in toto Mundo spirituali, & ille status omnium trahit originem ex eo, quod Dominus unicuivis sit præsens secundum Fidem, & conjunctus secundum Amorem; Fides & inde præsentia Domini datur per cognitiones veritatum ex Verbo, imprimis de Ipso Domino ibi, Amor autem & inde conjunctio datur per vitam secundum præcepta Ipsius, nam dicit Dominus „ *Qui habet præcepta mea & facit illa, ille est qui amat Me & amabo illum, & mansionem apud illum faciam* „ Joh. XIV: 21 ad 24. Sed quomodo hoc fit, etiam dicetur; Dominus amat unumquemvis, & vult conjungi illis, sed non potest conjungi quamdiu homo in jucundo mali est, prout in jucundo odendi & vindicandi, in jucundo adulterandi & scortandi, in jucundo deprædandi seu furandi sub aliqua specie, in jucundo blasphemandi & mentiendi, inque concupiscentiis amoris sui & mundi; omnis enim qui in illis est, in consortio est cum diabolis qui in Inferno sunt; Dominus quidem amat illos etiam ibi, sed non potest conjungi illis, nisi removeantur jucunda malorum istorum; & ea non possunt removeri a Domino, nisi homo exploret se, ut sciat sua mala, agnoscat & confiteatur illa coram Domino, ac velit desistere ab illis, & sic pænitentiam agere; hoc faciet homo sicut a se, quia non sentit quod faciat aliquid a Domino; & hoc datum est homini, quia conjunctio, ut sit conjunctio, erit reciproca hominis cum Domino, & Domini cum homine: quantum itaque sic removentur mala cum illorum jucundis, tantum intrat amor Domini, qui, ut dictum, est universalis erga omnes, & tunc abducitur homo ab inferno, ac inducitur in cælum. Hoc faciet homo in Mundo, nam qualis homo est in Mundo quoad spiritum, talis manet in æternum, cum sola differentia, quod status ejus fiat perfectior, si bene vixit, quia

tunc

tunc non est circumvelatus materiali corpore, sed vivit spiritualis in spirituali corpore.

v. 4 938. *Et videbunt Faciem Ipsius, & Nomen Ipsius in frontibus illorum, significat quod convertent se ad Dominum, & Dominus se ad illos, quia conjuncti per amorem.* Quod per videre faciem Dei & Agni, seu Domini, non intelligatur videre Faciem Ipsius, quia nemo potest videre Faciem Ipsius, qualis est in Divino suo Amore & in Divina sua Sapientia & vivere, est enim Sol Cæli & totius Mundi spiritualis, nam videre Faciem Ipsius, qualis in Se est, foret sicut quis intraret in solem, a cujus igne momento consumeretur; at Dominus extra Solem suum Se quandoque sistit videndum, sed tunc obvelat se & sistit se visui illorum, quod fit per Angelum, ut quoque fecerat in Mundo coram Abrahamo, Hagare, Lotho, Guideone, Josua, & aliis, quare illi Angeli vocati sunt Angeli, & quoque Jehovah, fuit enim præsentia Jehovæ e longinquo in illis. At per videbunt faciem Ipsius hic nec intelligitur ita videre faciem Ipsius, sed videre vera quæ in Verbo sunt ab Ipso, & per illa cognoscere & agnoscere Ipsum; Divina enim vera Verbi faciunt lucem quæ procedit a Domino ut Sole, in qua sunt Angeli, & quia faciunt lucem, sunt sicut specula, in quibus Facies Domini videtur; quod per videre Faciem Domini, significetur convertere se ad Ipsum, dicetur infra: per Nomen Domini in frontibus illorum, significatur quod Dominus amet illos, & convertat illos ad se; per Nomen Domini significatur Ipse Dominus, quia significatur omne quale Ipsius, per quod cognoscitur, & secundum quod colitur, n. 81. 584, & per frontem significatur amor, n. 347. 605, & per scriptum in fronte significatur amor Domini in illis, n. 729; ex his constare potest, quid proprie per illa verba significatur. Quod autem significetur, qnod illi convertent se ad Dominum, & Dominus se ad illos, est quia Dominus omnes, qui Ipsi conjuncti sunt per amorem, aspicit in fronte, & sic convertit illos ad se, quare Angeli in Cælo non alio faciem vertunt, quam ad Dominum & Solem, & hoc fit in omni corporis eorum conversione, quod mirabile est; inde est in communi sermone, ut habeant Deum jugiter ante Oculos; simile fit cum spiritu hominis qui in Mundo vivit, & per amorem conjunctus est Domino; sed de hac conversione facierum ad Dominum, plura memorabilia videantur in SAPIENTIA *Angelica de Divino Amore & Divina sapientia*, n. 129 ad 144; & in Opere de CÆLO ET INFERNO Londini 1758 edito, n. 17. 123. 143. 144. 151. 153. 255. 272.

939. Quod per videre Facies Domini non intelligatur videre Facies Ipsius, sed cognoscere & agnoscere Ipsum qualis est quoad Divina Ipsius attributa, quæ plura sunt; & quod illi qui Ipsi per amorem conjuncti sunt, cognoscant Ipsum, & sic videant Faciem Ipsius, constare potest a sequentibus locis „*Quid Mihi multitudo sacrificiorum; quando veneritis ad videndum* FACIES JEHOVÆ, Esaj. I: 11. 12. *Dixit cor meum, quærite* FACIES MEAS, FACIES TUAS JEHOVAH *quæro*, Psalm. XXVII: 8. *Jubilabimus Petræ salutis meæ, veniemus ante* FACIES *Ipsius in confessione*, Psalm. XCV: 1. 2. *Sitit anima mea Deum vivum, quando venero ut videar* FACIEBUS *Dei; adhuc confitebor Ipsi, salutes* FACIES IPSIUS, Psalm. XLII: 3. 6. *Non videbuntur* FACIES *meæ vacue*, Exod. XXIII: 15. *Venire ad deprecandum*

B.a.2,5.

nostrae

dum FACIES JEHOVÆ, Sach. VIII: 21. 22. Malach. I: 9. *Illumina* FACIES TUAS *super servum tuum*, Psalm. XXXI: 17. *Quis ostendit nobis bonum, tolle super nos* LUCEM FACIERUM TUARUM JEHOVAH, Psalm. IV: 7. *Jehovah, in* LUCE FACIERUM TUARUM *ambulabunt*, Psalm. LXXXIX: 16. *Deus lucere fac* FACIES SUAS *ut servemur*, Psalm. LXXX: 4. 8. 20. *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet* FACIES SUAS *nobis*, Psalm. LXVII: 2. *Benedicat tibi Jehovah, & custodiat te, illuminet Jehovah* FACIES SUAS *super te & misereatur tui, tollat* JEHOVAH FACIES SUAS *super te, & det tibi pacem*, Num. XXVI: 24. 25. 26. *Occultas nos in abdito* FACIERUM TUARUM, Psalm. XXXI: 21. *Posuisti occultum nostrum in lucem* FACIERUM TUARUM, Psalm. XC: 8. *Loquutus Jehovah ad Mosem*, FACIES MEÆ *ibunt; dixit Moses, si non* FACIES TUÆ *eant, ne descendere facias nos ex hinc*, Exod. XXXIII: 14. 15, *Panes super mensa in Tabernaculo dicti fuerunt* PANES FACIERUM, Exod. XXV 30. Num. IV: 7. Sæpius etiam dicitur, quod Jehovah occultaverit, tum quod averterit facies; ut in his, „ *Propter malitiam eorum occultavi* FACIES MEAS *ab illis*, Jer. XXXIII: 5. Ezech. VII: 22. *Peccata vestra absconderunt* FACIES DEI *a vobis*, Esaj. LIX: 2. FACIES JEHOVÆ *non addet respicere illos*, Thren. IV: 16. *Jehovah occultabit* FACIES SUAS *ab illis, quemadmodum mala reddiderunt opera sua*, Mich. III: 4. *Abscondisti* FACIES TUAS, Psalm. XXX: 8. Ps. XLIV: 25. Ps. CIV: 29. *Deseram illos, & occultabo* FACIES MEAS *ab illis, occultando occultabo* FACIES MEAS *propter omne malum quod fecerunt*, Deutr. XXXI: 17. 18, præter alibi, ut Esaj. VIII: 17. Ezech. XXXIX: 23. 28. 29. Psalm. XIII: 2. Ps. XXII: 25. Ps. 8. 9. Ps. LXIX: 18. Ps. LXXXVIII: 15. Ps. CII: 3. Ps. CXLIII: 7. Deutr. XXXII: 20. In opposito sensu per facies Jehovæ significatur ira & aversio, ex causa quia homo malus avertit se a Domino, & cum ille se avertit, apparet ei sicut Dominus avertat se & irascatur, ut constat ex his locis „ *Posui* FACIES MEAS *contra urbem hanc in malum*, Esaj. XXI: 10. Cap. XLIV: 11. *Dabo* FACIES MEAS *contra virum illum, & devastabo illum*, Ezech. XIV: 7. 8. *Dabo* FACIES MEAS *contra illos, & ignis comedet eos, cum posuero* FACIES MEAS *contra illos*, Ezech. XV: 7. *Qui comederit ullum sanguinem, dabo* FACIES MEAS *contra animam illam*, Levit. XVII: 10. *Ab increpatione* FACIERUM TUARUM *perierunt*, Psalm. LXXX: 17. FACIES JEHOVÆ *contra facientes malum*, Psalm. XXXIV: 17. *Mitto Angelum coram te, caveto tibi a* FACIEBUS EJUS, *quia non sustinet prævaricationem vestram* „ Exod. XXIII: 20. 21. *Dispergantur inimici tui, & fugiant osores tui a coram* FACIEBUS TUIS, Num. X: 35. *Vidi Sedentem super throno, a cujus* FACIE *fugit Cœlum & Terra*, Apoc. XX: 11. Quod nemo possit videre Dominum, qualis in Se est, ut supra dictum est, patet ex his, *dixit Jehovah ad Mosen, non potes videre* FACIES MEAS, *quia non videbit Me homo & vivet*, Exod. XXXIII: 18 ad 23. Quod tamen visus sit, & vixerint, quia per Angelum, patet ex Genes. XXXII: 31. Judic. XIII: 22. 23, & alibi.

940. *Et nox non erit ibi, & non opus habent lucerna & luce solis, quia Dominus illustrat illos*, significat quod in Nova Hierosolyma non erit aliquod falsum fidei, & quod homines in cognitionibus de Deo ibi non erunt ex lumine naturali quod est ex propria intelligentia, & ex gloria oriunda ex fastu, sed erunt in luce spirituali ex Verbo

a solo

a solo Domino. Per nox non erit ibi, significatur simile quod supra Cap. XXI, ubi hæc „ *Portæ ejus non claudentur interdiu, non enim nox erit ibi,* Vers. 25, per quæ significatur, quod in Novam Hierosolymam jugiter recipiantur qui in veris ex bono amoris a Domino sunt, quia non ibi est falsum fidei, n. 922: per non opus habent lucerna & luce solis, quia Dominus Deus illustrat illos, simile significatur quod supra Cap. XXI, ubi hæc „ *Urbs non opus habet sole & luna, ut luceant in ea, quia gloria Dei illustravit eam, & Lucerna ejus Agnus,* Vers. 23, per quæ significatur, quod homines illius Ecclesiæ non erunt in amore sui & in propria intelligentia, & inde in lumine solo naturali, sed ex Divino vero Verbi a solo Domino in luce spirituali, n. 919; sed pro luna ibi hic dicitur lucerna, & pro sole ibi hic dicitur lux solis, ac per lunam sicut per lucernam significatur lumen naturale ex propria intelligentia, & per lucem solis significatur lumen naturale ex gloria oriunda ex fastu. Sed paucis explicabitur quid lumen naturale ex gloria oriunda ex fastu; datur lumen naturale ex gloria oriunda ex fastu, & quoque ex non fastu; lumen ex gloria oriunda ex fastu est illis qui in amore sui sunt, & inde in malis omnis generis, quæ si non faciunt ex timore jacturæ famæ, & quoque si damnant quia contra moralitatem & contra bonum publicum, usque illa non reputant ut peccata; hi in lumine naturali sunt ex gloria oriunda ex fastu, nam amor sui in voluntate fit fastus in intellectu, & hic fastus ex illo amore elevare potest intellectum usque in lucem cæli, hoc datum est homini, ut sit homo, ac ut possit reformari: vidi & audivi plures summe diabolos, qui intellexerunt arcana sapientiæ Angelicæ, cum audiverunt & legerunt illa, sicut ipsi Angeli, sed actutum cum redierunt ad amorem suum & inde fastum suum, non modo nihil de illis intellexerunt, sed etiam viderunt contraria ex luce confirmationis falsi apud se; at lumen naturale ex gloria a non fastu, est apud illos qui in jucundo usuum ex genuino amore erga proximum sunt, illorum lumen naturale est quoque lumen rationale in quo intus est lux spiritualis a Domino, gloria apud illos est ex splendore lucis influentis ex cælo ubi omnia splendida & harmonica sunt, omnes enim usus in Cælo, splendent; ex his amænitas in cogitationum ideis apud illos percipitur ut gloria; intrat per voluntatem & ejus bona in intellectum & ejus vera, & in his sistitur.

941. *Et regnabunt in sæcula sæculorum, quod significet quod erunt in Regno Domini, & in conjunctione cum Ipso in æternum,* constat ex illis, quæ supra n. 284. 849. 855, explicata sunt, ubi similia.

942. *Et dixit mihi, hæc verba fida & vera, significat quod hæc pro certo sciant, quia Ipse Dominus id testatus dixit,* constat etiam ex supra explicatis n. 886, ubi similia.

943. *Et Dominus Deus sanctorum Prophetarum misit Angelum suum ad monstrandum servis suis quæ oportet fieri cito, significat quod Dominus, ex Quo est Verbum utriusque Fœderis, per Cælum revelaverit illis, qui in veris ex Ipso sunt, illa quæ certe futura sunt.* Dominus Deus sanctorum Prophetarum, significat Dominum ex Quo est Verbum utriusque Fœderis, per Prophetas enim significantur qui docent vera ex Verbo, & in sensu abstracto doctrina veri Ecclesiæ, n. 8. 173, & in lato sensu ipsum Verbum; & quia Verbum per sanctos prophetas signifi-

catur, ideo per illos significatur Verbum utriusque Fœderis; misit Angelum ad monstrandum servis suis quæ oportet fieri cito, significat quod Dominus revelaverit illis qui in veris ex Ipso sunt, illa quæ certe futura sunt; per Angelum hic significatur Cælum, ut supra n. 5. 66. 644. 647. 648. 910, per servos significantur qui in veris a Domino sunt, n. 3. 380. 937, per cito significatur certe, n. 4, inde per quæ oportet fieri cito significatur quæ certe futura sunt. Quod per Angelum hic significetur Cælum, est quia Dominus per Cælum loquutus est cum Johanne, & quoque per Cælum loquutus est cum Prophetis, & per Cælum loquitur cum unoquovis cum quo loquitur; causa est quia Cælum angelicum in communi est sicut Unus Homo, cujus anima & vita est Dominus, quare omne quod Dominus loquitur, per Cælum loquitur, sicut anima & mens hominis per suum corpus: quod universum Cælum Angelicum in uno complexu referat unum Hominem, & quod hoc sit ex Domino, videatur supra n. 5, & in Opere de CÆLO ET INFERNO, Londini 1758 edito n. 59 ad 86. Et in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINA PROVIDENTIA, n. 64 ad 69. 162. ad 164. 201 ad 204. & in SAPIENTIA ANGELICA DE DIVINO AMORE ET DIVINA SAPIENTIA, n 11. 19. 133. 288. Sed dicam mysterium hoc; Dominus loquitur per Cælum, sed usque non loquuntur Angeli ibi, qui ne quidem sciunt quid Dominus loquitur, nisi aliqui ex illis sint apud hominem, per quos Dominus ex Cælo aperte loquitur, ut cum Johanne & cum aliquibus Prophetis; est enim influxus Domini per Cælum, sicut est influxus animæ per corpus, corpus quidem loquitur & agit, & quoque sentit aliquid ex influxu, sed usque corpus non agit quicquam ex se ut ex se, sed agitur; quod talis sit loquela, imo omnis influxus Domini per Cælum apud homines, a multa experientia scire datum est. Angeli Cæli, & quoque spiritus infra cælos, nihil sciunt de homine*, sicut nec homo de illis, quia status spirituum & angelorum est spiritualis; & hominum est naturalis, qui bini status unice consociantur per correspondentias, & consociatio per correspondentias facit quidem ut simul sint in affectionibus, sed non in cogitationibus, quare non unus scit aliquid de altero, hoc est, non homo de spiritibus, cum quibus est quoad affectiones, nec spiritus de homine, nam quod non in cogitatione est, sed solum in affectione, non scitur, quia non apparet seu videtur. Solus Dominus novit cogitationes hominum. [Libri]

944. *Ecce venio cito; beatus servans verba prophetiæ hujus, significat quod Dominus certe venturus sit, & daturus vitam æternam illis, qui custodiunt & faciunt vera seu præcepta doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti.* Ecce venio cito, significat quod Dominus certe venturus sit, per cito significetur certe n. 4. 943. & per venire significatur quod venturus sit, non in Persona sed in Verbo, in quo apparebit omnibus qui e Nova Ipsius Ecclesia erunt; quod hoc sit Adventus Ipsius in nubibus cæli, videatur supra n. 24. 642. 820: beatus qui servat verba libri hujus, significat quod daturus sit vitam æternam illis qui custodiunt & faciunt vera seu præcepta doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti, per beatum significatur qui accipit vitam æternam, n. 639. 852, per servare significatur custodire & facere vera seu præcepta, verba sunt vera & præ-

V. 7 prophetiae

* cum quo non loquuntur, vid. Index, s. v. Angelus.

præcepta, per prophetiam libri hujus significatur doctrina hujus libri nunc a Domino aperti, prophetia est doctrina, n. 8. 133. 943. Qui expendit, potest videre quod non intelligatur servare verba prophetiæ libri hujus, sed quod significetur servare, hoc est, custodire & facere vera seu præcepta doctrinæ, quæ in hoc libro nunc explicato aperta sunt; nam in Apocalypsi non explicata, pauca sunt quæ servari possunt, sunt enim prophetica huc usque non intellecta; pro exemplis sint hæc, non servari possunt quæ in Capite VI memorantur de Equis exeuntibus ex Libro; quæ in Cap. VII de duodecim Tribubus; quæ in Cap. VIIIvo & IXno de septem Angelis clangentibus; quæ in Cap. Xmo de Libello devorato a Johanne; quæ in Cap. XImo de duobus Testibus qui occisi revixerunt; quæ in Cap. XIImo, de Muliere & Dracone; quæ in Cap. XIII & XIV de binis Bestiis; quæ in Cap. XV & XVI, de septem Angelis habentibus septem plagas; quæ in Cap. XVII & XVIII, de Muliere sedente super Bestia Coccinea & de Babylone: quæ in Cap. XIX de Equo albo & de Cœna magna: quæ in Cap. XX de Ultimo Judicio: & quæ in Cap. XXI de Nova Hierosolyma ut Urbe: ex quibus patet, quod non intelligatur quod beati sint qui servant illa verba prophetiæ, sunt enim occlusa, sed quod beati sint qui servant, hoc est, custodiunt & faciunt vera seu præcepta doctrinæ, quæ in illis continentur, & nunc aperta sunt, quæ quod sint ex Domino, videatur in Præfatione.

v. 8. 945. *Et ego Johannes videns hæc & audiens, & cum audivi & vidi, procidi adorare ante pedes Angeli, qui monstrabat mihi hæc, significat quod Johannes opinatus sit, quod Angelus qui a Domino missus est ad illum, ut in statu spiritus teneretur, esset Deus qui revelavit illa, cum tamen non ita erat, Angelus enim solum monstrabat quod Dominus manifestavit.* Quod Johannes opinatus sit, quod Angelus qui ad illum missus est, foret ipse Deus, patet, nam dicitur, quod procideret adorare ad pedes ejus; quod autem non ita esset, patet a Versu sequente, ubi Angelus dicit quod conservus illius esset, Deum adora; quod Angelus ille a Domino ad illum missus fuerit, patet a Vers. 16, ubi hæc, „ *Ego Jesus misi Angelum meum testari vobis hæc in Ecclesiis.* Sed Arcanum quod in his latet, est hoc; Angelus a Domino ad Johannem missus est, ut teneretur in statu spiritus, & in illo statu monstraret illi quæ vidit; nam quicquid Johannes vidit non oculis corporis vidit, sed oculis spiritus, ut constare potest a locis, ubi dicit se fuisse in spiritu & in visione Cap. I: 10. Cap. IX: 17. Cap. XVII: 3. Cap. XXI: 10, ita ubivis ubi dicit se vidisse; & in illum statum non potest aliquis venire, & in illo teneri, nisi per Angelos qui prope adjunguntur homini, qui statum suum spiritualem indunt interioribus mentis ejus, sic enim homo elevatur in lucem cæli, & in illa videt quæ in Cælo sunt, & non quæ in Mundo; in simili statu fuerunt quandoque Ezechiel, Sacharias, Daniel & alii prophetæ; non autem cum loquuti sunt Verbum, tunc non in spiritu sed in corpore erant, & ab Ipso Jehovah, hoc est, Domino, audiverunt verba quæ scripserunt: illi bini status prophetarum probe distinguendi sunt, ipsi Prophetæ etiam probe distinguunt, nam dicunt ubivis cum a Jehovah scripserunt Verbum, quod Jehovah loquutus sit cum illis & ad illos, & sæ-

sæpissime, Dixit Jehovah, Dictum Jehovæ; at cum in altero statu fuerunt, dicunt quod in spiritu fuerint aut in visione, ut constare potest ex his, dixit EZECHIEL, SPIRITUS *sustulit me*, *& reduxit me in Chaldæam ad captivitatem in* VISIONE DEI, *ita ascendit super me* VISIO, *quam vidi*, Cap. XI: 1. 24. Dicit *quod sustulerit illum* SPIRITUS, *& audiverit post se terræ motum*, & alia, Cap. III: 12. 14. Tum, *quod sustulerit eum* SPIRITUS *inter Terram & Cælum*, *& abduxerit in Hierosolymam in* VISIONIBUS DEI, *& viderit abominationes*, Cap. VIII: 3 seq. quare similiter in Visione Dei seu spiritu, *vidit quatuor Animalia*, quæ erant Cherubi, Cap. I: & Cap. X: *tum novum Templum & novam Terram*, *& Angelum metientem illa*, de quibus Cap. XL ad XLVIII; quod tunc fuerit in VISIONIBUS DEI, dicit Cap. XL: 2: & quod sustulerit illum spiritus, Cap. XLIII: 5. Simile factum est cum SACHARIA, *in quo tunc* ANGELUS *fuit cum vidit Virum equitantem inter myrtos*, Sach. I: 8 seq. *Cum vidit quatuor Cornua*, *& dein virum in cujus manu funiculus mensuræ*, Cap. II: 1. 5 seq. *Cum vidit Josehuam Sacerdotem magnum*, Cap. III: 1 seq. *Cum vidit Candelabrum & duas Oleas*, Cap. IV: 1 seq. *Cum vidit Volumen volans & epham*, Cap. V: 1. 6: *& cum vidit quatuor Currus exeuntes inter duos montes*, *& equos*, Cap. VI: 1 seq. In simili statu fuit DANIEL cum *vidit quatuor Bestias ascendentes e mari*, Dan. VII. 1 seq. & *cum vidit pugnas Arietis & Hirci*, Cap. VIII: 1 seq. quod viderit illa in visionibus, legitur Cap. VII: 1. 2. 7. 13. Cap. VIII: 2. Cap. X: 1. 7. 8: & quod *Angelus Gabriel ei visus sit in* VISIONE, *& loquutus cum illo*, Cap. IX: 21. Simile factum est cum JOHANNE, cum vidit illa quæ descripsit, ut cum *vidit Filium Hominis in medio septem Candelabrorum*; *Tabernaculum*, *Templum*, *Arcam*, *Altare in Cælo*; *Draconem & ejus pugnam cum Michaele*, *Bestias*, *Mulierem sedentem super Bestia Coccinea*; *Novum Cælum & Novam Terram*, *ac Sanctam Hierosolymam cum ejus Muro*, *Portis & Fundamentis*, & plura: hæc a Domino revelata sunt, sed per Angelum monstrata.

946 *Et dicit mihi*, *vide ne*, *conservus tuus enim sum*, *& fratrum tuorum prophetarum*, *& servantium verba Libri hujus*, *Deum adora*, *significat quod Angeli cæli non adorandi & invocandi sint*, *quia nihil Divinum est illis*, *sed quod associati sint hominibus sicut fratres fratribus*, *illis qui in Doctrina Novæ Hierosolymæ sunt*, *& faciunt præcepta Ejus*, *& quod Solus Dominus in consociatione cum illis adorandus sit.* Per hæc, quæ Angelus hic loquitur cum Johanne, pæne similia significantur quæ loquutus est cum illo supra Cap. XIX, ubi hæc „ *Et procidi ante pedes Angeli adorare illum*, *& dixit mihi*, *vide ne*, *conservus tuus sum*, *& fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*, *Deum adora* „ Vers. 10; per quæ quod talia significentur, videatur supra n. 818, cum differentia, quod nunc dicatur conservus fratrum tuorum prophetarum, & servantium verba libri hujus, & per fratres prophetas significantur qui in doctrina Novæ Hierosolymæ sunt, & per servantes verba libri hujus, significantur qui custodiunt & faciunt præcepta illius doctrinæ, quæ nunc a Domino manifestata sunt, videatur supra n. 944.

947. *Et dixit mihi*, *ne obsignes verba prophetiæ hujus*, *quia tempus prope est*, *significat quod Apocalypsis non occlusa erit*, *sed aperienda*, *& quod hoc necessum sit in fine Ecclesiæ*, *ut aliqui salventur.* Per non obsignes verba prophetiæ hujus, signi-

ſignificatur quod Apocalypſis non occluſa erit ſed aperienda, de quo ſequitur; per quia tempus prope eſt, ſignificatur quod hoc neceſſum ſit ut aliqui ſalventur, per tempus ſignificatur ſtatus, n. 476. 562, hic ſtatus Eccleſiæ quod talis ſit ut neceſſum ſit; per prope ſignificatur neceſſum, quia per prope non intelligitur prope ſeu propinquum temporis, ſed propinquum ſtatus, & propinquum ſtatus eſt neceſſe; quod non propinquum temporis intelligatur, patet, quia Apocalypſis ſcripta eſt principio Sæculi Primi, & Adventus Domini quando ultimum Judicium, & Nova Eccleſia, quæ hic per *tempus prope eſt*, & quoque per *quæ oportet fieri cito*, Verſ. 6, & per *venio cito*, Verſ. 7. 20, intelliguntur, nunc poſt Septendecim Sæcula apparuit & exſtitit: eadem hæc etiam dicuntur in Capite Imo, quod illa *oporteat fieri cito*, Verſ. 1; & quod *tempus prope ſit*, Verſ. 3, de quibus videatur ſupra n. 4. & 9, per quæ ſimilia intelliguntur. Quod non intelligatur prope ſeu propinquum temporis, ſed propinquum ſtatus, illuſtrabitur; Verbum in ſenſu pure ſpirituali non aliquid trahit ex idea temporis nec ab idea ſpatii, quia tempora & ſpatia in Cælo quidem apparent ſicut tempora & ſpatia in mundo, ſed uſque ibi non ſunt, quare Angeli tempora & ſpatia, quæ ibi ſunt apparentiæ, non poſſunt metiri aliter quam per ſtatus, ſicut hi procedunt & mutantur; ex quibus conſtare poteſt, quod in ſenſu pure ſpirituali per cito & prope non intelligatur cito & prope temporis, ſed cito & prope ſtatus: hoc quidem poteſt videri ſicut non ita ſit, cauſa eſt, quia apud homines in omni idea cogitationis inferioris eorum, quæ eſt mere naturalis, eſt aliquid ex tempore & ſpatio, aliter in idea cogitationis ſuperioris, in qua homines ſunt, cum volvunt res naturales, civiles, morales & ſpirituales in luce rationali interiore, tunc enim lux ſpiritualis, quæ abſtracta eſt a tempore & ſpatio, influit & illuſtrat: potes hoc expeririri & ſic confirmari, ſi vis, modo attendas ad tuas cogitationes; & quoque tunc confirmaberis, quod cogitatio ſuperior & inferior ſit, quoniam cogitatio ſimplex non poteſt ſemet intueri, niſi a quadam ſuperiore; & niſi homini foret cogitatio ſuperior & inferior, non foret homo ſed brutum. Quod per ne obſignes verba prophetiæ hujus, ſignificetur quod Apocalypſis non occluſa erit, ſed aperienda, eſt quia per obſignare ſignificatur occludere, & inde per non obſignare ſignificatur aperire, & per tempus prope eſt, ſignificatur quod neceſſum ſit; eſt enim Apocalypſis Liber obſignatus ſeu occluſus, quamdiu non explicatus eſt: atque, ut ſupra n. 944 oſtenſum eſt, per verba prophetiæ hujus, intelliguntur vera & præcepta doctrinæ hujus Libri a Domino aperti. Quod hoc neceſſum ſit in fine Eccleſiæ, ut aliqui ſalventur, videatur ſupra n. 9. Ex his conſtare poteſt, quod per ne obſignes verba prophetiæ hujus, quia tempus prope eſt, ſignificetur, quod Apocalypſis non occluſa erit, ſed aperienda, & quod hoc neceſſum ſit in fine Eccleſiæ, ut aliqui ſalventur.

948. *Injuſtus injuſtus fiat adhuc, & ſordidus ſordeſcat adhuc; & juſtus juſtificetur adhuc; & ſanctus ſanctificetur adhuc, ſignificat ſtatum omnium in particulari poſt mortem, & ante ejus judicium, & in communi ante ultimum judicium, quod illis qui in malis ſunt auferentur bona, & qui in falſis auferentur vera, ac viciſſim quod illis qui in bonis ſunt auferentur mala, & qui in veris auferentur falſa.* Per injuſtum

significatur qui in malis est, & per justum qui in bonis, n. 668; per sordidum aut immundum significatur qui in falsis, n. 702. 708. 924; & per sanctum significatur qui in veris, n. 173. 586. 666. 852; inde sequitur quod per injustus injustus fiat adhuc, significetur quod qui in malis est adhuc plus in malis erit, & per sordidus sordescat adhuc, significetur quod qui in falsis est adhuc plus in falsis erit; & viciffim, quod per justus justificetur adhuc significetur quod qui in bonis est adhuc plus in bonis erit, & per sanctus sanctificetur adhuc significetur quod qui in veris est adhuc plus in veris erit: quod autem significetur quod qui in malis sunt auferentur bona, & qui in falsis auferentur vera, & vicissim quod qui in bonis sunt auferentur mala, & qui in veris auferentur falsa, est quia quantum alicui qui in malis est auferuntur bona, tantum plus in malis est, & quantum alicui qui in falsis est auferuntur vera tantum plus in falsis est, ac vicissim quantum alicui qui in bonis est auferuntur mala, tantum plus in bonis est, & quantum alicui qui in veris est auferuntur falsa, tantum plus in veris est: hoc aut illud fit omnibus post mortem, sic enim præparantur mali ad infernum, & boni ad cælum; non enim potest malus secum ferre ad infernum bona & vera, nec potest bonus secum ferre in cælum mala & falsa, sic enim confunderetur & Cælum & Infernum. Sed probe sciendum est quod intelligantur interius mali, ac interius boni; possunt enim interius mali exterius boni esse, agere enim possunt & loqui sicut boni, ut faciunt hypocritæ; & possunt interius boni quandoque exterius mali esse, possunt enim exterius agere mala, & loqui falsa, sed usque pænitentiam agunt, & in veris volunt informari: hoc idem est, quod Dominus dicit, *Habenti omni dabitur ut abundet, ab eo autem qui non habet, etiam quod habet auferetur*; Matth. XIII: 12. Cap. XXV: 29. Marc. IV: 25. Luc. VIII: 18. Cap. XIX: 26. Ita fit omnibus post mortem ante judicium super illos; etiam factum est in communi cum illis, qui die ultimi judicii vel perierunt vel salvati sunt, nam antequam hoc factum est, non potuit ultimum judicium fieri, ex causa quia quamdiu mali retinuerunt bona & vera, conjuncti fuerunt cum Angelis Ultimi Cæli quoad externa, & tamen separandi erant; & hoc est quod prædictum est a Domino Matth. XIII: 24 ad 30; & 38 ad 40, quæ explicata videantur supra n. 324. 329. 343. 346. 398: Ex his videri potest, quid in sensu spirituali significatur per injustus injustus fiat adhuc, & sordidus sordescat adhuc, & justus justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc: similia significantur per hæc apud Danielem „ *Abi Daniel, quia occlusa & obsignata verba usque ad tempus finis: purgabuntur & mundabuntur multi, impie agent, nec intelligent ulli impii, intelligentes tamen intelligent* „ XII: 9. 10.

949. *Et ecce venio cito, & merces mea cum Me, reddens unicuique sicut opus ejus erit, significat quod Dominus certe venturus sit, & quod Ipse sit Cælum & Felicitas vitæ æternæ, cuique secundum fidem in Ipsum & vitam secundum præcepta Ipsius.* Ecce venio cito, significat quod certe venturus sit, hoc est, ad faciendum judicium, & ad condendum Novum Cælum, & Novam Ecclesiam; quod cito sit certo videatur n. 4. 943. 944. 947; merces mea cum Me, significat quod Ipse Dominus sit Cælum & Felicitas vitæ æternæ, quod merces sit cælum

cælum & felicitas æterna, videatur n. 526; quod Ipse Dominus sit, videbitur infra: reddens unicuique secundum opus ejus, significat secundum conjunctionem cum Domino per fidem in Ipsum & per vitam secundum præcepta Ipsius; quod hæc significentur, est quia per bona opera significantur charitas & fides in internis, & simul illarum effectus in externis; & quia charitas & fides sunt a Domino, & secundum conjunctionem cum Ipso, patet, quod illa significentur; ita quoque hæc cum prioribus cohærent: quod bona opera sint charitas & fides in internis, & simul effectus illarum in externis, videatur supra n. 641. 868. 871. Quod charitas & fides non sint ab homine, sed a Domino, notum est; & quia a Domino, sunt secundum conjunctionem cum Ipso, & conjunctio cum Ipso, fit per fidem in Ipsum & per vitam secundum præcepta Ipsius; per fidem in Ipsum intelligitur fiducia quod Ipse salvet, & hæc fiducia est illis, qui Ipsum immediate adeunt, & fugiunt mala ut peccata; apud alios non dabilis est. Dictum est, quod merces mea cum Me, significet quod Ipse sit cælum & felicitas vitæ æternæ, merces enim est beatitudo intrinseca, quæ vocatur Pax, & inde gaudium externum; hæc unice sunt a Domino, & quæ a Domino sunt, non modo sunt ab Ipso, sed etiam sunt Ipse, nam Dominus non potest aliquid a se emittere, nisi Ipse sit; est enim Omnipræsens apud unumquemvis hominem secundum conjunctionem, & conjunctio secundum receptionem, & receptio secundum amorem & sapientiam, aut si velitis secundum charitatem & fidem, & charitas & fides secundum vitam, & vita secundum aversationem mali & falsi, ac aversatio mali & falsi secundum cognitionem quid malum & falsum, & tunc secundum pænitentiam & simul intuitionem ad Dominum. Quod Merces non modo sit a Domino, sed etiam Ipse Dominus, patet a locis in Verbo, ubi dicitur quod qui conjuncti sunt Ipsi sint in Ipso & Ipse in illis, ut constare potest apud Johannem Cap. XIV: 20. 21. 22. 23. 24. Cap. XV: 4. 5 seq. Cap. XVII: 19. 21. 22. 26, & alibi, videatur supra n. 883; & quoque ubi dicitur quod Spiritus Sanctus sit in illis, & spiritus sanctus est Dominus, est enim Divina Ipsius præsentia; & quoque cum oratur ut Deus habitet in illis, doceat illos, ducat illos, linguam ad prædicandum, & corpus ad faciendum quod bonum est, præter similia alia: est enim Dominus Ipse Amor & Ipsa Sapientia, hæc duo non sunt in loco, sed sunt ubi recipiuntur, & secundum quale receptionis: ast hoc Arcanum non potest intelligi, nisi ab illis qui in sapientia sunt ex receptione lucis e Cælo a Domino; pro his sunt quæ scripta sunt in binis Operibus, uno de Divina Providentia, altero de Divino Amore et Divina Sapientia, in quibus demonstratum est, quod Ipse Dominus sit in hominibus secundum receptionem, & non aliquod Divinum separatum ab Ipso; Angeli in hac idea sunt, dum in idea de Omnipræsentia Divina, & non dubito, quin etiam aliqui Christiani in simili possint esse.

v. 13, 950. *Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, Primus & Ultimus, significat quia Dominus est Deus Cæli & Terræ, & ab Ipso omnia in Cælis & in Terris facta sunt, & per Divinam Ipsius Providentiam reguntur, & secundum illam*

illam fiunt. Quod hæc & plura per illa verba ſignificentur, videatur ſupra n. 888.

v. 14 951. *Beati facientes mandata Ipſius, ut ſit poteſtas illorum in Arbore vitæ, & portis ingrediantur in Urbem, ſignificat quod felicitas æterna ſit illis qui vivunt ſecundum præcepta Domini, propter finem ut ſint in Domino & Dominus in illis per amorem, & in Nova Ipſius Eccleſia per cognitiones de Ipſo.* Per beatos ſignificantur quibus felicitas vitæ æternæ eſt, n. 639. 852. 944; per facere mandata Ipſius, ſignificatur vivere ſecundum præcepta Domini; ut ſit poteſtas illorum in arbore vitæ, ſignificat ob finem ut ſint in Domino & Dominus in illis per amorem, hoc eſt, propter Dominum, de quo ſequitur; per portis ingredi in urbem, ſignificatur ut ſint in Nova Domini Eccleſia per cognitiones de Ipſo, per portas muri Novæ Hieroſolymæ ſignificantur cognitiones boni & veri ex Verbo, n. 899. 900 922, & quia unaquævis porta erat una margarita, principaliter per portas ſignificantur cognitiones de Domino, n. 916, & per Urbem, ſeu Hieroſolymam, ſignificatur Nova Eccleſia cum Doctrina ejus, n. 879. 880. Quod per ut ſit poteſtas illorum in arbore vitæ, ſignificetur propter finem ut ſint in Domino & Dominus in illis, ſeu propter Dominum, eſt quia per arborem vitæ ſignificatur Dominus quoad Divinum Amorem, n. 89. 933; & per poteſtatem in illa arbore, ſignificatur poteſtas a Domino, quia in Domino ſunt & Dominus in illis; per hæc ſimile ſignificatur per quod regnaturi cum Domino, n. 284. 849: quod qui in Domino ſunt & Dominus in illis, in omni poteſtate ſint, adeo ut quicquid volunt, poſſint, Ipſe Dominus dicit apud Johannem „ *Qui manet in Me & Ego in illo, hic fert fructum multum, quia ſine Me non poteſtis facere quicquam: ſi manſeritis in Me, & verba mea in vobis, quicquid volueritis, petatis, etiam fiet vobis,* XV: 5. 7; ſimiliter de poteſtate, Matth. VII: 7. Marc. XI: 24. Luc. XI: 9. 10; imo apud Matthæum „ *Jeſus dixit, ſi haberetis fidem, ſi monti huic dixeritis, tollere, projice te in mare, fiet; imo omnia quæ petieritis credentes accipietis,* XXI: 21. 22; per hæc deſcribitur poteſtas illorum qui in Domino ſunt, hi non aliquid volunt, & ſic non aliquid petunt, niſi a Domino, & quicquid volunt & petunt a Domino, hoc fit, nam dicit Dominus, *ſine Me non poteſtis facere quicquam, manete in Me & Ego in vobis;* talis poteſtas eſt Angelis in Cælo, ut modo velint, obtineant; ſed uſque non volunt quicquam quam quod uſui eſt, & hoc volunt ſicut a ſe, ſed uſque a Domino.

v. 15 952. *Foris vero canes, & incantatores, & ſcortatores, & homicidæ, & idololatræ, & omnis amans & faciens mendacium, ſignificat quod non aliquis in Novam Hieroſolymam recipiatur, qui nihili facit præcepta Decalogi, & non fugit aliqua mala ibi nominata ut peccata, & ideo vivit in illis.* Hæc in genere ſignificantur per omnia illa, quia ſunt præcepta Decalogi, quæ ibi intelliguntur, ut videri poteſt ab Explicatione ſupra n. 892, ubi ſimilia ſunt, præter quod hic etiam nominentur canes, per quos ſignificantur qui in concupiſcentiis ſunt, de quibus etiam in Nono & in Decimo Præcepto Decalogi agitur. Per Canes in genere ſignificantur qui in concupiſcentiis omnis generis ſunt, ac illis indulgent,

in

in ſpecie qui in voluptatibus mere corporeis ſunt, imprimis qui in voluptate commeſſationum, quibus unice delectantur; quare Canes in Mundo ſpirituali apparent ex illis qui litaverunt gulæ & linguæ, & vocantur ibi appetitus corporei; tales quia pingui mente ſunt, nihili faciunt illa quæ Eccleſiæ ſunt, ideo dicitur quod foris ſtabunt, hoc eſt, non in Novam Domini Eccleſiam recipientur. Similia per Canes ſignificantur in his in Verbo „ *Speculatores ejus cæci omnes ſunt Canes muti, ſpectantes, cubantes, amantes dormitare, Canes obfirmati anima, non ſciunt ſatietatem*, Eſaj. LVI: 10. 11. *Tumultuantur ſicut Canes, & circumeunt in urbe, vagantur ad comedendum, ſi non ſatiantur, ita pernoctant*, Pſalm. LIX: 7. 15; per Canes intelliguntur viliſſimi homines, Hiob. XXX: 1. I Sam. XXIV: 15. II Sam. IX: 8. II Reg. VIII: 13; & quoque immundi; quare dicitur apud Moſen „ *Non inferes mercedem ſcorti & pretium Canis in Domum Jehovæ quoad votivum quodcunque, quia abominatio Jehovæ Dei tui ambo*, Deutr. XXIII: 19.

953. *Ego Jeſus miſi Angelum meum teſtari vobis hæc in Eccleſiis, ſignificat teſtificationem a Domino coram toto Chriſtiano Orbe, quod verum ſit quod Solus Dominus manifeſtaverit illa quæ in hoc Libro deſcripta ſunt, ut & quæ nunc aperta ſunt.* Quod Dominus Se hic nominet Jeſum, eſt, ut omnes in Orbe Chriſtiano ſciant, quod Ipſe Dominus, Qui fuit in Mundo, illa quæ in hoc Libro deſcripta ſunt, ut & quæ nunc aperta ſunt, manifeſtaverit; per mittere Angelum teſtari, ſignificatur teſtificatio a Domino quod verum ſit, Angelus quidem id teſtatus eſt, verum non a ſe, ſed a Domino, quod patet clare in Verſ. 20 ſequente, ab his, „ *Dicit Teſtans hæc, etiam venio cito*; quod ſit teſtificatio quod verum ſit, eſt quia teſtari dicitur de veritate, quoniam Veritas teſtatur ex ſe, & Dominus eſt Veritas, n. 6. 16. 490; teſtari non modo ſignificat teſtificari quod verum ſit, quod Dominus manifeſtaverit Johanni illa quæ in hoc Libro deſcripta ſunt, ſed etiam quod nunc manifeſtaverit quid omnia & ſingula ibi ſignificant; hoc intelligitur proprie per teſtari, nam dicitur quod teſtetur hæc in Eccleſiis, hoc eſt, quod vera ſint, quæ in viſis & deſcriptis a Johanne continentur, teſtari enim dicitur de veritate, ut dictum eſt: per vobis hæc in Eccleſiis, ſignificatur coram toto Orbe Chriſtiano, quia ibi ſunt Eccleſiæ, quæ hic intelliguntur.

954. *Ego ſum Radix & Genus Davidis, Stella ſplendida & matutina, ſignificat quod ſit Ipſe Ille Dominus Qui natus eſt in Mundo, & tunc fuit Lux, & Qui venturus cum nova Luce, quæ coram Nova Ipſius Eccleſia, quæ eſt Sancta Hieroſolyma, oritura eſt.* Ego ſum radix & genus Davidis, ſignificat quod Ipſe Ille Dominus ſit, qui natus eſt in Mundo, ita Dominus in Divino Humano ſuo, ex hoc vocatur Radix & Genus Davidis, & quoque Germen Davidis, Jerem. XXIII: 5. Cap. XXXIII: 15; tum Virga ex trunco Jiſchaji, & Surculus ex radicibus ejus, Eſaj. XI: 1. 2; Stella ſplendida & matutina, ſignificat quod tunc fuerit Lux, & quod venturus ſit cum nova Luce, quæ coram Nova Ipſius Eccleſia, quæ eſt Sancta Hieroſolyma, oritura eſt; vocatur Stella ſplendida ex Luce cum qua venit in Mundum, quare etiam vocatur Stella & quoque Lux; Stella, Num. XXIV: 17: & Lux Joh. I: 4 ad 12. Cap. III: 19. 21. Cap. IX: 5. Cap. XII: 35. 36. 46. Matth. IV: 16. Luc. II: 30. 31. 32. Eſaj. IX:

B. a. 2 IX: 1. Cap. XLIX: 6; & vocatur Stella matutina ex luce quæ ab Ipso coram nova Ecclesia, quæ est Nova Hierosolyma, oritura est; per Stellam enim significatur Lux ab Ipso, quæ in sua essentia est Sapientia & Intelligentia, & per Matutinum seu Mane, significatur Adventus Ipsius, & tunc nova Ecclesia, videatur supra n. 151.

v. 17. 955. *Et spiritus & sponsa dicunt veni, significat quod Cælum & Ecclesia Adventum Domini desiderent.* Per spiritum significatur Cælum, per sponsam Ecclesia, & per dicere veni significatur desiderare Adventum Domini; quod nova Ecclesia, quæ est Sancta Hierosolyma, per Sponsam intelligatur, constat ex Cap. XXI: 2. 9. 10, videatur n. 881. 895; & quod per Spiritum intelligatur Cælum, est quia intelliguntur spiritus Angelici, ex quibus novum Cælum, de quibus supra Cap. XIV: 1 ad 7. Cap. XIX: 1 ad 9. Cap. XX: 4. 5. Per Ecclesiam, quæ hic vocatur sponsa, non intelligitur Ecclesia ex illis qui in falsis fidei sunt, sed Ecclesia ex illis qui in veris fidei, hi enim desiderant lucem, proinde adventum Domini, ut supra n. 954.

956. *Et audiens dicat veni, & sitiens veniat, & volens accipiet aquam vitæ gratis, significat quod qui scit aliquid de Adventu Domini, & de Novo Cælo & de Nova Ecclesia, ita de Regno Domini, oret ut veniat, & quod qui desiderat vera, oret ut Dominus cum luce veniat, & qui amat vera, tunc accepturus sit illa a Domino absque sua opera.* Per audiens dicat veni, significatur qui audit & inde scit aliquid de Adventu Domini, & de Novo Cælo & de Nova Ecclesia, ita de Regno Domini, oret ut veniat; per sitiens dicat veniat, significatur qui desiderat Regnum Domini, & tunc vera, oret ut Dominus cum luce veniat; per volens accipiet aquam vitæ gratis, significatur qui ex amore vult discere vera & appropriare sibi illa, accepturus sit illa a Domino absque sua opera; per velle significatur amare, quia quod homo ex corde vult hoc amat, & quod amat hoc ex corde vult; per aquam vitæ significantur Divina vera per Verbum ex Domino, n. 932; & per gratis significatur absque sua opera. Similia per hæc quæ in hoc Versu significantur per hæc in Oratione Dominica ,, *Veniat Regnum tuum, fiat Voluntas tua, sicut in Cælo etiam in Terra*, n. 839, Regnum Domini est Ecclesia quæ unum facit cum Cælo; quare nunc dicitur, audiens dicat veni, & sitiens veniat. Quod sitire significet desiderare vera, constat ex his ,, *Effundam aquas super* SITIENTEM, *effundam spiritum meum super semen tuum*, Esaj. XLIV: 3. *Omnis* SITIENS *ite ad aquas, emite sine argento vinum & lac*, Esaj. LV: 1. *Jesus clamavit, dicens, si quis* SITIVERIT, *venito ad Me & bibito; quisquis credit in Me, flumina e ventre ejus fluent aquæ viventis*, Joh. VII: 37. 38.
B. a. 2 SITIT ANIMA *mea ad Deum vivum*, Psalm. XLII: 3. *Deus Deus meus Tu*, SITIT
B. a. 1. ANIMA MEA *Tibi, lassus sine aquis*, Psalm. LXIII: 2. *Beati qui* SITIUNT *justitiam*, Matth. V: 6. *Ego* SITIENTI *dabo ex fonte aquæ vitæ gratis*, Apoc. XXI: 6, per quæ significatur, quod Dominus illis qui desiderant vera ex aliquo usu spirituali, daturus sit ex Se per Verbum, omnia quæ usui illi conducunt. Quod per sitim & sitire etiam significetur ex defectu veri perire, constat ex his ,, *Exulabit populus meus ob non agnitionem, multitudo ejus sicca* SITI, Esaj. V: 13. *Stultus stultitiam loquitur, & cor ejus facit iniquitatem, & animam* [ad evacuandum] *potum* [esurientis, et] SITIENTIS

de-

deficere facit, Esaj. XXXII: 6. *Pauperes & egeni aquam quærentes*, *sed non*, *lingua eorum* SITI *deficit*, *Ego Jehovah exaudiam eos*,, Esaj. XLI: 17. *Contendite cum matre vestra*, *ne exuam eam nudam*, *& occidam eam per* SITIM, Hosch. II: 3, Mater ibi est Ecclesia. *Ecce dies venturi*, *quibus immittam famem in terram*, *non famem ad panem neque* SITIM *ad aquas*, *sed ad audiendum verba Jehovæ: in die illo deficient virgines pulchræ & juvenes* SITI,, Amos. VIII: 11. 13. At non defectum veri habere significatur per non sitire, in his,, *Jesus dixit*, *qui bibit ex aqua quam Ego dabo*, *non* SITIET *in æternum*, Joh. IV: 13. 14. 15. *Jesus dixit*, *qui credit in Me*, *non* SITIET *unquam*, Joh. VI: 35. *Redemit Jehovah Jacobum; tunc non* SITIENT, *aquas e Petra effluere faciet illis*, Esaj. XLVIII: 20.21.

957. *Contestor enim omni audienti verba Prophetiæ Libri hujus*, *si quis addiderit ad hæc*, *addet Deus super illum plagas scriptas in Libro hoc*, *significat quod qui legunt & sciunt vera doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti*, *& usque agnoscunt alium Deum quam Dominum*, *& aliam fidem quam in Ipsum*, *addendo aliquid per quod duo illa destruant*, *non possint aliter quam perire ex falsis & malis*, *quæ per plagas in hoc Libro descriptas significantur.* Per audire verba Prophetiæ Libri hujus, significatur legere & scire vera doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti, videatur supra n. 944; per addere ad hæc, significatur addendo aliquid per quod destruant illa vera, ut sequitur; per plagas scriptas in Libro hoc, significantur falsa & mala, quæ per plagas in hoc Libro descriptas significantur, de quibus in Cap. XV & XVI; quod plagæ significent falsa & mala, quæ sunt illis qui adorant Draconis bestiam & Pseudoprophetam, videatur n. 456. 657. 673. 676. 677. 683. 690, 691. 699. 708. 718; Draconis bestia & Pseudopropheta sunt qui solam fidem absque bonis operibus salvificam faciunt. Sunt duo in hoc Libro prophetico, ad quæ omnia ejus se referunt, primum est, quod non alius Deus agnoscendus sit, quam Dominus, & alterum, quod non alia fides agnoscenda sit quam in Dominum; qui hæc scit, & usque addit aliquid ex intentione quod destruit illa, non potest aliter quam in falsis & malis esse, & ex illis perire, quoniam non ex alio Deo quam ex Domino, nec per aliam fidem quam in Dominum, datur bonum quod est amoris, & verum quod est fidei, & inde felicitas vitæ æternæ, ut Ipse Dominus apud Evangelistas multis in locis docet, videatur supra n. 553. Quod hoc significetur, & non quod Deus additurus plagas Cap. XV & XVI descriptas super illum, qui addit aliquid ad verba Prophetiæ libri hujus, quisque potest ex suo judicio videre; id enim potest innocens facere, & quoque possunt multi ex fine bono, ut & ex ignorantia, quid significatur; Apocalypsis enim fuit huc usque sicut Liber occlusus seu mysticus, quare quisque videre potest, quod intelligatur, quod non aliquid addendum sit nec auferendum, quod vera doctrinæ in hoc Libro a Domino nunc aperto destruit, quæ vera se ad illa duo referunt; quare etiam hæc verba in serie sequuntur post hæc, *Jesus misit Angelum suum testari vobis hæc in Ecclesiis*, *Ego sum Radix & Genus Davidis*, *Stella splendida & matutina; & spiritus & sponsa dicunt*, *veni*, *& audiens dicat veni*, *& sitiens veniat*, *ac volens accipiet aquam vitæ gratis*, Vers. 16. 17, per quæ significatur, quod Dominus in Divino Humano suo venturus sit, & daturus vitam æternam illis, qui Ipsum

fum agnofcunt, quare etiam in ferie fequuntur hæc, *Dicit Teftans hæc, etiam venio cito, amen, etiam veni Domine Jefu* „ Verf. 20; ex quibus patet, quod non alia intelligantur. Etiam Addere eft vox prophetica fignificans deftruere, ut Pfalm. CXX: 2, & alibi: ex his nunc videri poteft, quid per illa quæ in hoc Verfu, & quæ in fequente funt, fignificatur.

v. 19. 958. *Et fi quis abftulerit e verbis Libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus e Libro vitæ, & ex Urbe fancta, & fcriptis in Libro hoc, fignificat quod qui legunt & fciunt vera doctrinæ hujus Libri nunc a Domino aperti, & ufque agnofcunt alium Deum quam Dominum, & aliam fidem quam in Ipfum, auferendo aliquid per quod illa duo deftruant, non poffint aliquid fapere & appropriare fibi ex Verbo, nec recipi in Nova Hierofolyma, neque habere fortem cum illis qui in Regno Domini funt.* Per hæc fimilia fignificantur quæ fupra, folum quod hic dicatur de illis qui auferunt, & ibi de illis qui addunt, proinde de illis qui vel addendo vel auferendo duo illa Vera deftruunt; per auferre partem e Libro vitæ fignificatur quod non poffint aliquid fapere feu appropriare fibi ex Verbo, Liber vitæ eft Verbum & quoque Dominus quoad Verbum, n. 256. 469. 874. 925; caufa eft, quia Dominus eft Verbum, Verbum enim de Solo Ipfo agit, ut in DUABUS DOCTRINIS NOVÆ HIEROSOLYMÆ, una DE DOMINO, & altera DE SCRIPTURA SACRA, plene oftenfum eft; quare qui non Dominum immediate adeunt, non poffunt videre aliquod verum ex Verbo: per auferre partem ex Urbe fancta, fignificatur ex nova Ecclefia, quæ eft fancta Hierofolyma; in illam enim nemo recipitur qui non folum Dominum adit: per auferre partem ex fcriptis in Libro hoc, fignificatur non fortem habere cum illis qui in Regno Domini funt, nam omnia quæ in Libro hoc fcripta funt, fpectant novum Cælum & novam Ecclefiam, quæ faciunt Regnum Domini, ut finem, & finis eft, ad quem omnia quæ fcribuntur in Libro fe referunt.

959. Ut fciatur quod per hæc non intelligatur qui aufert ex verbis hujus Libri ficut fcriptus eft in fenfu literæ, fed qui aufert ex veris doctrinæ quæ funt in fenfu fpirituali ejus, dicam unde hoc eft: Verbum, quod dictatum eft a Domino, tranfivit Cælos Regni cæleftis & Cælos Regni fpiritualis Ipfius, & fic venit ad hominem, per quem fcriptum eft; quare Verbum in fua prima origine eft pure Divinum, hoc dum tranfivit Cælos Regni cæleftis Domini, fuit Divinum cælefte, & dum tranfivit Cælos Regni fpiritualis Domini, fuit Divinum fpirituale, & cum venit ad hominem factum eft Divinum naturale, inde eft quod Senfus naturalis Verbi in fe contineat Senfum fpiritualem, & hic Senfum cæleftem, & uterque Senfum pure Divinum, qui non alicui homini, & ne quidem alicui Angelo patet. Hæc allata funt, ut videri poffit, quod per non addetur nec auferetur aliquid ex fcriptis in Apocalypfi intelligatur in Cælo, quod non aliquid ex veris doctrinæ de Domino & de fide in Ipfum; hic enim fenfus eft, & de vita *fecundum præcepta Ipfius*, ex quo fenfus literæ eft, ut dictum eft.

v. 20 960. *Dixit Teftans hæc, etiam venio cito, amen; etiam veni Domine Jefu, fignificat Dominum, Qui revelavit Apocalypfin & nunc aperuit illam, teftificantem hoc Evangelium, quod in Divino Humano fuo quod fufcepit in Mundo, & glorificavit,* ve-

veniat ut Sponsus & Maritus, & *quod Ecclesia Ipsum desideret ut Sponsa & Uxor*. Supra dicit Dominus, *Ego Jesus misi angelum meum testari vobis hæc in Ecclesiis*, Vers. 16 hujus Capitis, per quæ quod significetur testificatio a Domino coram toto Christiano Orbe, quod verum sit quod solus Dominus manifestaverit illa, quæ in hoc Libro scripta sunt, & quæ nunc aperta sunt, videatur supra n. 953; inde patet, quod per dixit Testans hæc, intelligatur Dominus, qui revelavit Apocalypsin & nunc aperuit illam, testificans; quod sit testificans hoc Evangelium, est quia hic declarat Adventum suum, Regnum suum, & Spirituale Conjugium suum cum Ecclesia, dicit enim, *Etiam venio cito, amen, etiam veni Domine Jesu*, & per Evangelium significatur Adventus Domini ad Regnum Ipsius videatur n. 478. 553. 625. 664; quod hic ad Conjugium spirituale cum Ecclesia, est quia nova hæc Ecclesia vocatur Sponsa & Uxor, & Dominus Sponsus & Maritus ejus, supra Cap. XIX: 7. 8. 9. Cap. XXI: 2. 9. 10; Cap. XXII: 17 & hic in fine Libri, loquitur Dominus & loquitur Ecclesia, sicut sponsus & sponsa; loquitur Dominus hæc „ *Etiam venio cito, amen;* & loquitur Ecclesia hæc, „ *Etiam veni Domine Jesu*, quæ sunt verba Desponsationis ad Conjugium spirituale. Quod Dominus venturus sit in Divino Humano, quod suscepit in mundo & glorificavit, constat ex eo, quod se *nominet Jesum*, & dicat quod *sit Radix & Genus Davidis*, Vers. 16, & quod Ecclesia hic dicat, *veni Domine Jesu*, videatur supra n. 953. 954.



961. His adjiciam duo MEMORABILIA; Primum hoc. Quondam experrectus e somno incidi in profundam meditationem de Deo; & cum suspexi, vidi supra me in Cælo Lucem candidissimam in forma ovali; & cum fixi intuitum in Luce illa, recedebat Lux ad latera, & intrabat in peripherias, & tunc ecce patuit mihi Cælum, & vidi aliqua magnifica, & Angelos stantes in forma circi a latere meridionali aperturæ, & loquebantur inter se; & quia accendebar desiderio audiendi quid loquebantur, ideo dabatur mihi primum audire sonum, qui plenus erat amore cælesti, & postea loquelam, quæ plena erat sapientia ex illo amore; loquebantur inter se, de DEO UNO, de CONJUNCTIONE CUM IPSO, & inde SALVATIONE: loquebantur ineffabilia, quorum pleraque non possunt cadere in voces alicujus Linguæ naturalis; sed quia aliquoties fueram in consortio cum Angelis in ipso Cælo, & tunc in simili loquela cum illis, quia in simili statu, ideo potui nunc intelligere illos, & ex sermone illorum desumere aliqua, quæ possunt exprimi vocibus Linguæ naturalis rationaliter; dicebant, quod DIVINUM ESSE SIT UNUM, IDEM, IPSUM, ET INDIVIDUUM, ita quoque Divina Essentia, quia Divinum Esse est Divina Essentia, ita quoque Deus, quia Divina Essentia, quæ etiam est Divinum Esse, est Deus. Hæc illustrabant per ideas spirituales; dicendo, quod Divinum Esse non possit cadere in plures, quorum unicuique sit Divinum Esse, & tamen Illud esse Unum, Idem, Ipsum, & Individuum, cogitaret enim quisque ex suo Esse ex se & per se, si tunc etiam simul ex alteris & per alteros unanimiter, forent plures Dii unanimi, & non

Deus Unus; nam Unanimitas, quia est consensus plurium, & simul cujusvis ex se & per se, non concordat cum Unitate Dei, sed cum pluralitate, non dixerunt DEORUM, quia non potuerunt, Lux enim Cæli, ex qua erat cogitatio illorum, & in qua procedebat sermo illorum, contranitebatur; dicebant etiam quod cum vellent enuntiare Deos, ac quemlibet ut Personam per se, cadat conatus enuntiandi illico ex se in Unum imo in Unicum Deum: his addebant, quod Divinum Esse sit Divinum Esse in Se, non a Se, quia a Se ponit Esse in Se a Quo, ita ponit Deum a Deo, quod non datur; quod a Deo est, hoc non vocatur Deus sed vocatur Divinum, quid enim est Deus a Deo, ita quid Deus a Deo natus ab æterno, & quid Deus a Deo per Deum natum ab æterno procedens, nisi voces quibus ne hilum lucis e Cælo inest: aliter in Domino Jesu Christo, in Illo est Ipsum Divinum Esse a Quo, Cui in homine correspondet anima, est Divinum Humanum, Cui in homine correspondet corpus, & est Divinum procedens, Cui in homine correspondet activitas; hoc Trinum est unum, quia ex Divino a Quo est Divinum Humanum, & inde ex Divino a Quo per Divinum Humanum est Divinum procedens: ideo etiam in unoquovis Angelo & in unoquovis Homine, quia sunt Imagines, est anima, corpus & activitas, quæ unum faciunt, quoniam ex anima est corpus, & ex anima per corpus est activitas. Porro dicebant, quod Divinum Esse, quod in Se est Deus, sit IDEM, non Idem simplex, sed Infinitum, hoc est Idem ab æterno in æternum, est Idem ubivis, ac Idem apud unumquemvis & in unoquovis, sed quod omne varium & variabile sit in recipiente; status recipientis hoc facit. Quod Divinum Esse, Quod est Deus in Se, sit IPSUM, ita illustrabant; Deus est Ipsum, quia est Ipse Amor, Ipsa Sapientia, Ipsum Bonum, Ipsum Verum, Ipsa Vita; quæ nisi forent Ipsum in Deo, illa non forent aliquid in Cælo & in Mundo, quia non foret aliquod illorum relativum ad Ipsum; omne quale sortitur suum quale ex eo quod sit Ipsum ex quo est, & ad quod se refert ut sit tale. Hoc Ipsum, quod est Esse Divinum, non est in Loco, sed apud illos & in illis, qui sunt in loco, secundum receptionem, quoniam de Amore & Sapientia, & de Bono & Vero, quæ sunt Ipsum in Deo, imo Ipse Deus, non prædicari potest locus, seu progressio e loco in locum, sed absque loco, unde Omnipræsentia: quare dicit Dominus, *Quod sit in medio illorum*; *tum Ipse in illis & illi in Ipso.* At quia non recipi ab ullo potest qualis in Se est, apparet qualis in Se est ut Sol supra Cælos Angelicos, a quo procedens ut Lux est Ipse quoad sapientiam, ac ut Calor est Ipse quoad Amorem: Ipse non est Sol, sed Divinus Amor & Divina sapientia exiens ab Ipso proxime, circum circa Ipsum, coram Angelis apparent ut Sol; Ipse in Sole est Homo; est Dominus noster Jesus Christus tam quoad Divinum a Quo, quam quoad Divinum Humanum, quoniam Ipsum, quod est Ipse Amor & Ipsa Sapientia, fuit anima Ipsi a Patre, ita Divina Vita, quæ est Vita in se; aliter in unoquavis homine, in illo anima non est vita sed recipiens vitæ; Dominus etiam hoc docuit, dicendo, *Ego sum Via, Veritas, & Vita*; & alibi, *Quemadmodum Pater habet Vitam in Se Ipso, ita dedit etiam Filio Vitam habere in Se Ipso*; Vita in seipso est Deus. His addiderunt, quod qui in aliqua luce spirituali est, ex his possit

possit percipere, quod Divinum Esse, quod etiam est Divina Essentia, quia est Unum, Idem, Ipsum, & inde Individuum, non possit dari in pluribus; & quod si diceretur dari, forent manifestæ contradictiones in adjectis.

His auditis, perceperunt Angeli in cogitatione mea ideas communes Ecclesiæ Christianæ de Personarum Trinitate in Unitate & illarum Unitate in Trinitate de Deo, tum etiam de Nativitate Filii Dei ab æterno; & tunc dixerunt, quid cogitas, cogitasne illa ex Luce naturali, cum qua Lux nostra spiritualis non concordat; quare nisi removes illius cogitationis ideas, claudimus tibi Cælum & abimus: sed tunc dixi illis, intrate quæso penitius in cogitationem meam, & forte videbitis concordantiam; & fecerunt ita, & viderunt, quod per tres Personas intelligam Tria Attributa Divina procedentia, quæ sunt Creatio, Salvatio, & Reformatio, & quod illa Attributa sint Unius Dei; & quod per Nativitatem Filii Dei ab æterno intelligam Nativitatem Ipsius ab æterno prævisam & in tempore provisam; & tunc narravi, quod naturalis mea cogitatio de Personarum Trinitate & Unitate, & de Nativitate Filii Dei ab æterno, fuerit mihi ex Doctrina fidei Ecclesiæ, quæ ab Athanasio nomen habet, & quod illa Doctrina sit justa & recta, modo pro Trinitate Personarum ibi intelligatur Trinitas Personæ, quæ unice datur in Domino Jesu Christo, & pro Nativitate Filii Dei intelligatur Nativitas Ipsius ab æterno prævisa & in tempore provisa, quia quoad Humanum, quod in tempore suscepit, aperte vocatur Filius Dei: tunc dixerunt Angeli, Bene; & rogaverunt ut ex ore illorum dicam, quod si quis non adit Ipsum Deum Cæli & Terræ, non possit in Cælum venire, quia Cælum est Cælum ex Unico Illo Deo, & quod Ille Deus sit Jesus Christus, Qui est Jehovah Dominus ab æterno Creator, in tempore Salvator, & in æternum Reformator, ita Qui simul est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Post hæc Lux cælestis prius visa super aperturam rediit, & successive se inde demisit, ac implevit interiora mentis meæ, ac illustravit ideas meas naturales de Unitate & Trinitate Dei; & vidi tunc ideas de illis initio captas, quæ fuerant mere naturales, separatas sicut separantur paleæ a tritico ex ventilabro agitato, & ablatas sicut vento in septentrionem Cæli, & disparatas.

962. Secundum Memorabile. Quoniam a Domino datum est mihi videre Mirabilia, quæ in Cælis & sub Cælis sunt, ex mandato me oportet memorare quod visum est. Visum est Palatium magnificum, & in ejus Intimo Templum; in medio hujus erat Mensa ex auro, super qua erat Verbum, cui adstabant bini Angeli: circum illam erant Solia in triplici ordine; Solia primi ordinis erant obtecta panno holoserico purpurei coloris, Solia secundi ordinis panno holoserico cærulei coloris, & Solia tertii ordinis panno albo: sub tecto alte super Mensam apparuit Aulæum expansum, fulgens ex lapidibus pretiosis, ex quorum splendore effulsit sicut Iris cum serenatur Cælum post pluviam. Subito tunc visi sunt totidem ex Clero Sedentes super Soliis, omnes induti veste Ministerii Sacerdotalis. Ad unum latus erat Cimeliarchium, ubi stetit Angelus custos, & inibi in pulchro ordine jacebant Vestes splendidæ. Erat Concilium convocatum a Domino; & audivi vocem e Cælo dicentem, De-

LIBERATE; sed dicebant de quibus, dictum est, de DOMINO & de SPIRITU SANCTO: at cum de illis cogitabant, non erant in illustratione, quare supplicabant; & tunc Lux descendit e Cælo, quæ primum illuminabat Occipitia illorum, & postea Tempora, & demum Facies illorum; & tunc inchoabant; ac ut mandatum est, primum de DOMINO: & Propositio & Ventilatio prima fuit, Quis assumsit Humanum in Maria Virgine: & Angelus stans ad Mensam super qua erat Verbum, legit coram illis hæc apud Lucam „ *Angelus dixit ad Mariam, ecce concipies in Utero, & paries Filium; & vocabis Nomen Ejus* JESUM: *Hic erit magnus, &* FILIUS ALTISSIMI *vocabitur. Et Maria dixit ad Angelum, quomodo fiet hoc, quoniam virum non cognosco; & respondens Angelus dixit,* SPIRITUS SANCTUS VENIET SUPER TE, ET VIRTUS ALTISSIMI OBUMBRABIT TE, *unde quod nascitur ex te* SANCTUM, *vocabitur* FILIUS DEI, Cap. I: Vers. 31. 32. 34. 35: tum etiam quæ apud Matthæum Cap. I: Vers. 20 ad 25, & quæ ibi in Versu 25, legit alte. Præter hæc legit plura ex Evangelistis, ubi Dominus quoad Humanum suum vocatur FILIUS DEI, & ubi Ipse ex Humano suo Jehovam vocat PATREM SUUM; ut & ex Prophetis, ubi prædicitur quod Ipse Jehovah in Mundum venturus esset, inter quæ etiam hæc duo; apud Esajam „ *Dicetur in die illo, ecce* DEUS NOSTER HIC, *Quem exspectavimus ut liberet nos;* HIC JEHOVAH *Quem exspectavimus, exultemus & lætemur in Salute Ipsius* „ XXV: 9. *Vox clamantis in deserto, parate viam* JEHOVÆ, *complanate in solitudine semitam* DEO NOSTRO: *revelabitur enim Gloria* JEHOVÆ, *& videbunt omnis caro simul; ecce* DOMINUS JEHOVIH IN FORTI VENIT; *sicut Pastor gregem suum pascet* „ Esaj. XL: 3. 5. 10. 11. Et Angelus dixit, quoniam Ipse Jehovah in Mundum venit, & assumsit Humanum, & per id Salvavit & Redemit homines, ideo Ipse apud Prophetas vocatur Salvator & Redemptor; & tunc coram illis legit hæc sequentia „ *Tantummodo inter te Deus, &* PRÆTEREA NON DEUS, *profecto Tu* DEUS *occultus,* DEUS ISRAELIS SALVATOR, Esaj. XLV: 14. 15. *Nonne Ego Jehovah, &* NON AMPLIUS DEUS PRÆTER ME, *Deus justus &* SALVATOR NON PRÆTER ME, Esaj. XLV: 21. 22. EGO JEHOVAH, ET NON PRÆTER ME SALVATOR, Esaj. XLIII: 11. *Ego Jehovah Deus tuus, & Deum præter Me non agnosces, &* SALVATOR NON PRÆTER ME, Hosch. XIII: 4. *Ut sciat omnis Caro, quod* EGO JEHOVAH SALVATOR TUUS ET REDEMPTOR TUUS, Esaj. XLIX: 26. Cap. LX: 16. QUOD AD REDEMPTOREM NOSTRUM, JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Esaj. XLVII: 4. REDEMPTOR EORUM FORTIS JEHOVAH ZEBAOTH NOMEN IPSIUS, Jerem. L: 34. JEHOVAH PETRA MEA ET REDEMPTOR MEUS, Psalm. XIX: 15. *Sic dixit* JEHOVAH REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Israelis, Ego Jehovah Deus tuus,* Esaj. XLVIII: 17. Cap. XLIII: 14. Cap. XLIX: 7. Cap. LIV: 8. TU JEHOVAH PATER NOSTER, REDEMPTOR NOSTER *a sæculo Nomen tuum,* Esaj. LXIII: 16. *Sic dixit* JEHOVAH REDEMPTOR TUUS, *Ego Jehovah faciens omnia, & Solus a Me Ipso,* Esaj. XLIV: 24. *Sic dixit Jehovah Rex Israelis, &* REDEMPTOR EJUS JEHOVAH ZEBAOTH, *Ego Primus & Ultimus, & præter Me non Deus,* Esaj. XLIV: 6. *Jehovah Zebaoth Nomen Ipsius, &* REDEMPTOR TUUS, *Sanctus Israelis,* DEUS TOTIUS TERRÆ VOCABITUR, Esaj. LIV: 5. *Ecce dies venient, cum suscitabo Davidi germen justum, qui regnabit Rex, & hoc Nomen Ipsius,* JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jerem. XXIII: 5. 6. Cap. XXXIII: 15. 16. *In die illo*

erit

erit Jehovah in Regem super totam Terram; *in* DIE ILLO ERIT JEHOVAH UNUS, ET NOMEN IPSIUS UNUM, Sach. XIV: 9. Ex his & illis Sedentes super Soliis confirmati unanimiter dixerunt, quod Ipse Jehovah assumserit Humanum ad salvandum & redimendum homines. Sed tunc audita est vox ex Romano Catholicis, qui occultaverant se in angulo Templi, dicens, quomodo potest Jehovah Pater Homo fieri, estne Creator universi; & convertit se unus ex Sedentibus super Soliis secundi ordinis, & dixit, quis tunc; & ille ex angulo respondit, Filius ab æterno; sed responsum tulit, estne Filius ab æterno secundum vestram confessionem etiam Creator universi; & quid Filius aut Deus natus ab æterno; & quomodo potest Divina Essentia, quæ est Una & Individua, separari, ac aliquid Ejus descendere & suscipere Humanum, & non simul Tota. Altera Ventilatio de DOMINO erat, annon sic Deus Pater & Ipse unum sunt, sicut Anima & Corpus unum sunt; dixerunt, quod hoc consequens sit, quia a Patre est Anima; & tunc unus ex illis qui sedebant super soliis in tertio ordine, legebat ex Symbolica Fide, quæ Athanasiana vocatur, hæc ,, *Tametsi noster Dominus Jesus Christus Filius Dei est Deus & Homo, usque non sunt duo, sed est Unus Christus, imo est prorsus Unus, est* UNA PERSONA; *quoniam* SICUT ANIMA ET CORPUS FACIUNT UNUM HOMINEM, ITA DEUS ET HOMO EST UNUS CHRISTUS; dixit legens, quod hæc Fides recepta sit in universo Christiano Orbe, etiam a Romano-Catholicis; & dixerunt tunc, quid pluribus opus est; sunt Deus Pater & Ipse Unum, sicut Anima & Corpus unum sunt. Et dixerunt, quia ita est, videmus quod Humanum Domini sit Divinum, quia est Humanum Jehovæ; tum quod Dominus quoad Divinum Humanum adeundus sit, & quod sic & non aliter adiri possit Divinum quod Pater vocatur; hoc illorum conclusum confirmavit Angelus per plura adhuc ex Verbo, inter quæ fuerunt hæc; apud Esajam ,, *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, Cujus Nomen, Mirabilis, Consiliarius*, DEUS, *Heros*, PATER ÆTERNITATIS, *Princeps pacis*, IX: 5. Apud Eundem ,, TU PATER NOSTER, *Abraham non cognovit nos, & Israël non agnoscit nos*, TU JEHOVAH PATER NOSTER, REDEMPTOR NOSTER A SÆCULO NOMEN TUUM, LXIII: 16. Et apud Johannem ,, *Jesus dixit, qui credit in Me, credit in Ipsum Qui misit Me, &* QUI VIDET ME, VIDET IPSUM QUI VIDET ME ,, Joh. XII: 44. 45. *Dixit Philippus ad Jesum, monstra nobis Patrem, dicit illi Jesus*, QUI VIDIT ME VIDIT PATREM, *quomodo ergo tu dicis, monstra nobis Patrem; nonne credis quod* EGO IN PATRE ET PATER IN ME; CREDITE MIHI QUOD EGO IN PATRE ET PATER IN ME, Joh. XIV: 8. 9. 10. 11: & demum hoc ,, JESUS DIXIT, EGO SUM VIA, VERITAS ET VITA, NEMO VENIT AD PATREM NISI PER ME, Joh. XIV: 6; His auditis dixerunt omnes uno ore & corde, quod Humanum Domini sit Divinum, & quod Hoc adeundum sit ut adeatur Pater; quoniam Jehovah Deus, Qui est Dominus ab æterno, per Illud se misit in Mundum, & se fecit visibilem oculis hominum, & sic accessibilem; pariter fecit Se visibilem & sic accessibilem in Forma Humana coram Antiquis, sed tunc per Angelum.

Posthæc sequebatur deliberatio de SPIRITU SANCTO; & primum detecta est plurium idea de Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto, quæ erat, sicut Deus Pa-

ter sederet in alto, & Filius ad dextram Ejus, & a Se emitterent Spiritum Sanctum ad illustrandum & docendum homines; at tunc audita est vox e Cælo, dicens, non sustinemus illam cogitationis ideam; quis non scit quod Jehovah Deus sit Omnipræsens, qui hoc scit & agnoscit, etiam agnoscet quod Ipse illustret & doceat, & quod non sit Deus intermedius, distinctus ab Ipso, & minus a duobus, ut persona a persona; quare removeatur prior idea quæ est vana, & recipiatur hæc quæ est justa, & videbitis hoc clare. Sed tunc iterum audita est vox ex Romano Catholicis, qui se in angulo Templi occultaverant, dicens, quid tunc est Spiritus Sanctus, qui in Verbo nominatur apud Evangelistas & apud Paulum, a quo tot docti e Clero, imprimis a nostro, se dicunt duci; quis hodie in Christiano Orbe Spiritum Sanctum & Ejus operationem negat; ad hæc convertit se unus ex illis qui super Soliis secundi ordinis sedebant, & dixit; Spiritus Sanctus est Divinum procedens a Jehovah Domino; vos dicitis quod Spiritus Sanctus sit Persona per se & Deus per se, sed quid est Persona exiens & procedens a Persona nisi operatio exiens & procedens, non potest una persona ex altera per alteram exire & procedere, sed operatio potest; aut quid est Deus exiens & procedens a Deo nisi Divinum exiens & procedens, non potest unus Deus ab altero per alterum exire & procedere, sed Divinum potest; estne Divina Essentia Una & Individua, & quia Divina Essentia seu Divinum Esse est Deus, estne Deus Unus & Individuus. His auditis Sedentes super soliis unanimiter concluserunt, quod Spiritus Sanctus non sit Persona per se, nec Deus per se, sed quod sit Sanctum Divinum exiens & procedens ex Unico Deo Omnipræsente, Qui est Dominus. Ad hæc dixerunt Angeli stantes ad Mensam auream, super qua erat Verbum, Bene; non legitur ullibi in Veteri Fœdere quod Prophetæ loquuti sint Verbum ex Spiritu Sancto, sed ex Jehovah Domino; & ubi in Novo Fœdere dicitur Spiritus Sanctus, intelligitur Divinum Procedens, quod est Divinum illustrans, docens, vivificans, reformans & regenerans. Post hoc successit altera Ventilatio de Spiritu Sancto, quæ erat, a Quo procedit Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, num ex Divino quod Pater vocatur, vel ex Divino Humano quod Filius; & cum hoc ventilabant, affulsit lux e Cælo, ex qua viderunt, quod Sanctum Divinum, quod intelligitur per Spiritum Sanctum, procedat ex Divino in Domino per Ipsius Humanum glorificatum, quod est Divinum Humanum, comparative sicut omne activum procedit ex anima per corpus apud hominem: hoc Angelus stans ad Mensam confirmavit ex Verbo per hæc, „ *Quem misit Pater, verba Dei loquitur;* non ex mensura dedit Illi Spiritum; *Pater amat Filium, & omnia dedit in manum Ipsius*, Joh. III: 34. 35. *Exibit Virga de trunco Iischaji, quiescet super Ipso* Spiritus Jehovæ, Spiritus Sapientiæ et Intelligentiæ, Spiritus Consilii et Virtutis, Esaj. XI: 1. 2. *Quod* Spiritus Jehovæ *datus sit super Illum, & quod esset in Illo*, Esaj. XLII: 1. Cap. LIX: 19. 20. Cap. LXI: 1. Luc. IV: 18. *Quando venerit* Spiritus Sanctus, quem Ego missurus sum vobis a Patre, Joh. XV: 26. *Ille Me glorificabit, quia* ex Meo *accipiet, & annuntiabit vobis: omnia quæcunque Pater habet Mea sunt, propter hoc dixi, quod* ex Meo *accepturus sit & annuntiaturus vobis*, Joh. XVI: 14.

14. 15. *Si abivero, mittam Paracletum ad vos*, Joh. XVI: 7; Paracletus est Spiritus Sanctus, Joh. XIV: 26. NONDUM ERAT SPIRITUS SANCTUS, QUIA JESUS NONDUM GLORIFICATUS ERAT, Joh. VII: 39. Post glorificationem, *Jesus inspiravit, & dixit discipulis*, ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM, Joh. XX: 22. Quoniam Divina Operatio Domini ex Divina Omnipræsentia Ipsius per Spiritum Sanctum intelligitur, ideo cum ad Discipulos loquutus est de Spiritu Sancto, Quem a Deo Patre missurus est, etiam dicit, *Non relinquam vos orphanos*, ABEO ET VENIO AD VOS: *& in die illo cognoscetis, quod Ego in Patre meo, & vos in Me & Ego in vobis*, Joh. XIV: 18. 20. 28; & mox antequam abivit e Mundo, dixit, *Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad Consummationem sæculi*, Matth. XXVIII: 20: his coram illis lectis, dixit Angelus, ex his & pluribus aliis ex Verbo, patet, quod Divinum, quod vocatur Spiritus Sanctus, procedat ex Divino in Domino per Divinum Humanum Ipsius. Ad hæc Sedentes super Soliis, dixerunt, Hoc est Divina Veritas. Demum factum est Decretum, hoc; quod ex deliberatis in hoc Concilio clare viderimus, & inde pro Sancta Veritate agnoscamus, quod in Domino nostro Jesu Christo sit Divina Trinitas, quæ est, Divinum a Quo Quod vocatur Pater, Divinum Humanum Quod est Filius, & Divinum procedens Quod est Spiritus Sanctus: ita est Unus Deus in Ecclesia.

Postquam hæc in magnifico illo Concilio conclusa sunt, surrexerunt; & venit Angelus custos ex Cimeliarchio, & apportabat cuivis ex illis, qui super Soliis consederunt, Vestes splendidas, hic & ibi intertextas filis aureis, & dixit, accipite VESTES NUPTIALES: & deducti sunt in gloria in Novum Cælum Christianum, cum quo Ecclesia Domini in Terris, quæ est Nova Hierosolyma, conjuncta erit.

Apoc. XXII: 21.

GRATIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI CUM OMNIBUS VOBIS: AMEN.

